NOMENCLATOR LITERARIUS

THEOLOGIAE CATHOLICAE

THEOLOGOS EXHIBENS

AETATE, NATIONE, DISCIPLINIS

DISTINCTOS.

TOMUS III.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.

S. THEOLOG. ET PHILOS. DOCTOR, EJUSDEM S. THEOLOG. IN C. R. UNIVERSITATE OENIPONTANA
PROFESSOR P. O. HON.

CUM APPROBATIONE CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI EPISCOPI BRIXINENSIS
ET FACULTATE SUPERIORUM.

EDITIO TERTIA PLURIMUM AUCTA ET EMENDATA.

OENIPONTE.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1907.

THEOLOGIAE CATHOLICAE

AETAS RECENS.

POST CELEBRATUM CONCILIUM TRIDENTINUM

SECULUM PRIMUM

AB ANNO 1564—1663.

CUM APPROBATIONE CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI EPISCOPI BRIXINENSIS
ET FACULTATE SUPERIORUM.

EDITIO TERTIA PLURIMUM AUCTA ET EMENDATA.

OENIPONTE.
LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.
1907.

OENIPONTANAE

FACULTATI THEOLOGICAE

SEMISECULARIA

CELEBRANTI

D. D. D.

I.

Theologi annorum 1564—1580.

I. Theologia scholastica.

1. Mirum est quam pauci theologi scholastici prae periodo praecedenti vel subsequenti hoc temporis intervallo vitam morte commutaverint. Rationem reperies n. 6. Quare breviter quae ad illos spectant expediemus [1]). De *magistro sententiarum* duo in primis fuere soliciti. Martinus de Ledesma O. Praed. Hispanus eruditione ac pietate ita inclaruit, ut a Joanne III. Lusitaniae rege academiam conimbricensem a se institutam viris in omni genere disciplinarum sapientissimis exornare satagente vocatus fuerit instanterque invitatus qui primariam in ea cathedram theologicam regeret ac ss. literas publice profiteretur, quod munus annis solidis 30 et amplius implevit summo omnium plausu et auditorum fructu. Hinc etiam infulam viseensem sibi oblatam constanter recusavit († 15. Aug. 1574). Reliquit *commentaria* in 4. l. sententiarum, Conimbricae 1555. 1560. t. 2 in f. Magni quidem nominis est theologus, vitio tamen ei vertitur stili incuria [1]). — Antonius Cordubensis O. S. Franc. dum viveret, ut idoneus quidam atque ei aequalis testis loquitur, „tamquam pythium quoddam erat theologiae oraculum, ad quem omnes auxilii et consilii gratia ventitabant, ut velut inter Pythagoreos sic jactaretur: ‚ille dixit'. Atque adeo studiis invigilare solitus dicitur, ut raro post matutinarum precum vigilias, ut in more est ceterorum, captaturus de novo somnum lecto se traderet, imo id totum, quod ad lucis adventum usque esset temporis, evolvendum libris insumeret [2]).“ Obiit annos natus 93 c. a. 1578. Praecipua ejusdem opera sunt: *Commentaria* in 4 ll. sententiarum (Compluti) 1569; *quaestionarium theologicum* sive silva casuum conscientiae;

[1]) Huc spectant etiam Didacus de Payva de Andrada, quem inter theologos polemicos recensebimus, et Jac. Naclantus O. Praed., quem inter exegetas reperies. — Oswald Fischer Arnsbergensis Ingolstadii philosophiae professor et seminarii georgiani regens (1528), dein parochus et ibidem theologiae professor et academiae procancellarius, demum episcopus auxiliaris frisinganus († 1568), disseruit *de vera studendi s. theologiae ratione* ll. 3, Ingolstadii 1564.

[1]) Cf. Echard Script. O. Praed. II. 230.
[2]) Antonius in bibl. hisp. nova I, 111.

Toleti 1578; Ingolstadii 1593; Venetiis 1604., in quo agit praeter alia de ignorantia, conscientia, de fide et Ecclesia et potestate papae, quae pars seorsim prodiit inscripta: *Arma fidei* sive loca communia et fundamenta generalia ad omnes haereticos convincendos de suis erroribus, quae apud ipsos etiam indubitata sunt, fidei principiis (Compluti 1562. in 8.); de indulgentiis, quae p. pariter seorsim prodiit ib. 1554. et alibi; *annotationes* in Dom. Sotum de ratione tegendi et detegendi secretum, ib. 1553., cui adjectus est libellus *de detractione et famae restitutione.*

2. In illustrando *s. Thoma* versati sunt: Augustinus Hunnaeus (Huens, Hoens) Mechlinensis n. 29. Jul. 1521, theologiae doctor et praeses collegii theologici lovaniensis († 7. Sept. 1578, secundum alios 1577), qui *Summam s. Thomae* ad vetustos codices exactam et emendatam edidit. Optima editio prodiit Antwerpiae 1575. t. 4 in f.; 1585 etc. Partem quoque habuit in edendis bibliis polyglottis antwerpiensibus. Praeter scripta philosophica[1]) concinnavit et *catechismum* Antverpiae 1570; *de sacramentis Ecclesiae* Christi axiomata, Antverpiae 1570; Romae 1586, passim ejus ed. Summae s. Thomae adjecta. D. Thomae A. totius summae *conclusiones*, Parisiis 1890. demum prodierunt. — Commentaria in p. 1. qq. 27-44 *de ineffabili mysterio ss. Trinitatis* edidit Bartholomaeus de Torres theologiae doctor Compluti 1567; 1583, postquam 20 annis doctorem angelicum in academia salmanticensi est interpretatus. Honestissimis fuit moribus eximiaque in Deum pietate, multa quoque doctrina felicique ingenio praestans. Hinc in Angliam vocatur sub Maria ad reparanda damna fidei ab Henrico VIII. illata, dein ad regendam ecclesiam canariensem est destinatus. Cum patribus societatis Jesu totam dioecesim pedibus obambulans barbaros catechesim docuit nullumque boni pastoris officium praetermisit († 1. Febr. 1568). — Berardus Bonjoannes episcopus camerinus (1537), qui haud parum in concilio tridentino excelluit († 12. Sept. 1574), elaboravit *epitomen* in universam Summam theologiae s. Thomae Aq., Venetiis 1564. Reliquit variarum de concilio scripturarum saturam (non diarium), ex qua Merkle suae collectioni diariorum quaedam inseruit. — Joannes Fowler (Foulerus) Bristolensis, magister artium et in literis egregie excultus fidei, quam prodere noluit, causa Lovanium secessit, ibique magno anglorum catholicorum bono condidit typographiam, e qua plura dein opera in fidei catholicae defensionem prodierunt. Ipse († 13. Febr. 1578—79) vulgavit *conclusiones* ex universa Summa s. theologiae doctoris vere angelici s. Thomae Aq. desumptas, Lovanii 1570; Venetiis 1572, praeclarum Summae s. Thomae compendium apta methodo dispositum. — *Solutiones* ad contradictiones in dictis Aristotelis et d. Thomae ll. 2 Florentiae dedit Joannes Paulus Donatus O. Carm. Italus.

3. Joannes Ballaini O. Min. Conv. Andrius e regno neapolitano meruit de aliis theologiae scholasticae principibus. Edidit enim s. Bonaventurae[1]) *commentarios* in ll. sententiarum emendatos et expurgatos, Venetiis 1573. t. 4 in 4. cum indice generali in eosdem; 1580; ejusdem *expositionem* in ll. Sa-

[1]) Cf. Reusens Biogr. nat. de Belg. IX, 711—719, qui accurate ejus recenset scripta.

[1]) Hujus sancti opuscula edi curavit Franciscus Zamora O. Min., electus in ministrum generalem (1558), quem Paulus IV. legatum misit ad Philippum II. Etiam ad indicem librorum prohibitorum, canones et doctrinam de sacrificio missae conficiendos in concilio tridentino deputatus est atque pro tollendo matrimonio clandestino stetit. Episcopatus sibi oblatos iteratis vicibus recusavit († 1571).

pientiae et lamentationes Jeremiae cum additionibus, ib. 1574; *summam* Alexandri Alensis, ib. 1576. t. 4 inf. — Joannes de Combis O. S. Franc. Gallus, theologiae lector, dedit *annotationes et declarationes* ad terminos theologales d. Bonaventurae, Lugduni 1560; 1611; Venetiis 1575. in 4; *compendium totius theologicae veritatis* incerti auctoris, Lugduni 1569, cui editioni adjectus est praecedens libellus etc., de quo opusculo cf. supra II^3, 383. — Jacobinus Malafossa seu Malafossius O. Min. n. in oppido Burges, quod situm est in Italiae Subalpinis, diu professus est theologiam in academia patavina et taurinensi; interfuit etiam concilio tridentino. Egregius dicitur fuisse metaphysicus et in disputando acerrimus. Quae ipse declamabat quodam lepore ita condiebat, ut omnibus redderetur gratus, sed adeo gravi ac sedata voce superfusoque facetiarum sale exprimebat, ut auditores certatim ad eum confluentes in subselliis scriptitando explicatas sententias notis exciperent. Obiit[1]) aetatis a. 82. Edidit sub nomine Jacobi Bargii *enarrationem expositionemque* in 1. l. sent. Scoti, in qua 130 quae videntur esse contradictiones Scoti solvit, Patavii 1560. — Eundem Scotum illustravit Antonius Paleatinus Monelianus O. Min. Conv. diu ordinis procurator generalis, dein episcopus brugnatensis († 1579), cujus est *Methodus et grammatica speculativa* v. Doctoris subtilis, Parisiis 1604 et Melchior Flavius O. Min. Pio V. a confessionibus et Henrico II. Galliae regi a concionibus, commissarius generalis Germaniae superioris, *resolutionibus* in 4 ll. sententiarum Scoti, quas edidit ejus sodalis Joannes Forsannus. Parisiis 1579; Venetiis 1580; *de regno Christi*, Parisiis 1566, epitome scil. omnium mysteriorum Christi et Summa totius Scripturae; *de statu animarum* post mortem tr., Duaci 1606; *de orbis terrae concordia,* Basileae 1570. — Joannes Dovetus (du Dovet) O. Min. Gallus, theologiae professor Parisiis, contexuit formalitatum Scoti, Antonii Sirecti, A. Trombetae et St. Bruliferi eximiorum theologorum O. Min. *monotesseron* in usum philosophiae Aristotelis et theologiae haereticae studiosorum, Parisiis 1579; Venetiis 1587, opus valde rarum. — Aegidio Columnae sua studia dicavit Dionysius Petrellus[1]) a Sigillo O. S. Aug., qui in ejus opera reliquit *annotationes*. Eum Gregorius XIII. propter eruditionis famam Romam accivit ferturque dixisse audita ejus sententia: »Sigillo bene sigillasti tua dicta et vota«.

4. Praetermissis Christophoro Patavino O. S. Aug. sui ordinis annis 18 praeposito generali, qui interfuit concilio tridentino atque a patribus cum aliquot aliis conficiendo librorum prohibitorum indici delegatus fuit († 1569), et Gerardo Habbio Lunerensi gymnasii Montani Coloniae professore († 1577), cujus exstat *Compendium theologiae communis et usitatae* per dialogum propositum, Coloniae 1573 — Joannes Bologni Panormitanus, ibidem archidiaconus et vicarius generalis († 1564) disputavit *de aeterna Dei praedestinatione et reprobatione,* Patavii 1554; 1555. in 8. — In primis vero memorandus est Jacobus Lainius S. J. Almazani in Castilia a. 1512. ortus. Parisiis dum studiis daret operam, s. Ignatio societatis Jesu parenti sese adjunxit. Postquam vitam apostolicam in superioribus Italiae partibus egit, Romae theologiam scholasticam exposuit. Indicto a Paulo III. concilio tridentino ab eodem pontifice munere theologi pontificii illuc cum Salmerone est missus: quo munere

[1]) Cf. Joan. a s. Antonio in Biblioth. univ. franc. etc.

[1]) Alius a Fulgentio Petrello, de quo infra.

etiam sub Pauli successoribus est functus. Magna erat ejus in synodo auctoritas, ultima praesertim ejusdem periodo, propter ingenii acumen, insignem solidissimamque scientiam, cujus edidit specimina praeclara, propter prudentiam intrepidumque fidei zelum. Subinde disseruit coram patribus per tres continuas horas: nonnunquam factum est ut legati pontificii ob Lainii febri laborantis infirmitatem congregationes theologorum in alium transferrent diem, ne synodi membra illo privarentur emolumento, quod ex disputatione ejus in limine actionis audita percipi posse confidebant. S. Ignatio e vivis erepto in successorem in societatis comitiis 1558. electus est; imo Paulo IV. vita functo ultra duodecim cardinalium de eo in pontificem eligendo cogitasse referuntur. Saepe a pontificibus in gravissimis adhibebatur negotiis et legationibus. Interim quandocunque per negotia licuit, concionibus ferventibus morum emendationi instabat. Ordinem prudentissime rexit, qui et sub ejus moderamine laetissimos fecit progressus. Laboribus vere consumptus obiit † 19. Jan. 1565. — Plura reliquit manuscripta, quae tamen propter excursiones apostolicas aliosque labores limare non potuit, hinc fere nihil typis fuit excusum. Nostra demum aetate aliqua edidit Hartmannus Grisar Kath. Ztschr. V, 1881 p. 672—720; VI, 39—112, plenius inscripta *Disputationes tridentinae* Oeniponte 1886 t. 2 in 8., inter quas eminet prolixa disputatio *de origine jurisdictionis episcoporum* et de romani pontificis primatu, et consultatio *de calice laicis porrigendo,* quod postulatum rejiciendum censuit[1]).

5. Aliquot *philosophos* subjiciamus: Galeazzo Florimonte Sessanus, vir ob singularem eruditionem spectatissimus[1]), episcopus primum fuit Aquinus (1543), dein in patria sua (1552), a Paulo III. inter quatuor selectus est judices concilii tridentini, a Julio III. factus secretarius Brevium. Obiit venerandus senex 89 annorum 1567. Interpretatur lingua patria ll. X *Ethicorum* Aristotelis. Prodiit hic commentarius Venetiis 1554, sed mendis plenus, a quibus purgatus fuit in ed. sequentibus. — Gabriel Buratelli O.S.Aug. Anconitanus, qui interfuit etiam concilio tridentino († 15. Nov. 1571), proposuit *Praecipuarum controversiarum Aristotelis et Platonis conciliationem,* Venetiis 1573. *Commentaria* in Psalmos poenitentiales, in Ps. CXVIII et in Cantica, Venetiis 1574. — Philosophiae scholasticae acer adversarius erat Marius Nizolius[2]), Occami Nominalismi assecla, Brescellae ditionis mutinensis n. 1498 († 1576), in op. *De veris principiis et vera ratione philosophandi,* Parmae 1553, in quo philosophos peripateticos et scholasticos improperiis insectatur, eosque pseudophilosophos et philosophastros vocat. — Marcus Antonius Natta Astensis, qui etsi juri prae primis civili deditus et muneribus publicis Genuae implicitus, disseruit *de pulchro* et de universi fabrica mundi ll. VI, Venetiis 1567, quod opus a puritate linguae et ingenii subtilitate laudat Paulus Manucci. Reliquit quam plurima alia opera. Praeter ea, quae ad jus spectant ut *Consiliorum* seu responsorum t. IV, Venetiis 1572, huc referri possunt *de Deo* ll. XV, Venetiis 1560, opus rarum; *de animae immortalitate* ll. V, ib.; *de doctrina principum* ll. IX, Francoforti 1603; *de passione Domini* dialogi ll. VII, Monteregali 1570; *de eloquentia Chris-*

[1]) Cf. plura apud Grisar in proleg. suae edit.; Ribadeneira Vida del P. V. J. Laynez 1604; Boero Vita del Servo di Dio P. G. Lainez, Firenze 1880; Astrain Historia de la compañia de Jesus en la assistencia de España II, 164 ss.

[1]) Cf. Tafuri Scritt. del Regno di Nap. II, 2, 279 ss.; 3, 367.

[2]) Cf. M. Glossner Nic. von Cusa und M. Nizolius als Vorläufer der neueren Philosophie, Münster 1891; Stöckl KL. IX, 404—406.

tianorum, Francofurti 1562; *de oratione* ad Deum, Venetiis 1557 etc. — Hieronymus a Pistorio O. Cap. ordinis definitor generalis, qui interfuit concilio tridentino atque nonnullos ad patres synodi habuit sermones. Pius V. eum in theologum sibi assumpsit ejusque consilio in rebus ecclesiasticis est usus, imo cardinalem creare voluit. Restitit religiosus humilis, hinc illud saltem pontifex voluit, ut alium sibi proponeret quem purpura ornaret († 29. Nov. 1570). Habuit *conciones de immaculata V. conceptione*, Neapoli 1564; *de controversiis*, Bononiae 1567 et disputavit *de quantitatibus*, rerumque distinctionibus et formalitatibus Scoti, Romae 1570.

II. Theologia polemica.

6. Longe uberior eorum theologorum, qui *polemici* dicuntur, est seges. Neque mirum cum in dies Ecclesia ejusdemque dogmata fere singula, telis undique petitis, acrius impugnarentur ac errores fungorum more quaquaversus emergentes zelum provocarent virorum eruditorum. Nulla fere est regio, in qua non plures scientia plane insigni theologica praediti doctrinam catholicam vel universim vel speciatim tuerentur. Horum plerique sunt Belgae, Galli, Germani, pauciores Hispani, Angli, Itali, Poloni. Plures etiam ex his concilio tridentino interfuere[1]), ut Simon Vigor, Antonius de Mouchy, Claudius Espencaeus, Joannes Hessels, Jodocus Ravesteyn, Franciscus Sonnius, Stanislaus Hosius, Franc. Vita Polynthius O. Min., Didacus de Noguera, Martinus Perez de Ayala etc.

7. In *Gallia* rem catholicam strenue egerunt[2]) praeter Leodegarium Bontems O. S. Ben. Divionensem, qui se etiam Agathochronium appellavit († 9. Aug. 1565), atque disputavit *De la Puissance* et Autorité du Pape, Paris 1565 etc. — Petrum Duval institutorem filii Francisci I., episcopum sagiensem († 13. Oct. 1564), qui et poëta erat — Nicolaum Beguin[1]) — Artum Désiré ardentem, sed forte minus idoneum († c. 1579) — Joannem Albinum de Seres archidiaconum tolosanum († 1566), cujus ll. VI *du Sacrement de l'Autel* prodierunt Parisiis 1567 — et Nicolaum Granerium[2]) — Nicolaus Durandus de Vil-

[1]) Quibus adde ex theologis *scholasticis* Jacobinum Malafossa O. Min., Berardum Bonjoannes, Christophorum Patavinum, Gabr. Buratelli OSA., de quibus supra egimus; ex iis, qui ss. literas illustrarunt, Corn. Jansenium, Cosmam Dam. Hortulanum, Joan. Suarez O. S. Aug., Jacobum Naclantum O. Praed.; Cornelium Mussum O. Min.; ex reliquis Marianum Victorium; Mich. Thomasium de Taxaquil etc., quorum infra occurret mentio.

[2]) Minus bene rem catholicam egit Joannes de Monluc Acquitanus O. Praed., qui maluit vitam transigere in aula. Vir sane erat facundia, animi sagacitate, industria praeditus, quibus Franciscus rex ejusque successores feliciter sunt usi, nam pluribus in legationibus et negotiis fuit adhibitus factusque est antistes valentinensis et diensis (1553; † 12. Apr. 1579). Reliquit plura scripta politica et theologica (Cf. Echard II, 253). Ex ejus sermonibus et instructionibus christianis aliquot propositiones censurae subjecit Sorbonna, ut refert Feret La fac. de Theol. de Paris, ep. moderne I, 269—271, ubi eum dicit opinionibus calvinianis favisse. In ejus favorem scripsit Jo. Columbi SJ. l. singularem, *quod J. Monlucius valentinas et diensis episcopus non fuerit haereticus*, Lugduni 1640.

[1]) Cf. Adelung Fortsetz. u. Ergänzungen zu Chr. G. Jöchers allgemeinen Gelehrtenlex. 1, 1598.

[2]) Hujus *Scutum fidei* edidit Antonius Buonagratia canonicus pisciensis et vertit italice Venetiis 1567.

legaignon, oriundus e Britannia minori (1510, † 9. Jan. 1571), eques melitinensis, qui Calvini erroribus, quibus videtur aliquamdiu inhaesisse, derelictis ad veram rediit fidem [1]), quam circa eucharistiam valide adversus Calvinianos defendit variis in operibus (raris): *Ad articulos calvinianae de eucharistia traditionis* in Francia antarctica (America meridionali) evulgatos *responsiones*, Parisiis 1560; Venetiis 1562; adversus Richerii (apostatae) et Calvini articulos, quod cum aliis duobus opusculis prodiit inscriptum: Adversus Calvini, Melanchthonis atque id genus sectariorum dogma *de eucharistia opuscula tria,* Coloniae 1563 (m. 40); *de consecratione, mystico sacrificio et duplici Christi oblatione* adversus Vannium; de judaici paschatis implemento adversus calvinologos; de poculo sanguinis Christi adversus Bezam, Lutetiae 1569. — Spiritus Roterus O. Praed. natus Aquis sextiis exeunte 15. seculo, celeber fuit sui temporis concionator [2]) gessitque ab a. 1547 inquisitoris tolosani officium († c. 1564). Inter plura ejusdem opera latine vel gallice scripta [3]) laudat Richardus Simon [4]) ejus diss.: *De non vertenda Scriptura s. in vulgarem linguam* deque occidente litera et vivificante spiritu, Tolosae 1548. — Gabriel Putherbeus (du Puy-Herbault) congr. Fontebraldeae Turoniae natus, doctor sorbonicus († 1566), quem vel ipsi protestantes verebantur [5]), et cujus *Theotimus* seu de tollendis et expungendis malis libris, iis praecipue, quos vix incolumi fide ac pietate plerique legere queant ll. III, Parisiis 1549. rarissimus est (m. 55). — Simon Vigor, Ebroicensis, rector academiae parisiensis (1540), parochus s. Germani veteris, doctor theologiae (1545) et poenitentiarius ebroicensis, suis de controversiis concionibus plures ad veram fidem reduxit: inter quos celebrem Petrum Pithou. In praemium suorum de Ecclesia meritorum a Gregorio XIII. ad cathedram archiepiscopalem narbonensem promotus fuit (1572), quam ecclesiam magno zelo administravit et fructu nullis pro Ecclesiae fide parcens laboribus († 1. Nov. 1575). Prodierunt ejus *sermones* de controversiis fidei a. 1577 t. 2; 1585; 1588 alii t. 3. Interfuit ipse cum aliis theologis Sorbonnae conc. tridentino (1562), et cum Claudio Sanctesio, de quo plura infra, celebri colloquio (1566) cum Espine et Sureau du Rosier partis reformatae ministellis, cujus acta prodierunt Parisiis a. 1568. Confundi ipse non debet cum alio Simone Vigor ejus nepote membro magni consilii († 1624), qui acriter Richerii systema defendit vehementerque doctrinam catholicam de ecclesiastica potestate impugnavit. Ejus opera prodierunt collecta, Parisiis 1683, sed ea fuere prohibita. Ipsi tribuitur et *Historia eorum, quae acta sunt inter Philippum Pulchrum... et Bonifacium VIII.* ex variis scriptoribus, Parisiis 1613. In celebri consilio burgofontano ipsi adjudicantur partes impugnandi hierarchiam ecclesiasticam [1]). — Antonius de Mouchy seu Demochares, quod nomen ipse sibi imposuit, Bellovacensis n. 1494, theologiae professor et uni-

[1]) Cf. Werner Geschichte der apolog. u. polem. Literatur der kathol. Theologie t. 4 § 766; Raess, die Convertiten, 1, 420 ff.; Biogr. universelle 49, 11—15.

[2]) „Tres supra triginta quadragesimas declamavi" testatur ipse in responso ad epist. civium novae Babyl.

[3]) Cf. haec ap. Echard II, 189.

[4]) Nouvelles observations sur les versions du N. T. c. 22.

[5]) Puy-Herbault . . . fut l'un des plus célèbres prédicateurs et des plus habiles controversistes de son temps. Les protestants le regardaient comme leur fléau. Feller, Biographie universelle VII, 137.

Parisiis 1867. Gallice vertit Lippomani opus *de vitis SS.*, sed pluribus vitis auctum, Parisiis 1577; quae versio iterum multum aucta, praesertim opera Jacobi Tigeon, prodiit ib. 1577 t. 3 in f. Cf. Feret II, 398—406.

[1]) Cf. Pfülf KL. XII, 964 s.

versitatis parisiensis rector (1539), studiosus fidei inquisitor († 8. Maji 1574) reliquit doctum et laboriosum opus adversus misoliturgos inscriptum: *Propugnatio catholica et historica* christianae religionis et apostolicae traditionis adversus misoliturgorum blasphemias ac novorum hujus temporis sectariorum imposturas praecipue Jo. Calvini et suorum contra s. missam pp. 4 in 1 v., Parisiis 1562. in f., aliaque opera praesertim ad eucharistiam spectantia. — Oratio habita in conc. trid. apud Le Plat I, 657—77. Edidit et *Corpus juris canonici,* Parisiis 1550 t. 4 in 8; Lugduni 1554 t. 7 in 12; cum glossa Parisiis t. 3 in f.; *opera s. Anselmi* ib. 1544; et P. Lombardi 1556.

8. Joannes du Tillet episcopus briacensis, dein meldensis († 19. Nov. 1570) edidit *opera* Luciferi Calaritani, Parisiis 1568; *opuscula* s. Paciani Barcinonensis, ib. 1538; primus *ll. Carolinos* sub aenigmatico nomine Eli. Phili. Parisiis 1549; cui ed. deest IV, 29 (cf. de his ll. supra I, 708); *canones apostolorum* et synodorum, et plures libros de controversiis, ut *Traité de l'antiquité et de la solemnité de la Messe,* ib. 1537; Traité *sur le symbole* des apôtres, ib. 1566; *Réponse* aux ministres, ib. 1566. in 8; *Parallelae* de vitis ac moribus paparum cum praecipuis ethnicis, Ambergae 1610. etc.; insuper etiam textum hebraicum Evangelii secundum Matthaeum cum versione Jo. Merceri calvinistae, Parisiis 1555., de quo tamen card. Bellarminus, postquam statuit textum graecum plane esse authenticum ac si ea lingua primum scriptum fuisset Evangelium Matthaei, ita scribit[1]): „Quocirca non multum egemus evangelio hebraico, quod Münsterus edidit, nec illo etiam, quod nuper edi curavit Joannes Tilius, in quo multa desunt, multa supervacanea sunt, non pauca etiam immutata cernuntur; et Deus novit, utrum id factum non sit ad detrahendam fidem graecae et latinae editioni, astutia videlicet Judaeorum, ex quorum promptuariis evangelium illud prodiit.“ — Matthaeus de Launoy sacerdos catholicus ad Calvinianos a. 1560 defecrat. Cum vero testis esset tot dissidiorum inter protestantes, eorum inconstantiae tristiumque fructuum libertatis sic dictae evangelicae, ad Ecclesiam rediit catholicam factusque est canonicus suessionensis, ac pro re catholica adversus haeresim deinde pugnavit. Edidit (cum Henrico Pennetier, qui pariter defecerat): *La Déclaration et Réfutation des fausses suppositions et perverses applications d'aucunes sentences de saintes Ecritures,* desquelles les ministres se sont servis en ce dernier temps à diviser la chrétienté. Paris 1579 (ed. 3): quod opus catholicis[1]) arrisit, displicuit vero Calvinianis, unde illud acriter impugnarunt; Launoyus vero strenue defendit op.: *Réplique chrétienne* en forme de commentaire sur la réponse... faites par les ministres calvinistes etc. ib. 1579. — Franciscus Richardot O. S. Aug. Burgundus n. 1507 Parisiis a. aetatis 22 publice jam s. Pauli epistolas exposuit. Falso accusatus transiit in Italiam. Bene initio receptus a Ferrariae duce, postmodum arce Rubeirae fuit inclusus. Innocentia ejus comperta ideoque libertate donatus Romam venit et cum pontificis venia habitum religiosum exuit. In patriam redux factus est administrator dioecesis bisuntinae, simulque in noviter erecta academia, quam plurimum

---

[1]) De verbo Dei l. 2. c. 7. n. 3. Cf. Le Long biblioth. sacrae I, 82.

[1]) Cf. Raess, die Convertiten 2, 195 ss., qui de illo inter alia habet: „Das Werk verräth eine genaue Bibelkenntniss und eine ziemliche Belesenheit in den Vätern und kirchlichen Schriftstellern. Wenn auch die Sprache desselben meistens breitgetreten ist, so kommen dennoch häufig originelle Wendungen und Lichtfunken vor, die das Lesen desselben anziehend machen etc.“

promovit, ss. literas est interpretatus. A Granvellano attrebatensi archipraesule tanti est factus, ut eum sibi in episcopum auxiliarem selegerit: eoque translato Mechliniam ipse in cathedra episcopali successit (1561). Vigilantissime suum gregem tam docendo quam praedicando adversus haereses praemuniit felici successu[1]). Interfuit concilio tridentino, in quo insignem de eucharistia orationem habuit, quae saepius typis prodiit ut Brixiae 1563 († 26. Jul. 1574). Praeter alia reliquit *statuta synodalia* dioec. attrebatensis, Duaci 1570; *institutionem pastorum* attrebatensis ditionis in fidei capitulis controversis, Atrebati 1562. — Concilio tridentino pariter interfuit Jacobus Hugo O. Min. theologiae doctor et Sorbonae membrum. Apud Galliae reges multum valuit praesertim apud Carolum IX., qui eum saepe nullo comite privatim invisebat († 19. Dec. 1574). Reliquit *observationes theologicas,* historicas, morales et politicas in acta totius sacrosancti concilii tridentini, Rotomagi 1569.

9. Petrus Doré (Auratus, Deaurati) Aurelianensis n. 1500, ingressus est ordinem Praed. 1514, regens studii parisiensis, magnorum principum fruebatur gratia, etiam Henrici II., cui erat a concionibus et confessionibus. Catalauni degens electus est (qua ratione id factum sit, nescit Echard II, 204) prior Vallis Caulium, quae domus caput est O. Cist.; quo prioratu abdicato rediit ad sodales parisienses libris edendis recognoscendisque dans operam († 19. Maj. 1569, secundum Grube KL. III², 1988 a. 1559). Plurima reliquit opera, olim saepe edita sed modo rara et quaesita, quia ingeniosa[1]). Adversus Calvinianos scripsit: *Paradoxa* (100) ... ad profligandas haereses ex d. Pauli ap. epistolis selecta ineluctabilibusque ss. patrum testimoniis firmata, Parisiis 1543 in 8; *Adunatio* praecipuarum materiarum sparsim contentarum in diversis locis ep. d. Pauli Ap., Parisiis 1555; 1557 in 16., quam opellam primus delineavit Dionysius carthusianus, Petrus vero auxit et illustravit. *Anticalvin* contenant deux defenses catholiques de la verité du s. Sacrement et digne sacrifice de l'autel contre certains faux ecrits etc., Parisiis 1551; 1568. Multa sunt ascetica, ut *Les voies du Paradis* enseignées par N. S. J. C. en son évangile, Lugduni 1538; 1586 etc.; *Le collége de Sapience,* Parisiis 1539; 1545 etc.; *L'Image de vertu* démontrant la perfection et sainte vie de la b. V. Marie ... par les ecritures tant de l'A. que du N. T., Parisiis 1540; 1549: 1559 et saepius adhuc; *les allumettes du feu divin* pour faire ardre les coeurs humains en l'amour et crainte de Dieu, Parisiis 1538 in 16; 1540; latine: *Scintillae divini amoris,* Coloniae 1611 in 12. etc.; *La céleste pensée* des graces divines arrosée, ou sont declarez les sept dons du S. Esprit et la manière de les demander a Dieu, Parisiis 1543; 1546, opus eruditum, omnino pium atque etiam elegans. *L'arche de l'alliance nouvelle* et testament de N. S. J. C. contenant la manne de son precieux corps contre tous sacramentaires heretiques, ib. 1549 in 8. *Le nouveau testament d'amour de N. S. J. C.* signé de son sang, ib. 1550 pariter contra sacramentarios; 1557. Plures quoque psalmos diversis libellis ascetice exposuit. — Gabriel Sacconaeus (Sacconay) comes, Lugdunensis, decanus cathedralis lugdunensis, legit assidue scripsitque caute medius inter patrum

---

[1]) Cf. Leuridau in Revue des sciences eccl. LXXI (1895), 59—66; 301—316; 434—451, qui plurimum utitur egregia oratione funebri, quam in Richardot laudem habuit celeber Thomas Stapleton; Berthold Vie de Fr. Richardot in Mém. de l'acad. d'Arras a. 1844 p. 170 ss.

[1]) Cf. bene longum catalogum apud Echard II, 203 ss.; Foret II, 276—288; Grube KL. III², 1987.

opera degens († 1580). Novam (1561) curavit op. Fisheri de septem sacramentis editionem et inter alia disseruit *Du Sang du vrai corps de N. S. J. Christ.* Legitur Calvinus eum prae primis timuisse.

10. Hisce plura scripsit majoremque nominis famam consecutus est Claudius Espencaeus (d'Espence), natus Catillonii a. 1511. Studiis operam dedit Parisiis in collegio navarrensi, rector academiae parisiensis (1540) et doctor sorbonicus creatus est a. 1542. Consultationibus in Gallia habitis, praeviis Concilio tridentino, bis interfuit (Meluni a. 1547 et Aureliani a. 1560) ipsisque legatis ad concilium Bononiam translatum adjunctus fuit a rege (a. 1547), mox vero concilio dilato in Galliam rediit. Cum cardinalem Lotharingium, penes quem multum valebat auctoritate, Romam comitaretur, Pauli IV. sibi conciliavit gratiam (a. 1555), adeo ut pontifex de eo cardinalium collegio adlegendo cogitaverit. In colloquio Possiaco Bezam habuit adversarium, contra quem traditionem, Ecclesiae infallibilitatem, ordinis sacramentum etc. vindicavit: quo tamen in colloquio non undequaque satisfecit catholicorum exspectationi, quare suam loquendi et agendi rationem prolixa defendit apologia, Parisiis 1569. Alia adhuc habuit ejusmodi colloquia cum ministris calvinianis († 5. Oct. 1571). Plures edidit libros tam gallice quam latine de controversiis fidei. Opera latine conscripta cura G. Genebrardi prodierunt Parisiis 1619. in f. (m. 50). Speciminis gratia nominamus: *De eucharistia et ejus adoratione* ll. 5, Parisiis 1573; *de privata et publica missa*, in quo l. tuetur, missas, quibus nulli adstiterint fideles, non fuisse in antiqua Ecclesia oblatas; Tr. *contre l'erreur vieil et rénouvelé des Prédestinés,* Lugduni 1548; *de clandestinis matrimoniis* consilium, Parisiis 1561, in quo tuetur filiorum matrimonium citra parentum consensum initum esse invalidum. Edidit etiam commentarios *in epistolam primam ad Timotheum,* 1564; *in epistolam ad Titum* cum digressionibus 1568, in quibus nimis prolixe de quaestionibus disputat ad theologiam pastoralem, hierarchiam, disciplinam ecclesiasticam pertinentibus, acriterque invehitur in abusus, quos exprobrat romanae curiae[1]). Laudant illum quidem nonnulli ab eruditione, ut Wiest[2]), Du Pin[3]), quem et Feller sequitur[4]), notat tamen Michael a s. Joseph[5]): „Nemo theologorum parisiensium, si Scaevolae Sammarthano fides, majori omnium ordinum concursu et admiratione frequentes de rebus divinis ad populum conciones habuit, quam Espencaeus ut qui ad munus istud clarissimum eximiam eruditae facundiae laudem firmissimaque latera et gestum oris maxime decentem afferret. Nihilominus plura inter concionandum dixit, quae vel omnino tolerari non deberent vel in pravum sensum facile detorqueri possent .... Constat sane Claudium in libris suis, quos magno numero lucubravit, non raro claudicasse, eaque scripsisse, quae merito expungi debuere etc.“ Et revera cum quaedam liberius minusque prudenter dixisset in concionibus, quas a. 1543 quadragesimae tempore habuit, ex sententia Sorbonae debuit nonnulla retractare vel mollire, quod in concione 21. Jun.

---

1) Quod carpit vel R. Simon Histoire crit. des principaux comment. du N. T. c. 40, ubi inter alia habet: Le sens littéral ... est comme enseveli dans ses longues et fréquentes digressions ... le Docteur n'a rien oublié dans son commentaire sur l'épitre à Tite pour décrier Rome.“

2) Introduct. in hist. liter. § 196.

3) Nouvelle bibliothèque des Auteurs ecclés. t. 16. p. 104 ss., penes quem operum ejus catalogum reperies.

4) Biogr. univ. II, 452; Kirchenlex. IV, 906.

5) Bibl. crit. II, 233.

habita praestitit[1]). Ideoque quondam in ll. prohibitorum indicem, saltem ‚donec corrigantur' relata sunt ejus Collectanea *de continentia ll. VI,* Parisiis 1565; in ep. d. Pauli ad Titum *commentarius.* Hinc Bona in sua notitia auctorum eum insignem vocat theologum, sed caute legendum esse monet. Reliquit plura alia opera gallice conscripta ascetica, sermones, carmina etc.

11. Jam ad *Germanos* transeamus. Primus nobis occurrit Fridericus Staphylus (natus 27. Aug. 1512), de quo ita habent Annales academiae ingolstadiensis ad a. 1564: „Die 5. Martii emigravit ex hac mortali vita vir incomparabilis et invictus religionis catholicae propugnator post immensos labores pro Ecclesiae incolumitate exhaustos D. Fr. Staphylus Osnabrugensis, Westphalus, s. theologiae doctor[2]), caesareae majestatis et serenissimi bojorum ducis Alberti consiliarius et scholae ingolstadiensis superintendens etc." Adolescens celebriores invisit Galliae et Italiae accademias; decennium commoratus est Wittenbergae amicitia junctus Luthero et Melanchtoni, cujus commendatione docendi munere donatus est Regiomontii (1546). Verum in controversia cum Osiandro argumentorum, quibus hujus utebantur adversarii, persentiscens infirmitatem, testis quoque dissidiorum in doctrina penes Lutheranos et tristium fructuum, horum deseruit castra[1]) et ad matrem Ecclesiam rediit (a. 1553). Tanti factus est a pontifice, ut eum ad concilium invitaverit tridentinum: nec minoris eum fecerunt Bojorum dux, qui eum constituit professorem et curatorem academiae ingolstadianae (1560), et Ferdinandus imperator, qui illum in causa concilii Oeniponte retinuit (a. 1563), et jam antea ad colloquium wormatiense destinaverat et in comitiis eadem in urbe habitis de negotiis consuluerat. Moriens[2]) opus adumbravit: *De ultima et magna defectione adventum antichristi praecessura.* »Libellus ille, inquit Engerdus, in annal. cit. p. 7, a piis omnibus inter omnia scripta Staphyli maxime in deliciis habendus, quod quaedam quasi extremi judicii tuba videatur, qua torpentes excitentur animi et nutantes confirmentur.« Prodiit prius germanice, dein latine 1569. Eodem teste fertur Hosius in fidei controversiis Staphylum nostrum vel celebri Eckio praetulisse. Opera ejus prodierunt in linguam latinam versa et collecta cum ejus vita cura ipsius filii Friderici canonici eichstadiensis, Ingolstadii in f. 1613. Deest tamen ejus dialogus *de corruptis moribus utriusque partis,* pontificiorum vid. et evangelicorum, qui prodiit s. l. et a. (1562) sub nomine Silv. Czecanovii. Inter ejus opera eminent: *Theologiae M. Lutheri trimembris* (de principiis theologiae lutheranae; de materia praesentium controversiarum; de successione et concordia discipulorum Lutheri in confessione augustana) *epitome* collecta Wormatiae durante colloquio a. 1558, aureus libellus secundum Posseviinum *Defensio* pro trimembri theologa M.; Lutheri contra aedificatores babyloni-

[1]) Cf. D'Argentré collectio judiciorum de novis erroribus II, 134; Kirchenlex. IV, 906; Reusch der Index der verbotenen Bücher I, 563. Eum nonnihil cespitasse circa cultum ss. imaginum colligitur ex iis, quae refert Feret La faculté de Théol. de Paris, epoque moderne I, 237—240. Quaedam alia ejusdem opuscula facultati theologicae displicuisse idem refert ib. II, 105, qui ib. p. 101—118 ejus recenset opera.

[2]) Ex dispensatione, quam ei a Paulo IV. impetravit Ferdinandus imperator quod matrimonio esset junctus.

[1]) Cf. Chitraeum in Saxon. l. 17 p. 444 lit. Osiander; Raess, Die Convertiten 1, 337 ss.

[2]) Cum circa ejus mortem calumniae vulgarentur, R. Clenck, de quo mox, ejusdem testis oculatus eam data opera describit in libello Ingolstadii 1564 edito.

cae turris, Phil. Melanchton, schwenkfeldianum Longinum, Andream Musculum, Matthiam Flacium Illyricum, Jacob Andream Schmidelinum, Dilingae 1559; Nissae 1560 etc. Hi libri ita moverunt adversariorum bilem, ut calamum in ipsum strinxerint[1]). *Apologia de vero germanoque s. Scripturae intellectu*, latine opera Laur. Surii, Coloniae 1561; 1563. ed. aucta; *prodromus* in defensionem apologiae adversus J. Smidelinum, ib. 1562; *illustres synodorum antiquarum et ss. patrum sententiae* nova et impia dogmata Osiandri refutantes, Norimbergae 1553 etc. Insigni encomio eum prosequitur ejus aequalis Hamelman Lutheranus de eo scribens: »Si donis recte usus fuisset St., magnus in Ecclesia Dei esse potuisset; nam erant profecto ingenium, eruditio, eloquentia, cognitio linguarum ac memoria in illo eximia, et si in quo alio, in illo praecipue ista lucebant (Op. genealogico-hist., Lemgoviae 1711 p. 219).«

12. Ab hoc sejungendus non est Georgius Witzel (etiam Wicelius senior dictus, quo a suo distingueretur filio) a. natus 1501 vel 1503. in oppido Vach (hinc Phagus dictus), qui sacerdos ordinatus pariter Lutheri novationes sectatus est. »Attraxit me, scripsit ipse[2]), primum in partem vestram plausus ille orbis maximus, pellexit praeproperus eruditorum assensus, incitavit novitas, perpulit Ecclesiae foeda facies, potissimum invitavit spes magna, omnia fore purius christiana. Calcar ad id ingens erant Erasmi *Vigiliae*, quas qui legerat, is non potuit non favere coeptis istis.« Verum jam a. 1531. protestantium deseruit castra, quos dein innumeris scriptis impugnavit[1]), praesertim eorum errorem de sola fide justificante († 16. Febr. 1573). Nimio tamen pacis amore limites excessit, ratus protestantes obsequentia et indulgentia ad Ecclesiam reduci posse; propterea ejus querelae etiam de concilio tridentino, cujus decretis censuit illos potius repelli. Hinc opera ejus quondam fuere in Indice. Inter ejus scripta eminent: *Pro defensione bonorum operum* adversus novos evangelistas, auctore Agricola Phago; *Annotationes, das sind kurtze verzeichnus in die Wittembergischen newen Dolmetschung der ganzen h. Bibel*, aller Christenheit zu lesen und hören sehr nett und nütz[2]),

[1]) Cf. Jo. Fr. Buddaeus Isag. hist. theol. l. 2. c. 7. p. 1200 s.; Werner Geschichte der apol. Lit. IV, 265 ss.; N. Paulus, KL. XI², 730—734; Moeller Realenc. XIV², 610—616; Soffner Fr. Staphylus, ein kath. Kontroversist u. Apologet aus d. M. des 16. Jahrh. Breslau 1904.

[2]) In suis Epist. Lipsiae 1537 f. c. 4, 6.

[1]) Cf. de Witzel ex multis Doellinger, die Reformation 1, 28 ss.; Raess, die Convertiten 1, 123 ss., qui ejus opera (94 non tamen omnia) recenset. Horum elenchum saltem ex parte jam exhibuerat ipse Witzel in Catalogus oder Erzählung aller Bücher, die durch den Druck hat öffentlich ausgehen lassen G. Wicelius, Cöln 1553. Cf. praeterea *de dialogo* de concilio germanice edito (1535) s. l. a. et auctoris nomine Katholik 1892 I, 563 s. De aliis ejusdem scriptis sub nomine vel Gersonis Landavi vel Bonifatii Britanni cf. N. Paulus ib. 1894 II, 473 s.; 1895 I, 512. Alias pretiosas notitias dabit F. Falk ib. 1891 I, 129—138; Janssen VII¹⁸, 473; N. Paulus Kirchenl. XII, 1726—30. Ejus consilia pro curanda protestantium reductione Ferdinando imp. oblata cf. apud Döllinger Beitr. zur Gesch. der 6 letzten Jahrh., Wien 1882 III, 167—179, de quibus Döllinger in praef. scribit: Sie zeichnen sich nicht bloß durch Formvollendung aus, sondern auch durch Gedankeninhalt, tiefe Einsicht und Erfahrung.

[2]) Consilii sui in hoc opere rationem reddit in quadam ep. a. 1535. ita scribens: „Hac hieme toto conatu, nec usque adeo infeliciter, sicut permittere initia video, aggressus sum ad limam revocare translationem bibliorum germanicam, idque non alio animo, quam ut Germaniae nostrae inservirem commodis. Ferre non valeo amplius pseudermeniam s. Scripturae. Satius multo fuerat, nullam Scripturae quam mendacem exstare . . . Labor plurimus, lucrum invidia, adeoque certum corporis mei valetudinarii dispendium.“

Lipsiae 1536, opus rarum (m. 30), eruditum magnique momenti, quo Lutheri errata aperit. Quadruplici saltem forma concinnavit institutionem catecheticam; triplicem invenies apud Moufang Kath. Katechismen des 16. Jahrh. p. 107—134; 135—242; 467-538; *Typus Ecclesiae prioris,* saepius editum (editio melior prodiit Coloniae 1559), a multis lectitatum, quo septem priora Ecclesiae secula normae instar, secundum quam dirimantur controversiae, proponit; *Via regia*[1]), sive de controversis religionis capitibus conciliandis sententia, ed. 1600 inter Wolfii lectiones memorabiles II, 354; Helmstadii 1650. 1657; *Hagiologium* seu de sanctis Ecclesiae: historiae divorum celeberrimorum, Moguntiae 1541; *Von der h. Eucharisty* oder Mess nach Anweisung der Schrift und der eltisten Schriftverstendigen h. Lerer, Lipsiae 1534. *Form und anzeigung,* wie die heylige Catholische Kirch Gottes vor tausent, mehr und weniger Jaren, in aller Christenheyt regiert und geordnet gewesen sei . . . Sampt der Missa S. Joh. Chrisostomi Deutsch, und altem brauch der h. Tauffe, Mainz 1540-1558 pp. 5 in 4, etiam inscriptum *Typus ecclesiasticus,* aliaque scripta, quibus nitebatur fideles de sensu s. liturgiae instruere[2]). *Homiliaticum opus* Postillen oder Predigtbuch über die Episteln und Evangelien vom Advent bis Ostern, Lipsiae 1537 pp. 2 in F. (m. 120). Plura quae spatio 24 annorum germanice ediderat (22) collecta prodierunt Coloniae 1559—62 pp. 2 in 1 v. in f.; *Epistolarum* ll. IV, Lipsiae 1537. Conciones aliquot apud Brischar Kanzelredner I, 38—123.

13. Theologus pariter nimis irenicus fuit Julius de Pflug nobili genere Eytrae prope Lipsiam 1499 natus, qui Lipsiae, ubi puer a. 11 in matriculam fuit relatus, Patavii et Bononiae studiis operam dedit: sed in theologia fuit autodidactus: hinc caruit soliditate. Redux in Germaniam pluribus beneficiis fuit auctus et propter insignes animi dotes atque characterem irenicum vel ab imperatore ad sopiendas de religione controversias adhibitus. Electus est in episcopum naumburgensem, sed nonnisi post aliquot annos obsistente Joanne Friderico Saxoniae electore sedem potuit adire suam (1547). Cum vero sua dioecesis magna ex parte jam defecisset ad novatorum errores, crescentibus in dies undique difficultatibus, praepedire non potuit rei catholicae cladem, adeo ut ipse fuerit ultimus illius sedis catholicus episcopus. Decessit 3. Sept. 1564. Nimio pacis amore et obsequentia cryptolutheranismi incurrit suspicionem. In justificationis doctrina nimis accedere videtur ad Lutheranorum opiniones, missae sacrificium extenuare; communionem sub utraque specie et sacerdotibus matrimonium supposita pontificis permissione concedenda censet. Plurima reliquit opera[1]), ut *Institutio*

Cf. etiam F. Traub *Warnung vor des Luthers Teutschen Bibel,* so an unzählbarlichen Orten offentlich gefälscht, derhalben von keinem Christen so umb seiner Seelen Heyl nicht mutwilliglich betrogen werden will, gelesen werden kan oder soll, Ingolstadii 1578 in 4.

[1]) Cf. Werner, Gesch. der apol. etc. Liter. 4, 261 ss. Adverti tamen debet, genuitatem hujus operis, in quo plura minime probanda consulit, non esse supra omne dubium. Cf. Raess l. c. p. 155; Pastor Reunionsbestrebungen p. 140 ss.

[2]) Thalhofer-Ebner Handb. der k. Lit. I², 99 s.

---

[1]) Cf. Brecher allg. d. Biogr. XXV, 688; Weber KL. IX, 1979—1982; Ersch und Gruber sect. III t. XXI, 251 ss.; A. Jansen J. Pflug. Ein Beitrag zur Gesch. der Kirche und Politik Deutschl. im 16. Jahrh. in N. Mittheil. aus dem Gebiet hist.-antiq. Forsch. Halle 1864 X, I, 1—110; 2, 156—228; Kawerau Realenc. XV, 260—63; N. Paulus eum ab exceptionibus vindicare nititur Katholik 1894. II, 417 s.; van Gulik, J. Pflug und E. Billik in röm. Qtlschr. XVIII (1904), 57—83, ubi plures epistolas luci publicae dedit Danielis Mauch Ulmensis, qui prius advocatus

christiana, Coloniae 1562; doctrina *de poenitentia, fide, caritate,* latine et germanice, Cöln 1562 etc.

14. Quibus addantur Albertus Sperling, Reichnaviensis, qui adversus Schmidelin edidit tractatum luculentum: *De majestate et praesentia corporis Christi Domini,* Ingolstadii 1565. — Matthias Aquensis cognomento Cremirius († 1564), cujus *assertio* miscellanea *catholicae religionis* prodiit Coloniae 1542; 1556 in 4. — Petrus Haffner parochus pfoeringensis in Bavaria superiori conciones reliquit pro tuenda vera fide (fl. 1564). — Laurentius Albertus quondam ut videtur praeco lutheranus lectione operum ss. patrum et theologorum veram agnovit fidem ideoque a. 1566 ad catholicam rediit Ecclesiam. Edidit Ingolstadii 1570 *Propositiones aliquot,* in quibus breviter, clare et perspicue demonstratur, cur L. Albertus abjecta Lutheranorum causa omnes haereticorum errores, quos olim fovebat et defendebat, revocarit ac in gremium catholicae Ecclesiae se receperit, germanice apud Raess die Convertiten I, 584—604, libellus plane solidus nitideque conscriptus. — Ab hoc alius est Joannes Albrecht O. Min. guardianus, qui novitiae fidei opposuit *Confutationem* antichristianae confessionis illorum, qui se nuncupant servos Evangelii in ecclesiis ratisbonensis urbis, Ingolstadii 1564. — Christophorus Rasperger, Aurasatensis, collegit *Ducentas verborum* ‚Hoc est corpus meum' *interpretationes,* quibus continentur vocum novitates, depravationes, errores, haereses, contradictiones atque inventiones istorum theologorum, qui Evangelii nomine gloriantur, sacrilegae, Ingolstadii 1577. l. notabilis; *Verantwortung die Communion einer Gestalt betreffend,* Monachii 1567. in 4. adversus Lutheranos. — Rudolphus Clenck Bremensis n. 1528 parentibus lutheranis variis in academiis studiis operam dedit. Post longa itinera in regiones exteras easque remotissimas Lovanii, deserto juris studio, totum se theologiae addixit liberaliter a bojorum duce Alberto subsidiis adjutus. Ad fidem catholicam rediit atque Ingolstadii creatus est doctor theologiae 1563. Eichstadium ab episcopo Martino a Schaumburg accersitus est ad recens institutum collegium regendum et praesidis professorisque in theologia officium subeundum, ibidemque magno cum zelo et diligentia ecclesiastae quoque munere est functus. Inde revocatus a. 1570 Ingolstadium collegium Georgianum rexit docuitque theologiam, quam positivam vocant. Demum ejus operam desideravit Ericus dux brunsvicensis, qui ad fidem redierat catholicam, pro reformanda sua ditione et reducenda ad veram Ecclesiam, sed brevi post decessit[1]) 6. Aug. 1578. Comparaverat sibi bibliothecam ditissimam, qualem apud privatam personam ne in tota quidem Germania licebat videre, quam academiae legavit. Reliquit quasdam disputationes seu theses (non tractatus) de controversiis, ut *de sacro sacerdotum coelibatu,* Ingolstadii 1573. in 4, de quo et orationem habuit, quam habes apud Rotmar Orationum Ingolstadiensium I, 114—128. *De justificatione,* ib.; *de absolutione,* ib. 1575; *de sacramento matrimonii,* ib. 1575. — Matthias Sittardus (Cythardus) nomine familiae Esche,

voluit fieri clericus, et suscepto subdiaconatus ordine (non altiore) factus est canonicus scholasticus wormatiensis († 19. Maj. 1567). De quo plura dedit Dr. A. Naegele Vom Reichskammergerichtsanwalt zum Domscholastiker. Ein vergessenes Lebensbild aus der Reformationszeit in Wissenschaftl. Beil. zur Germania 1903 Nr. 48 p. 377—81; Nr. 49 p. 387 s.; Falk Katholik 1894 II, 27—44, ubi ejusdem *epistolae* Nauseae inscriptae exhibentur.

[1]) Cf. Mederer annales acad. ingolst. II, 45—51; Luz. Pflueger hist.-pol. Bl. CXXXII (1903), 45—58; 90—101.

n. 2. Febr. 1522 in Cithardiae oppido ducatus juliacensis ingressus est Aquisgrani ordinem s. Dominici, in quo in litteris adeo profecit, ut agens a. vix 20 jam concionibus habendis destinaretur ac subinde bis in die graviter et jucunde e suggestu praedicaret. Aquisgrani 16 annos continuos ingenti hominum concursu laetoque fructu est concionatus. Et revera melioribus accenseri debet concionatoribus sec. XVI, qui quamvis esset, quamdiu vixit, veritatis catholicae propugnator acerrimus, noluit tamen uti stilo in adversarios acri[1]). Insignes sunt ejus conciones (27) in 1. s. Joan. epistolam, Neostadii 1571. Hinc Ferdinandus imp. eum sibi selegit in ecclesiasten (1559) et confessarium (1560): quamobrem Viennam se contulit. Etiam Maximilianus imp. etsi in lutheranos propensus eum in munere concionatoris aulici confirmavit, sed brevi post decessit 31. Oct. 1566 magno omnium moerore, nam „nullius potentiam reformidans, nullius gratiam aut offensam curans, ipsam veritatem copiose, graviter et constanter defendit[2]).“ Ejus conciones pacem spirant et mansuetudinem.

15. Specialem laudem merent duo viri docti cognomines Guilelmus et Martinus[3]) Eisengrein (Eysengrein), quorum ille neque canonicus, neque sacerdos († 1570) catalogo testium veritatis Flacii Illyrici opposuit *catalogum christianae veritatis* omnium orthodoxorum Ecclesiae doctorum, qui adulterina dogmata et haeresum vaniloquentiam oppugnarunt, Dillingae 1565, in quo serie chronologica producit testes pro doctrina catholica, opus admodum rarum, sed minus criticum. Centuriatoribus magdeburgensibus laudabili studio opponere cogitabat[1]) sexdecim *centenarios* continentes descriptionem rerum mirabilium in orthodoxa Ecclesia: perfecit vero tantum duas, quae prodierunt Ingolstadii 1566; Monachii 1568, opus rarum, *chronologicarum rerum urbis Spirae* ll. 16 (ab a. 1—1563), Dilingae 1564. — Alter Martinus scil. natus parentibus Lutheranis Stutgardae 28. Dec. 1535 fidem amplexus est catholicam 1558, ordinibusque sacris initiatus 1560. Viennae professorem egit principiorum physices, factusque est canonicus ad s. Stephanum (1559). Honoribus muneribusque fuit auctus a romano pontifice et imperatore, in primis ab Alberto Bojorum duce. Cathedram rexit in academia ingolstadiensi (1562), cujus inspectorem seu cancellarium egit, bibliothecam condidit; protonotarius apostolicus dictus est, comes palatinus, canonicus eichstetensis, praepositus ecclesiae passaviensis et collegiatae oettinganae, cujus historiam etiam descripsit, Ingolstadii 1571 et alibi († 4. Maj. 1578). Vir erat plane egre-

---

[1]) Cf. N. Paulus in hist.-pol. Bl. CXVI (1895), 237-252; 329-340 et die deutschen Dominikaner im Kampf gegen Luther Freiburg 1903 p. 162—181, ubi p. 170 scribit: Schon die Form dieser Vorträge: die frische volksthümliche Darstellung, die lichtvolle Ausdrucksweise, die kräftige, bilderreiche Sprache, dies Alles bekundet, daß Sittardus ein nicht gewöhnliches Rednertalent besaß. Mit der schönen Form paart sich ein sehr gediegener Inhalt.

[2]) Cf. Jo. Katzius in Oratione habita in funere Matthiae Citardi, Viennae 1566.

[3]) A Guilelmo et Martino E. distingui debet Joannes Eisengrein Martini frater, qui pariter ad veram rediit fidem, doctor utriusque juris, vicarius generalis ratisbonensis et praepositus straubinganus († 8. Nov. 1608). Edidit fratris conciones et quaedam ascetica, ut *Dux peccatorum* oder der Sünder Geleitsmann, Mainz 1599; *der Seelsorger*, ib. 1599. Cf. de his tribus Streber KL. IV, 341—343; de Martino Kobolt p. 195—201 et prae primis Luz. Pfleger in hist.-pol. Bl. CXXXIV, 705-723; 785—811.

[1]) Cf. de ejus laboribus et studiis Jos. Schmid hist. Jahrb. XVII (1896) 80 ss. Primus, qui centuriatoribus se opposuit, est Conradus Brunus (Braun) canonicus augustanus († 1563), de quo cf. II, 1523.

gius, strenuus cum Eckio religionis catholicae apologeta, quam non solum concionibus sed et operibus valide propugnavit. Solicitam curam quoque habuit, ne heterodoxiae spiritus inficeret academiam vel professores irreperent suspecti, pura servaretur fides catholica. Provocat in suis operibus potissimum ad jugem in Ecclesia traditionem productis in medium testibus a s. Andrea apostolo usque ad Nicolaum Cusanum [1]). Edidit plures tomos concionum polemicarum de controversiis illius temporis deque dogmatibus fidei catholicae. Earum aliquot edidit in Kanzelredner Brischar I, 434—545. *Ein frey Christlich, unparteyisch Concilium* der Väter, Ingolstadii 1567, in quo tuetur doctrinam catholicam de eucharistia, paedobaptismum, suffragia pro defunctis; *Ecclesia catholica* a novatorum calumniis per judices omni exceptione majores . . . vindicata et sic illustrata, ut ubi vera Ecclesia Christi et synagoga satanae sit, apparere possit, ib. 1576. Ejus tr. *de certitudine gratiae* apologeticus pro vero ac germano intellectu can. 13. sess. 6. conc. trid. (prius germanice ib. 1568) latine cura T. Bredenbach Coloniae 1569, quondam relatus est in librorum prohibitorum indicem. *Euthanatasia* sive de firma spe ac fiducia in Dei misericordia mortis tempore collocanda Coloniae 1576 — Jacobus Feucht (n. 1540, † 26. Apr. 1580) rector universitatis ingolstadiensis, dein (1571) episcopus auxiliaris bambergensis docendo et scribendo Ecclesiam et religionem catholicam juvabat, propugnabat et amplificabat, illiusque laboribus adeo est Rodulphus II. delectatus, ut ei consiliarii caesarei titulum et dignitatem sit largitus. Reliquit multos, pulcherrimos, doctissimos et disertissimos sermones [1]),« qui plerumque Coloniae 1574—78 prodierunt et quaedam alia opuscula de controversiis illius temporis in primis adversus Osiandrum. — Alius episcopus auxiliaris frisinganus (1570) scil. Sebastianus Haidlauff eodem tempore aperuit aliquot opusculis dissensiones inter protestantium praecones exortas.

16. His addantur Mich. Buchinger, de quo infra inter historicos. — Joannes Atrocianus [2]) a loco patrio Frisiae Akrum Acronius cognominatus, qui philosophiae et mathesis erat Basileae professor atque poemata reliquit († 1564). — Caspar Macer juris utriusque doctor, professor (1559—1564) in academia ingolstadiana et concionator ratisbonensis, imo episcopus auxiliaris a Frisio dicitur. Ejus opera quondam (nunc non amplius) fuerunt in Indice ll. prohibitorum, sed cf. N. Paulus Katholik 1895 I, 208. — Florianus Trefler O. S. Ben. bibliothecarius monasterii benedictoburani († 8. Maj. 1565 a. aetatis 83), cujus praeter alia [3]) prodierunt conciones 36 *de praecipuis Ecclesiae feriis* et de religionis christianae capitibus, Coloniae 1561 in 12. — Theobaldus Thamer [4])

---

[1]) Cf. Raess die Convertiten seit der Reformation I, 364 ss.; Werner Geschichte der apol. Lit. IV. 497. 526. 579; Mederer anales acad. ingolst. 1, 268 s.; 2, 36 ss.; Aschbach Geschichte der Wiener Universität III, 180—183.

[1]) Ita Mederer in annal. Ingolst. I, 327; sed cf. de eo in primis Wittmann sen. in hist.-pol. Blättern 89, 569—83; Streber Kirchenl. IV, 1467. De controversiis fidei agunt ejus *Neununddreissig katholische Predigen*, Coloniae 1578; et apud Brischar I, 545—618. Feuchts Hauptwerk, inquit Janssen VII[18], 581, die zuerst in den J. 1577 et 1578 zu Cöln in 2. Fbd. erschienene, dann wiederholt aufgelegte *Grosse kath. Postille* nimmt in Bezug auf gelehrtes Wissen und volksthümliche Darstellung unter den zahlreichen Postillenbüchern des 16. Jahrhunderts eine der ersten Stellen ein; sie kennzeichnet den Weihbischof als einen der besten damaligen deutschen Prosaisten.

[2]) Cf. Flosz KL. I, 1563.

[3]) Cf. Kobolt Baierisches Gelehrtenlex. pag. 697.

[4]) Cf. de eo praeter Raess infra cit. p. 236—261 Neander Th. Thamer der Re-

qui Wittenbergae studiis operam dederat atque ardens fuerat Lutheri primum assecla. A Philippo Hassiae duce Marburgum vocatus fuit theologiae professor. Protestantium error de sola fide, quae ad justificationem sufficiat, eum maxime commovit in sua persuasione acresque propterea cum collegis concertationes habuit, ex colloquiis vero et disputationibus cum eis nihil profecit. Romam hinc est profectus, ubi multum cum Franc. Turiano est conversatus, ac demum ad Ecclesiam a. 1553 vel 1554 rediit. Episcopus mindensis ei munus in ecclesia cathedrali concionandi concredidit, Friburgum ad regendam theologiae cathedram est evocatus decessitque 10. Maj. 1569. In epitaphio ab universitate ei posito dicitur »vir ingenio, doctrina vitaeque innocentia eximius.« Inter ejus scripta memoria est digna Apologia Theob. Thameri de variis calumniis, quas a. 1552—1561 haud suo merito tulit a lutheranis evangelistis, simpliciter et vere conscripta, Moguntiae 1561; germanice reddita apud Räß die Convertiten seit der Reformation Freiburg 1866 I, 261—297. — Leopoldus Dickius n. exeunte sec. XV. in Sueviae oppido Babenhausen n. advocatus fuit Judicii Camerae imperialis vixitque saltem ad a. 1570. Praeter alia, quae recenset N. Paulus Katholik 1895 I, 198—201, est etiam *de optima studiorum ratione* idque in omni facultatum genere methodus, 1564 s. l. Ejus opera quondam fuere in prima cl. Ind. trid. Initio quidem magnam de Luthero opinionem fovisse videtur, sed in op. cit. probum se exhibet catholicum. — Ludolf Naaman in oppido Padeleck ducatus schleswigensis n. 1497 O. Minorum est ingressus. Parisiis studiis dedit operam rediitque 1527 in patriam, quam tamen praevalente innovatione lutherana deserere est coactus (1538). Pinguissimam parentum hereditatem applicuit fundationi gymnasii catholici Flensburgi, sed pia ejus voluntas turpiter fuit frustrata inducta in illud mox innovatione lutherana († 31. Dec. 1574). Scripta ejus pro causa catholica manserunt inedita[1]). — De Joanne Gresseniko O. Praed., qui sacras literas biennio in academia viennensi professus est, colloquio wormatiensi (1557) et concilio tridentino interfuit, et Salisburgi atque in aula bavarica concionatorem egit († 21. Mart. 1575), cf. N. Paulus Die deutschen Dominikaner im Kampfe gegen Luther pag. 289-291. — Sebastianus Schleupner wratislaviensis, theologiae doctor et canonicus[2]), concionator in ecclesia cathedrali et archidiaconus (1554), aliquamdiu dioecesis administrator, aliisque beneficiis et muneribus auctus († 30. Jun. 1572) collegit *de oblatione corporis et sanguinis D. N. J. Christi* aliquot ss. patrum veteris Ecclesiae testimonia, Nissae 1557 aliaque duo opuscula lingua germanica *de eucharistia* edidit atque *orationem* ad catholicum clerum in synodo, Nissae 1563. — De Ludovico Haller concionatore Augustae et Eichstadii, ubi et munus episcopi auxiliaris gessit († 1570), cf. A. Strauss Viri scriptis, eruditione ac pietate insignes, quos Eichstadium vel genuit vel aluit, Eichstadii 1709 p. 157—164. — Sebastianus Flasch Mansfeldensis quondam pastor lutheranus senex demum et affecta propemodum aetate visis

präsentant und Vorgänger moderner Geistesrichtung im Reformationszeitalter, Berlin; hist.-polit. Blätter diss. inscripta Th. Thamer eine Bekehrung aus den Zeiten der Glaubensspaltung des 16. Jahrh. X, 341—363; Hochhuth Th. Thamer und Landgraf Philipp in Niedner Zeitschr. f. hist. Theol. 1861, p. 165 ss.; idem de Th. Thameri vita et scriptis, Marpurgi 1858; KL. XI, 1454.

[1]) Cf. K. Flebbe Lud. Naaman der Gründer des Flensburger Gymnasiums, Flensburg 1885; N. Paulus Katholik 1901 II, 327—331.

[2]) Jo. Soffner Seb. Schleupner Domherr und Domprediger zu Breslau, Breslau 1888; Ge. Müller Allg. d. Bi. XXXI, 473 s.

tristibus rebellionis lutheranae fructibus ad Ecclesiam rediit catholicam ac *Rationes* (22), cur relicto Lutheranismo ad catholicam romanam Ecclesiam se receperit, edidit Ingolstadii 1576, quas Raess Die Convertiten II, 255—265 propter earum praestantiam et vim germanice exhibuit. Aliud ejusdem opusculum est *Erweisung* aus Dr. M. Luthers eigenen Büchern, daß er kein Prophet Teutschlands, sondern ein rechter Unflath gewesen, ib. 1578. — Alius qui ad veram rediit fidem fuit Nicolaus Xylander (Holzmann) Borussus, postquam ut ipse fatetur „infensus catholicae Ecclesiae hostis et persecutor" fuit, et pastoris lutherani munere functus est. Ipse edidit *Causas motivas*, cur haeresim lutheranam ex compluribus anteactorum seculorum haeresibus conflatam jam tandem Dei O. M. benignitate deseruerit, et se in tutissimam catholicae Ecclesiae, extra quam nulla est salus, gremium contulerit, Ingolsladii 1579, quas germanice exhibet Räss op. cit. II, 401—408. — De Joanne Hürlimann Rappersvilano parocho lucernensi (1562), canonico beromonasteriensi (1563) et protonotario († 16. Jul. 1577), qui protestantes acriter est insectatus, cf. Bucher allg. d. Biogr. XIII, 430 s. — Cornelii Eselsperger[1]), qui scholam magna industria rexit gengenbacensem (1540-1555), disp. *de coelibatu ministrorum* catholicae Ecclesiae Offenburgi (1565) habita prodiisse legitur Coloniae 1570. Post vitam piam poenitentiae habitu indutus sedens mortem oppetiit. — Lambertus Auer S. J. Tirolensis Moguntiae theologiam docuit. Eum Commendonus cardinalis comitem habere voluit in sua per Germaniae septentrionalis provincias legatione qua occasione passim cum Lutheranis disputavit eosque ad silentium redegit[1]). Romam ad electionem novi praepositi generalis post s. Francisci Borgiae obitum a patribus provinciae rhenanae missus magno omnium luctu vix finita electione obiit 7. Maj. 1573.

17. E *belgis* duo haud obscuri viri eodem anno (1566) decesserunt: Georgius Cassander († 3. Febr.), qui ab insula Cadsand prope Brugas, in qua natus est a. 1513, nomen traxit. Theologiae quamvis laicus operam dedit: sed cum se ipso uteretur magistro, minus sinceram solidamque hausit ejus notitiam, cumque esset animi placidi atque indulgentis nimis, pacis amore abreptus, variis in scriptis modum excessit pluraque doctrinae vel disciplinae catholicae capita prodit vel saltem carpit spe inductus lucrandi protestantes, quibuscum etiam familiarius conversabatur. Hinc quaedam ejus opuscula, ut *de officio pii et publicae tranquillitatis vere amantis viri* in hoc religionis dissidio, 1561, cum ejusdem *defensione* 1562; Lugduni 1612 (libellus valde rarus), ideoque operum ejus collectio[2]), Parisiis 1616 (quae tamen completa non est et mendis abundat) in indicem fuere relata decr. 2. Dec. 1617. Propter suum pacis studium peracceptus erat Ferdinando I. et Maximiliano imp., qui ejus consilio et

---

[1]) Praetermittimus Paulum Skalich de Lika Zagabriae in Croatia 1534 nobili stirpe prognatum, cum non satis liqueat, num non penitus ad Lutheranos defecerit: nam etsi sacerdos matrimonium iniit et, cum Viennae degeret, ob suas opiniones haeresis fuit insimulatus. Multa scripsit, quorum aliqua prodierunt Basileae 1559, etiam sat singularia, ut *Occulta occultorum occulta* Viennae 1556, inter quae „aegri somnia" juxta Denis habes. Obiit 1575. Cf. Aschbach Gesch. der Wiener Universität III, 269—272.

[1]) Cf. Miraeus de script. eccl. n. 96. Scripta cf. apud Sommervogel.

[2]) Accuratum operum Cassandri catalogum exhibet Meuser hist. theol. colon. sec. XVI. in Dieringer Zeitschrift 1845. IV, 205—208. Cf. et Pastor KL. II, 2017-2020.

opera libenter utebantur ad componenda religionis dissidia[1]). Morti tamen proximus pedem retraxit perspectisque methodi suae incommodis nimiaeque facilitatis quidquid a catholica fide dixisset unquam aut scripsisset alienum retractavit[2]). Vetuit etiam quominus ederetur ejus *consultatio de articulis religionis* inter catholicos et protestantes controversis. Prodiit tamen undecimo ab ejus morte anno (1577) Coloniae cura Cornelii Wouters ejus amici, annotationibus aucta et adversus Rivetum vindicata ab Hugone Grotio 1642; ed. a Conringio Helmstadii 1659. Sequitur in ea ductum confessionis augustanae, cujus et singulos expendit articulos, ut libere quidquid in iis sibi placeat aut displiceat profiteatur: hinc modo Ecclesiae catholicae probat sententiam, modo opiniones Lutheranorum[3]). Si minus felix fuit in componendis de religione dissidiis, alio saltem opere haud parum laudis promeruit. Nam de eo scribit Renaudot[4]): „Solus, quantum adipisci legendo potuimus, plus vidit reliquis G. Cassander, qui in brevi sed erudito scripto, quod *Liturgica* (de ritu et ordine dominicae coenae celebrandae e variis scriptoribus, Coloniae 1561) appellavit, ea solidioris doctrinae semina inspersit, ex quibus fructus longe maximi colligi potuissent, si imitatores habuisset." Edidit quoque ordinem romanum *de officio missae,* ib. 1561; *hymnos ecclesiasticos,* praesertim qui ambrosiani dicuntur cum scholiis opportunis in locis adjectis ib. 1556, opus prohibitum; *d. Vigilii* M. et Ep. tridentini *opera;* ad haec commentarius *de duabus iu Christo naturis* et unica hypostasi contra praecipuas hujus aetatis haereses; Honorii augustod. *de praedestinatione et libero arbitrio* dialogus etc.; colloquia duo cum anabaptistis; *epistolae* 107 pretiosae; *de baptismo infantium* testimonia veterum ecclesiasticorum scriptorum; *de sacra communione* christiani populi in utraque specie panis et vini; de viris illustribus l. 1. etc.

18. Alter est Joannes Hesselius[1]) (1522—66) natus Lovanii (secundum alios Attrebati) ibique theologiae dogmaticae professor, qui cum Cornelio Jansenio et Michaele Bajo, cui favebat, tridentino interfuit (1563) concilio[2]). Plura reliquit opera adversus Protestantes, quorum errores magno impugnavit zelo. *Probatio corporalis praesentiae corporis et sanguinis dominici in eucharistia,* Coloniae 1563; Lovanii 1564; *confutatio novitiae fidei,* quam specialem vocant, adversus Jo. Monhemium; adjunctus est et tr. *de cathedrae Petri perpetua protectione* et fir-

---

[1]) Cf. Werner IV, 258 ss.; Fritzen de Cassandri ejusque sociorum studiis irenicis, Münster 1865; Birk G. Cassanders Ideen über die Wiedervereinigung der christl. Confessionen in Deutschland, Cöln 1876; Deschrevel in op. erudito Hist. du Seminaire de Bruges, Brugis 1891 p. 385-560.

[2]) Cf. Journal historique et littéraire 15. Oct. 1787. p. 289; 1. Mart. 1788. p. 334.

[3]) Quare Feller II, 374. ita de hoc opere statuit: „On croit d'ailleurs voir dans cette consultation un homme flottant et incertain entre la vérité et le mensonge, entre l'erreur et l'orthodoxie, entre l'apostasie e la foi; un froid et dangereux médiateur, réunissant la triste mobilité de l'opinion à la suffisance d'un négociateur, se croyant prope à la conciliation, parce qu'il n'était d'aucun partie etc."

[4]) In praef. collect. liturg. t. 1. et iterum Perpétuité de la foi t. 4. l. 1. c. 2, ubi affirmat Cassandrum scripsisse „avec une capacité supérieure à celle de la plupart des autres théologiens de son temps. Il s'est servi pareillement de l'argument tiré de la conformité de la discipline des premiers siècles dans la célébration de la Litourgie, et à ce dessein il fit plusieurs recherches très curieuses comprises dans le traité qu'il appella *Liturgica.*"

[1]) Alius est a Leonardo Joanne Hasselino (van Hasselt), de quo egimus II, 1506. Cf. Scheeben KL. V, 1930.

[2]) Cf. de iis quae in concilio laudabiliter egerunt Katholik 1865. I, 353 ss.

mitate, ib. 1562; 1568; etiam in thesauro Zaccariae t. 7. parte altera p. 1187—1213; tr. *pro invocatione SS.* contra J. Monhemium et ejus defensorem Henr. Artopheum; praemittitur confutatio l., quo idem Monhemius cum Brentio asserit, Deum nihil nobis largiri intuitu orationum nostrarum, et nos debere statuere Deum nobis propitium, priusquam eum oremus, ib. 1562; 1568; *Confutatio confessionis haereticae* teutonice emissae; qua ostenditur eucharistiam esse sacrificium propitiatorium, ib. 1567. Adversus Cassandrum scripsit *de officio pii et christianae pacis vere amantis viri* exsurgente aut vigente haeresi, cum refutatione sententiae cujusdam falso hoc ipsum docere promittentis, Antverpiae 1566. Hujus l. *de sacra communione* christiani populi in utraque panis et vini specie opposuit *declarationem, quod* eucharistia sub unica panis specie neque Christi praecepto adversetur, neque minus fructuosa sit, quam sub panis et vini specie, ib. 1566. Edidit quoque commentaria *in Matthaeum*, Lovanii 1568; 1572; in l. ep. d. Pauli *ad Timotheum,* ib. 1568; *in 1. Petri canonicam,* ib. 1568; *in 1. ep. s. Joannis*, Duaci 1599; 1601; in primis vero *catechismum* Lovanii 1571., sat prolixum quatuor partibus comprehensum, diligenter ex patrum testimoniis, Augustini praesertim concinnatum, quarum ultimam de sacramentis morte praeventus absolvere non potuit; exposuit tantum tria priora sacramenta [1]).

19. His addantur Bartholomaeus Henrici, cognominatus Latomus (le Masson) luxemburgensis n. 1485., † 3. Jan. 1570., quem nominasse sufficit [1]), clarior enim fuit a literis humanioribus, quam a studiis theologicis. Disseruit in primis *de ss. eucharistia* deque sacrificio missae adversus Jacobum Andreae Coloniae 1557; ostenditque Lutheranorum dissensiones; *Defensio* adversus Mart. Bucerum de controversiis ad religionem spectantibus, signanter de eucharistiae dispensatione, de invocatione divorum, de coelibatu sacerdotum, de auctoritate Ecclesiae, Coloniae 1545, utrumque opusculum etiam modo non sine pretio. — Theodoricus Malcotius (van Maelcote n. c. 1533; † 3. Maj. 1568) cujus supersunt opuscula forma dialogi lingua patria conscripta [2]). — Joannes Garetius can. reg. O. S. Aug. (1571 vel 1572) Lovaniensis plura compilavit opera erudita, modo valde rara, ut *Omnium aetatum et nationum in veritatem corporis Christi in eucharistia*

---

[1]) De hoc opere advertit Feller Biogr. univ. IV, 445., illud non esse „une simple exposition des dogmes catholiques, mais un corps de théologie dogmatique et morale, puisé avec beaucoup de discernement dans les Pères, et principalement dans saint Augustin. Henri Gravius, premieur éditeur de cet ouvrage, en retrancha tout ce qui sentait le bajanisme. L'auteur ne brillait pas par son éloquence, mais son jugement était solide, et il étudiait avec soin les matières qu'il traitait."

[1]) Eo celebrior est Jacobus Latomus, de quo cf. supra II³, 1447. Hujus cognatus Jac. Latomus Camberonensis (n. 1510 vel 1515) doctor theologiae et canonicus lovaniensis († 1596) edidit *Psalmos* omnes in carmen conversos. Antverpiae 1587; *Threnos Hieremiae et cantica* versibus reddita, ib. 1587. — Joannes L. Francofurtiensis (n. 1524., † 1598) praeter alia collegit ex ultra centum scriptoribus historiam *de moguntinis episcopis* usque ad a. 1582., quae reperitur in Menkens Script. rer. germ. III, 407—563 cum adnotationibus Udalrici de Limgen. Adjecit breviario moguntino, Coloniae 1570, *Catalogum auctorum* (c. 200), qui de sanctis breviarii moguntini scribunt . . . cum rarissimis quibusdam annotatiunculis. Cf. Falk Katholik 1900 II, 540 ss. — Ab hoc alius est Joannes L. (Steenhouwer) n. 1524, poeta et historicus († 1578), cujus est *Corsendonca* sive coenobii OSA. de Corsendoncque origo et progressus, Antverpiae 1644. De nostro cf. Neyen biogr. luxemburg. p. 309 s.; Roersch et Nève in Biogr. nat. de Belg. XI, 425—442.

[2]) Cf. Bergmans Biogr. nat. de Belg. XIII, 46.

per XVI sec. consensus; accedit sacrificii missae, precum caeremoniarumque necnon et epitetorum ex patribus collecta assertio, Antverpiae 1561; 1569; 1575; *Mortuos vivorum precibus adjuvari* ex ss. patribus assertio, 1575; *de sanctorum invocatione,* Gandavi 1570. in 16. etc., dignus propterea, a l quem Bellarminus, Suarez etc. lectorem saepius delegent. Prodierunt haec opuscula etiam gallice inscripta: *Perpétuité de la foi*, adumbratio celebris illius operis majoris, quod hoc titulo post seculum in Gallia prodiit[1]). — Jodocus Ravesteyn (Tiletanus etiam dictus) Flander, canonicus lovaniensis († 7. Febr. 1570) et Franciscus Sonnius (ita appellatus a loco patrio Sonn in Brabantia), alias van den Velde, hinc etiam a Campo dictus, rector universitatis lovaniensis (1543) et theologiae professor (1544), episcopus silvaducensis, dein primus antverpiensis († 1576), interfuerunt tum concilio tridentino (1551), tum colloquio wormatiensi (1557). De illo scribit Aubertus Miraeus: „Erat porro sedulus in docendo, acris et vehemens in disputando, in consiliis dandis circumspectus ac maturus, theologicae scholae splendor et catholicae Ecclesiae incrementum in primis illi curae erat.“ Bis rectorem egit academiae lovaniensis. Eruditionis suae et zeli testes sunt plura opera, ut *demonstratio religionis christianae* ex verbo Dei ll. 3, Parisiis 1566; *Apologiae seu defensionis decretorum concilii tridentini,* quae ad religionem christianam pertinent, adversus Chemnitium p. 1., Lovanii 1568; p. 2. 1570; Coloniae 1608. Vindicat in ea decreta sess. 4. 5. 6. 7. et 13. Ejus (et Tiletani) judicium de articulis *de sacrificio missae* concilio tridentino propositum legitur apud Le Plat IV, 350—359. *Succincta confutatio confessionis,* quae edita fuit a ministris, qui in ecclesiam antverpiensem irrepserunt et augustanae confessioni se assentiri profitentur, Lovanii 1567., cum *apologia* adversus Flacium Illyricum, qui illam impugnaverat, ib. 1568. Pro hoc opere poculo aureo a senatu antverpiensi donatus est. *De concordia gratiae et liberi arbitrii,* epistolaris disputationis in J. R. et R. Tapper l. apologeticus, Romae 1734. Baji novitatibus strenue se opposuit, propositionesque erroneas ex ejusdem scriptis haustas Romae denunciavit, et ut damnarentur instititˡ[1]). — Alter scil. Sonnius de erectione aliquot episcopalium sedium Romae sollicitus fuit et episcopus factus sollerter ecclesias sibi commissas rexit[2]). Inter ejus opera praecipuum videtur *Demonstrationum religionis christianae* ll. 3, Antverpiae 1564, quibus post ejus mortem adjectus est l. 4. *de sacramentis,* ib. 1577.

20. Petrus Regis vulgo Coninck O. S. Franc. provinciae suae annis 11 praepositus, Leonorae et Mariae austriacis, Franciae atque Hungariae reginis a confessionibus († 20. Jan. 1573), lingua patria in forma dialogi disputavit *de ss. altaris sacramento,* Lovanii 1568. Plurimum sollicitus fuit, ut Baji errores a theologis primum, tum a sede damnarentur apostolica[3]) — Doctrinam ca-

[1]) Feller IV, 104: Ceux qui les ont lus et qui les ont confrontés avec celui, qui sous ce dernier titre, a fait tant d'honneur a Nicole et Arnald, n'auront pas de peine a grossir l'histoire des réputations usurpées.“ Cf. plura apud Penoti de s. apostolicique ord. can. reg. origine et progr. l. 2. c. 65. Opus ut videtur simile (et admodum rarum) concinnavit Dominicus Graminea de Vigiliis, scil. *thesaurus orthodoxus* et consensus Ecclesiae catholicae in controversia fidei de s. eucharistia adversus Calvinum, sacramentarios, Ubiquistas, Coloniae 1575.

[1]) Cf. Werner Gesch. der apol. .... Lit. IV, 279; 473; allgemeine deutsche Biogr. XXVII, 472.

[2]) KL. XI, 508.

[3]) Cf. P. Bergmans Biogr. nat. de Belg. XI, 923; Dirks His. lit. des frères min. p. 72—78.

tholicam de eodem sacramento adversus Calvini errores docte tuetur Petrus Ponet O. Carm. iprensis in *propugnaculo christiani dogmatis* de vera et *corporali* praesentia corporis *Christi* in sacramento eucharistiae, Antverpiae 1565. — Matthias Felisius (Cats) O. Min. Zelandus († 5. Mart. 1576) ejusdem Calvini institutioni aliam salubrem laudeque dignam opposuit hoc titulo inscriptam: *Institutionis christianae catholica et erudita elucidatio* secundum methodum a magistro sententiarum observatam, Antverpiae 1575; Parisiis 1604 ed. aucta; *Praeceptorum decalogi catholica elucidatio* optima methodo locorum communium distributa, Antverpiae 1574; 1576. — Praetermissis Hanardo Gamerio (van Gameren) Mosalo cognominato, Hemertensi, poeta laureato[1]), scholae tungrensis rectore (vixisse videtur adhuc 1578, juxta alios † 1569) et Joanne a loco patrio ut videtur Delphius dicto, qui disputavit *de potestate pontificis* et notis Ecclesiae, Coloniae 1580 mentione digni adhuc sunt: Arnaldus Alostanus (quod Alosti in Flandria natus, alioquin Mermann dictus) O. S. Franc. insignis per totum fere Belgium ecclesiastes adversus iconoclastas praesertim (†5. Sept. 1578), qui edidit praeter alia: *De quatuor plaustris haereticarum fabularum,* quas lutherani evangelistae adversus Ecclesiam Christi passim agunt, ll. 4, quibus et illorum technae traducuntur et catholica religio luculenter asseritur, Antverpiae 1563 in 8; *de rogationibus, peregrinationibus,* hymnis et solemnibus supplicationibus cum lucernis et omni religionis panoplia ll. 3, Lovanii 1566; *de s. cruce* ejusque religiosa adoratione, ib. 1568 in 8; *theatrum conversionis gentium* sive chronologica de vocatione omnium populorum per universum orbem fidei christianaeque religionis descriptio, Antverpiae 1563, 1572 in 8., opus valde rarum; *de veneratione ss. reliquiarum et exomologesi* seu confessione sacerdoti facienda, Antverpiae 1564; *de poenitentia publica et solemni,* ib. 1564; *de confessione sacramentali et purgatorio,* ib. 1563. — Cunerus Petri doctor lovaniensis[1]) ac episcopus leowardiensis, qui sede sua a Calvinistis et anabaptistis pulsus Monasterium primum, dein Coloniam secessit, ubi ss. literas est interpretatus obiitque 15. Febr. 1580. Inter alia edidit[2]): *Verae ac germanae D. N. J. Christi Ecclesiae,* quae columna et firmamentum est veritatis, *designatio* atque ejusdem per 14 proprietates ostensio, Lovanii 1568; etiam in Roccaberti bibliotheca max. pontif. VII, 799—815; *de sacrificio missae,* ib. 1572. in 8; *de gratia,* libero arbitrio, praedestinatione, justificatione, indulgentiis et d. Petri cathedrae firmitate, Coloniae 1583. — Hadrianus Herquet O. Carm. Attrebatensis in academia coloniensi doctor et professor († 1589) praeter alia scripsit *Revocationem a Lutherianismo* reliquisque haeresum generibus ad evangelicam et veram Ecclesiae fidem, Antverpiae 1550—1557.

21. In *Bohemia* Blasius Noziczka de Wotina appellationis regiae assessor senio excoecatus libellos sane eruditos lingua vernacula dictabat, ita tractatum contra Piccardos, Pragae 1566, et alios polemicos, ib. 1555. — In *Hun-*

[1]) Cf. Mederer Annal. ingol. I, 281.

[1]) Alius a Suffrido Petri leowardiensi (1527—1597) et canonico coloniensi de patria historia bene merito, quamvis major in eo desideretur critices usus. Latine vertit Athenagoram, Coloniae 1587; tres posteriores ll. historiae ecclesiasticae Sozomeni, ib. 1570. Edidit praeterea: *De illustribus scriptoribus auctores praecipui veteres,* ib. 1580, quem catalogum auxit Aubertus Miraeus et Joan. Albertus Fabricius. Joannis de Beka *chronicon episcoporum ultrajectensium* et comitum Hollandiae ab. a. 1345—1574. deduxit, ib. 1611, cura Bern. Furnerii Frank; Arn. Buchelii Ultrajecti 1643 in f. Cf. Foppens p. 1110.

[2]) Cf. Hartzheim in bibl. colon. p. 68.

garia in primis emicuit Nicolaus Olahus archiepiscopus strigoniensis, qui natus est Hermanstadii in Transsilvania a. 1493. Juvenis morabatur in Wladislai regis aula (1510); secretarii munere dein functus est apud episcopum quinqueecclesiensem (1516). Ludovico II erat a consiliis et secretis (1526). Factus est interim archidiaconus comornensis. Post varia obita munera politica dictus est episcopus zagabriensis (1548), mox agriensis (Erlau), demum electus est in archiepiscopum strigoniensem (1554). Vere vir erat divinae providentiae ad reparanda tot damna Ecclesiae catholicae per Hungariam illata et restaurandam disciplinam ecclesiasticam. Habuit quinque synodos dioecesanas, celebrem Tyrnaviae a. 1560, in qua promulgavit praeclara catholicae ac christianae religionis praecipua quaedam capita (38) *de sacramentis, fide et operibus,* de utraque justificatione et aliis ed. 1560 sed mendose, emendata Viennae 1561. Meruit quoque de editione librorum liturgicorum suae dioecesis. Decessit[1]) strenuus praesul 16. Jan. 1568.

22. Ex *polonis* nobis occurrunt Stanislaus Orichovius (proprie Orzechowsky vel Okski) Premislaviensis, et qui instar multorum est Stanislaus Hosius († 1579). Ille quondam fuit discipulus et fautor Lutheri et Melanchthonis, hinc quod horum addictus esset novitatibus, et, licet sacerdos et canonicus, matrimonium iniisset (1551), incurrit excommunicationem: sed meliora edoctus (forte circa a. 1560), strenue in posterum libris etiam editis[1]) fidem propugnavit catholicam[2]). Propter eloquentiam dictus est a nonnullis Demosthenes roxolanus. — Stanilaus Hosius (Hos, Hosz) quem ejus aequales Ecclesiae columnam, alterum Augustinum, haereticorum malleum haud immerito salutarunt[3]), natus est Cracoviae parentibus badensibus 5. Maji 1504. Magnam gloriam sibi comparavit optimeque meritus est de patria, cujus commoda regis nomine (cui diu erat a secretis epistolis) penes principes exteros saepe promovit; de diocesi propria (varmiensi), quam vigilans pastor ab haeretica lue praeservavit, et cujus fidelibus omnis beneficentiae genere liberalissime succurrit; de religione catholica, quam in Polonia contra novatorum errores firmavit munivitque; de romano pontifice, cujus apud aulam caesaream feliciter egit causam, de universa Ecclesia in concilio tridentino congregata, cui sapienter magnaque

[1]) Cf. eruditam de eo notitiam cum copiosa literatura in KL. IX, 793—799 auctore Dankó; Horanyi Memoria Hung. II, 695—705, qui ei tribuit *Chronicam* suae aetatis mole quidem exiguam, sed rerum ubertate plenam, quam Posonii prodiisse dicit. B. Canisius passim in suis ep. ejus meminit. De synodis regiis seu mixtis, quibus interfuerunt etiam magnates a. 1554 et 1555 cf. Ignatius comes de Batthyani de leg. eccl. regni Hung. Albae Carolinae 1785 I, 622—24.

[1]) Horum catalogum cf. apud Stravolscium Elogia centum Polon. scriptorum.

[2]) De ejus *Chimaera* Coloniae 1562 (m. 30) sive de Stancari funesta in regno Poloniae secta *dialogis* ita scribit magnus Hosius ad eundem (opp. p. 374): „Chimaera tua multorum hic virorum doctissimorum teritur manibus, et eorum judicio vehementer probatur. Quam et ego legi lubens teque de ista praeclara voluntate tuendae fidei catholicae contra Christi crucis inimicos non possum non vehementer amare. Dialogos quoque tuos vernacula lingua conscriptos legi, in quibus et dicendi vim et rationis impetum et libertatem, in primis autem zelum istum tuum vere christianum, valde sum admiratus. Quod si par esset zelus in his, in quibus esse debebat, minus nunc laboraremus, minore versaretur in discrimine patria nostra.“ Cf. Raess, Convertiten 2, 508 ss.

[3]) Cf. de eo Rescius Stanisl. Hosii vita, Romae 1587; Olivae 1690; praemissa ed. epistolarum recenti; Treter theatrum virtutum St. Hosii, Romae 1588 ed. rarissima; Cracoviae 1685; Brunsbergae 1880; Eichhorn der ermländische Bischof u. Card. St. Hosius, Moguntiae 1854. 1855 t. 2; Katholik 1880. II, 296—307.

solicitudine praefuit[1]); de doctrina denique catholica, quam egregie verbo et calamo defendit. Ejus fides, integritas, innocentia pene jam hominibus in proverbium abiit, ut si quem insigni aliqua virtute praeditum viderent, Hosium solerent appellare[2]). Tot merita purpurae honorem ei conciliarunt, quem tamen nonnisi reluctans post integri mensis deliberationem instantibus romano pontifice Pio IV., imperatore aliisque catholicis principibus acceptavit (1561). Ejus opera prodierunt Parisiis 1562; Lugduni 1564; Antwerpiae 1566 et 1571; Venetiis 1573; Coloniae 1584 in 2 vol., quae editio plenior est. Inter ea eminent; *Confessio catholicae fidei christianae* vel potius explicatio quaedam confessionis a patribus factae in synodo provinciali habita Petricoviae 1551, Moguntiae 1557, quae tanti facta est, ut Hosio vivo bis et tricies prodierit atque in omnes fere Europae linguas, etiam in arabicam fuerit versa. Disserens de fide, spe et caritate agit de Ecclesia, conciliis, sacramentis, justitia christiana, praeceptis et caeremoniis; in ed. col. I, 1—416. *Confutatio prolegomenon* Brentii, quae hic primum scripsit adversus Petrum a Soto, deinde vero Petrus Paulus Vergerius apud Polonos temere defendenda suscepit, Coloniae 1560, Lugduni 1564; op. I, 417—609; *Palinodiae* sive recantationes VII Fabiani Quadrantini (postea S. J. † 1605) Gedanensis, cum factus esset ex Lutherano Christianus, ab Hosio conscriptae, Coloniae 1571; 1598; op. I, 719—759; *de oppresso Dei Verbo,* Dillingae 1560, op. II, 1—61, in quo l. Scripturae abusus insectatur; *Dialogus de communione s. eucharistiae sub utraque specie; de conjugio sacerdotum et sacro in vulgari lingua celebrando*(op. I, 610—668); *de loco et auctoritate rom. pontificis in Ecclesia Christi et conciliis,* Coloniae 1567, op. I, 708—719 etc.[1]); accedunt multae (277) *epistolae* opp. II, 145—453 magni momenti pro historia illius temporis[2]). Laudatur in ejus operibus praeter alia[3]) aptus ss. patrum usus, qui assiduae lectionis erat fructus. Sexies legerat opera universa s. Augustini fassusque est, eti-

[1]) „Apostolico animo in suo tutando grege et in sustinenda religione desudavit. Quapropter voluit pontifex, ut suam ille virtutem in universae Ecclesiae utilitatem exerceret: eoque prius per gravissimum illud germanici nuntii munus exercito, ejusmodi fructus expertus est, tam concordes de illius studio ac virtute acclamationes accepit, ut nihil ipsi desiderandum superfuerit, quin eum praesidem Concilio daret, qui scientia illud regeret, sanctum redderet probitate, existimatione cohonestaret.“ Pallavicino Hist. conc. trid. l. 15. c. 6. n. 3. Cf. ejus ad Canisium ep. (apud Braunsberger IV, 69), qua testatur negotiorum mole se obrui.

[2]) Ita Maciejowski in ep. ad ep. Giese 3. Febr. 1549.

[1]) Cf. de his Werner Gesch. der apolog. etc. Lit. 4, 350, qui illorum synopsin exhibet.

[2]) Demum pretiosarum harum epistolarum accuratissima et eruditissima coepta fuit editio sumptibus academiae literarum cracoviensis curantibus Fr. Hipler et Vinc. Zakrzewski. Prodiit t. I. et II. Cracoviae 1879. 1888 complectens ejus epistolas et eas, quae ad eum scriptae sunt a. 1525—1550 et ejus orationes legationesque (fere ineditas), de qua editione cf. Katholik 1880. I. 434—42. Plures reperies inter ep. Canisii ed. a Braunsberger. Epistolae ad ipsum continentur magna ex parte in Cypriani Tabulario Ecclesiae rom. sec. XVI. Lipsiae 1743; et alias ipsius cum legatum ageret pontificis in aula Caesaris, publicae luci dedit S. Steinherz in Nuntiaturberichte aus Deutschland nebst ergänzenden Aktenstücken 1560—1572. 1. B. Die Nuntien Hosius und Delfino 1560. 1561, Wien 1879.

[3]) Ita de ipso scribit Du Pin Nouvelle bibliothèque XVI, 118: „Hosius a été avec raison un des plus estimés Controversistes parmi les catholiques, et des plus craints par les hérétiques qu'il y ait eu dans le seizième siècle. Il écrivait avec beaucoup de facilité et d'élegance, employant trés-à-propos les passages de l'Ecriture-sainte et des S. Péres de l'Eglise et tirait adroitement son avantage des contradictions des Novateurs.“ Quod elogium vel Bayle subscribit, quare ab aliorum suffragiis in re notissima abstinemus.

amsi centies illa legeret fructum semper et solatium ex iisdem se fore capturum. Rexerat primum ecclesiam culmensem (1549), inde mox translatus est (1551) ad warmiensem. Ultimis vitae annis Romae commoratus est, ubi munere fungebatur magni poenitentiarii. Decessit in odore sanctitatis ab omnibus semper maximi factus[1]) 5. Aug. 1579. De eo bene scripsit Canisius in praemonitione ad suam ed. libelli Hosii Verae doctrinae propugnatio, quam Coloniae 1558 curaverat: „Quanto rectius causa religionis haberet, quantoque commodius et impietas disjici et pietas orbi restitui posset, si multos id genus Hosios haec aetas ferret.“

23. In *Anglia* Thomas Harding[2]) strenue docteque primatum, missae sacrificium, transubstantiationem propugnavit adversus Jewel (Juelles, Jeuell); cum vero hic niteretur respondere, duplicem ei disputationem opposuit; ea, quae inscribitur *A rejoindre to* M. Jewel's Replie against the Sacrifice of the Masse, Lovanii 1567, est carissima (m. 40). Decessit propter fidem exsul Lovanii 1572. — Eundem Jewel impugnavit etiam Joannes Rastel[3]), qui postea est ingressus Soc. Jesu († 15 vel 25. Jun. 1577), necnon Thomas Dormann juris utriusque et s. theologiae doctor, Hardingi familiaris et in exsilio socius († 1577), cujus inter alia sunt *A Proufe* of certeyne Articles in Religion denied by M. Juel, Antverpiae 1564, adversus hujus *Apologie* of the Church of England; pro quo stetit Alex. Nowell, qui auctoris nostri libro opposuit *A Reproofe* etc.; quare Dorman respondit in op. *A Disproofe* of M. Nowelle's Reproofe, ib. 1565, cui Nowell iterum occurendum censuit. — Hisce religionis catholicae apologetis addi etiam possunt Henricus Joliffus († 1573) et Thomas Heskin O. Praed., antea salisburensis canonicus et thesaurarius, pro fide sub Elisabetha exsul. Videtur circa 1566 suum obiisse diem. Auctor est operis: *The Parliament of Chryste* avouching and declaring the enacted and receaved Trueth of the Presence of his Bodie and Bloode in the Blessed Sacrament and of other Articles concerning the same, impugned in a wicked Sermons by M. Juel, Bruxellis 1565. in f.; Antverpiae 1566.

[1]) Cf. praeter auctores citatos ejus vitam auctore Eichhorn Moguntiae 1854. t. 2; Hipler, Kirchenlex. VI, 295 ss.

[2]) Cf. Ant. Wood Athenae oxonienses I, 138; Gillow III, 124 ss.

[3]) Cf. Gillow V, 399; Sommervogel VI, 1476.

24. Ex *italis* mentione digni sunt[1]): Bartholomaeus Camerarius († 1564) Beneventanus „vir ad nascentem Calvini haeresim confutandam divino munere Ecclesiae concessus[2]).“ Licet juris consultus regiique consilii neapolitani praeses, edidit tamen de controversiis fidei *dialogos* theologicos *de purgatorio,*

[1]) Raphael Aquilinus quondam Judaeus scripsit adversus Hebraeos, Pisauri 1571. — Marquardus de Susannis Minensis jurisconsultus scripsit *De judaeis et aliis infidelibus* et inimicis crucis Christi tam visibilibus quam invisibilibus, Venetiis 1568; Francofurti 1601; 1613 etc.; *de coelibatu sacerdotum* non abrogando, Venetiis 1565; 1584. — De Antonio Cauco archiepiscopo corcyrensi (1560—1563) legimus in bibl. crit. Michaelis a s. Jos. I, 260, eum diligenter investigasse Graecorum ritus dogmataque: unde cum experientia magistra comperisset, ea majori ex parte a catholica fide recedere, I. scripsit *de haeresibus juniorum Graecorum,* quem Gregorio XIII. obtulit (ut videtur ineditum). Oratio in conc. tridentino, quam habuit 26. Febr. 1562, exstat apud Le Plat I, 352—57. — Joannes Matthaeus Grillus Salernitanus defecerat ad calvinianos, sed bonorum librorum lectione rediit ad saniorem mentem (1568), ut testantur ejus *Abjuratio multorum errorum* publice et sponte edita, cum epistola ad fratrem suum, qua causae reversionis ad fidem catholicam exponuntur, quam habes apud Raess II, 1—14.

[2]) Dechamps de haer. jansen. l. 2. d. 8. c. 11 n. 4.

Romae 1557; de oratione, jejunio et eleemosyna etc., qui illum in patrum scriptis studiose multumque volutatum esse produnt. In dialogo: *De praedestinatione, libero arbitrio et gratia*, Parisiis 1556, inconstantiam mutabilitatemque Calvini circa haec doctrinae capita manifestam reddit.[1]) — Caesar Petrus Michael Delfini Parmensis in libris humanioribus et astronomia egregie versatus, medicinae doctor, in Hungariam est profectus, ubi Ferdinandi regis medicum egit, inde in Angliam transiit. Per calumniam de haeresi accusatus in Italiam rediit beneque susceptus est a Pio V. († 1566). Scripsit[2]) *de summo romani pontificis principatu* et de ipsius temporali ditione demonstratio, Venetiis 1547 in 4., in qua exceptionibus Henrici VIII. contra papam respondet; *de proportione papae ad concilium* et de utroque ejusdem principatu certissima et novissima decisio, Parmae 1550 in 4., recepta a Rocaberti in bibliothecae pontificiae VII, 8—26; *Mariados ll. III,* carmen in honorem b. Mariae V., 1537 etc. — Clemens Dolera Monilianus O. Min. ex ordinis ministro generali cardinalis a Paulo IV. creatus (1557) et in Urbe generalis inquisitor († 6. Jan. 1568) concinnavit *Compendium theologicarum institutionum* ad christianam theologiam, Fulginii 1562; Romae 1565, in quo disserit de symbolo apostolorum, de sacramentis, de praeceptis divinis, de peccatis et eorum differentiis, de consiliis evangelicis, de coelibatu sacerdotum et de concilio oecumenico. Cf. Eggs l. IV § 73. — Thomas Jacomellus O. Praed. Pedemontanus, Pinarolii natus, taurinensis fidei quaesitor generalis eam regionem strenue ab haereticorum insidiis tutavit. Ad Caroli IX. regis Franciae praesentationem dictus est a Pio IV. episcopus tolonensis († 1569). Composuit *propugnaculum* pontificae potestatis contra Franciscum Veldensem, Taurini 1559 in 16. — Franciscus Vita Polynthius O. Min. Siculus interfuit concilio tridentino († 1571) disseruitque *de justificatione*, de confessionis vetustate deque eucharistia contra haereses, Venetiis 1548. — Thomas Elysius[1]) O. Praed. neapolitanus († c. a. 1572) reliquit praeter opus: *Piorum clypeus* adversus veterum recentiorumque haereticorum pravitatem fabrefactus, Venetiis 1563, qui tamen est in librorum prohibitorum indice; *Christianae religionis arcana*, Venetiis 1569. in 4. — Vincentius Patinas de Quintiano (a patrio oppido agri brixiensis vernacule Quinzano) O. Praed. insignis theologus, edidit *fragmenta contra haereses,* Mantuae 1557 in 4., in quibus disputat de gratia et justificatione, de confessione, de sacrificio missae, de indulgentiis, de ss. imaginibus, de primatu; *de eucharistia,* Venetiis 1571 in 4; *Eruditissimae dilucidationes* in 3 ll. Aristotelis, qui de anima inscribuntur, nec non commentariorum s. doctoris Aq. in eosdem cum textu duplici Translationis scil. antiquae et Joach. Perionii Bened., elegantissima appendix de potentiis, de passionibus deque moralibus virtutibus animae et de musica, Bononiae 1575 in 4. — Antonius Florebellus (Fiordibello, Fiorabelli etc.), Mutinensis, episcopus lavallinus, (1558—1561), episcopatu resignato pontifici a secretis († 1574), disseruit *de auctoritate Eccclesiae,* Lugduni 1546; apud Rocaberti Bibl. pont. IV, 229—252. Cf. Nomencl. II, 1513. — Ludovici Majorani can. reg. lat. exstat *clypeus*

[1]) Dupin l. c. p. 41: Ses dialogues sont fait sans art et avec simplicité. Il traite assez subtilement la matière du libre arbitre et de la grâce et dit des choses d'assez bon sens sur les autres matières, qu'il a traitées etc.

[2]) Cf. Affò Memorie degli Scritt. e Letterati Parmigiani IV, 95—107.

[1]) Alius est a Thoma Elysio O. S. Franc. († 1520), qui dictus etiam est Thomas Illyricus, quique de fidei controversiis scripsit.

militantis Ecclesiae seu de vero Dei cultu ll. 3, Romae 1575. Antverpiae 1576 in 4. — Zacharias Andriani can. reg. dedit in lucem *ss. altaris sacrificii perspicuam expositionem* in 2 ll. divisam, in quibus non tam haereticorum falsae opiniones rejiciuntur, quam verae catholicorum sententiae confirmantur, Brixiae 1573 in 8; Venetiis 1580 ed. 4. — De *eucharistia* pariter disputavit Hieronymus Niger (Negri) O. S. A. a Fossano Pedemontanus, concionator strenuus, qui multos haereticos ad veram reduxit fidem. Hinc eorum incurrit odium, qui calumnias contra ejus orthodoxiam sparserunt adeo, ut concionandi ministerium ei interdiceretur. Sed manifestata ejus innocentia, revocata fuit damnationis sententia atque in ipso ordine honorificis auctus est muneribus, nam electus est in vicarium generalem congregationis lombardicae (1573). Edidit opus in 4 divisum partes *de admirando mysterio* et Christo adorando in eucharistia, Taurini 1554. — Felicianus Amuccius de Narnia O. Serv. B. M. V. archiepiscopus avenionensis († 1576) librum aureum typis mandavit praenotatum: *Explicationes catholicae,* cujus doctrinae plurimum postea detulit et legendo et scribendo in haereticos, ut ipsemet saepe saepius asserebat, doctissimus card. Bellarminus[1]. — Hieronymus Muzio (olim Nuzio dictus) natus Justinopoli (Capo d'Istria) 12. Martii 1496, († 1576), qui quamvis nec clericus esset, nec (saltem juvenis) bonis moribus praeditus, nec profundus theologus (plerumque enim degebat in aulis), malleus merebatur dici haereticorum. Scripsit lingua vernacula contra plures apostatas italos ut Paulum Vergerium[2]), Occhinum, Betti romanum et contra alios ut Bullinger etc.[1]), ut ex. gr. *l'antidoto cristiano,* Venetiis 1562 in 4., opus valde rarum; *il Bullingero riprovato,* ib. 1562; *le mentite Ochiniane,* Vinegiae 1551; *le Vergeriane,* discorso se si convenga ragunar concilio, tr. della communione dei laici e delle moglie de'chierici, ib. 1550, (m. 31); *Malizie Bettine,* Pesaro 1565. Plura collecta prodiere inscripta *Selva odorifera,* Venetiis 1572 in 4; *della istoria s. ll. 2,* che contengono le operationi e martirii de'Apostoli e Santi, insieme un summario della dottrina evangelica insino alla morte del sesto pontefice, ib. 1570 contra centuriatores magdeburgenses; *Difesa della messa* de'santi, e del Papato contro le bestemmie di P. Vireto, Pisauri latine 1563, 1568; *tr. de romana Ecclesia* synodo tridentinae inscriptus in Rocaberti Bibl. max. 1864. XIII, 217—231. *Lettere cattoliche* ll. 4, Venetiis 1571 in 4 (m. 31).

25. Reliqui sunt *Hispani,* inter quos insignes plane theologi polemici floruerunt. Martinus Perez de Ayala patriam habuit Hieste, oppidum dioecesis carthaginensis (n. 1504). Toleti philosophiam, Granatae theologiam docuit; Lovanii hebraicae et graecae linguis addiscendis vacavit; wormatiensi

---

[1]) Cf. Markel, Viri illustres Ord. serv. B. M. V.

[2]) Contra hunc scripsit etiam Hippolytus Chizzuola brixianus: *Risposta alle bestemie* e maledicenze contenute in tre scritti di P. Vergerio contra l'indittione del concilio, Venetiis 1662 (n. 30).

[1]) Ejus opera ap. Haym bibl. t. 2. p. 619. ed. Mil. 1773; in ed. op. Fontanini t. 2. p. 443. De illis ita scribit Tiraboschi Storia della letteratura d' Italia P. 7. l. 2. c. 1. n. 35: „In tutte queste opere il Muzio non è un profondo teologo, ma un robusto ed accorto guerriero, che sa usar saggiamente quell'armi, che la buona causa gli somministra, scuopre le imposture e gl'inganni de suoi aversarii, gl'incalza con forza ed avvalora le ragioni e gli argomenti coll' arte e coll' eloquenza. Ed io credo perciò che non poco giovassero cotali libri a prevenire singolarmente il rozzo ed incauto volgo, sicchè non si lasciasse sedurre dal fascino delle nuove opinioni.“ Cf. ib. n. 54. et Rocaberti XIII, 216 s.

colloquio interfuit ac ter concilio tridentino, secum ducens tertia vice Benedictum Ariam Montanum. Electus est a. 1548 a Carolo V. in praesulem accitanae ecclesiae, inde translatus ad sedem archiepiscopalem valentinam († 1566). Inter ejus opera[1]) eminet: *De divinis, apostolicis atque ecclesiasticis traditionibus,* de auctoritate ac vi earum sacrosancta assertiones seu ll. X, Coloniae 1549, de quo, quem modo nominabimus, Michael Medina ita scribit: „M. Ayala segoviensis episcopus, vir praeter integrum animum et excellens ingenium, veteris ecclesiasticae lectionis consultissimus; quibus dotibus sic urget hereticos opere illo de ecclesiasticis traditionibus ut, nisi diabolo obsidente oculis animi capti essent, aperte visuri sint, quantum impiae istae novationes a veteris illius Ecclesiae moribus distent.“ — Eodem a. defunctus est Didacus (vel Jacobus) de Noguera, decanus ecclesiae viennensis (in Austria), Ferdinando I. a confessionibus, insigni spectataque virtute et doctrina praeditus, qui disputavit *de Ecclesia Christi a haereticorum conciliabulis dignoscenda,* Dilingae 1560 in f., de quo opere scribit Latinus Latinius[2]): „Propediem quatuor de Ecclesia libros, quos partim absolutos jam partimque excusos habet, publicabit, quos etiam spero jucundos omnibus reique publicae in primis utiles fore. Tu si quando leges, videbis hominem minime stertentem, non tantum res arduas graviter et erudite, sed etiam eleganter ac quadam dicendi facilitate permirifica tractare .... Hic scribet, ni fallor, plurima, ea est enim hominis in dicendo et scribendo facultas, ut quivis merito mirari possit tantam in juvene hispano eruditionem, tantamque ex tempore verborum bonorum copiam.“ Idem forte est Giberto Noguera, qui 1566 obiit episcopus alifanus in regno neopolitano.

[1]) Cf. Nic. Antonius Bibl. H. novae II 107. Pleraque sunt vel philosophica vel catechetica.

[2]) Epist. ad A. Masium 4. Martii 1560.

26. Michael de Medina[1]) O. S. Franc. natus est in oppido Belalcazar dioecesis cordubensis in Baeturia. Non literis duntaxat secularibus, sed et exquisita doctrina theologica et philosophica, nec non lingua graeca et hebraica egregie erat instructus, ut sui aevi magnis theologis accenseri meruerit. Annis 4 rexit cathedram s. Scripturae in academia complutensi. A Philippo II. Hispaniarum rege ad concilium tridentinum fuit missus. Famam hisce libris sibi comparavit: *Christiana paraenesis* sive de recta in Deum fide ll. VII, in quibus orthodoxae fidei origines proponuntur, propagandae ratio traditur atque haereticorum argumenta proteruntur, Venetiis 1564 in f., quae est tantum operis ab eo destinati pars prior, in qua disserit de principiis fidei, de motivis credibilitatis, de fidei supernaturalitate, necessitate, de criteriis veritatis et hinc de verae Ecclesiae notis, de libris canonicis, de horum obscuritate deque necessitate, quae hinc oboritur, authentici interpretis. „Nihil omnino praetermisit, scribit de hoc opere Hieronymus Magius[2]), quod ad orthodoxam fidem fulciendam comprobandamque et a multorum calumniis vindicandam ac tegendam facere possit: adeo ut his, quae sparsim erant mandata literis quaeque ille ex suo inexhausto penore deprompsit, in suas sedes congrua dispositione collatis, omnium nobis et posteritati librorum et theologorum, quantum ad hujus modi

[1]) Medinae nomen commune est pluribus claris Hispaniae theologis. De Bartholomaeo M. infra loquemur; de Joanne M. († 1546) egimus supra II³, 1559. — Alius Joannes de M. fuit circa medium sec. XVI. abbas s. Vincentii O. S. Ben. Salmanticae, qui auctor est libelli editi etiam 1757; 1766 inscripti *De la Caridad discreta.*

[2]) In ep. ad Card. Contarenum.

disputationes attinet, instar futurus sit[1]).« *Expositio in quartum symboli articulum, adjectis disputationibus de indulgentiis* adversus nostri temporis haereticos, ib. 1564 in 4; *de sacrorum hominum continentia ll.* 5, ib. 1568 in f. quo in opere sacri et ecclesiastici coelibatus origo[2]), progressio et consummatio ex s. Scriptura sanctorumque patrum scriptis diligenter et erudite proponitur, statuitur et ab haereticorum nostri temporis calumniis propugnatur. Non tamen ab omni naevo hoc opus est immune. Eorum enim occasione, quae scribit l. 1. c. 5, eum »nostrates etiam, ut testatur Perrone[3]), temeritatis incusant, dum aëriani erroris tot patres insimulat absque ullo vel levi fundamento.« Et sane duumviri doctissimi Bellarminus et Petavius eum gravissime carpunt affirmantem Hieronymum aliosque patres idem cum Aërio (episcopos scil. non distingui jure divino a presbyteris) sensisse. »Haec Medinae sententia, inquit ille[4]), ut levissime dicam, valde est inconsiderata.« Alter vero[5]): »Quo in genere Michaelis Medinae merito notandam dixi esse temeritatem, qui non hunc (Hieronymum) solum, sed etiam Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, Theodoretum aliosque veteres in eandem causam ac damnationem includit cum Aërio, Waldensibus ac Joanne demum Wicleffo[1]).« Graviorem tamen alia de causa incidit tempestatem. Diximus II[3], 1487 Joannem Ferum O. Min. concinasse in J. Chr. Evangelium secundum Joannem enarrationes, quae probe catholicis minime arriserunt, imo Sorbona eas prorsus reprobavit, et Dom. Soto annotationes in eum edidit, quibus 67 propositiones censurae subjicit. Medina sui sodalis misertus concinavit *Apologiam Jo. Feri*, in qua 67 loca commentariorum in Joannem, quae antea D. Soto Segoviensis lutherana traduxerat, ex s. Scriptura sanctorumque doctrina restituuntur[2]), Compluti 1558 et alibi, cui Soto in comment. in 4. l. sententiarum respondit. Medina praeterea novam curavit illius comentarii Feri editionem expurgatam et ejusdem comentarii in Matthaeum, quem Sorbona suppressum voluit, quod ob nimios errores et haereses expurgari non posset. Hinc dicta ei causa apud inquisitionis tribunal et ipse conjectus in carcerem, quo nonnisi post quinquennium demum ereptus fuit, sed mox moerore morbisque consumptus obiit 1. Maj. 1578 et omnium ordinum concursu honorifice fuit sepultus. Nonnisi post mortem pronunciata fuit absolutionis sententia, ejus vero apologia in Hispania prohibita. Edidit praeterea *Enarrationem* trium locorum ex c. 2. Deuteronomii, Compluti 1560; *De la verdadera y christiana humildad*, Toleti 1570. Quaedam manserunt inedita. Stilo utitur polito et terso.

---

[1]) Ita Du Pin de eo censet (l. c. p. 113): „Il traite les matières amplement et avec beaucoup d'érudition. Il était versé dans la lecture des Péres et des Conciles. Enfin il s'en faut peu qu'il n'égale les Théologiens de nostre temps, qui ont traité les questions selon la méthode de la Théologie, que l'on appelle positive."

[2]) Joannes de Ludeña O. Praed. Matritensis Petrum de Gasca episcopum seguntinum ad concilium tridentinum comitatus est ibique habuit coram patribus *orationem* 28. Febr. 1563 (apud Le Plat I, 598—607), atque disputavit *de coelibatu sacerdotum* ad duos articulos de matrimonio adversus Lutheranos. Utraque disp. prodiit Patavii 1563.

[3]) Praelect. theol. vol. 3. p. 2. s. 2. in annot. ad n. 455.

[4]) De clericis c. 15.

[5]) De hier. eccles. l. 2. c. 5. § 1. Cf. l. 2. c. 8; dissert. eccl. l. 1. c. 3.

---

[1]) Cf. Morgott KL. VIII, 1164—1167; Gaudentius Beitr. zur Kirchengesch. des 16. und 17. Jahrh. I, 44. De ejus controversia cum Soto propter Ferum cf. Sixtus sen. bibl. sanctae l. 4 Venetiis 1566 I, 417 s.; l. 6 annot. 178—215; II, 796-823.

[2]) Novam hujus operis editionem Moguntiae 1572 curavit Philippus Agricola theologiae doctor et canonicus mo-

27. Porro *de sacris ministris altaris et coelibatu* disputavit etiam Franciscus de Guzman O. Min. concionator celeber atque in Hispania commissarius generalis, Venetiis 1569. — Joannes Genesius (Juan Ginez) de Sepulveda, Cordubensis natus c. a. 1490, vir praestans et doctus, Bononiae in philosophia praeceptorem habuit Petrum Pomponatium. Post annos 22, quos magna ex parte Romae transegit, Caroli Caesaris aulam chronographi regii titulo cohonestatus sequi est jussus († 1571 a. aetatis 81). Pleraque ejusdem opere, quae collecta prodierunt Parisiis 1541; Coloniae 1602; Matriti 1780 t. 4. in f., ad theologiam non spectant. Huc referri possunt: *De fato et libero arbitrio ll. 3*, Romae 1526, in quibus docte M. Lutherum refellit. De hoc opere ita judicat Michael Medina[1]): „Et Ciceronis eloquentiam et Aristotelis philosophiam, et quod prius est, christiani pectoris integritatem invenias.“ — Joannes B. Cordona Valentinus elnensis primum episcopus, dein vicensis, demum dertusanus (30. Dec. 1589) disseruit de *expungendis haereticorum propriis nominibus, de Diptychis* etc., quae simul prodiere Tarracone 1587 in 4. — Francisci de Carduba O. S. Franc. *annotationes catholicae* in religionis articulos a sectariis controversos prodierunt Viennae 1567, Coloniae, 1572; *de officio praelatorum*, Pragae 1662, quo in l. censet Bohemis concedendum esse usum calicis; *quaestionarium theologicum*, 1571. — Joannes Jubinus O. M. Min. episcopus auxiliaris barcinonensis carmen composuit *de sacramento eucharistiae* et ejus sacrificio adversus hujus temporis haereticos Barcinone 1570 in 12. — Blasius Navarrus scripsit *de auctoritate et s. principatu romanae Ecclesiae*, Barcinone 1566. — Vincentio Montagenesio (Montanes) O. S. A. Eremitarum († 1573) Valentino debemus tr. *de principiis praenoscendis s. theologiae*, Barcinone 1570. — Jacobus (juxta Nic. Antonium 1, 293 Didacus) Ledesma S. J. († 1575) librum edidit[1]): *De divinis Scripturis quavis passim lingua non legendis:* simul et de *sacrificio missae ceterisque officiis* in Ecclesia Christi hebraea tantum, graeca aut latina lingua celebrandis, Coloniae 1570, 1574, 1577 etc. — Antonii Rubii O. S. Franc. Legionensis sunt: *Assertionum catholicarum adversus Erasmi Roterodami pestilentissimos errores ll. 9*, Salmanticae 1568; Ingolstadii 1579, 1580. — Joannes Perpinian S. J. Elchensis (n. 1530; † 28. Oct. 1566) in humanioribus literis cultissimus[2]) reliquit celebres *orationes* (18) propter elegantiam saepissime editas, Ingolstadii 1592; Veronae 1732 etc., inter quas plures *de retinenda veteri religione* et falsa recentium haereticorum doctrina rejicienda. Quae ad paedagogiam referuntur, germanice habes in Bibl. der k. Pädagogik XI, 3—29. Opera ejus omnia prodierunt Romae 1749 t. 3, quibus addenda Petri Lazeri S. J. de vita et scriptiis P. Jo. Perpiniani; ib. 1749.

guntinus, aliquamdiu etiam theologiae professor in universitate moguntina cujus erat et rector (1557) et cancellarius, qui strenue propugnavit causam catholicam († 16. Mart. 1572). Cf. Roth Katholik 1895 II, 455.

[1]) In bibl. hisp. nova I, 701 s., ubi et ejusdem operum catalogum invenies. „Suis tamen opinionibus, inquit contin. Fleurii l. 173 § 71, non immerito plus aequo pertinacius inhaerebat atque a mitioribus magisque moderatis sententiis . . . plurimum recessit,“ quod patet in primis ex suis cum Bartholomaeo de las Casas Indorum causam propugnante controversiis.

[1]) Cf. Werner, Suarez 1, 31: „Einer der ersten (Jesuiten), welcher nach den Gesetzen scholastischer Methodik schrieb“. Edidit quoque celebrem *catechismum* plures in linguas versum; Sommervogel IV, 1648—1651.

[2]) Cf. Gaudeau S. J. in diss. de eo, Paris 1891; Sommervogel VI, 547-554; Kaulen KL. VII². 1604.

28. Jam ad Hispanorum omnium celeberrimum accedamus, Didacum de Paiva de Andrada[1]), Conimbricensem, „Erat in illo, ita eum celebrat cl. Hieronymus Osorius[2]), summum ingenium, ardens studium, singularis industria, quibus muneribus naturae praestantis et virtutis eximiae locupletatus, cum se ad artes praeclaras inflammato animo contulisset, uberrimos fructus consecutus est: eloquentiae vero disciplinam egregie coluit: linguas, quas vidit esse ad clariorem sacrarum literarum intelligentiam necessarias, acri studio didicit. Hisque opibus instructus ad divina mysteria perscrutanda totam mentem applicuit.“ Vix tricesimum annum egressum destinavit Sebastianus rex ad concilium tridentinum, ad quod „et profundissimi theologi mentem, et linguam eloquentissimi oratoris attulit[3]).“ Memoria dignum est ejus dictum: „Dum Tridenti commorabar in concilio, saepe dicere solitus eram, etiamsi auctoritas conciliorum nullo Christi promisso confirmata et constituta fuisset, ego tamen ab ea ratione tam studiosa veritatis acquirendae coactus, eorum definitionibus facile consensissem[1]).“ Orationem habuit ad patres tridentinos, quam habes apud Le Plat I, 387—98. Scripsit dum Tridenti moraretur: *Orthodoxarum explicationum ll. X*, in quibus omnia fere de religione capita, quae his temporibus ab haereticis in controversiam vocantur, aperte et dilucide exponuntur, praesertim contra Martini Chemnitii petulantem audaciam, qui coloniensem censuram, quam a viris soc. Jesu compositam esse ait, una cum ejusdem societatis vitae ratione temere calumniandam suscepit, Venetiis 1564, quae editio est rarior et magis emendata altera, quae eodem a. prodiit Coloniae. In hoc opere ex ordine disserit 1. de societate Jesu; 2. de s. Scriptura; 3. de peccato; 4. de libero arbitrio; 5. de lege et evangelio; 6. de justificatione et fide; 7. de s. coena; 8. de sacramentis poenitentiae, confirmationis et extremae unctionis; 9. de cultu sanctorum et imaginum; 10. de coelibatu. „Opus vere theologicum, efficax, eruditum et modestum“ judice Michaele a s. Joseph[2]). Cum huic operi respondisset Chemnitius edito *examine conc. tridentini,* opposuit ei Andrada *Defensionem tridentinae fidei catholicae ll. V* comprehensam adversus haereticorum calumnias et praesertim Martini Chemnitii, Olisipone 1578, Coloniae 1580, Ingolstadii 1592 etc., quod opus validissimum concilii tridentini defensorium pacata dictione compositum nunc rarum et ab eruditis expetitum priori praefertur. In eo disputat Andrada 1. de conciliis generalibus; 2. de s. Scriptura et traditionibus; 3. de libris canonicis, qua occasione canonem s. Scripturae a concilio statutum strenue vin-

[1]) Ipso tamen notior est ejus frater Thomas de A. vulgo Thomas de Jesu dictus, O. S. Aug. qui Sebastianum regem in Africam secutus post ejus cladem in captivitatem incidit, in qua scripsit opus unctione plenum, veram solidamque devotionem spirans saepissime editum et in plures linguas versum: *Trabalhos de Jesus,* quod cum non posset absolvere perfecit Hieronymus Romanus ejusdem ordinis. In captivitate constitutus admodum solicitus fuit de salute concaptivorum, noluitque redimi, ne eos desereret. Obiit 17. Apr. 1582 poenitentiae rigore et animarum zelo consumptus. Cf. Keller KL. XI, 1671-73. — Utriusque frater Franciscus Joannis III. descripsit vitam. — Franciscus Rades de Andrada sacerdos religiosae militiae calatravensis vir industrius et optimae fidei et judicii scriptor reliquit *cronica* de la tres ordines y Cavallarias de Sant Jago, Calatrava y Alicantara, Toleti 1572 in f.

[2]) In praefatione II. orthod. explic. apposita.

[3]) Rosweydus in lege Talionis Cassaubono retaliata, tab. 1.

[1]) L. 1. Defens. fidei trid. de concil. gener. auctoritate.

[2]) Bibl. crit. 1, 224.

dicat; 4. de authentia vulgatae; 5. de peccato originali et de concupiscentia, quo in l. magna eruditione recenset varias circa b. Virginis conceptionem sententias scholasticorum. Refert autem Pallavicinus[1]) eruditos hos commentarios cum ingenio parem laudem a romanis theologis et ab ipso pontifice accepisse, cujus nomine singulares grates ei relatae sunt. Obiit a. 1578 (secundum alios 1. Dec. 1575) tantus vir, quem ipse Martinus Chemnitius „hominis docti sane et eloquentis, cujus in concilio tridentino non minima fuit auctoritas“ elogio celebrat[1]).

[1]) Hist. conc. trid. l. 16. c. 15. n. 7.

[1]) Ep. nunc p. 3. Ex. c. tr. Cf. Werner Gesch. der apol. Liter. etc. 4, 401 ss.; 442 ss. In Biogr. univ. 2, 118 legimus de Andrada: „A. était un homme d'esprit et d'une grande application; il a su éviter la secheresse scholastique par la vivacité et l'élégance de ses ouvrages. Ce qu'il a dit dans les deux premiers en faveur des sages du paganisme, aux quels il attribue la foi, qui fait vivre les justes et par consequent, le salut, a été souvent cité par les apologistes de Zwingli sur cet article. Leibnitz ne manque pas non plus de s'en prévaloir.“ Tribuitur ei praeter septem concionum tomos l. *de conciliorum auctoritate*, qui tamen non est nisi l. 1. operis *Defensio fidei*.

II. Disciplinae ad s. literas spectantes.

30. Huc pertinent[1]) primo quidam ex illis, quos supra jam nominavimus, ut Joannes Hessel (p. 36), Joan. Tillet (p. 13), Claudinus Espencaeus p. 17) et Georgius Wicelius (p. 21). His adde ex *Germanis*[1]) Guilelmum Hamer O. Praed. e Novesio (Neuss) archidioecesis coloniensis „virum sacris profanisque literis egregie institutum, graece, hebraice latineque doctissimum, qui graecos oratores et philosophos poetasque veteres ita familiares habuit, ut in numerato tenuisse videretur, ita dum scriberet, iis apposite utebatur. Stilus ei fuit omnino purus et comptus, non cothurnatus aut tumidus, sed nitidus,

[1]) De Ant. Brucioli († 1566) cf. t. II. p. 1382 a.; Jo. Leopolita Nicz († 1572), ib. p. 1350 a. — Laurentius de Villavicencio O. S. Aug. Hispanus Xereziensis, Philippo II. a concionibus († 1580), in Germaniam olim deveniens multum de romana Ecclesia meruit Lovaniique propter ingenii doctrinaeque praestantiam summo loco habitus est, atque in universitate s. Scripturae interpretem egit. Cf. Lanterius postrema sec. sex rel. aug. 2, 327, secundum quem a. 1581 adhuc floruit; Bibl. hisp. nova II, 10 s. Praeter alia (quae cf. ibidem) edidit: *De phrasibus s. Scripturae*, qui l. a Westhemero olim editus, ne erroribus auctoris sui mixta doctrina simplicibus verae Ecclesiae alumnis nocumento esset, a Laurentio nostro theologo probe catholico tutiori restitutus lectioni ac denuo Antwerpiae excusus fuit a. 1571: *de formando studio theologico ll. 4*, quibus adjecit: *De formandis sacris concionibus*, Antwerpiae 1565; Coloniae 1575. Dupin hoc opus vocat egregium (16, 164). Magna parte desumptum est ex simili opere Andreae Hyperii ex dominicano apostatae et professoris marburgensis: *De theologo* seu de ratione studii theologici ll. 4, a. 1556. Hos „multis nominibus utiles“ dicit Possevinus Bibl. sel. l. 2. e. 18. *Tabulae compendiosae* in evangelia et epistolas a Jo. Spangenberg editae, cura ipsius expurgatae ab erroribus, Lovanii 1563; ll. 3 *de oeconomia sacra circa pauperum curam* a Christo instituta, apostolis tradita et in universa Ecclesia inde ad nostra usque tempora perpetua religione observata cum quarundam propositionum, quae huic sacrae oeconomiae adversantur, confutatione, Antverpiae 1564. Cf. Gachard Correspendance de Philipp II. T. 2; Journez Fr. Lorenzo in Travaux du Cours pratique d'hist. de l'Univ. de Gand II.

[1]) Conradus ex Heresbach (n. 2. Aug. 1496; † 14. Oct. 1576) laicus *Psalmos* brevibus sed eruditis scholiis illustravit Basileae 1578. Haec tamen explicatio quondam erat in 1. cl. Ind. trident. Cf. Hartzheim Bibl. col. pag. 63.

elegans atque facundus[1]).« Reliquit (raras) *Commentationes in Genesim*, Dilingae 1564 in f., »doctas, utiles et lectu jucundas, plurimis clarissimorum hebraeae, graecae et latinae linguae auctorum sacrorum et profanorum sententiis adeo ornatas, ut ab aequo candidoque lectore non sine magno fructu et utilitate legi possint« ut in op. inscriptione legimus. Rarius tamen novatorum impugnat errores. Obiisse videtur parum post a. 1564. — Gerardus Mathisius (Matthys) Geldriensis, canonicus coloniensis, regens gymnasii montani, epistolas s. Pauli pro cathedra exponebat et rectoris magnifici munere fungebatur 1562—64. Prodiit commentarius ejus in epistolam s. Pauli *ad Romanos*[2]), Coloniae 1562 († 11. Apr. 1574).

31. *Belgae* sunt[3]): Joannes Hentenius O. Praed., patria Nechliniensis, quod oppidulum est leodiensis dioecesis, vir in theologicis graecarumque ac hebraicarum cognitione linguarum eximius, regens generalis et definitor provincialis († 13. Oct. 1566). Praeter veterum (Euthymii Zigabeni, Aretae et Oecumenii) *commentaria* in libros N. T. et Remigii antissiod. *in XI posteriores prophetas minores*, Antverpiae 1545 edidit: ***Biblia latina ad vetustissima exemplaria recens castigata***, Lovanii 1547, ad quam editionem praeter exemplaria excusa usus est plus minus viginti exemplaribus Mss., quorum recentissimum ante 200 annos, alia ante 300, 400, imo et 600 vel plures etiam annos scripta erant[1]). Ea non minimae fuit utilitatis et auctoritatis in corrigenda Vulgata[2]). Non parvo cum plausu excepta et saepius repetita est Hentenii editio, quae Lovaniensis dici solet, siquidem ex jussu, instructione ac judicio gravissimorum hujus academiae theologorum concinnata fuit. — Andreas Masius (Maes). criticus est et exegeta vel penes protestantes celeber. Natus est in oppido Lennik (Linnich) prope Bruxellam 30. Nov. 1515, factusque Primus et magister artium (1533) brevi addidicit linguas non solum orientales sed et europaeas. Post itinera in Germaniam et Italiam, quorum occasione usum consuetudinemque iniit cum viris doctissimis, ut card. Sirleto et Commendone, Morone et Cervino, cum Ant. Augustino et Latinio etc., et postquam varias principum legationes et negotia etiam apud sedem apostolicam obierat, in opidum Zevennaar ducatus tunc cliviensis secessit (1558), renunciatisque beneficiis ecclesiasticis, quibus liberaliter auctus fuerat, contractoque matrimonio studiis in primis biblicis totus vacavit († 7. Apr. 1573). Immortali memoria dignum dicit eum Polus[3]), »cui parem ingenio, judicio, rerum ac linguarum peritia, candore et modestia haud facile reperies,« quod alii eruditi

---

[1]) Echard, Scriptores O. Praed. II, 186; N. Paulus hist.-pol. Bl. CVIII (1891), 429—438; et Die Deutschen Dominikaner p. 181—186.

[2]) Alia ejusdem scripta (philosophica) cf. in Biblioth. colon. pag. 99, inter quae sunt *commentaria* in Thomae Aq. l. de natura et essentia rerum cum paraphrasi, Coloniae 1566 in 4.

[3]) His adde Matthaeum Galenum, de quo infra p. 70 a.

[1]) Ut testatur in praefat. Calmet de ea ita habet in Bibl. sacra: „Haec sub doctorum lovaniensium nomine biblia tam crebro praelo commissa celebrantur. Editio a. 1547 (secundum R. Simonem a. 1573) optima et accuratissima censetur. Franciscus Lucas Brugensis, Joannes Molanus, Augustinus Hunnaeus, Cornelius Reinerius Gandaenus et Joannes Harlem in hanc editionem non leve studium conferentes plures variantes lectiones addiderunt. Editio Antwerpiae plantiniana 1583 cum annotationibus Lucae Brugensis magni etiam reputatur.« Cf. Richard Simon Histoire critique du N. T. c. 11; Le Long, Biblioth. s. c. 4. s. 3. p. 261 ss.

[2]) Cf. Ungarelli, historia vulgatae bibliorum editionis § 17.

[3]) Praef. vol. 1. synops. critic.

cum Richard Simon[1]) repetunt. Potiora ejusdem opera sunt: *Josue imperatoris historia* illustrata atque explicata, Antverpiae 1574. Exponit mysteria et genuinum sensum Scripturae, critico sapore disserit atque refutat fabellas veterum Hebraeorum aeque ac Thalmudistarum; geographus peritus describit urbes et loca omnia, de quibus in sacris Scripturis[2]). Prodiit aucta annotationibus optimis in c. 17—28 Deuteronomii, in ipsum h. l., in cc. 2—4 Jeremiae etc., in aliquot loca evangelistarum ex ejusdem mscr., in criticis sacris 1698, et in suppl. ad eosdem, Francoforti 1701. Dolendum tamen naevos in opere tam praestanti reperiri, propter quos donec corrigeretur quondam (nunc non amplius) in indice fuit positum. Correctum illud recepit Migne in cursum completum s. Scripturae. Targum in aliquot ll. V. T. pro editione bibliae polyglottae Ariae Montani curavit, et inseruit ejusdem apparatui grammaticam et lexicon syriacum (1571, 1572). Disputatio quoque *de coena Domini,* Antverpiae 1575, opposita Calvinistarum impiis corruptelis ei tribui solet, sed juxta Lossen ea non est genuina. Plura vertit opera syriaca[1]), inter quae est et quaedam liturgia, de qua scribit Renaudot[2]): „Eodem prope tempore Andreas Masius vir syriace doctissimus ediderat cujusdam liturgiae syriacae Basilio adscriptae latinam versionem, cui praefationem addidit, in qua de illa sua et graeca ejusdem nominis conjecturas inseruit, quae multis fraudi fuerunt, ut alibi explicavimus[3]), neque enim de syriacis

[1]) Histoire critique du V. T. l. 1. ch. 5; l. 3. ch. 15. „Masius semblait avoir été élevé dans l'ancienne Rome ou dans l'ancienne Jérusalem". Ita Sebastian Michelet ap. Feller V, 600.

[2]) Ita Calmet in bibl. s. simulque addens, adnotationes ejus viri et commentarium opera esse dignissima, quae nunquam cessantibus impressionibus perpetuentur, judice Simeone de Muis. Quae repetit Andres Dell'origine, progresso e statto attuale d'ogni Letteratura p. 6. l. 2. c. 3. „Er gilt als ein Meisterwerk biblischer Kritik, wie historischer und sprachlicher Erudition". Ita Dux, Kirchenlex. VIII², 960. Cornelius a Lapide in Jos.: „Nostro seculo docte ac pie scripsit A. Masius, consiliarius ducis Cliviae et linguarum apprime peritus; sed hoc habet, quod subinde vulgarem interpretem carpat, licet fere in rebus minutis. Habet etiam nonnulla minus sana vel sane sonantia, ut de cruce non adoranda et de imaginibus in altari non collocandis, quae caute legenda et intelligenda sunt. Notavit ea D. Joan. Molanus in limine operis posteriori editione. Masius excellit in Geographia et locis singulis terrae sanctae graphice describendis." Leo Castro l. 4. Apolog. pro vulgata transl. et septuag. et Possevinus biblioth. sel. l. 2. c. 8. illud in eo carpunt, quod patribus praetermissis vel rejectis rabbinos nimium sectetur, ac nonnulla scripserit, quae minus orthodoxa videntur. Cf. de Masio T. J. Lamy in Biogr. nat. de Belg. XIII, 120—125; Lossen Allg. d. Biogr. XX, 559—562.

[1]) Habentur ea in biblioth. PP. edit. de la Bigne et in edit. 2. criticorum sacr. t. II. p. 2, inter quae est et commentarius *de Paradiso,* auctore Mose Barcepha, († 903), qui prodiit etiam Antverpiae 1569; Migne P. G. CIX.

[2]) Praefat. liturg. orient.

[3]) Respicere hic videtur ad ea, quae legimus Perpét. de la foi t. 4. c. 5. Cum enim Rivetus liturgiarum genuinitatem impugnans ad quandam Masii opinionem provocasset, haec advertit Renaudotius: „Masius était bon catholique et il a rendu des services considérables au public par ses trauvaux sur l'Ecriture sainte et sur la langue syriaque, mais il n'était point théologien et le peu qu'il a dit en quelques ouvrages touchant les chrétiens de Syrie, fait voir, qu'il ne les connaissait guère. Son maître en langue syriaque, qu'il cite souvent comme un oracle, était Nestorien, et il ne s'en est jamais aperçu; le traité de Moïse Barcepha est l'ouvrage d'un jacobite, qu'il a pris pour un orthodoxe, et pour la matière liturgique il ne l'entendait point. La Liturgie, qu'il a traduite et qu'il a publiée ne se trouve point sous le nom de s. Basile dans les meilleurs manuscrits; et ainsi la comparaison qu'il en fait avec la grecque et les différences qu'il y remarque ne prouvent rien . . . On ne peut néanmoins l'excuser de témérité dans ce qu'il a écrit sur ce sujet, et son auto-

liturgiis judicare recte poterat, qui unicam illam viderat.« *Epistolas* ipsius et ad ipsum edidit Max Lossen Lipsiae 1886.

32. Alter, quo merito Belgae gloriantur, est Cornelius Jansenius (Jansens), etiam senior dictus, Hulstae in Flandria natus 1510, s. Scripturae interpres in canonia O. Praem. Tongerloo (1534—42), dein Corteriaci parochus (1542—1560), canonicus et theologiae professor lovaniensis, nec non et praeses collegii s. Spiritus, ab universitate cum Mich. Bajo et Joan. Hessels Tridentum missus, ut ultimis interesset concilii sessionibus. A Philippo II. primus designatus est episcopus gandavensis (1564), sed nonnisi post quadriennium ob varias difficultates a Pio V. confirmatus. Magna solicitudine rexit suam ecclesiam, hinc et seminarium condidit, synodum quoque dioecesanam celebravit († 11. Apr. 1576). Edidit[1]): *Concordia evangelica*[2]), (1549), quam auxit adjecto *commentario in concordiam et totam historiam evangelicam*, Lovanii 1571, 1577 in f., quod opus omnium praecipuum saepius variis in locis fuit excusum. *Epitomen* elaboravit Matthaeus a Castro Flander, canon. reg. s. Aug. abbas falempiensis († 1597), Antverpiae 1593; Lugduni 1595; 1684. In hoc opere, inquit Cornely Introd. gen. n. 253², Cornelius »non literalem tantum sensum, quem auctor Spiritus s. in primis propositum habuit, sed mysticum quoque non indiligenter tractatum invenies, eumque non commentitium, coactum aut procul accersitum, sed a patribus ipsis acceptum et primariae sententiae fundamento pulchre innixum ac exaedificatum.« *Commentarius in Proverbia* Salamonis, ib. 1567 etc.; *commentarium in Ecclesiasticum,* Antverpiae 1569; *Paraphrasis et annotationes* (plane egregiae) in omnes psalmos, 1568, qui commentarius admodum commendatur. Sequitur textum Vulgatae, consulit tamen et textum originalem, necnon et versionem graecam; exponit sensum literalem, propheticum et historicum. *Annotationes* in l. Sapientia prodierunt post ejus mortem, 1577. Prodierunt hi commentarii conjunctim Lugduni 1578. 1580 in f., aucti notis in *Cantica canticorum,* ib. 1586; 1592 etc. Certo soliditate interpretandi excellit ideoque etiam commendandus, quod sensus literalis debitam accuratamque habet rationem. Quare viri eruditi magno consensu opera ejus encomiis prosequuntur. Ita Cornelius a Lapide[1]), Calmet[2]), Richard Simon[3]), Dupin[4]), Bona[5]), Bellarminus, Baronius[6]), Fel-

rité n'est pas telle, que les catholiques doivent s'y rendre, d'autant moins qu'il se trompait sur ce qu'il établissait touchant la simplicité des rites syriens, faute de les connaître.

[1]) Reliquit etiam: *Tractatus contra haereses et mores Pelagii; tractatus X de Ecclesia* etc.

[2]) Hujus compendium edidit Gaspar Serrano lusitanus, Coloniae 1590.

[1]) Praefat. in Ev. s. Matth.

[2]) In bibl. sacra.

[3]) Hist. crit. du N. T. ch. 41. „Il est, inquit inter alia, non seulement théologien, mais aussi grammairien et critique ... En un mot ce savant et judicieux Évêque a tâché de se rendre utile à tout le monde et de ne rien omettre de ce qui pouvait contribuer à un si louable dessein.“ Laudat quoque ejus modestiam et soliditatem in refellendis protestantium erroribus.

[4]) „Jansenius de Gand, scribit Dupin, Biblioth. etc. 16, 117, est un des Auteurs du seizième siècle, qui a travaillé le plus utilement sur l'Ecriture-sainte.“ Postquam vero ejus in Psalmos laudavit commentarium, de ejus in concordiam commentario ita statuit: „Enfin l'on peut dire, que c'est un des meilleurs commentaires que nous ayons sur l'Histoire évangélique et celui qui contient le plus de choses utiles. Aussi cet Auteur a-t-il été loué et estimé par tous ceux qui ont parlé de lui comme un commentateur savant, exact, clair et judicieux.“

[5]) In notitia auctorum.

[6]) In annal. ad an. 31.

ler[1]), Reusch[2]) etc. Omnium nomine audiatur Possevinus, qui de eo scribit[3]): „Cornelius Jansenius in omnibus, quae scripsit, praesertim in concordiam evangelicam et in Proverbia, ut etiam in reliqua, se magno valentem judicio uti et eruditum ostendit, id quod testati sunt, qui illius harmoniae subscripsere dicentes: Commentarios ejus in concordiam evangelicam tum pietate ac maturo judicio, tum eruditione scriptos ejus propria manu futuros utilissimos. Verum enim vero negandum non est (ut omnes non omnia possumus), quaedam in hoc opere a viris doctis non probari .... Desiderantur in Jansenio citationes patrum, e quibus multa apposite deprompsit.... In ea, quae disseruerat in *6. Joannis Ev. caput,* non defuit, qui librum scripsit, Didacus Castillus[4]), quem librum novissime edidit Romae (1593), hoc titulo: *Disputatio in c. 6. s. Joannis* de vera et reali manducatione eucharistiae adversus C. Jansenium et alios, qui ad spiritualem per fidem in Christum referunt.“

33 Joannes Mahusius (van Mahieu) O. Min. Aldernadensis (Audenarde, Oudenaarde) theologiae lector, nomine Mariae Belgii gubernatricis interfuit concilio tridentino cum aliis septem theologis et a Pio IV. dictus est episcopus Daventriae (1561), cujus tamen ecclesiae regimen nunquam adire potuit. In odium fidei a Geusis vulneribus confossus et pro mortuo relictus est 4. Oct. 1572; videtur † 10. Maj. 1577. Reliquit[1]): *Epitome annotationum* (ex V. ed.) Erasmi in N. T., Antverpiae 1538, prohibita donec corrigatur; Fr. Titelmanni († 1553) *commentarius in Psalmos* in compendium redactus, 1553; s. Bonaventurae *in Lucam enarratio*, ib. 1539; d. Jo. Chrysostomi aureum commentariorum in Ev. Matthaei opus, hactenus inscriptum *Opus imperfectum* ab Arianorum faecibus purgatum et recens ad vetusti exemplaris fidem recognitum, ib. 1537. — Andreas Croquet O. S. Bened. Duacenus († 1580) tum *commentarium in epistolam ad Romanos,* Duaci 1577 in 8., tum *enarrationem* reliquit *epistolae ad Hebraeos* a syro sermone in latinum conversae[2]), ib. 1578. — Eodem anno decessit Joannes Cartenius (Carthenius, Cartigny) O. Carm. Valencenas, theologiae doctor et trium linguarum peritus († 6. Oct.

[1]) Biogr. univ. IV, 575.
[2]) Allgem. deutsche Biogr. 13, 704.
[3]) Bibl. sel. l. 2. c. 18. Porro c. 15. dixerat se in eam venisse sententiam: „Si quis eo ingenio ac pietate valuit, ut disciplinis instructus divinas literas potuerit paraphrastice interpretari, simul item (at separatim) commentaria iisdem adjicere, fore ut ejusmodi vir omne in interpretando ferat punctum. Quod sane in plerisque libris sacris praestitit eximie Jansenius.“
[4]) Hic Salmanticae natus, in palentina ecclesia prior et canonicus scripsit praeterea *Defensa de la venida* y predicacion evangelica de Sant-Jago en España, Caesaraugustae 1608 in 4, quod opus prius latine conscriptum Clementi VIII. obtulerat.

[1]) Cf. Reusch in Allgem. d. Biographie XX, 99; Em. Van Arembergh Biogr. nat. de Belg. XIII, 156—58.
[2]) Hic tamen commentarius adscribitur etiam a Le Long Matthaeo Galeno (van Galen, Galien) Westcapellio, Zeelando n. 1528, qui Lindani in cathedra theologica successor academiam dilinganam vere illustravit. Obiit cancellarius academiae duacenae et praepositus s. Amati a. 1573. Celeber Stapleton orationem funebrem in ejus laudem dixit (inter ipsius op. II, 486—492). Praeter alia edidit commentarium *de christiano et catholico sacerdote,* Dilingae 1563; *origines monasticas,* ib. 1563; *de missae sacrificio,* Antverpiae 1574. Ejus *catecheses* per quinquennium coram auditorio selecto habitae (219) prodierunt cura A. Croquetii post ejus mortem Duaci 1574; sub alio titulo Lugduni 1600. Eae constituunt Summam theologiae theoreticae et practicae. Recudit *Alcuini rhetoricam,* ib. 1569. Cf. accuratum elogium auctore Bouquillon in Revue des Sciences eccl. XL (1879), 232—256.

1578), qui pariter quasdam Pauli ap. epistolas est commentatus, Antwerpiae 1558. — Joachimus Hopper (Hooper † 1576) Frisius, Snecanus, juris doctor et professor lovaniensis, vir in Belgio ob singularem prudentiam clarissimus, mechliniensis senator et Dalemii toparcha, propter alia opera notior[1]) edidit *paraphrasin in Psalmos davidicos*, additis brevibus argumentis et explanationibus cum libello de usu Psalmorum, Antwerpiae 1590 in 8; Duaci 1609. — Repetitae ediditones librorum Laevini Lemnii (Lieven Lemmens), Zelandi, Siricaei, doctoris medicinae et postmodum canonici in urbe patria (n. 1505, † 1568), ostendunt, illos suo tempore fuisse in pretio. Huc spectant praeter alios[2]): *Explicatio parabolarum desumptarum ex herbis*, quae in s. literis exstant, Antwerpiae 1565; Francofurti 1591, 1596; *de plantis et arboribus, quae in s. bibliis occurrunt*, Antwerpiae 1568: Erfurti 1584; Lugduni 1588; 1595; Francofurti 1596; 1626; gallice Parisiis 1577; anglice per Thomam Newton Oxonii 1587[3]). — Petrus de Monte (Bergen) qui cum esset rector academiae lovaniensis atque professor, dignitatibus academicis renunciavit et religiosam s. Francisci vestem induit. Lectorem et coenobii lovaniensis guardianum egit: Calvinismo Belgium invadenti strenue obstitit, et ut lumen eruditionis et pietatis fulsit († 1579). Ex veterum commentariis concinnavit *Enarrationem dominicae passionis* secundum quatuor evangelistas, Antverpiae 1555; commentaria in *septem psalmos poenitentiales*, ib. 1569.

34. Minoris auctoritatis sunt qui in *Gallia* studio s. Scripturae incubuerunt, ut Joannes Benedictus (Benoit) Normannus[1]), Vernoliensis, doctor et magistri sententiarum interpres publicus, qui obiit 89 annos natus 1573. Edidit: *Biblia s.* juxta Vulgatae ed ... restituta cum indicibus et scholiis ad marginem et annorum a mundo creato ad Christum n., Parisiis 1541; 1558; 1552 ed. 2. (m. 66); *N. Testamentum* haud poenitendis ss. doctorum scholiis non inutiliter illustratum jamque de integro auctum et recognitum, ib. 1551 in 16; 1563; *concordantia utriusque T.* juxta tropos et phrases, in 1543 etc. *Emendationes scholiorum Joan. Gagnaei* († 1549) in 4 Evangelia et actus apostolorum, Parisiis 1552. — Fr. Fremin (Firminus) Capitis O. Min. doctor parisiensis, cujus supersunt de ss. *eucharistiae sacramento* hom., Romae 1567; *commentaria* (seu homiliae) *in Genesim*, Parisiis 1567; homiliae (27) *in Exodum* (c. 1—12); *de immaculata conceptione V. M.*, ib. 1579. — Simon de Corroy († 1569) Bellovacensis ord. Coelestinorum, cujus sunt: *Pandectae novae Legis* h. e. ordinata omnium, quae in 4 evangelistis sparsa sunt, continua narrationis serie complexio servato temporum rerumque gestarum ordine proinde unum ex 4, Lugduni 1547; Parisiis 1551; Antwerpiae 1555; 1591. — Joannes Boulaise[2]) presbyter

---

[1]) Zedler Universallexicon XIII, 810.

[2]) Cf. Feller V, 216.

[3]) Cf. Le Long, Biblioth. sacra. Ceterum plures qui de eo scripserunt cf. ap. Saxium, Onomasticon literarium ad a. 1550 et in analectis ad t. 3. p. 638.

[1]) Ab hoc distingue Joannem Benoit (Benedictus) O. Praed. Ebroicensem. doctorem sorbonicum, qui a Guisio cardinali annuente pontifice datus est praepositus generalis et abbas ordini Vallis Scholarium, ut eum reformaret. Morti proximus rediit ad sodales († 1563 vel 1565). Reliquit *Introductiones dialecticas*, Parisiis 1538; 1577. Cf. Echard II, 190.

[2]) His addi possent Antonius Fume dominus de Blandé, regi a consiliis, propter historiam gallice editam (Parisiis 1574) ab orbe condito complectentem varias interpretationes in priora cc. Genesis — Joannes Borrel (vel Buteo, Bautel, Boteon) O. S. Ant. Gallus, Delphinas, qui se totum tradidit mathesi, et cujus magni fit dissertatio docta et accurata: *De arca Noe cujus formae capacitatisque fuerit*, quae inter criticos sacros prodiit († 1572, sec.

melitensis dioecesis carnotensis, linguae hebraicae professor regius parisiensis, praeter alia reliquit: *Ad mysticos s. Scripturae sensus varia dictionum significatio* cum demonstratione 70 hebdomadarum Danielis, Parisiis 1575 in 8. — Joannes Arboreus (Alabri, de l'Arbre) Laudunensis, doctor sorbonicus (1536), praeter opera phiolosophica et commentaria in Aristotelem auctor est horum operum[1]): *Theosophia* complectens expositionem locorum difficiliorum V. ac N. T., Parisiis 1540 t. 2 in f. 1553; commentarius *in Proverbia Salomonis*, Parisiis 1549 in f.; *in Ecclesiasten et Canticum cant.*, ib. 1531; 1537; 1553; *in IV evangelistas*, Parisiis 1529; 1551; explanatio *in omnes ep. Pauli* edita in Theosophiae t. III., Parisiis 1553 in f. Obiisse videtur c. 1569.

35. Ex *Hispanis* plures adducere licet, quamvis et ipsi non tanta nominis gaudeant celebritate. Cosmas Damianus Hortulanus, vulgo Hortola can. reg. s. Aug., Perpinianensis, qui juvenis 21 a. jam adhibitus fuit socius laboris in edendis bibliis polyglottis complutensibus. Barcinone metaphysicorum Aristotelis libros, dein s. Thomae conclusiones, denique s. Scripturae volumina publice est interpretatus et ad synodum tridentinam sub Pio IV. ab Hispaniarum rege destinatus († 1566). Annos 13 rector erat academiae barcinonensis, dictus a Philippo II. abbas Villae Bertandi OSA. Ejus est: *In Canticum canticorum dilucidissima explanatio* in Isagogen, paraphrasin et 5 posteriores plenioris interpretationis ll. distributa; item Isagoge totius s. Scripturae ordinem et rationem complectens, Barcinone 1583; Venetiis 1585 in 4. De quo opere ita statuit Andreas Schottus in bibl. hisp.: »Hebraeorum sanctorumque patrum omnia (sunt) tincta disciplinis, quibus nihil in eo genere scriptum vidi accuratius, cum a veteribus graecis, Origene, Nysseno, Olympiodoro discesseris, quod nihil non ex divinarum literarum myrothecio hauserit et cum d. Joannis Apocalypsi diligenter compararit.« Quam in laudem alii concinunt.« — Gaspar Grazar commentatus est Michaeam prophetam, Salmanticae 1570. — Eodem a. Barcinone Hieronymus Lorete (Lauretus) O. S. Bened. Castellanus, cervariensis abbas s. Felicis guixolensis in lucem emisit fructum laboris 30 annorum *Silvam allegoriarum totius s. Scripturae mysticos ejus sensus et magna ex parte literales complectentem;* quae iterum prodiit Venetiis 1575; 1587 v. 2 in 4; Parisiis 1584; Coloniae Agrippinae 1701, quo opere conatus est amplecti omnia, in quibus aliquid allegoriae scriptores alcujus notae invenerant.[1]) — Martinus Martinez Cantapretensis scripsit: *Hypotyposeon theologicarum sive regularum ad divinas scripturas intelligendas* ll. X, Salmanticae 1565 in f. »Ac sane liber, inquit Possevinus[2]), est eruditus, sed legendus ille, qui a. hujus seculi 82. Salmanticae excusus est, prior enim editio in indice est librorum prohibitorum, haec vero expurgata cura theologorum inquisitionis hispanae.« In

alios 1564). — Ambrosius Miletius O. Min. theologus parisiensis, qui ut populum trecensem a calviniana haeresi vindicaret insudavit in explicandis ex suggesto difficilioribus s. Scripturae locis, quibus Calvinistae abutebantur. Hinc reliquit commentaria in Evangelium s. Matthaei et in ep. s. Pauli (fl. 1575).

[1]) On peut tirer beaucoup de profit des oeuvres de cet habile théologien, sage et modéré dans ses sentiments, net et précis dans ses expressions. Ita Rigault in Diction. de la Bible ed. Vigouroux Paris 1895. I, 888. Rich. Simon Hist. crit. des principaux Comment. c. 40 notat eum theologum magis egisse, quam criticum vel exegetam. Cf. Feret II, 75 s.

[1]) Cf. Ziegelbauer, Historiae rei liter. ord. S. Bened. p. 2. c. 1. s. 5.

[2]) Bibl. sel. l. 2 c. 15, 18.

duobus posterioribus libris ex patribus centum tradit regulas pro explicandis s. literis, „quas hortor in Domino, ait idem Possevinus, ut Scripturarum studiosi perlegant atque aliquem in ordinem pro suorum studiorum ratione redigant.“ — Francisci de Avila est opus: *Figurae Bibliorum V. T. quibus Novi veritas praedicatur et adumbratur,* Antiquariae 1574. — Petrus Serrano ex Bujalance ditionis ecclesiasticae cordubensis oppido, ecclesiae cauriensis episcopus († 22. Sept. 1578), edidit *commentaria in Apocalypsim,* Compluti 1563: *in Leviticum,* Antwerpiae 1572, et hisce juncta *in Ezechielem prophetam* 1609. — Joannes Soares (Suarez) O. S. Aug. Lusitanus, Lusitaniae regi Joanni III. a sacris confessionibus et concionibus, Joannisque principis praeceptor, episcopus (1545) conimbricensis († 26. Nov. 1572), „vir erat inquit Ossinger[1]), eximiae integritatis, summae prudentiae ac pietatis, theologus prudentissimus et excellentissimus.“ Aequales habuit duos alios celebres sacros oratores, Bartholomaeum a Martyribus († 1590) et Casparem Casalium (1585), quibuscum interfuit concilio tridentino: hi vero hisce vulgo distinguebantur notis, quod Bartholomaeus multa paucis, Suarez pauca multis, Casalius vero multa diceret multis[2]). Edidit noster *Commentaria in Evangelium D. N. J. Chr. secundum Matthaeum,* Conimbricae 1562; *s. Lucae,* ib. 1574... locupletiora Parisiis 1604. Homiliae *in Evangelium d. Marci,* Venetiis 1565; Conimbricae 1566; omnia tria opera Parisiis 1578. Reliquit et aliquot opuscula practica pro populo lingua patria. — Ejus sodalis pariterque lusitanus Sebastianus Toscano, Carolo V. et Joanni III. a concionibus († 1580), *Jonam* prophetam illustravit, Venetiis 1573; et *theologiam mysticam* edidit Olisipone 1568; Venetiis 1573.

1) In biblioth. august.
2) Cf. Biblioth. hisp. nov. I, 783.

36. Eodem a. 1580 obiit qui ceteros nominis celebritate vincit[1]), Hieronymus Osorius Olisipone ex illustri familia editus. Studiis operam dedit partim Salmanticae, partim Parisiis et Bononiae, ubi sacras literas et clavem earum hebraicum idioma hausit. Inde in Lusitaniam reversus Conimbricae in schola Isaiae librum Paulique ad Romanos epistolam magno cum ejusdem universitatis plausu explicuit et postmodum ad episcopatum silvensem est evectus. „Plane in hoc viro, inquit Nicol. Antonius aliis concinentibus, quidquid praestantis et eximii natura concedere studiaque literarum conferre solent, cumulatum merito dixeris. Nam praeter innocentissimos mores ductamque ad unguem pontificiae vitae formam sic in eo resplenduit sapientia eloquentiae conjuncta, ut nescias quid in ejus doctissimis et elegantissimis lucubrationibus, solidissimaene ac vere christianae philosophiae documenta et illustres undique cogitationes, quibus Platonem, an excellentia latinae locutionis, qua Tullium Ciceronem ad Ecclesiae castra deducere voluisse videtur celebritate majori et laude dignum sit... idcircoque Ciceronis lusitani jure ac merito appellationem promeruit.“ Inter coenandum ex operibus s. Bernardi praelegebatur, coena finita de iis, quae fuerant praelecta, collatio instituebatur. Ejus ex fratre nepos, Hieronymus Osorius alter[2])vitam ipsius laudesque conscripsit, atque opera quatuor voluminibus comprehensa edidit Romae 1592, quae editio est rara. Praeter, ea quae ad rem

1) Non tamen propter ejus in s. literas merita, sed propter eloquens solidumque dicendi scribendique genus. Cf. infra verba Nic. Antonii.
2) Hic etiam quaedam edidit, ut *Notationes in paraphrasin Psalmorum,* in t. 3. operum patrui; *paraphrasin et commen-*

nostram minus faciunt[1]), prodierunt: *De justitia coelesti ll. X,* Coloniae 1574 adversus Lutherum et Calvinum. In Gualterum Haddonum Elisabethae reginae magistrum libellorum supplicum *de vera religione ll. III,* Olisipone 1567; Dilingae 1569; cum Christophori Longolii († 1522) non dissimilis argumenti oratione 1576 etc.; *in epistolam b. Pauli ad Romanos ll. IV; paraphrasis in Job, Psalmos, Salomonis Sapientiam, Isaiam; commentaria in Parabolas Salomonis, in Oseam, in Zachariam proph.,* de quibus scribit Calmet[2]): „In suis commentariis et paraphrasibus neglecta expositione vocum sacri textus totus est in indagando sensu et connexione.“ — His denique addendus Didacus de Estella (vel Stella) O. S. Franc., secundum alios lusitanus, hispanus secundum alios. Scripsit praeter ascetica *de contemptu mundi* Caesaraugustae 1572 etc.; *de amore Dei* Salmanticae 1582 etc. (utrumque lingua hispana), quae s. Franciscus Salesius magni fecit et quae iterum prodierunt in *Collecion* de los majores autores espanoles t. XLIV., Parisiis 1847, *in Evangelium Lucae* vastos *commentarios,* ut ait Schottus, „stilo tamen tenui et vulgari, in quo sensu literali acute invento, morales quoque sensus infinitos eruit et locupletat,“ Salmanticae 1575; Compluti 1578 vol. 2 in f.; Antverpiae 1584. Editiones ante a. 1581. index romanus quondam prohibuit, et „hispani theologi, ait Lucas Waddingus, multa in eo opere, quae nimium pietatis studium vel concionatorius exaggerandi modus extorsit, expungenda censuerunt;“ quibus correctis saepissime prodiit ut Antwerpiae 1583; 1622. Spatio unius seculi 15 editiones recenset Le Long[1]). Subjicitur subinde ejus l. *de modo concionandi* sive Rhetorica ecclesiastica, Salmanticae 1576; 1596; 1584.

37. Ex *Anglis* edidit Alanus Copus Londinensis, qui fidei causa Romam secessit factusque doctor theologiae et juris canonici decessit canonicus ad s. Petrum Lovanii 1568, *Syntaxin historiae evangelicae,* in qua res D. N. J. Chr., quo ordine *gestae fuerant, ipsis quatuor evangelistarum verbis* partite et distincte collocatis narrantur, Lovanii 1572; Duaci 1603 in 4.

38. Reliqui sunt *Itali*[2]), e quibus duo eminent, Jacob Nacchiante (Na-

tarium in Ecclesiasten et cantica canticorum, Lugduni 1611. etc. „Son neveu, inquit Du Pin, Bibl. nouv. 16, 122, n'écrit pas si bien que lui, quoiqu'il ait imité son style, mais il parait avoir eu plus d'érudition. Ses Notes sur la Paraphrase des Pseaumes sont bonnes et pleines de remarques critiques sur l'Hébreu.“ Ipse decessit 6. Febr. 1611.

[1]) Cf. ea in Bibl. hisp. n.; Le Long Biblioth. sacra. Cf. de ejus doctrina Werner Fr. Suarez 1, 245. 293; Geschichte des Thomismus p. 328.

[2]) Biblioth. nouv. XVI, 122.

[1]) Cf. Bibl. hisp. nov. 1, 282, ubi alia ejusdem auctoris opera (ascetica) recensentur. Cf. etiam Reusch der Index 1, 571.

[2]) Praetermittimus Raphaelem Castrucium O. S. Bened. Florentinum († 1574) auctorem *harmoniae V. et N. T.,* quam Venetiis prodiisse testatur Possevinus 1570, quique edidit *Di vari sermoni di s. Agostino* ed altri cattolici et antichi dottori utili alla intelligenza spirituale della s. Scritura, Florentiae 1572 in 4. — Nicolaum Mongeorgium, juris utriusque doctorem, auctorem l. *Codex de mosaico et veteri jure enucleando* Bononiae 1574 in 4. — Gregorium Primatitium (Primaticci) O. Praed. Etruscum († 1578 a. aetatis 80.), qui pro incipientibus et minus peritis edidit *Expositionem literalem omnium epistolarum d. Pauli,* Venetiis 1564 in 4. — Aloysius (Ludovicus) Vulcanus terram sanctam 1557 lustravit: hinc enata est *Vera e nuova descritione* di tutta la Terra Santa e peregrinaggio dal sacro monte Sinai compilata da verissimi autori, Neapoli 1563; 1656. — Contra P. Garcia Mirandulam impugnantem conclusiones cabbalisticas scripsit Archangelus de Burgonovo O. Min. apologiam *pro defensione doctrinae Cabbalae,* Bononiae 1564 in 12. — Raphael Maphaeus Venetus dicitur in ordine Serv. b. M. V.

clantus) et Sixtus Senensis, uterque ordinis praedicatorum, uterque anno eodem (1569) defunctus. Ille Etruscus, Florentinus patria, Bononiae studiis operam dedit, ubi Michaelem Ghislerium, postea pontificem maximum Pium V. consodalem habuit. Exinde Romam vocatus confratres suos philosophicas et theologicas docuit disciplinas: quo munere dum Romae in collegio s. Thomae ad Minervam fungeretur, in collationibus, quae inter eruditos ad mensam Pauli III. assidentis habebantur, ita claruit, ut praeclaris illius dotibus perspectis summus pontifex illum ecclesiae Cluginae sive Fossae Clodiae (Chioggia) praefecerit antistitem 3. Jun. 1544. Interfuit concilio tridentino, ubi graviter invectus est in verba decreti, quibus statuitur traditiones *aequali* pietatis et reverentiae affectu esse recipiendas ac Scripturas. Hinc ejus orthodoxia in dubium vocabatur, nec ante quam se reverenter consensurum obtulerit decreto, quod tanti coetus auctoritas comprobasset, veniam obtinuit[1]). Etiam postea suspiciones graves in rebus religionis de hoc episcopo supervenerunt. „Sed fas est credere, scribit Pallavicino, insontem fuisse compertum, propterea quod post aliquot annos synodo sub Pio IV. restituta non modo ille interfuit, sed a legatis fructuose admotus arduis gravibusque negotiis, quibus admovendi non erant, nisi qui magno in pretio haberentur, non solum ob pietatem studiumque religionis, sed ob consilium et prudentiam“. Prodierunt ejus opera[2]) curante Petro Fratino (vel Fradino) a. 1567 vol 2 in f. Inter haec *Enarrationes... in ep. D. Pauli Ap. ad Ephesios; in ep . . . ad Romanos, s. Scripturae medulla* vel arcanorum Christi, quibus singulae sunt mundi locupletatae aetates; *tractationes theologales* (18) ex. gr. de exsistentia exsistendique modo Christi corporis in sacramento; de maximo pontificatu maximove sacerdotio J. Christi, de augustissimo ejus regno; *theoremata* 14 theologica, 16 metaphysica, 15 naturalia; quaestiones 4.

39. Sixtus a patria sua cognominatus Senensis, origine erat Judaeus n. a. 1520. Amplexus tamen est fidem catholicam et ordinem ingressus s. Francisci fuitque Ambrosii Catharini discipulus. Verum de haeresi suspectus, accusatus, convictus mortique per ignem est addictus, quam subire debuisset, nisi Michael Ghisleri (postea Pius V.) s. inquisitionis commissarius non tam rationibus quam lacrimis et mansuetudine sua eum dedocuisset errorem adduxissetque ad illius ejurationem, qua facta vitae promeruit gratiam. Sixtus tamen seu vitae taedio seu futurae sibique superstiti imminentis infamiae inter suos Minores timore perculsus, latae jam adversum se capitis sententiae revocationem respuebat, magis eligens vitam commerita mortis poena praecidere, quam infamem producere cum sociis. At Ghislerius Deo afflante ceu futuri praescius, Sixtum

scriptis et lucubrationibus celebratissimus. Et revera Markel p. 275 plurima ejusdem recenset, quin significet num fuerint edita. Ejus explanatio *in ep. d. Judae* prodiit Venetiis 1576. Ea graphice haereticorum ingenia describit.

[1]) Pallavicino Hist. conc. trid. VI, 14.

[2]) Cf. Echard, Scriptores O. Praed. II. 202. Magni eum facit Thomassinus de Incarn. l. 8. c. 7. § 4; l. 2. c. 6, ubi eorum sententiam rejicit, qui tuentur Verbi incarnationem etiam in hypothesi, quod Adam non peccasset, quam impensissime defendit Naclantus; D'Argentré tamen de praedest. p. 130 monet eum caute esse legendum circa libertatem cum praescientia Dei conciliandam. Cum vero in suis commentariis in primis dogmata et controversias fidei vel scholae pro oculis habet, ita de eo statuit Simon, Hist. crit. du N. T. c. 38: „J. Naclante . ., doit plutôt être placé parmi les théologiens controversistes, que parmi les commentateurs du N. T.“

[1]) Cf. Epist. nuncupat Pio V. inscripta Biblioth. suae sanctae praefixa.

aliquando fortissimum fore praevidens Ecclesiae columen fideique pugilem, ut et has infamiae nubes abstergeret, vitaque nova ac tranquilla deinceps vivere posset, pro voto illius mutato pristini Minorum instituti contubernio, suo illum cooptavit cum apostolicae sedis auctoritate praedicatorum ordini ipsumque propriis manibus propria et veste donavit a. 1551. Refert autem de se Sixtus[1]: „Pius V. P. M. cum ante pontificatum ei divinitus collatum amplissimo ac sacro totius christianae inquisitionis senatui praeesset, a. videlicet humanae salutis 1559 misit me Cremomam ad abolendos thalmudicos Hebraeorum libros impiae ac prodigiosae doctrinae, quos Judaei ex omni ferme Italia in eam urbem tamquam in commune judaicae nationis asylum convexerant etc.“ Referunt[2]) etiam eum letaliter decumbentem quaecunque adhuc inedita scripserat, forte nondum suo calculo praelo matura, ante obitum igni tradidisse: atque hanc esse unam rationem, cur ex tot tantisque, quae vir ille eruditissimus concinnaverat operibus, quaeque ipse a se scripta recenset (Biblioth. l. 4.), nullum aliud praeter *Bibliothecam sanctam* posteritati superstit. Verum haec sufficit ad magnam suo auctori eruditionis famam conciliandam. Prodiit ea primum Venetiis 1566 duobus voluminibus in f., deinde saepius; meliores editiones sunt illa P. de la Hay S. J. Lugduni 1591 et alibi[3]), et altera Thomae Milante O. Praed. Neapoli a. 1742 locupletata annotationibus doctis, auctario virorum doctorum, qui de s. Scriptura scripserunt, qui vel praetermissi fuerunt a Sixto vel post ipsum floruerunt. Dividitur porro hoc opus in 8 libros, quorum „primus, verba sunt auctoris in praefatione, de divinis utriusque T. voluminibus pertractans, singula ipsorum argumenta, auctores, auctoritatem rerumque ab ipsis descriptarum tempora diligentissime exponet. Secundus, scriptorum omnium, quorum in ss. voluminibus fit mentio, scripta universa exstantia tam vera et indubitata, quam apocrypha et pseudoepigrapha recensebit, ipsorumque argumenta ac multa in his obscura lucide explicabit. Tertius, artem exponendi ss. volumina complectens, 60 fere modos explanandi ss. scripturae catholicis expositoribus usitatos ostendet aptissimis regulis et exemplis. Quartus, catalogum eorum continens, qui divina volumina catholicis interpretationibus illustrarunt, comprehendet expositorum omnium, qui ab a. 300. ante Christum n. usque ad haec tempora ss. libros recte pieque exposuerunt, nomina, genus, dignitatem, seculum, commentariorum numerum et varietatem, linguam, stilum, expositionis genus, exponendi methodum et praesertim virorum illustrium varia de praecipuis expositoribus judicia: huic accedent appendicis loco, de hebraicis divinorum voluminum expositoribus elenchus, itemque de falsarum inscriptionum causis et quibus conjecturis earum deprehendatur falsitas, brevis admonitio. Quintus censorium ejus in expositores divinorum V. T. voluminum sibi vindicans, habebit annotationes, censuras, castigationes, observationes et elucidationes eruditissimorum Ecclesiae doctorum super variis locis in explanationibus nobiliorum expositorum partim caute legendis, partim prorsus vitandis, partim pie interpretandis aut saltem modeste excusandis. Sextus eodem annotandi studio et ordine censuras et annotamenta in explanatores N. T. continebit. Septimus adversus eos decertans, qui libros N. T. haeresibus suis obscurare tentarunt, omnes haereses, quae ab ascensione Christi usque in hanc diem adversus singulas N. T. scripturas exortae sunt, tam ex ipsis divinis literis, quam

[1]) Biblioth. s. l. 4. ad calcem.
[2]) Eckard Script. O. Praed. II, 207.
[3]) Plura tamen in ea carpit quem mox nominabimus Thomas Milante in praef. suae edit.

ex veterum patrum scriptis acerrime confutabit. Octavus iisdem armis cunctas haereses adversus singula V. T. volumina ab haereticis excitatas evertet.« Quilibet facile videt, opus hoc ingentis esse eruditionis magnaeque utilitatis, Sixtumque inter eos esse recensendum, qui introductionis in s. Scripturam condiderunt disciplinam. Hinc illud non solum a catholicis, verum etiam a protestantibus[1]), non olim tantum, sed nostra quoque aetate laudatur. »In ea, inquit Du Pin[2]), nihil est, quod exquisitam non redoleat eruditionem, ita ut neminem, qui biblicis studiis delectetur, pigeat eum legisse;« nec sane, addit Calmet[3]), »opus aliud ceteris utilius praeponeretur, quam Bibliotheca Sixti Senensis, ita enim auctor opus suum inscripsit, justo ille quidem titulo, neque enim ejus aetate aliud quidpiam ejus generis opus elaboratius paruerat.« Recentiori vero aetate ita de eo scribit Reithmayr[4]): »Sixtus sen. viam aperuit studio historico-critico praesertim in ll. posterioribus (sui operis). Ejus opus pro scientiae conditione illius temporis praecellens diu magni et merito quidem fiebat: nec protestantes illi aequale opus opponere diu poterant, nec catholici aliud addere, quod illud pretio aequaret.«

[1]) Cf. testimonia collecta ap. Milante in edit. cit. Non plane immerito protestantium laus Sixto tributa Michaeli a s. Jos. Bibliogr. crit. 4, 218. suspecta videtur. Ideo illis carus est, quod, quamvis bona intentione, patrum in explicandis scripturis naevos scrupulose nimis pandat atque aperiat.

[2]) Biblioth. t. 16. p. 102. Addit tamen: „Il serait néanmoins à souhaiter que Sixte de Sienne eût traité de certaines matières plus à fond, qu'il est passé sur d'autres plus légèrement, et qu'il en eut omis qui ne sont d'aucune utilité, ou qui ne viennent point à son sujet. Son style est simple et n'a rien d'élégant ni d'élevé.“

[3]) Biblioth. s. praef.; diction. bibl. p. 3.

[4]) Einleit. in die can. Bücher des N. B. Regensburg 1852. p. 13. Similia habet Welte, Kirchenlex. III, 490. Cf. Feller VIII, 51; Richard Simon Histoire crit. du V. T. l. 3. c. 17: „On peut dire qu'il y a peu d'Ouvrages sur cette matière, où il y ait tant d'érudition et de bon sens: et il explique même souvent sa pensée avec beaucoup de liberté“. Improbandum tamen quod Estheris fragmenta inter apocrypha rejiciat non obstante decreto tridentino sess. 4., a quo nimis levi manu se expedit, et non satis aequum antiquiorum interpretum judicem agat.

40. His duobus addendi sunt Seraphinus Cumiranus O. Min. Feltrensis, vir doctus, cujus opus egregium[1]) *Conciliatio locorum communium totius Scripturae, qui inter se pugnare videntur,* 2 (3) vol. in 8. prodiit Parisiis 1556—58; Antwerpiae 1557 etc., revisa a Leandro de s. Martino, Duaci 1623; Viennae 1665 in 8. — Joannes Maria Ballianus, Ligur, Casalensis in lucem dedit *expositionem evangelii s. Marci,* Venetiis 1570 in 8. — Petrus Caponsacchius de Pantaneto O. Min. Aretinus reliquit in *canticum canticorum et apocalypsim Joannis ap. observationem,* Florentiae 1572 in f., 1586. — Antonius Marinarius O. Carm. († 1570) *Concordiam V. et N. T.* edidit Parisiis 1586. — Feliciani Capito O. Serv. B. M. V. Narniensis, archiepiscopi avenionensis († 1571) exstat: *Explicatio catholica locorum fere omnium V. et N. T.,* quibus ad stabiliendas haereses nostra tempestate abutuntur haeretici, Venetiis 1579; *in acta apostolorum et epistolas canonicas explicatio,* Venetiis 1561. — Cornelius Mussus Placentinus n. 1511 puer novennis ingressus est O. Min. Conv. ut voto matris satisfaceret. Celeberrimus fuit sui temporis concionator, qui antiquam concionandi formam patribus usitatam renovavit[2]), dictusque est »Demosthenes italus«. Hinc Romam vocatus concio-

[1]) Mich. a s. Jos. Bibl. crit., secundum quem nonnulli hoc utuntur opere ne laudato quidem fonte.

[2]) Juxta Keppler theol. Qtlschr. Tübingen 1892 p. 98: Die höchste Ausgestaltung und künstlerische Vollendung erhält

nator pontificius constitutus est, dein episcopus bituntinus, unusque fuit e tribus episcopis, qui primi Tridentum ad concilium convenerant[1]). Ipse in sess. 1. ad concilii inchoationem insignem orationem habuit[2]) et ad finem usque mansit. A Pio IV. ad Ferdinandum Caesarem (a. 1560) legatus est missus († 9. Jan. 1574). Praeter conciones plurimas[3]) ut *conciones evangeliorum* de dominicis aliquot et festis solemnioribus latinitate donatae a Mich. ab Isselt, Coloniae 1594, aliosque libellos asceticos habemus: *De operibus sex dierum,* op. t. 2., Venetiis 1598; *commentarium in ep. ad Romanos*, Venetiis 1588 in 4. „Cornelius Mussus, scribit Possevinus[4]), fecunda facundia divitias historiae divinae explicat iis introductionibus, quas scripsit in suos *de divina historia libros III* (Venetiis 1585, 1587), quare eruditum quemque virum haud poenitebit illas legisse.‹ Agit autem ibidem de divinae essentiae aeternitate, veritate, et de divinae naturae et vitae fecunditate. *Synodus bituntina* totam fere ecclesiasticam disciplinam sermonibus, constitutionibus, legibus synodalibus complectens, Venetiis 1579. *Sermones* edidit Josephus Mussus ejus nepos, Venetiis 1580 t. 4, in quorum 4. habes ejus vitam; latine vertit Mich. ab Isselt, Coloniae 1594; 1603. Aliqua ejusdem opera collecta prodierunt Venetiis 1598 t. 2, quibus in primis continetur prolixa symboli apostolici atque decalogi expositio. — Hieronymus a Mariano canonicus Reatinus edidit *commentarium in quatuor prophetas majores,* Romae 1571. — Lucretius Tiraboscus O. Carm. Asculanus, interfuit ut theologus patriarchae veneti concilio tridentino. Electus fuit (1575) in congregationis mantuanae vicarium generalem. Praeter commentaria et explanationes *in omnes Psalmos* Davidis, Venetiis 1572, edidit quoque *Rationes textus hebraei et ed. vulgatae* ib. 1572, in quo l. exhibet et explicat sex millium verborum in Psalmis occurentium differentiam (†p. 1578). Orationem in concilio tridentino habitam reperies apud Le Plat I, 645—653. — Daniel Barbaro nobilis Venetus et patriarcha aquilejensis († 1574), Aristoteli singulariter addictus, *catenam* graecorum patrum in Psalmos priores latine reddidit, Venetiis 1569. — Vincentius Ciconia enarrationes in aliquos *Psalmos* Patavii typis dedit 1567; 1574 et Venetiis 1572; et sermones *de eucharistia* ib. 1576. — Demum Georgius Bullosus presbyter et professor antverpiensis († c. 1580) raram concinnavit *oeconomiam methodicam* concordantiarum Scripturae, Antverpiae 1572.

---

die Homelie durch . . . Corn. Mussus. Cf. Esser KL. VIII, 2065; Gaudentius zur Kirchengesch. des 16. u. 17. Jahrh. pag. 48 ss.

1) Cf. Pallavicino Hist. Conc. Trid. l. 5. c. 8. n. 9.

2) De qua cf. eundem l. 5. c. 18. Eam habes apud Ehses Conc. trid. IV, 521-529; Le Plat l, 12—22. Propter ejus disputationem de justificatione cum plausu exceptam (cf. l. 8. c. 4. n. 14) videtur Joannes a s. Antonio (in Biblioth. francisc.) scribere: „Doctrinam de justificatione in ordinem redegit, defendit, determinavit in concilio trid. cum auditorum admiratione tanta, ut patres ceteri uno ore omnes dicerent, Spiritum s. mirabili modo in eo fuisse operatum, ut scribit Mich. ab Isselt in vita ejus, quam praefixit t. 1. concionum etc.“

3) Cf. Frid. Borromaeum l. 1. de sacris oratoribus. Du Pin de eo ita habet (16, 114): „Cet auteur était poli et éloquent; il écrivait bien en Latin et en Italien. Il avait prêché toute sa vie avec un applaudissement général. Cependant il n'était pas à son aise; il est tombé dans le défaut assez ordinaire aux Prédicateurs, d'être plus attaché au brillant, qu'à le justesse des pensées et de se mettre plus du peine de l'ornement du discours, que de la solidité des raisonnements.“

4) Bibl. sel. l. 2. c. 16. Cf. l. 13. c. 9.

IV. Patrologia.

41. Inter eos, qui saltem quadantenus de *patrologia* meruerunt, referri possunt: Nicasius Ellebodius Flander, philosophus et medicus patavinus, qui primus graece edidit et latine convertit Nemesii Emeseni ep. opus *de natura hominis,* Antverpiae 1565; in bibl. lugd. VIII, 619 ss. — Joannes Picot (Picus) parisiensis senatus praeses († 1565), qui edidit s. Hippolyti or. *de consummatione mundi* et secundo adventu Christi, Parisiis 1557 in 8; Theodoreti tr. *de selectis Scripturae divinae quaestionibus ambiguis,* ib. 1558 in 4; *s. Macarii Aegyptii homilias 4,* in Margarini bibliotheca PP. t. II; *opuscula* Marci Eremitae, Parisiis 1563; Epiphanii, Hesychii et Chrysippi *sermones* aliquot de laudibus b. V. Deiparae, ib. 1565 in 8. aliorumque PP. opuscula latine vertit, quae versiones receptae fuere in bibliothecas patrum. — Jacobus Gillotius Campanus, operum s. Ambrosii et Hilarii pictaviensis editione inclaruit. De editione operum s. Ambrosii (Parisiis 1568 t. 3 in f.) ita statuunt editores Maurini in praef. suae ed.: „Quamvis autem omnium, quae prius publici juris factae fuerant, merito praedicari possit absolutissima, nihilominus tamen quae rerum humanarum saepe conditio est, remansit omnium propemodum maxime ignota: eam videlicet oppressit romanae, quae proxime illam secuta est, editionis fama.“ Collegerat quam plurimos pro eadem codices, verum collationis labore deterritus, aliquorum tantum ope est usus. — De editione vero operum s. Hilarii scribit Coustantius in praef. suae ed.: „Ut primum hujusmodi vitam (a Joan. Jac. Grinaeo compositam) eique adhaerentem Erasmi praefationem perlegit Gillotius, utrumque opus ut sanctissimo praesuli (Hilario) contumeliosum ac catholicae pietati valde noxium a christianis lectoribus abjiciendum judicavit. Ipse melioris voti compos commentationem eis substituit, in qua primum veniunt quae ad Hilarii historiam spectant, ex illius aliorumque veterum scriptis collecta; tum de ipsius stilo et scriptis disserit; ac postremo locos suspectos notat et quantum potest benigne interpretatur: opus pro illa aetate exquisitum et laude dignum, quamvis permulta in eo reperire sit, quae historiae jam limatiori assuefactos nonnihil offendant. . . . Illibatum prorsus reliquit Hilarii textum, in quem etiam incuria Nivelii, qui hanc editionem a. 1572. typis elegantibus sed manu minus accurata adornavit, menda irrepserunt non pauca. — De s. Hieronymo bene meritus est Marianus Vittori (Victorius), amerinus presbyter et episcopus, postea reatinus, qui etiam interfuit synodo tridentinae († 29. Jun. 1572). Prodiit ejus editio operum s. Hieronymi elegantissimis Manutii typis Romae 1565—72 vol. 9 in f., quae variis in locis, ut Antwerpiae 1578, secundis curis recognita Parisiis 1608 et 1643 recusa fuit. Vel in solis tribus prioribus tomis se locos plus minus mille et quingenta restituisse affirmare non dubitat, quae vel sua Erasmus manu maculaverat, vel tempore corrupta restituere ex rerum imperitia haud poterat. In scholiis vero, quae ad calcem adjecit, copiose satis lectionum, quas reposuit, rationem earumque varietatem e Mss. edisserit illustratque perplures locos, qui sibi luce indigere videbantur. Nec minori diligentia reliquos tomos prosecutus est. „Haec itaque editio, inquit Vallarsi in praef. suae ed., quamquam nec erasmiana recensione copiosior sit et nihil

ferme distet ab illa ordine, est tamen illa multo accuratior ipsis, qui hodiedum supersunt, Erasmi patronis minime diffitentibus.« Disseruit quoque *de romani pontificis primatu* contra Lutherum, Romae 1562; *de sacramento confessionis* seu poenitentiae historia et de antiquis poenitentiis, ib. 1562; 1621.

42. Joannes Carolus Bovio Bononiensis, episcopi ostunensis avunculi sui vicarius generalis, dein et successor, demum (1564) archiepiscopus brundusinus, *de constitutionibus apostolicis* b. Clemente romano auctore ll. 8 primum e tenebris eruit, vertit scholiisque illustravit, Venetiis 1543 in 4; Antverpiae 1564; 1568; Parisiis 1564; Coloniae 1569; 1570. — Jo. Steph. Leinatius Mediolanensis, praepositus, totus animarum saluti deditus et beneficus († 1576), volumen *homiliarum* ex s. Ambrosii opp. contexuit, Antverpiae 1575 in f. — Antonius d'Albon Lugdunensis, archiepiscopus arelatensis, dein lugdunensis († 24. Sept. 1574) Rufini aquilejensis presbyteri *commentarium* in LXXV psalmos Davidis ex vetustissimis msc. primum in lucem edidit, Lugduni 1570 in f. — Franciscus Balduinus (Baudouin) Atrebas n. 1. Jan. 1520 Lovanii humaniorum literarum et jurisprudentiae tyrocinium posuit atque variis in academiis de eadem disciplina nobiles praelectiones habuit, ut in bituricensi (1549—56), argentoratensi, heidelbergensi, duacena, parisiensi. Vir erat certe eruditus[1]), sagax et criticus, celebratissimus juris civilis consultus. Plures ei inconstantiam in religione vitio vertunt. Negari nequit eum prioribus vitae suae annis Calvino favisse, forte et ejus errores esse amplexum, sed ab a. 1561 apertius est professus fidem catholicam editoque Cassandri l. *de officio pii viri* etc. (cf. p. 34) Basileae 1561 Calvinianorum iras sibi conscivit, quas etiam auxit editis in eos libellis. Morienti (24. Oct. 1574) adstitit Maldonatus S. J. Praeter plura opera juridica, in quibus jurisprudentiam cum historia et humanoribus literis conjungit, haec magis ad rem sunt: Commentarius ad edicta veterum principum romanorum *de Christianis*, Basileae 1557, quo in l. (raro) tolerantiae patronum agit; *Constantinus M.* seu de Constantini imp. legibus ecclesiasticis atque civilibus, ib. 1556; Argentorati 1612 in 8; s. Optati ll. 6 *de schismate Donatistarum* cum praefatione, in qua ostendit, quam similis sit Calvinistarum defectio Donatistarum schismati, Parisiis 1563; 1569 editio emendatior, cui adjecit Victoris uticensis ll. 3 *de persecutione Vandalorum; historia carthaginensis collationis* inter catholicos et Donatistas ex rerum ecclesiasticarum commentariis, ib. 1566 in 8; M. Minucii Felicis *Octavius restitutus*, ib. 1560, qua dissertatione tuetur Minucium Felicem auctorem esse ab Arnobio distinctum; *Avis sur le fait de la Reformation de l'Eglise,* ib. 1564; postea ab apostata interpolatum et corruptum. — Petrus Franciscus Zino Veronensis plurium scriptorum graecorum opuscula latine vertit. — Michael Thomasius de Taxaquet Majoricensis, qui interfuit synodo tridentinae et a Gregorio XIII. adhibitus fuit in emendatione decreti Gratiani, edidit Lactantii *opera* notulisque illustravit, Antverpiae 1570; *dissertationes ecclesiasticas* scil. catholicae fidei defensionem et Mohammedanorum et haereticorum oppugnationem Romae 1565. *De ratione habendi concilia provincialia*

---

[1]) Cf. Raess II, 176—82; Doujat praenotiones canonicae l. 5. c. 8; Niceron Nachrichten von den Begebenheiten und Schriften berühmter Gelehrten XXII, 149—66; Kaulen KL. I, 1882. Eodem quo ipse a. obiit Franc. Fabritius Marcoduranus, medicus, vir graece et latine doctissimus, scholae dusseldorpiensis rector, qui praeter alia *edidit Scholia* in Pauli Orosii historiam (sive Mundi Orchestram), Coloniae 1574; Moguntiae 1615.

ac dioecesana, ac de iis, quae in his praecipue sunt tractanda, Romae 1565. Obiit episcopus ilerdensis 9. Jul. 1578. — Wolfgangus Lazius Viennae n. 31. Oct. 1514 medicinae quidem se applicuit eamque exercuit, dein et in academia vienensi professus est. Octies munere decani in sua facultate est functus et bis universitatis rector est electus. Antiquitatis studio plurimum delectabatur: hinc monasteriorum bibliothecas libenter lustravit. Dictus est propterea historiographus caesareus, constitutus praefectus thesauri antiquitatum et superintendens universitatis († 19. Jun. 1565). Plurima reliquit opera (c. 50) fructus investigationum suarum[1]), sed festinanter subinde edita absque accuratione critica. Praecipuum forte est *Vienna Austriae.* Rerum viennensium commentarii in IV ll. distincti, in quibus celeberrimae illius Austriae civitatis exordia, vetustas, nobilitas, magistratus familiaeque explicantur, Basileae 1546 in f.; germanice cur. Henr. Abermann, Wien 1619; Frankfurt 1692. Ad nos magis spectat editio veterum scriptorum ecclesiasticorum, ut Honorii augustod. (cf. II, 29) *de imagine mundi ll. V,* Viennae 1549; Aviti vien. (I, 476) *Encomium virginitatis,* ib. 1552; *Collectio variorum auctorum,* Basileae 1552 in f. *Fragmenta quaedam Caroli M.,* aliorumque de veteris Ecclesiae ritibus. Accedit opus R. Mauri de virtutibus, vitiis et caeremoniis etc., Antverpiae 1560.

[1]) Cf. de ejus operibus historicis, numismaticis, genealogicis Aschbach Gesch. der Wiener Universität III, 204—233.

V. Historia ecclesiastica.

43. Pauci fuerunt, qui hac epocha in illustranda historia ecclesiastica versati sint. Omnium celebrior est Onuphrius Panvini O. S. Aug. Veronensis n. 1529, propter immensam eruditionis supellectilem antiquitatis helluo, propter ejus de historia merita vel a protestantibus pater historiae[1]) salutatus. Incredibilis fuit ejus jam ab anno aetatis duodecimo in legendo scribendoque assiduitas conjuncta tamen cum promptitudine propter Deum deserendi etiam studia tam cara. Dicere solebat, se bovis instar esse altare inter et aratrum constituti in utrumque paratum, tam paratum ad tolerandos studiorum labores, quam ad obeunda ministerii sacerdotalis munia. Decessit Panormi a prorege card. Alexandro illuc accitus 25. Mart. 1568 a. aetatis 39. nondum completo grandi romanarum et ecclesiasticarum antiquitatum detrimento. Vigiliarum ejus testes sunt innumera, quae composuit scripta, quibus sacram profanamque illustravit historiam[1]). Ea eruditione singulari et solida sunt referta; scribendi genus nitidum est, comptum et planum, deque iis disputare solet, quae ab aliis nondum fuere illustrata. Ita de illis judicant Niceron, Dupin l. c. XVI, 96 ss. aliique. Quaedam, praetermissis iis, quae ad historiam

[1]) Ut ab Is. Casaubono, Jos. Scaligero, Justo Lipsio. A Petro Servio (in miscell. c. 5. p. 94) dicitur: „Nostri senatus i. e. antiquarii princeps et omnium qui sunt quique fuerunt antiquariorum praestantissimus."

[1]) Cf. Ossinger, Bibl. August.; Niceron XII, 287; Tiraboschi VII, p. 2. § 10. 11; G. Orlando On. Panvinio, Palermo 1883; Dav. Aur. Perini On. Panvinio e le sue opere, Romae 1899. Multum usus est in suis op. de antiquitatibus romanis Chronographia Octavii Pantagathi O. Serv. b. M. V. Sorbonae doctoris et professoris in Sapientia romana viri admodum eruditi et ab eruditis sui aevi magni facti (1566). Cf. Markel Speculi p. 232 ss.

profanam spectant, nominasse sufficiat *Romani pontifices et cardinales S. R. E.* ab iisdem a Leone IX. ad Paulum IV. per 500 annos creati, quo in op. exhibet gestorum electionisque singulorum pontificum et conclavium compendiariam narrationem, cardinalium item nomina, dignitatum titulos, legationes, insignia, patriam, obitum, Venetiis 1557, quae editio inscio auctore prodiit, sed mendis infecta[1]); correctior et auctior 1567 etc. Historiam hanc a Paulo IV. ad Clementem VIII. continuavit Jo. Ant. Petramella Bononiensis († 22. Nov. 1623) Bononiae 1599 in 4. Platina *de vitis pontificum* restitutus cum annotationibus et additione pontificum a Sixto IV. usque ad Pium IV., ib. 1562, Lovanii 1571 etc.; *de episcopatibus, titulis et diaconiis Cardinalium*, Venetiis 1567; *Gregorii VII. vita* ll. V digesta, ib. 1568; *Chronicon ecclesiasticum*[2]) a C. Julii Caesaris tempore usque ad imp. Maximilianum II., Coloniae 1568, Lovanii 1573; *de baptismate paschali*, origine et ritu consecrandi agnos Dei l., Romae 1560 in 4; 1630; *interpretatio multarum ecclesiasticarum vocum*, quae obscurae vel barbarae videntur l. primus; *de stationibus urbis Romae* 1572, Lovanii 1671 in 4; *de praecipuis urbis Romae sanctioribusque basilicis*, quas septem ecclesias vulgo vocant, Romae 1570; *de ritu sepeliendi mortuos apud veteres christianos et eorum coemeteriis*, Coloniae 1568; Lovanii 1572, liber eruditus et dignus qui legatur[3]); *de Sibyllis et carminibus sibyllinis*, Venetiis 1567; Heidelbergae 1588 cum aliis ejusdem operibus; *Fasti et triumphi* Romanorum a Romulo usque ad Carolum V. imp., Venetiis 1557, opus insigne ad illustrandam antiquitatis et medii aevi historiam. *De primatu Petri* et apostolicae sedis potestate ll. III contra centuriarum auctores[1]), Veronae 1589 in 4; in biblioth. Rocaberti XVII, 536—645; alia contra centuriatores manserunt inedita[2]); *de varia creatione papae* sive rom. pontificum ll. V; *ll. VIII de antiquitate et viris illustribus Veronae*, Patavii 1658 in f.; *de bibliotheca pontificia vaticana*, quem l. ex ejus msc. edidit J. B. Cardona, Tarraconae 1587 in 4; *augustiniani ordinis chronicon* per annorum seriem digestum a s. P. Augustino ad a. 1510, Romae etc. — Hieronymus Garimbertus Parmensis canonicus ad s. Petrum et episcopus gallesinus in Etruria, insignis archaeologus († 28. Nov. 1575), scripsit *delle vite overo fatti memorabili d' alcuni papi* e di tutti i cardinali passati, Vinegia 1567, ed. rara. Praeter alia[3]) reliquit et *della Fortuna ll. VI*, Venetiis 1547; *Concetti* di G. Garimberti e d' altri autori, Vinegia 1551.

44. Michael Buchinger Wimphelingae cognatus, presbyter colmariensis,

[1]) Si Baluzio credimus, vitae eorum pontificum, qui Avenione commorabantur, minore dignae sunt fide, cum Onuphrio deessent documenta authentica et necessaria subsidia.

[2]) Ouvrage plein de recherches, inquit Feller VI, 384, et bien propre à éclaircir l'histoire tant ecclésiastique que profane.

[3]) In recensione operis doctissima de Rossi: La Roma sotterranea christiana, quae prostat in Civiltà cattol. (1865 fasc. 1. p. 109) legimus: „Il primo che più di proposito rivolgesse l'ingegno alle antichità cristiane di Roma fu Onufrio Panvinio, il quale appunto da questo pigliò le mosse di un'opera gigantesca di Archeologia universale, che avea in animo di compiere. Se si considera la condizione dei tempi tanto immaturi per questa scienza, e molto più la sì giovane età dello scrittore . . parrà prodigio ciò che egli tentò e ciò che fece.

[1]) Receptus fuit hic liber etiam in Thesaurum Zachariae t. 7, 1001—1187.

[2]) Nonnulla ex ejus mss. suo Spicilegio romano inseruit Card. Mai.

[3]) Cf. Affò Memorie degli scritt. parmegiani IV, 135—145.

catholicae religionis contra haereses propugnator invictus († 1573) scripsit *historiam ecclesiasticam novam* pp. 2, in quarum 1. quaestiones quasdam de Ecclesia tractat; in altera brevi compendio res in Ecclesia gestas romanorumque pontificum a b. Petro usque ad Paulum IV. describit, Moguntiae 1560; *de imaginibus, jejunio et eucharistia*, 1543; *de Ecclesia* 1556; tyrocinium *de mysterio altaris* hujusque sanctissima participatione et quibus gradibus ad illud ascendendum, Coloniae 1554; Wormatiae 1555; Coloniae 1558; *de missae sacrificio* deque eucharistiae per Christum in Coena novissima celebratione, Antverpiae 1588. Reliquit quoque *Postillam* in Evangelia dominicalia et *conciones*[1]). — Adversus Sleidanum scripsit Jaspar Gennep (Caspar Gennepaeus) Coloniensis, bibliopola industrius[2]): *Wahrhafftige Beschreibung der Vornembsten Händel*, so sich in Geistlichen und weltlichen Sachen vom J. u. H. MD bis in das J. der mindern Zahl LII. zugetragen und verlauffen haben, Coloniae 1559, cum apologia adversus Spangenberg, qui illud opus acriter impugnaverat, ib. 1561. Plura quoque scripta pro utilitate populi germanice vertit. Edidit et bonum *catechismum* Coloniae 1561. — Joannes Rioche O. S. Franc. reliquit *compendium temporum* et historiarum ecclesiasticarum ab ascensione D. in coelum usque ad a. 1576, Parisiis 1576 in 8., non inutile pro reformationis historia.

45. Ad historiam concilii tridentinii illustrandam plurimum juvat Herculis Severoli *de concilio tridentino commentarius* seu diarium a die 11. Dec. 1545 usque ad 16. Jan. 1548. Hujus autem scriptoris vita satis est ignota. Ortus est ex familia primaria faventinae civitatis ineunte sec. XVI. Comparet Tridenti ut procurator fiscalis concilii, cujus muneris erat, de sessionibus habitis tabulas publicas conficiendas curare, num vocati venirent advertere, de accusanda contumacia absentium quae essent necessaria facere, denique omnibus in rebus concilii rationibus prospicere ac commoda tueri. Permagni aestimabatur in concilio teste Seripando (apud Döllinger I, 35), sed ei interfuit tantum ad a. 1548. A Pio V. fisci apostolici procurator generalis est electus; anno 1571 vita videtur cessisse. Porro ejus commentarius fons est sine dubio pretiosus, nititur enim in schedis a promotore dum vota dicebantur scriptis, et est actorum supplementum exoptatissimum. Hujus epitomen confecit Massarelli, qua uteretur in suis concinnandis actis: ejus specimina exhibet Merkle in Proleg. suae ed. Conc. tridentini c. 2 § 5 pag. LI ss. Commentario Severoli usus est Raynaldus, etsi ejus auctor eum lateret. Fragmentum Wokerus in collectione Döllingeriana[1]) in publicam protraxit lucem sed satis negligenter; primo integrum mendis purgatum, notis illustratum edidit Merkle op. cit. I. 1—147 suoque vero auctori restituit[2]), cum prius tribueretur Massarello. Sed jam de hoc, qui magis innotuit suis de hoc concilio scriptis agendum. Natus est Angelus Massarellus Septempedae (S. Severino) a. 1510. Studiis operam dedit Senis atque utriusque juris laurea est insignitus. Aleander legatus in Germaniam missus eum in secretarium assumpsit. Defuncto hoc cardinali in familiam transiit Marcelli Cervini card., qui de bibliotheca sua augenda sollicitus eo etiam ad transcribendos codices est usus. Concilio tridentino iterum

[1]) Cf. N. Paulus Katholik 1892. II, 203-251 qui doctrinae specimina adducit.
[2]) Streber Kirchenlex. V, 294; N. Paulus Katholik 1895. I. 408—423.

[1]) Ungedruckte Berichte und Tageb. zur Gesch. des Concils v. Trient, Nördlingen 1876 sec. I. p. 39—65.
[2]) Hoc jam praestitit in hist. Jahrb. XVI (1895), 749—776.

indicto Cervinum, qui unus fuerat cardinalium praesidum, est comitatus. A legatis electus est in concilii secretarium, quod munus maxima cum diligentia et industria administravit usque ad concilii translationem et solutionem (1552). Concilio ob bellicos tumultus soluto Romam rediit atque in curia varia obiit munera sub Julio III., Marcellino II. et Paulo IV., a quo 14 Dec. 1557 dictus est episcopus thelesinus. Indicto a Pio IV. iterum concilio constitutus est jam tertio ejusdem secretarius. Concilio demum finito ipsi ut secretario demandatum fuit, ut acta ab omnibus praelatis subscriberentur omnesque scripturae conciliares Romam transferrentur: quo facto 11 Dec. 1563 Tridento discessit. Totus exinde incubuit in actis compilandis, quae typis divulgarentur. Sed cum prima forma cardinalibus ad eam examinandam deputatis non placuisset et secundam facere esset jussus, morte fuit abreptus 16. Jul. 1566. Hujus secundae formae unum tantum videtur absolvisse tomum. Vir erat natura simplex, verax ac sincerus, non ingenii magni neque doctrinae summae, in negotiis tamen sollertissimus. Nemo vero omnium, qui concilio tridentino interfuerunt, tantum contulit ad ejus memoriam posteris tradendam, quantum ipse. Septem circiter composuit diaria. Primum *diarium* quod reliquit, de rebus concilii refert a 22. Febr. 1545 usque ad 1. Febr. 1546 in proprium usum, ejusque pretium in eo est, quod referat colloquia cum primoribus in concilio hominibus et judicia ejus de rebus conciliaribus. Ex parte latine (ad 2. Maj. 1545), ex parte lingua scriptum est italica. Edidit illud primum Ph. Woker in collectione Döllingeri (I, 1, 66—258), quae tamen ed. ab omnibus est merito vituperata[1]). Accurate edidit illud Merkle in ed. Conc. tridentini, I, 151—399. Alterum *Diarium* longe brevius complectitur tempus a 6. Febr. 1545-11. Mart. 1547, quod ib. habes p. 407—466. Multo majoris pretii sunt *Diarium* tertium et quartum, quae gesta referunt praesertim in congregationibus generalibus a 18. Dec. 1545 usque ad concilii translationem Bononiam (11. Mart. 1547), in concilio bononiensi et illo parvo spatio inter ejus suspensionem et Pauli III. mortem (12. Mart. 1547-10. Nov. 1549). Utriusque particulae et fragmenta tantum publicae luci antea data fuere a viris eruditis, integrum vero maxima cura editum fuit a Merkle ib. I, 467—873. Alia reliquit *diaria,* quae t. II. edentur et *actorum* ingentem collegit molem, quae paucissimis exceptis ab ipso sunt composita, multaque alia supersunt ipsius inedita[1]). Diarium ejus *de pontificatu Julii III* habes apud Döllinger Samml. v. Urk. zur Gesch. des Conc. von Trient, Nördlingen 1876 I, 259—326.

46. Massarelli adjutor Astulfus Servantius, qui postea ingressus est O. Min. dictusque Valentinus episcopus, concinnavit et ipse *Diario del Concilio di Trento* sotto Pio P. IV, quod a Pallavicino laudatur. Paucissima ex eo excerpta exhibet Döllinger op. cit. p. 2 pag. 51—63. Illud integrum edendum promittit Merkle, quia quamvis non sit admodum jucundum lectu, utilia tamen continet. — Armand Baschet publicae luci demum dedit *Journal du Concile de Trente* ab Antonio Milledonne (Milledoneus) quondam secretario veneto concinnatum, dum Tridenti degeret (ab Aprile 1562 ad Decembrem 1563), Parisiis 1870. Est illud diarium nonnihil frigidum et minutum, sed accuratum et non sine pretio. Subjicitur conspectus 237 relationum legatorum venetorum apud concilium. — Petrus

[1]) Cf. Grisar Ztsch. f. kath. Theol. VII (1883), 178—187.

[1]) Cf. de Massarelli ejusque scriptis accuratissime disserentem Merkle Conc. trid. I, LXVIII—CXXIX.

Gonzalez de Mendoza[1]) Guadalaxarensis ex nobilissima ducum familia episcopus salmanticensis (1560) interfuit sub Pio IV. concilio tridentino; de cujus historia rebusque in ultimo ejusdem tempore curiosum formavit lingua hispana commentarium, qui demum prodiit apud Döllinger op. cit. p. 2. pag. 64—171 inscriptus *Lo sucedido en el concilio de Trento.* Denatus est Petrus 10. Sept. 1574. — Hujus comes ad concilium Petrus de Fuentidueña (Fontidonius) Segoviensis, theologiae doctor habuit ad patres orationes duas, quae prodierunt Salmanticae 1589 (cum tribus Romae coram Pio V. habitis), et apud Le Plat I, 413—31 et 460—479). Nomine ejusdem concilii instituit *Apologiam* ad Germanos pro eodem adversus invectivam Jo. Fabricii Montani poetae lutherani contra synodum, Antverpiae 1574. Factus est canonicus poenitentiarius salmanticensis, dein Albae archidiaconus († 1. Maj. 1579). — Joannes Curtembrosch (Kurtembrock) presbyter anglus, qui interfuerat concilio, *diarium* de eodem reliquit, quod tamen judice Merkle in Conc. Trid. I. prol. pag. XXXVI libellus est adeo aridus, ut ne diarii quidem nomine sit dignus, sufficiatque ipsum semel typis fuisse vulgatum, scil. in Martene coll. t. VIII. — In *epistolis* et scriptis Lud. Beccadelli, quae cura Morandi canonici Bononiae 1797 prodierunt in Monumenti di varia Letteratura, multa et pretiosa reperiuntur pro periodo a. 1561—1563 nostri concilii, cui ille interfuit ut secretarius cardinalium praesidum. Magni enim fiebat suo tempore ob prudentiam et agendi dexteritatem a pontificibus et cardinalibus et in quampluribus negotiis, muneribus, legationibus fuit adhibitus. Natus est Ludovicus Beccadelli (Beccatellus) Bononiae d. 29. Jan. 1501. A prima juventute maxime delectabatur literis humanioribus. Hinc cum esset admodum cultus, invitatus instanter est a celebri Casp. Contareno cardinali, ut in suam transiret familiam. Quare hujus cardinalis adhaesit obsequio eique fuit a secretis eoque defuncto (25. Aug. 1542) transiit in obsequium Marcelli Cervini cardinalis et episcopi regiensis, qui eum constituit vicarium generalem. Nunc primum, cum jam esset a. 42, suscepit tonsuram et ordines minores. A Cervino eum expetiit card. Morone in secretarium, cum designatus esset legatus bononiensis. Datus est a Paulo III. Ranuccio Farnese nepoti suo, ut hujus juventutem formaret et regeret: creatus enim fuerat adolescens a. 15 jam cardinalis et Marchiae legatus. Dictus est 24. Maj. 1549 episcopus ravellanus in regno neapolitano, sed mox missus est nuncius pontificius Venetias, missione vero egregie obita factus vicarius Urbis (1554). Cum Julius III. Moronum cardinalem mitteret ad comitia imperii Augustam, addidit Ludovicum nostrum comitem. A Paulo IV. dictus est archiepiscopus ragusinus ad magistratus illius civitatis instantiam. Verum instante Cosimo Etruriae duce, qui eum secum habere optabat, archiepiscopatum resignavit contentus praepositura pratensi (1564). Ibi vixit literis, sed post a. tactus est apoplexia: protraxit tamen vitam adhuc ad 16. Oct. 1572. Etsi non excelleret

[1]) Hujus nominis plures occurrunt viri illustres: primum P. Gonz. de Mendoza O. Min. a Sixto IV. cardinalis creatus, et archiepiscopus hispalensis, mox toletanus est renunciatus (n. 3. Maj. 1428; 11. Jan. 1495. Cf. Eggs. III n. 43.) — Alter 1571 pariter O. Min. factus est primo praesul oxumensis, dein archiepiscopus granatensis (1610), mox (1616) caesaraugustanus, demum seguntinus renunciatus est episcopus († 1639). Literis pastoralibus (Caesaraugustae 1619) fideles suae dioeceseos exhortatus est ad votum pro immaculata conceptione emittendum. — Tertius fuit canonicus toletanus, qui renunciato canonicatu ingressus est Societatem Jesu (9. Febr. 1659), de quo cf. Backer I, 2201.

ingenio, felicissima tamen praeditus erat memoria et studio indefesso, et familiari usu cum viris eruditissimis ut Petro Bembo, Sadoleto, Polo, Fregoso, Cortese, Contarini etc., quibus illa abundabat aetas, magnam sibi collegit eruditionis thesaurum [1]). Scripsit quoque *Vita del Card. P. Bembo,* in t. II, 22 ss. Degli Istorici delle cose Veneziane ed. ab Ap. Zeno, Venetiis 1718; *Vita del Card. Reg. Polo* in p. V. epistolarum ejusdem cardinalis pag. 355 ss. Brixiae 1757; latine reddita et aucta ab Andrea Duditio viro quidem docto, postea episcopo quinquecclesiensi, qui tamen postea turpiter defecit a fide catholica, Venetiis 1563 et praemissa t. 1. ed. epistolarum ejusdem cardinalis, quam curavit Quirini. *Vita del Card. Gasp. Contarini,* Brixiae 1746. Reliquit plurima alia, quae manserunt inedita: inter quae refertur et concilii tridentini historia (quae forte non distinguitur ab ejusdem literis de hoc concilio).

47. Huc quoque referri debet Nicolaus Psalmeus (Pseaume) n. 1516 piis parentibus, egregie institutus, post splendidam thesium defensionem Sorbonae doctor creatus (1541). Ingressus Praemonstratensium ordinem mox electus est abbas s. Pauli (1540). Factus episcopus virodunensis (1548), interfuit bis concilio tridentino, in quo sua eloquentia inclaruit. Fortiter invectus est in abusum abbatum commendatariorum, et quia prudentia et reformationis zelo excelluit, canonum ei commissa fuit formatio. Diarium ejusdem concinnavit, quod edidit ejus sodalis Hugo inter *monumenta s. antiquitatis,* Stivagii 1726, inscriptum *Medulla votorum et sententiarum* PP. conc. tridentini (a 16. Nov. 1562 usque ad 15. Maj. 1563), non tamen ex autographo, sed ex exemplaribus plus minusve mutatis; ex ipso Le Plat. t. V. et VII; integrum, omissis jam notis, exhibet illud Döllinger Samml. von Urk. p. II, 172—277, non tamen juxta formam originalem. Alia Psalmei opera sunt: *Préservatif contre le changement de Religion,* Veroduni 1563, libellus utilis; *Vray et naif portrait de l'Eglise catholique,* 1573; Reims 1574; *Exposition* de la messe contre les attaques des Calvinistes, Verdun 1554. Admodum solicitus erat de conservanda fide catholica in sua dioecesi deque restauranda disciplina ecclesiastica, de promulgandis et exsequendis decretis concilii tridentini: quem in finem *constitutiones* edidit in synodo virodunensi a. 1564. Curavit novam editionem Ritualis, Missalis et Breviarii virodunensis. Non obstantibus gravissimis difficultatibus in bonum dioecesis instituit seminarium et pastor vigilantissimus ovium omni quo poterat modo egit curam. Tempore pestis quae suum invasit gregem non aufugit, sed qua alter Carolus Borromaeus aegrotos invisit. Non tantum de bono spirituali erat solicitus, bonum et temporale semper prae oculis habuit salutatus propterea „pater populi". Nam ut miseris et pauperibus succurreret vendidit vasa sacra ecclesiae, imo propriam etiam supellectilem. In ordines religiosos erat admodum benevolus, eos fovit eorumque opera est usus in bonum dioeceseos. Obiit eximius praesul magno suarum ovium luctu 9. Aug. 1575. — Praetermisso Fr. de Vargas, de quo infra redibit sermo, praetermittendus non est Carolus Visconti (Vicecomes) ex illustrissima familia mediolanensi, qui senatoria fuit ornatus dignitate, et a Pio IV. ad Philippum II. nuncius ablegatus. Electus episcopus ventimiliensis (1561) interfuit concilio tridentino et maximis in negotiis missus est

[1]) Cf. praeclaram de eo notitiam apud Fantuzzi II, 5—27.

[1]) Cf. ejus vitam auctore Frizon in Petite bibl. Verdunoise t. V; Précis historiques XXXVII (1888), 425—441; 509—521; 579—595; XXXVIII, 20—28, auctore van Spilbeek O. Pr.

a concilii praesidibus ad ipsum pontificem. Sacra purpura a Pio IV. vix insignitus a. 1565, eodem hoc a. morte immatura fuit abreptus 13. Nov. a. natus tantum 42. Prodierunt ejus *epistolae,* in quibus plura refert de concilio tridentino, collectae cur. Aymon Amstelodami 1724, sed collectio non est completa, editio vero admodum mendosa. Plures et melius prodierunt cura Mansi in Miscellaneis Baluzii t. III. Spectant eae ad periodum a 10. Dec. 1562—24. Aug. 1563. — Ejusdem collectionis t. IV. continentur Mutii Calini Brixiani, archiepiscopi jadrensis (Zara 1555—66), dein interamnensis (Terni † 1570) *epistolae 233* (a 3. Oct. 1561—6. Dec. 1563). Ipse operam quoque suam contulit correctioni Missalis et Breviarii, ut infra dicemus. — Torellus Phola Pugiensis, canonicus fesulanus, qui interfuit concilio tridentino, composuit *Diarium* actorum s. concilii tridentini sub Pio IV. pontifice, quod habes apud Martene Collect. et Le Plat. VII, 2, 159—254.

48. Historiae concilii tridentini subjicimus relationes nunciorum apostolicorum, ex quibus haud parum discimus pro historia ecclesiastica variarum regionum. Ita plura ad historiam ecclesiasticam Germaniae spectantia colliguntur ex literis Casparis Gropper fratris celebris Joannis Gropper, de quo egimus II, 1419. Natus est Caspar c. 1519 Susati (Soest) Westphaliae. Coloniae juri dedit operam promeruitque juvenis in ea facultate lauream. Exinde erat duci clivensi a consiliis, a. 1550 officialis archidioecesis coloniensis. Anno 1558 Romam venit factusque est Rotae auditor. A Pio V. nuncius est missus ad Germaniae episcopos (1573). Decessit 19. Mart. 1574. — Socium in hac legatione habuit Nicolaum Elgard n. 1546 in oppido Elcherod ditionis luxemburgensis. Dignus hic habitus est post primam institutionem ob indolem qui archiepiscopi trevirensis sumptu ad uberiorem ingenii cultum Romam mitteretur (1569) collegii germanici institutis expoliendus. Ibi doctoris lauream promeruit. Postquam solerter varia sedis apostolicae per Germaniam negotia perfecit, ordinatus est episcopus auxiliaris erfordiensis (2. Febr. 1578). Magno fervore et zelo coepit vitam et disciplinam restaurare catholicam per ditionem sibi subjectam i. e. Eichsfeldiam, quae diu idoneis pastoribus destituta multa passa erat in fide damna, et non sine fructu, sed laboribus exhaustus obiit magno dioecesis damno jam 11. Aug. 1587. Vir erat doctrina et spiritu apostolico plenus, inter verbi divini praecones in Germania celeberrimus[1]). Jam vero legationis Gropperi et Elgardi acta diligenter collegit accurateque edidit W. E. Schwarz in op. Die Nuntiatur-Korrespondenz K. Groppers (1573—76), Paderborn 1898. — Alius legatus pontificius isque celeber, ex cujus literis plurimum colligere licet, fuit Joannes Morone Mediolani n. 25. Jan. 1509, qui tam felici successu studiis incubuit, ut admodum juvenis triplici doctoris laurea, in philosophia scil., jure canonico et theologia ornaretur et a. aetatis 20. jam patriae senator esset et episcopus mutinensis. In Germaniam missus ad Ferdinandum regem a. 1536 interfuit imperii comitiis Hagenoviae 1540, Ratisbonae 1541 et Spirae 1542, atque ubique specimina prudentiae et in gerendis negotiis solertiae dedit. Anno 1542 creatus est cardinalis et cum card. Paris et Polo 1542 Tridentum legatus missus ad inchoandum concilium oecumenicum eam in urbem convocatum. Apud Paulum IV. de heterodoxia accusatus carceri fuit inclusus 31. Maj. 1557; et nonnisi pontifice defuncto a collegio cardinalium mox libertati, et a Pio IV. honori restitutus cassatis omnibus in eum actis (1560).

---

[1]) Cf. Steinhuber Gesch. des Coll. Germanicum-Hungaricum, I, 194—204.

Iterum missus est Tridentum praeses concilii, quod feliciter ad finem perduxit. Quam ob rem a Pio IV. collaudatus, ab eo munus accepit invigilandi in concilii decretorum exsecutionem. Hoc pontifice defuncto parum aberat a tiara. Iterum missus est legatus ad comitia imperii Ratisbonae congregata 1576. Obiit dignissimus cardinalis[1]) et episcopus ostiensis morte pia merito magni factus 1. Dec. 1580. Acta legationis ejusdem edidit post alios ut Raynaldum, Laemmer, Schultze etc., qui pauca tantum publicae dederunt luci, W. Friedensburg in Nuntiaturberichte aus Deutschland sect. 1. t. II *Nuntiatur d. Morone* (1536—1538), Gotha 1892; a. 1539 ib. t. III. et IV. Gotha 1893; et J. Hansen sect. 3. t. II (der Reichstag zu Regensburg 1576) p. 1—192. Quae spectant ad comitia ratisbonensia a. 1541 edidit Dittrich in hist. Jahrb. IV (1883), 395—472, et in *Nuntiaturberichte G. Morones* vom deutschen Königshof 1539. 1540, Paderborn 1892; plura quae spectant concilium tridentinum, dum eidem praeesset, cf. apud Ehses Conc. Trid. passim t. IV. — Acta Bartholomaei de Portia legati apostolici in Germaniam superiorem (1573—1575) diligenter exhibet Car. Schellhass in *Nuntiaturber. aus Deutschl.* III t. 3. 4., Berlin 1896—1903. In prolegomenis accurate ejus gesta refert, atque inde infert, eum fuisse ob suam prudentiam et agendi dexteritatem nuncium primi ordinis (cf. III p. LXXXVIII). Porro Bartholomaeus fuit ex familia comitum de Portia (Porciglie, Purliliarum) patria forojuliensis (Friaul) natus c. 1525. Studiis operam dedit Patavii. Praeter alia beneficia obtinuit abbatiam mosacensem (Moggio di Sopra), unde saepe dictus est abbas mosacensis. Romae familiaris erat s. Caroli Bor., qui eum a. 1566 presbyterum ordinavit. Mox factus est protonotarius apostolicus missusque qui visitaret patriarchatum aquilejensem atque ibidem promulgaret decreta tridentina. Missione hac egregie perfuncta missus est non diu post in Germaniam superiorem nuncius apostolicus (1573), dein et Coloniam (1577), denique ad imperatoris aulam: verum cum infirmae esset valetudinis Pragae decessit 12. Aug. 1578. Eum magnis encomiis prosequitur Torquatus Tasso[1]).

[1]) Cf. Cantù il Card. G. Morone in Atti dell' Instituto Lombardo 1866; F. Sclopis Le C. J. Morone in Séances et traveux de l'Acad. des sciences morales et polit. Compte rendu XC, 29—48; 321—359; XCI, 44—82; v. Funk KL. VIII, 1929; Nic. Bernabei Vita del card. G. Morone. Modena 1885.

49. Plurimum de catholica Ecclesia in Bavaria et per universam Germaniam meruit non tam scriptis quam gestis Otto Truchsess de Waldburg illustri familia n. 26. Febr. 1514 in Scheer Sueviae arce prope Sigmaringam. Studiis impense dedit operam pluribus in academiis ut Tubingae, Patavii, Papiae, ubi et rectorem egit, et Bononiae discipulus celebris Hugonis de Buoncompagno, qui postea electus est pontifex dictus Gregorius XIII., ubi et doctoratus promeruit lauream. Beneficiis ecclesiasticis ditatus a Paulo III. missus est internuncius in Poloniam et ad Ferdinandum regem. Electus est 10. Maj. 1543 a capitulo augustano episcopus, mox (1544) a pontifice creatus cardinalis. Tristissima erat dioecesis conditio, sed praesul industrius totus in reparandis ejusdem damnis et ruinis incubuit. Gregem suum sollicite visitavit, synodos dioecesanas habuit, de formando clero omnem adhibuit curam, studia fovit, scholas condidit, in primis lyceum dilinganum. Imperatori a consiliis fuit, penes pontifices quoque valuit auctoritate. Liberalissimus fuit in juvandis viris eruditis, pro librorum uti-

[1]) Cf. Jos. Hansen in praenot. Nuntiaturber. aus Deutschland 1572—1585 t. I pag. 4—10.

lium diffusione, in pauperes et ad juvanda omnia in bonum fidei catholicae consilia, adeo, ut subinde passus sit graves pecuniae angustias; alienus autem erat ab omni conniventia in rebus, quae praeceptis ecclesiasticis et institutis adversarentur. Decessit[1]) praesul intrepidus, morum speculum, zelo pro Ecclesiae in Germania bono plenus, Romae 2. Apr. 1573. Innumeras reliquit *epistolas* pro historia religiosa Germaniae illius temporis pretiosas, quarum pars tantum prodiit et quidem divisim variis in operibus ut *Vertraulicher Briefwechsel* des Card. O. Truchsess mit Albrecht V. Herzog von Baiern 1568—1573, Augsburg 1850; A. Weber *Literae* a Truchsesso ad Hosium a. 1560 et 1561 datae ex cod. augustano primum ed. atque annotationibus illustratae, et proemio indiceque exornatae, Ratisbonae 1892. — *Ratisbonensium episcoporum catalogus in ll. III*, collegit Laurentius Hochwart n. 1493 in Tischenreut Palatinatus superioris oppido, canonicus passaviensis et ratisbonensis, insignis concionator[2]). Interfuit nomine episcopi ratisbonensis a. 1551 concilio tridentino († 1570). Multa reliquit inedita; catalogum laudatum edidit Oefele inter Script. rer. boic. I, 159 ss. De ejus *chronica ecclesiae passaviensis* (inedita) cf. Widemann hist. Jahrb. XX (1899) 640 ss. — Joannes Oldekop Hildesheimensis n. 1493, Lutheri discipulus, errantem non est secutus, postea vero impugnavit. Annos 5 degit in Italia. Redux factus est capellanus episcopi sui Balthasaris Merklin, dein canonicus (1528) ad s. Crucem et decanus (1549; † 9. Jan. † 1574). Scripsit *Chronik* (1500—1573), in qua dioecesis hildesheimensis sincere ut magna ex parte testis oculatus absque studio partium historiam stilo simplici et candido narrat, hinc pretiosus pro tempore illo turbulento fons[1]). Eam primus edidit Car. Euling Tübingen 1891. Notatu digna sunt, quae de Luthero narrat, quem selegerat initio in confessarium et cui in sacro dicendo saepe servierat.

50. Nicolaus Harpsfield Anglus vir sane doctus propter detrectatum jusjurandum de suprema in sacra potestate regia in carcerem conjectus, in quo post longam 23 annorum captivitatem etiam decessit 18. Dec. 1575 (secundum aliquos 1583), composuit *historiam anglicanam ecclesiasticam*, Duaci 1622 in f., opus valde rarum; *sex dialogos* (inter Irenaeum Anglum et Critobulum Germanum) contra ss. pontificatus, monasticae vitae, sanctorum et ss. imaginum oppugnatores et pseudomartyres, in quibus magdeburgensium, auctorum anglicanae apologiae, pseudomartyrologiorum nostri temporis, maxime vero Joannis Foxii mendacia deteguntur, Antverpiae 1566, quam editionem curavit ejus popularis Alanus Copus, opus valde rarum (m. 50); 1573; primum dialogum habes in Roccaberti bibl. P. M. t. II. n. 4. A Treatise on the Pretended Divorce between Henry VIII. and Catharine of Arragon, Oxonii 1878 in 4. cura Nicolai Pocock, opus admodum accuratum et pretiosum pro historia illius tristis divortii[2]). — In *epistolis* Joannis Straetman O. S. Dom. doctoris lovaniensis († 1571) ad Antonium Bonelli cardinalem alexandrinum[3]), haud

[1]) Cf. A. Weber hist.-pol. Bl. CX (1892), 781—796 et KL. XII, 114—118; Stauffer Allg. d. Biogr. 24, 634—40; B. Duhr Die Quellen zu einer Biographie des Card. O. Truchsess v. W. in hist. Jahrb. VII, 117 ss.; Eggs l. IV n. 62.

[2]) Cf. Schroedl KL. VI, 99.

[1]) Cf. Bertram Liter. Handweiser 1892 col. 240 ss.; hist.-pol. Blätter CXII (1893), 157—168; 263—278, auctore M(ajunke); N. Paulus Katholik 1899 I, 484—510.

[2]) Gillow III, 134—137.

[3]) Cf. de iis fuse disserentem Kempeneer in Analectes pour servir à l'hist. ecclés. de la Belgique publiés par le chan. Reusens ... et le chan. Barbier XXV (1894), 55—92.

pauca pretiosa reperiuntur circa turbas in Belgio a 23. Nov. 1566—12. Dec. 1568.

51. Leo Sibrandus O. Praem. Leuwardensis, pastor in Menaldum (22. Jun. 1578), praeter alia[1]) collegit res gestas in Frisia, quo labore alii sunt usi. Scripsit *vitas et res gestas abbatum in Lidlum* ab aede condita 1132 usque ad a. 1575, quod opus edidit Ant. Matthaeus in Vet. aevi Anal. Hagae Comitum 1738 III², 537—588; et Hugo in s. Ant. Monumentis t. II, 222—267; *Vitam et res gestas abbatum Horti d. Virginis* seu Mariengard apud Frisios, apud Ant. Matthaeum op. cit. V, 241—266. — Augustinus Florentinus O. Carm. edidit *Historiarum Camaldulensium ll. III,* Florentiae 1575 in 4, quo in op. disserit de origine aliorum ordinum, de adventu Eugenii IV. Pisas et Florentiam, de conciliis basileensi et florentino, de renatis literarum studiis etc. — *La Chronique de Mauriac* par Montfort (parochum) suivie de documents inèdits sur la ville et le monastère ex medio sec. XVI. demum e tenebris juxta epitomen eruit Lud. de Ribier, Parisiis 1905 in 8. — Petrus Calzolai (Calzolari) etiam Petrus Ricordatus seu Florentinus dictus, a loco patrio in Etruria de Buggiano cognominatus, unde enata occasio plures fingendi scriptores, ordinis erat s. Ben. congr. cas. in monasterio florentino s. Mariae, dein prior in monasterio romano s. Pauli extra muros († 11. Maj. 1580). Scripsit *Historia monastica* overo Trattati per modo di Dialogo, Florentiae 1561; Romae 1575 in 4. ed. aucta et emendata, quae suo tempore aestimabatur.

52. Missionum historiam narrant Hieronymus de Mendieta O. Min. reg. obs. Victoriensis, Hispanus, in regno mexicano lector et concionator apostolicus (fl. 1580), qui reliquit *Historiam ecclesiasticam mexicanam,* quae primum prodiit Mexico 1870. — »Bartholomaeus de las Casas (Casaus) OP. Hispanus Indorum occidentalium vere pater et inter eorum apostolos praeprimis numerandus ob animarum salutis studium vitaeque sanctitatem et eruditionem singularem, praesertim vero ob miserorum Indorum defensionem. Gestis suis magnum sibi fecit in utroque orbe nomen[1]).« Natus est c. 1474 Hispali. In s. Dominici insulam 1502 navigavit atque 1510 ad sacerdotium fuit promotus. Didacus Velasquez Cubae prorex eum sibi consiliarium selegit eique in commendam, ut ajebant, quosdam Indorum populos regendos tradidit. Qua occasione didicit diras exactiones, quibus Indi vexabantur bisque propterea in Hispaniam remeavit remedia a regibus catholicis impetraturus, quibus obtentis rediit, sed parvo fructu, cum executioni non mandarentur. Interim a. jam natus 48 ordinem ingressus est s. Dominici (1522). Non destitit a tuendis Indis non sine omni fructu, sed ingentes propterea subiit labores, aerumnas atque contumelias. Ad chiapensem sedem nominatus, licet a dignitatibus abhorreret, ideo tandem consensit, ut efficacius Indorum causam agere posset: sed male a Hispanis earum regionum domitoribus exceptus est. »Verum ut erat vir infracto pro justitia animo fronteque a Deo donatus eorum duriore, contumelias omnes pro Christo parvipendens pro lege Dei et Caesaris impigre et intrepide ubique seu apud oves sibi creditas, seu in consessu episcoporum seu coram tribunalibus regiis astitit ab a. 1545—1547.« Fatendum tamen est eum subinde vehementius suis institisse consiliis atque prudentiae non satis habuisse rationem. In

[1]) Cf. Goovaerts Ecrivains ... de l'Ordre de Prémontré II, 177 s.

[1]) Echard II, 192; Brück KL. VII, 1437—1441.

Hispaniam rediit, episcopatu se abdicavit (1551), Pinciae substitit ut aulae propior Indorum libertati facilius consulere posset. Decessit[1]) venerandus a. 92 senex 31. Jul. 1566. Ejus scripta plura sunt partim inedita, partim edita Hispali 1552 in 4; Barcinone 1646. Ea fere spectant Indorum causam: in eorum uno aggreditur Jo. Genesium de Sepulveda Hispaniae Ciceronem suo seculo dictum (de quo supra p. 57), qui disputaverat *de justis belli causis* contra Indos suscepti. Ejus *Historia de las Indias* (ab a. 1492—1520) primum prodiit cura Marq. de Fuensanta de Valle y Don José Sancho, Madrid 1875 t. 5.

53. Laurentius Surius (Sauer) natus est Lubecae (1522). Coloniae socium studiorum habuit Petrum Canisium, qui illum ab haeresi, qua jam erat infectus, ad avitam reduxit fidem[2]). Abundabat ea aetate Cartusia coloniensis viris eruditione et sanctimonia clarissimis, Gerardo Hammontano, Theodorico et Brunone Loheriis, carne et spiritu fratribus, Henrico Helmesio, Justo Lanspergio: cujus potissimum odore allectus videtur, ut hoc austerum vitae solitariae genus eligeret. Vestem sacram induit 23. Febr. 1540. Excepto brevi intervallo omnem vitam Coloniae egit in quiete operosissimam, in silentio facundissimam et tot linguis quot editis libris Ecclesiae Christi patrocinantem, in solitudine cum catholicis eruditis conversantem religiosissimus eremita, sed apostolico zelo pro Ecclesia Dei desudans, nec ante scribendi[3]) quam vivendi finem fecit 23. Maji 1578[1]). Tanti eum fecit Pius V., ut ejus sanitatem, quae perennis abstinentiae rigore, vigiliis, studendi scribendique labore frangebatur, Priori coloniensi commendandam judicaverit. Plurima doctorum virorum, ut Gropperi, Eisengrein, Susonis, Tauleri, Ruysbrochii, Fabri, Staphyli etc. opera utilia latine reddidit; 22 patrum et scriptorum ecclesiasticorum edidit homilias; novam adornavit *conciliorum collectionem*[2]) Coloniae 1567 v. 4; Sleidano opposuit[3]): *Commentarium brevem rerum in orbe gestarum* ab a. salutis 1500 ad a. 1564, Lovanii 1566; cum additamento Mich. ab Isselt[4]) usque ad a. 1586, Coloniae 1586;

---

[1]) Cf. Gutierrez Fr. B. de las Casas, sus tiempos y su apostolado, Madrid 1878; Baumstark B. de las Casas, Freiburg i. Br. 1879; Fabie Vida y escritos del P. F. B. de las Casas, Madrid 1880 t. 2.

[2]) „Ex haeretico catholicus, inquit b. Canisius in suo testamento, me adjutore Coloniae factus." Cf. Riess, Petrus Canisius c. 1; Raess, Convertiten 2, 338 ss.

[3]) Surio ad scribendum perpetuus hortator fuit Gerardus Calcificis (Kalkbrenner) Brabantinus ex causidico mira Dei gratia O. Carth. illustrissimum decus. Ob eminentem pietatem, et vitae religiosae ferventissimum exemplum ad mortem usque (1566) praepositum egit. Opera Rugsbrockii (II, 715), Tauleri (II, 666) et Dion. Rickel (II, 909) typis edidit. Cf. Hartzheim bibl. col. p. 94.

[1]) Cf. Hartzheim, Biblioth. colon. 218 ss., ubi ejusdem operum catalogum reperies; Niceron 21, 319 ss.; Raess Convertiten II, 338 ss.

[2]) Praeiverant ei in hoc opere Jacobus Merlinius, de quo cf. Nomencl. II, 1532 et Petrus Crabbe Min., de quo cf. ib. p. 1532.

[3]) Roveri Pontani O. Carm. († 1567) sunt *Rerum memorabilium* ab a. 1500-1560 in republica christiana gestarum ll. 5, Coloniae 1559, pariter adversus Sleidanum, cujus op. Surii opus forte est retractatio.

[4]) Michael ab Isselt Doccomii (non Amorsfordiae) in Frisia natus Lovanii studiis operam dederat. Praevalente in ditione patria haeresi in exsilium ire est coactus. Coloniam se contulit, inde post annos complures Noviomagum et postea Hamburgum, ubi italis mercatoribus curam impendit spiritualem († 17. Oct. 1597). Praeter continuationem laudatam alia scripsit, ut *Historiam belli coloniensis* ll. IV, 1584; 1586 ed. aucta et continuata ad a. 1586; 1620. Agit hic de Truchsessio archiepiscopo, qui deficere cogitabat a fide. Cornelii Mussi (cf. pag. 86) *conciones* ex italico latinas fecit, praemissa ejusdem Mussi vita Coloniae 1603. Alia ejusdem

(haec continuatio prodiit seorsum, ib. 1602), „ut in hoc qualicunque commentario, sicut ipse in praef. scribit, doctrinae inconstantiam, foedissimas antilogias, atrocissimas alterationes et his consimilia multa, quae in nostris evangelicis dogmatistis et praeconibus visuntur, diligenter lectori ob oculos ponerem et quaedam etiam inculcarem, ut magis moveant et tenacius animis affigantur.“ Germanice illum vertit Henr. Fabricius episcopus auxiliaris spirensis, Coloniae 1568; gallice Jacobus Estourneau, Parisiis 1571, qui illum etiam continuavit ad a. 1570. Hoc opus adversariorum movit bilem, qui Surium propterea „perfrictae frontis hominem et impudentissimum calumniarum et conviciorum architectum“ dixerunt, ut Seckendorf; vel „mendaciorum pessimum excogitatorem“ ut Paulus Melissus: vel ejus opus „ex meris fere mendaciis et conviciis conflatum ac compositum“ pronunciarunt, ut Schelhorn etc.[1]). Verum inter cetera Surii opera eminet: *De probatis vitis sanctorum* ab Al. Lipomano olim conscriptis, nunc primum emendatis et auctis in f., Coloniae 1570—75: alteram editionem auctiorem et puriorem inceperat quidem, sed morte praeventus absolvere non potuit; eam absolvit ejus sodalis[2]) Jacobus Mosander adjecto t. 7., ib. 1576. Methodum vero, quam in edendis SS. vitis secutus est Surius, ipse ita nos docet: „Equidem ut etiam erudito lectori gratificarer, vitas aliquot rudi stilo conscriptas, aliquanto latiniores reddidi; maxime quarum auctores nondum comperi: nonnunquam vero etiam illas nonnihil elimavi, quae habent suos quidem auctores, sed sic scriptae erant, ut delicatas aures eorum, qui sermonis elegantia delectantur, facile offenderent.“ Cum id nonnullis displicuerit[1]), repositae sunt hae vitae prout ab ipsis auctoribus conscriptae erant in tertia editione, quae multo locupletior et in duodecim tomos distributa et ad commodiorem redacta usum Coloniae prodiit 1618. Plures quidem Surio in vitis SS. colligendis praeiverant, sed nemo judice Bollando[2]) illius studium et industriam adaequavit: suoque opere praeivisse ac fundamenta velut jecisse magno illi operi, quod a Bollando nomen accepit, non immerito dixeris. Cumque Surius primum tomum dicasset Pio V., ab illo benevolentissimas accepit literas, in quibus inter alia legimus: „Librum sanctorum vitas continentem a te nuper editum atque ad nos missum libentissime accepimus, qui quidem eo gratior nobis fuit, quod opus in se continet a nobis semper desideratum et ad refellenda haereticorum in easdem patrum sanctorum historias maledicta aptissimum; laudamus itaque pium hunc laborem tuum, teque, quod coram Domino vacuus apparere nolueris . . . debitis in Domino laudibus commendamus.“ Nostra aetate iterum prodiit inscriptum: Surius

opuscula cf. in Bibl. Col. Hartzheimii p. 252.

[1]) Ap. Mich. a s. Jos. Bibliogr. crit. III, 176.

[2]) Edidit Mosander etiam *Martyrologium* Adonis, Coloniae 1581 in f. emendatum et auctum. Erat Mosander patria Flander, ante suum in ordinem ingressum parochus. Post ingressum missus est Moraviam ad reformandam Carthusiam s. Josaphati, ibique decessit 24. Apr. 1589.

[1]) Schütz, de scriptis et scriptoribus histor. Ingolstadii 1761. art. Surius. Hinc Bona in notitia auctorum: „Laurentius Surius nitidus scriptor, cujus laboriosum opus *de vitis sanctorum* gratius foret et utilius, si veterum scriptorum primigeniam phrasim retinuisset.“

[2]) In praef. gener. ad acta SS. c. 1. § 5. Surii opus in compendium redegerunt Zacharias Lippelous antwerpiensis O. Carth. († 1599), cujus compendium (Coloniae 1596 t. 4) auctum et emendatum edidit Corn. Grassius Coloniae 1603. 1604 t. 4 in 12; 1616 t. 4; et jam antea Franc. Haraeus epitomen phrasi auctorum servata confecerat Antwerpiae 1591, duplo auctam et illustratam chronologia et annotationibus, Coloniae 1605.

Historiae seu vitae SS. juxta optimam coloniensem ed., nunc vero ex recentioribus et probatissimis monumentis numero auctae, mendis expurgatae et notis exornatae, quibus accedit martyrologium romanum breviter illustratum, taurinensi presbytero e congr. cler. reg. s. Pauli curante[1]), Taurini 1875—80 t. 13 in 8.

54. Inter *hagiographos* referre adhuc licet Andream de Resende (Resendium ab aequalibus multum laudatum[2]). Natus est Eborae a. 1498 parentibus claris. Puer adhuc ordini s. Dominici nomen dedit. Optime institutus pro uberiori ingenii cultu Parisios atque Lovanium adiit. Antiquitatum studio maxime delectabatur ut domus ejus (nam praepositorum venia e claustro transiit in aulam regiam) eruditionis antiquitatisque patriae et ecclesiasticae oraculum haberetur († 1573). Opera ejus collecta prodierunt Coloniae 1600 t. 2 in 8., inter quae praeter carmina sunt *Antiquitatum Lusitaniae ll. IV*, scil de populis, fluminibus, dominatoribus et urbibus. Illos fere perfectos ab ejus morte complevit Jac. Maenetius Vasconcellus, scholiis illustravit et edidit Eborae 1593. *De antiquitatibus Eborae* l., lingua vernacula conscriptus, ab Andrea Schotto latine redditus et cum priori op. Romae editus 1597; *de aera hispanica* ep. duae etc. Praeterea *Breviarium eborense* recognovit et quoad vitas sanctorum praesertim Hispanorum ex antiquis monumentis accuratissime emendavit, Eborae 1567. *Vita b. Aegidii* Scallabitani O. Praed. († 1265) quam retractatam edidit Steph. Sampayo Lusitanus inscriptam conversio miranda d. Aegidii etc. Parisiis 1586 in 8; in Act. ss. 14 Maj. III, 403—438. — Didacus a Rosario pariter Lusitanus et O. Praed. vir pius atque eruditus, spiritu apostolico maxime commendatus erat, quo peccatores ad meliorem frugem emollivit, tepidos excitavit ad arduum virtutis conscendendum culmen. A Bartholomaeo de Martyribus ad braccarenses infulas evecto assumptus est in partem sollicitudinis (Fl. 1580). Composuit *Historia das vidas* e feitos heroycos et obras insignes dos sanctos co muitos sermones e praticas spirituaes que servem a muytas festas do anno, Conimbricae 1577 t. 2 in f. *Summa de casos* et Catechismo Bracarae edidisse legitur[1]). — *Vita s. Mariae Bagnesiae V.* tertii ord. s. Dominici († 1577) ex italico Augustini Campi de Pontrémoli presbyteri domestici latine reddita legitur in Actis ss. 28. Maj. VI Coroll. p. 113* — 128*. — Ludovicus Gonzalez (Gonsalvez) de la Camara S. J. n. in Madeira insula familiari utens consuetudine s. Ignatii enixis precibus hunc sanctum movit, ut suam ipsi narraret vitam. Has notitias diligentur collegit ediditque ut jam diximus II, 1570 a. Huic autobiographiae adjecit *Algunas cousas* que o P. L. Gonzalez noton na vida de nosso P. Ignatio. Utrumque opusculum accurate prodiit in Monumentis Ignatianis Ser. IV t. I Matriti 1904 cum additamentis pretiosis aliorum ad acta illius Sancti illustranda. Obiit Gonzalez 15. Mart. 1575.

55. Denique ad historiam *literariam* suppetias ferunt: Bernardinus Scardeone Patavinus n. 1478, canonicus et a. 34 monialibus a confessionibus vir rarae integritatis atque eruditionis († 29. Maj. 1574 a. aetatis 96), qui scripsit *de antiquitate urbis Patavii* et claris viris, Basileae 1560, opus quidem doctum, sed ed. est admodum mendosa; etiam in Vander Aa corpo degli Scrittori delle cose italiane; *de castitate ll. VII,* opus plenum

---

[1]) Cf. de hac editione Lit. Handweiser 1883 c. 501 ss.

[2]) Cf. Echard II, 221.227; Nic. Antonius Bibl. hisp. n. I, 83—86.

[1]) Cf. Echard II, 257.

eruditione sacra et profana, in quo disserit de sacris virginibus; coelibatu; de conjugio et continentia sacerdotum; de molestiis conjugatorum; de male profitentibus religionem; de pudicitia matrimonii: de ratione coërcendae libidinis, Venetiis 1542; et libellos asceticos, ut *Nave evangelica*, Venetiis 1551 etc. — Valentinus Rotmar laicus, Ingolstadii professor literaturae latinae, dein poeseos et rhetoricae († 1580) coepit colligere *Annales ingolstadiensis academiae*, 1580, quos continuavit N. Mederer ad sua tempora ediditque 1782 t. 4; Permaneder adjecit t. 5. (1859), ut suis locis dicemus. Complementi instar coeperat Rotmar *Almae ingolstadiensis academiae* t. 1., quem Engerd[1]) absolvit ediditque 1581. — De illustribus viris florentinis coepit scribere Michael Poccianti O. Serv. b. M. V. Florentinus (†1576), qui in *Bibliotheca florentina* catalogum exhibet scriptorum florentinorum omni generis . . . usque ad a. 1559, quod opus absolvit et auxit Lucas Ferrinius de Prato ediditque Florentiae 1589. Composuit Poccianti *historiam* sive chronicam rerum ordinis Serv. b. M. V. ab a. 1233—1566, Florentiae 1567; *Vite de' sette beati Fiorentini* fondatori del s. ordine di Servi con un' epilogo di tutte le Chiese, Monasteri, Luogi pii etc., quod opus ex ejus schedis edidit Ferrini, ib. 1589. — Alfonsus Garsias Matamoros Hispalensis latini sermonis elegantia percelebris rhetoricam docuit in academia complutensi. Disseruit *de ratione dicendi* ll. 2, Compluti 1548; 1561 in 8; *de tribus dicendi generibus* sive de recta informandi stili ratione, ib. 1570; *de methodo concionandi* juxta rhetoricae artis praescriptum, ib. 1570; *de academiis et doctis viris Hispaniae* sive pro asserenda Hispanorum eruditione narratio apologetica, ib. 1553, et in Hispania illustrata ed. Francofurtensis 1603 auctore A. Schotto.

[1]) Joannes Engerd poeta laureatus et philosophiae magister Neostadii in Thuringia natus poesim Ingolstadii 1572-1585 docuit. Postquam vero facultas philosophica tradita fuit patribus societatis Jesu, ipse a docendo cessavit et exinde nulla amplius ipsius mentio occurrit. Plura edidit opera, quae cf. in Kobolts baier. Gelehrtenlex. p. 204, inter quae et polemica contra protestantes, ex. gr. *Summarische Historie und wahrhaftige Geschichte* von dem Leben, Lehr- und Bekenntniß und Ableiben M. Luthers und J. Calvin und auch etlicher anderer Mitgehilfen und Diener des neu offenbarten Evangelii, Ingolstadii 1582, opus rarum.

VI. Theologia practica.

56. Duo hac periodo obierunt pontifices iique de Ecclesia optime meriti, Pius IV. et s. Pius V. Ille antea dictus Joannes Angelus Medici patria erat Mediolanensis n. 31 Mart. 1499. Medicinae et jurispudentiae juvenis operam dedit, aliquamdiu advocatum egit. Ob bellicas turbas Romam se contulit, ubi a Clemente VII. factus est protonotarius. A Paulo III. in variis negotiis et legationibus adhibitus dictus est (1545) archiepiscopus et (1549) creatus cardinalis, et 25. Dec. 1559 electus est pontifex. Magna sunt ejus merita, quod concilium tridentinum tamdiu suspensum iterum convocaverit (1560), continuarit, ad felicem perduxerit exitum atque ejus decreta solemniter bulla 26. Jan. 1564 confirmarit. Ipse condidit fidei professionem omnibus munus aliquod ecclesiasticum suscepturis jam praescriptam, indicem librorum prohibitorum reformavit (1564), deque exsequendis decretis solicitus erat, sed mox occubuit morte plane invidenda (9. Dec. 1565),

assistentes enim habuit in agone ultimo s. Philippum Nerium et s. Carolum Borromaeum ex sorore nepotem, quem cardinalem creaverat[1]). Urbem tot ornamentis auxit, ut cecinerint:

Marmoream me fecit, eram cum terrea, Caesar,
Aurea sub quarto sum modo facta Pio.

Amator erat pacis, hinc etiam relationes benevolas principum catholicorum erga sedem apostolicam restituit. — Pium IV. excepit Pius hujus nominis V., antea Michael Ghislieri appellatus in oppido Bosco prope Alexandriam in Insubria natus 17. Jan. 1504. Puer a. 14 ingressus est O. S. Dom. Philosophiam et theologiam sodales annos 16 docuit, munusque inquisitoris a. 1549 adversus haereticam pravitatem Comi strenue gessit. A Paulo IV. episcopus nepesinus et surrentinus est electus (1556) et mox a. sequenti 15. Mart. purpura decoratus et factus inquisitor generalis (1558). Ad ecclesiam Montis Regalis in Subalpinis a Pio IV. translatus est. Cum autem invicto pro fide animo atque ardenti pro Ecclesiae bono arderet studio praeter omnium exspectationem communi cardinalium suffragio electus est opera praesertim s. Caroli Borromaei 7. Jan. 1566 in romanum pontificem. Sollicite institit exsequendis decretis concilii tridentini de reformatione sancitis. Curavit[2]) editionem *Catechismi Romani* (1566), reformationem Breviarii et Missalis (1570) atque sollicitudine ardentissima principes excitavit christianos adversus Turcas perniciem Occidenti intentantes extremam: nec defuit ejus conatibus successus, nam relata insigni victoria ad Echinadas insulas navali fracta est saltem ad tempus eorum potestas et audacia. Dum vero novam in illos expeditionem pararet, in gravem incidit morbum, quo consumptus piissime obiit 1. Maj. 1572 a. aetatis 68. Duxit et in pontificatu vitam plane asceticam, virtutum omnium exstitit speculum, unum spirabat religionis incrementum[1]). Inter sanctos relatus est a Clemente XI. a. 1712. *Ecloge bullarum* et motu propriorum Pii IV. Pii V. et Gregorii XIII. prodiit Lugduni 1582; Apostolicarum Pii V. *epistolarum ll. V.* editi sunt opera Fr. Goubau, Antverpiae 1640.

57. Omnes, qui in jure canonico illustrando versati sunt hac epocha, eruditionis fama nominisque celebritate vincit Didacus de Covarrubias y Leyva, Toletanus n. 25. Jul. 1512, discipulus in studiis civilibus et canonicis magni Martini Azpilcueta Navarri, qui tanto discipulo merito etiam gloriari solebat[2]). Postquam docuerat ab a. 1543 jus canonicum in academia salmanticensi (cujus statuta ipse condidit), aliaque obivit munera honorifica, ad cathedram episcopalem civitatensem (Ciudad Rodrigo) promotus fuit a. 1560. Hoc spectabilis honore ad synodum se contulit Tridentum, in quo totius Ecclesiae

[1]) Cf. v. Funk KL. X, 52—54. Multa ejusdem documenta reperies apud Jos. Susta die röm. Curie und das Concil von Trient unter Pius IV, Wien 1904.

[2]) Cf. Skibniewski, Gesch. des röm. Katechismus, Rom 1903.

[1]) Quam plurimi scripserunt ejus vitam ut Hier. Manfredus, Cesenae 1586: Jo. Ant. Gabutius cler. reg. Romae 1605 in f. et in Actis SS. 5. Maj. I, 617—714; Gir. Catena, qui fuit sancto pontifici ex sorore nepos et a secretis, cum ejusdem epistolis selectis ad principes Romae 1586 in 4; 1587; Alex. Maffei Romae 1712 in 4., cujus vita et eleganter et accurate scripta dicitur ab Echard I, 220; Falloux Hist. de s. Pie V., Paris 1846; 1858 ed. 3. etc. Cf. v. Funk KL. X, 54 s.

[2]) Janus Nicius Erythraeus in sua Pinacoth. 1, 1. disserens de Navarri discipulis, ait: „Quos inter Did. Covarrubias magistrum etiam ipsum non minimo intervallo superavit, ingenii praestantia, judicii acumine, magisque recondita exquisitaque doctrina, cujus nomen ne eundem celebritatis in locum evolarit, quo Martini fama pervenit, popularis aurae favor effecit, qui non aeque ipsi atque illi secundus afflavit.“

theatro mire sibi corda omnium judiciaque devinxit. Nam et decreta quotquot de reformatione scripta sunt, quorum formatio Didaco nostro Hugonique Buoncompagno, qui Gregorius fuit postea XIII. papa, commendata fuerat, partes suas cedente socio, composuisse ac perfecisse solum, Joannes Horoczius Covarrubias, nostri ex sorore patruele nepos, in moralium emblematum l. scribit (de qua narratione tamen alii dubitant). In reditu factus Segoviae episcopus a. 1565, in locum deinde 1572 Didaci Espinosae S. R. E. cardinalis demortui assumptus fuit ad praefecturam magni Castellae senatus, quem magistratum integritate et prudentia eximia per sexennium fere gessit usque ad obitus diem 27. Sept. a. 1577. Lectionis et studiorum suorum testis est libraria ejus supellex omni librorum genere constans, in quibus omni orae insidens et affixa diurni nocturnique visebatur observatoris manus. Otium etenim sic aversatus fuit, nullam diei horam ire sibi passus inutilem, ut et in gravissimo et occupatissimo regiae praefecturae munere etiam semihorae spatium, quo senatores una ad regem ingressuri exspectare solent, elabi sine fructu non sineret, adeo ut per hoc intervallum collegis inambulantibus, non multis mensibus Platonem ac Rhodigini antiquas lectiones quasi aliud agens evolveret[1]). A suis aequalibus summis extollitur laudibus, nam »adeo in omni genere disciplinarum excultus fuit, ut de unaquaque, tanquam si de nulla alia didicisset, abunde et copiose disserere posset[2]).« »Scripta ejus, inquit Doujat[3]), in pretio sunt, non immerito: usus enim est solido judicio, congrua methodo, stilo puro atque perspicuo«. Opera ejus collecta prodierunt Francofurti t. 3 in f., Antverpiae t. 2 in f.; Lugduni 1661; plenior est editio genevensis a. 1762 vol. 5 in f. Complectuntur ea in primis interpretationes in varios titulos, capita, regulas juris, ut de testamentis (1654), pactis, juramento (1553), de restitutione, immunitate ecclesiarum, homicidio etc.; epitome *de sponsalibus et matrimoniis*, primum ejusdem opus a. 1545; variarum ex pontificio, regio et caesareo jure *resolutionum ll. 4*, 1554; Lugduni 1594; cum annotationibus doctis Joannis van Uffele (bruxellensis n. 1577, † 1617) Antverpiae 1604; *practicarum quaestionum* l. singularis 1556 etc.

59. Nominari praeterea merent: Bartholomaeus de Carranza et Miranda O. Praed. Navarrus n. 1503, tragica vitae fortuna notissimus. Magnam eruditionis famam aquisivit: hinc theologiae cathedram Vallisoleti rexit, interfuit concilio tridentino (1546—48), in quo stetit pro necessaria residentia personali episcoporum[1]). Post reditum e concilio electus est prior et a. 1550 praepositus provinciae. Cum concilium Tridenti iterum esset congregatum 1552, ipse ad illud rediit. Philippum II., qui Mariam Angliae reginam in matrimonium duxerat, in Angliam est comitatus. Ab eodem dein promotus est omnino invitus ad summas ecclesiasticas dignitates, fuit siquidem archiepiscopus toletanus et Hispaniae primas.

---

[1]) Cf. Biblioth. Hisp. nov. 1, 276 ss.

[2]) Joannes Garsias de Nobilit. gloss. 6. § 1.

[3]) Praenotionum canonic. l. 5. c. 8. Andrés (dell'Origine, dei progressi e dello stato attuale d'ogni Letteratura) p. 6. l. 3. c. 2: Nè il corso di più di due secoli, nè il raffinamento della critica, nè la maggiore cultura degli studi, nè il cambiamento delle circostanze non hanno potuto far cadere di preggio la dottrina del Covarruvias, e le sue opere sono anch' oggidì stimate da' canonisti pel sodo giudizio, pel buon metodo, pel chiaro stile, e per molt' altre lodevoli doti, che con vantaggio compensano qualche mancanza di quell' amenità d'erudizione, che in alcuni moderni si trova.«

[1]) Ejus votum prodiit Venetiis 1547; 1562; Lugduni 1550; Antverpiae 1554; apud Le Plat III, 522—84.

Sed mox in haeresis crimen vocatus est. Romam appellavit, verum nonnisi post a. 8 captivitatis illuc venire permissus, absolutus demum fuit post alios 9 annos, sed non plene. Sententiae paucos dies superstes fuit[1]), obiit enim 2. Maji 1576. Composuit praeter *commentarium in catechismum*, Antverpiae 1558 in f., qui praecipuam causae in eum motae occasionem praebuit, *Summam conciliorum et pontificum* a Petro usque ad Paulum III. succincte complectens omnia, quae alibi sparsim tradita sunt, cui introductionis loco praemisit controversias IV de auctoritate traditionum, s. Scripturae, romani pontificis et conciliorum. Haec summa propter ejus utilitatem saepissime fuit recusa. Primum prodiit Venetiis 1546. Complectitur breves de romanis pontificibus notitias, recenset eorum epistolas decretales, praecipuas exhibet, sicut et canones conciliorum oecumenicorum et celebriorum provincialium. Ejus sodalis Dominicus Schram eam edidit emendatam, auctam decretis ultra centum conciliorum, continuatam usque ad Pium VI., Augustae 1778 vol. 4. *Orationem* ejus habitam 14. Mart. 1546 in concilio tridentino exhibet Le Plat I, 52—63. — Franciscus de Vargas y Mexia, jurisconsultus peritus sub Carolo V. et Philippo II. honorificis muneribus est functus obivitque legationem et ad conc. tridentinum (1548. 1551) et ad Paulum IV. et Pium IV., qui in quaestione de episcoporum jurisdictione tunc acerrime in concilio agitata ejus sententiam rogavit ob notam hominis integritatem et doctrinam, misitque eam cum aliorum votis Tridentum. Post haec Philippo regi a consiliis status fieri promeritus, aliquot annis elapsis ab eodem vitae quietem et emeritum otium impetravit, et in Cislensem prope Toletum Hieronymianorum domum secessit[1]). Edidit suum *de episcoporum jurisdictione* et pontificis M. auctoritate responsum, Romae 1563 in 4., opus rarum et exquisitum, in quo pontificis auctoritatem strenue tuetur; etiam in Rocaberti bibl. XI, 520—66. Ejus epistolae de concilio tridentino a. 1550—51 prodierunt partim in Mich. le Vassor Lettres et Mèmoires de Fr. de Vargas touchant le Conc. de Trente, Amstelodami 1900; partim in *Papiers d' état* du Card. de Granvelle ed. Weiss, Parisiis 1846 t. VI; in Lor. Villanueva Vita liter. II, Londini 1825 app.; Collección de documentos ineditos para la hist. de España IX, 81—406, Matriti 1846; II, 518—551; et apud Döllinger Beitr. zur pol., hist. u. Culturgeschichte der 6 letzten Jahrh. Regensburg 1862 p. 245—543. *De canonizatione SS.* et certitudine pontificiarum definitionum, Venetiis 1564. — Alphonsus Hojeda de Mendoza Baeticus, Carmonensis, in academia hispalensi ss. canonum professor, dum versaretur Romae instante Antonio Mapheo cardinali scripsit ad illustrationem decreti conc. tridentini prolixum tr. *de beneficiorum compatibilitate et incompatibilitate,* Venetiis 1579 in f. — Alphonsus Alvarez Guerrero juris utriusque doctor, regni atque urbis neapolitanae praeses et episcopus neapolitanus († 1577) disputavit *de jure rom. pontificum,* imperatorum, regum ac episcoporum aliisque ad jus pertinentibus, Coloniae 1586, quo in opere quaestiones sui temporis pertractavit; ex eo aliqua recepit Roccabertius in suam bibl. pont. t. II. *De modo et ordine generalis concilii celebrandi* et de Ecclesia Dei in priorem faciem revocanda Neapoli 1545; de *bello justo et injusto,* ib. 1543. — Michael de Aniñon Aragonius poeta decretorum doctor et jurisconsultus disseruit diligenter *de unitate ovilis et pa-*

[1]) Cf. plura apud Langwitz, Bartholomaeus Carranza, Kempten 1870; Echard II, 236 ss.; Hundhausen Kirchenlex. II, 1982—9; Reusch der Index I, 455—66.

[1]) Cf. Pfülf KL. XII, 593 s.

storis, Caesaraugustae 1578 in 4; in bibl. Rocaberti XVI, 333—429. — Bernardinus de Sandoval canonicus toletanus atque scholae urbis praefectus edidit Tr. *del Oficio Ecclesiastico Canonico,* Toleti 1568; de iis, qui in carceris custodia asservantur, consolandis (hispanice) ib. 1564. Obiit Romae 1572 facultatibus suis testamento pauperibus legatis.

59. Inter *italos* mentione digni sunt: Thomas Campeggi Bononiae natus, qui in romana curia variis dignitatibus auctus est et episcopus feltrensis renunciatus. Wormatiam ad comitia 1540 et postea ad synodum tridentinam a Paulo III. missus fuit, ad quam omnium primus advenit. Magna erat ibidem ejus auctoritas, auctorque ipse fuit, ut fidei morumque negotium simul agitaretur[1]). Oratione prolixa defendit ejus translationem in urbem bononiensem (apud Le Plat III, 612—24). Porro ex ingenii ejus monumentis, quae posteris reliquit, praecipuum est illud *de auctoritate conciliorum,* Venetiis 1561. In hoc opere raro praeprimis concilia universalia convocandi causas recenset, pontificis super ea auctoritatem, quamvis nonnihil obscure, tuetur; jus ea convocandi pontifici vindicat (cardinalibus vero in casu pontificis haeretici vel dubii), sicut et jus eadem confirmandi, a qua confirmatione conciliorum infallibilitatem pendere statuit; aliasque ad synodos spectantes quaestiones, ut de membris, de modo suffragia ferendi, expendit. Scripsit praeterea tr. solidum et eruditum *de auctoritate et potestate rom. pontificis* in Ecclesia Dei, cum aliis tribus opusculis scil. An rom. pontifex possit dirimere matrimonium ab haereticis contractum, Venetiis 1562; de conciliorum auctoritate; de beneficiorum pluralitate, Venetiis 1555 in 12; etiam in *bibl. pontificia Roccaberti* XIX, 568—618, quae tria opuscula recepta etiam fuere inter tract. illustr. juris cons. t. XIII. XV. et XIX; *de residentia pastorum,* tum inter illos tractatatus t. XV., tum inter *opuscula* complurium auctorum de ss. pontificis auctoritate collecta a Remigio Florentino[1]), Venetiis 1562; *de coelibatu sacerdotum* non abrogando, ib. 1554; *An pontifex possit incurrere labem simoniae*; *de pensionibus*; *de fructuum reservatione*; *de beneficiorum reservationibus, de benefi-*

[1]) Pallavicino l. 5. c. 7. n. 5. Hist. conc. trid. Cf. insigne de eo encomium Sadoleti in literis ad Paulum III. datis, quibus eum purpura dignissimum proponit apud Tiraboschi VII, 2, 150 s.

[1]) Cf. Dupin 16, 73 ss. Andres t. 7. p. 2. l. 3. c. 2. „La sola opera su l'auctorità de concili del card. Campegio basta per farlo rispettare per un profondo ed erudito jurisconsulto, che tante e si gravi questioni con singolare giudicio e dottrina seppe risolvere. Quanto più nol comparirà al vederlo inoltre autore di tant' altri trattati sul possesso de' beni ecclesiastici, su la pluralità dei benefici, e su molt' altri punti più direttamente canonici, distesi con sì buon metodo, con tanta gravità di dottrina ed equità di giudizio." Sed cum eum cardinalem dicit memoria videtur lapsus, non enim Thomas fuit cardinalis, sed ejus frater Laurentius († 1539), de quo cf. Nomencl. II, 1325, atque ex fratre nepos Alexander († 20. Sept. 1554). Ab his distinguendi sunt: Camillus Campeggi O. Praed. Insuber, Ticinensis, annis quindecim inquisitor generalis Papiae primum, tum Ferrariae, demum Mantuae, quem Pius IV. theologum ad concilium misit, et a. 1568 Pius V. episcopum nepesinum et sutrinum dixit († 1569). Disputavit *de primatu* rom. pontificis contra Matthiam Flacium Illyricum, qui tr. prodiit in bibl. max. pont. Roccaberti t. VII., ediditque locupletissimis additionibus et summariis auctum aureum tr. Zanchini Ugolini jurisconsulti († 1340) *de haereticis,* Mantuae 1567 in 4; Romae 1579 cum annotationibus Jac. Simancae. Orationem ab eo in conc. tridentino habitam cf. apud Le Plat I, 264—69. — Joannes Bapt. C. Bononiensis episcopus majoricensis († 1583), cujus oratio habita in conc. ibidem reperitur p. 238—245. — Sigismundus C., Anconitanus, advocatus, cujus est *Enormità inaudite* nuovamente uscite in luce contro il decoro della ap. Sede Rom. in due libri etc. Francofurti 1649.

ciorum commendis; de unionibus ecclesiarum, de annatarum institutione et earum defensione; *de coadjutore episcoporum*, quae opuscula pariter recepta sunt inter tractatus illustrium in utraque tum pontificii tum caesarei juris facultate juris consultorum t. XV., Venetiis 1584. Omnia haec argumenta Campegius succincte sed admodum perspicue pertractat, ac se in jure canonico admodum peritum ostendit († 11. Jan. 1564).

60. Antonius Cucchus, juris in academia ticinensi professor, imitatione Justiniani primus forte ordine systematico *juris canonici institutiones* duplici opere composuit, breviori uno et concinno, altero majoris molis; prius minores, posterius majores appellans[1]). Prodierunt Lugduni 1564; 1574; Papiae auctae et recognitae 1565 etc., cum Sam. Maresii scholiis 1660. De auctoris nomine *Cucchianae* institutiones vulgo nuncupari solent; quae Lancelotti institutiones elegantia superant, sed ab iis vincuntur perspicuitate. — Plura opera ad jus canonicum spectantia in lucem emisit Guilelmus Redoanus (Rodanus), Ligur, vir solidioris literaturae, episcopus nebiensis in insula Corsica, quondam etiam nuncius apostolicus in aula neapolitana († 1574), ut *de spoliis ecclesiasticorum*, Romae 1569; *de alienationibus rerum ecclesiasticarum*, Venetiis 1572, et cum annotationibus Ant. a Petra 1589; Coloniae 1618; *de simonia*, Venetiis 1565. — Matthias Alberti Florentinus O. Olivet. (1575) compilavit *Instituzione canonica*, nella quale si contiene le leggi di s. Chiesa, le ordinazioni de' ss. pontefici e le constituzioni di tutti sacri concili, Venetiis 1569 in 4; 1571. — Joannes Petrus Stupano cong. Obl. († 1580) *compendio dell' institutione ed autorità* de' ministri ecclesiastici ed in particolare de' sommi Pontefici, Mediolani 1591 in 4. — Antonii Poli philosophi veneti exstat *Lucidarium* potestatis papalis ll. 7 complectens, Venetiis 1576 in 4. — Hieronymus Garimbertus patria Parmensis[1]) canonicus ad s. Petrum et episcopus gallesinus in Etruria, qui archaeologia delectabatur († 28. Nov. 1575). — Remigius Nanni[2]) O. Praed., Florentinus, vir erat pietate pariter et eruditione clarus, orator et poeta elegans, concionator egregius, in philosophicis theologicisque peritissimus, in historicis versatus et sagax, in

---

[1]) Cf. Doujat l. c.; Schulte Die Geschichte der Quellen und Literatur des can. Rechtes t. 3. p. 450 ita de eo judicat: Dieses Karl Borromäus dedizierte Compendium in 4 BB. . . . ist der erste Versuch einer systematischen Darstellung, der jedoch . . . . wenig durchgebildet erscheint. Der Text begnügt sich mit der Darlegung der Sätze, die Quellencitate sind am Rande beigefügt. Klare Sprache, quellenmässige Definitionen und präcise Darstellung geben ihm einen Werth; es will ein reines Lehrbuch sein und hält sich fern von aller Casuistik u. näheren Ausführung." Noster Cucchus idem videtur cum Marcantonio C. Patavino, juris canonici professore Parisiis et Romae, et protonotario apostolico, qui adhibitus legitur a pontifice in reformatione decreti Gratiani et cujus exstat praeter alia: *Pandectarum juris canonici pentateuchus*, Patavii 1597.

[1]) Cf. Affò Mem. degli Scr. parmegiani IV, 135—145.

[2]) Confundi hic non debet cum Floriano Nannio de Castro Cassii in dioecesi bononiensi, canonico regulari lateranensi et episcopo scalensi († 1599), qui totam Thomae summam memoriter tenuisse fertur, ediditque *Catenam argenteam ex theologorum scholasticorum argumentis*, conclusionibus, expositionibus, quaesitis, resolutionibus ad totam fere s. Scripturam confectam, Bononiae 1587 in 4, quae tamen non pervenit ultra c. 1. Gen., Bononiae 1587 in 4. Hanc catenam ideam non sane magnam ingerere advertit Calmet in biblioth. s. Cf. de eo Pennotti de s. apostolicique ord. canon. regul. origine et progressu l. 2. c. 65; Celsum de Rosinis in lyceo lateranensi illustrium script. s. apostolicique ord. cleric. canon. reg. Salvatoris lateran. l. 6. Neque cum Petro Nannio, Batavo, professore lovaniensi († 1557), de quo egimus II, 1498.

ethicis politicisque versatissimus[1]). A Pio V. Romam accitus fuit 1560, qui emendandis cudendisque s. Thomae Aq. operibus desudaret († 1580 vel 1581). Edidit[2]): *De summi pontificis auctoritate, de episcoporum residentia, de beneficiorum pluralitate* gravissimorum auctorum opuscula ad apostolicae sedis dignitatem majestatemque spectantia, Venetiis 1562 vol. 2 in 4. Hi auctores sunt: S. Thomas, Cajetanus, Naclantus, Dominicus Soto, Carranza, Thomas Campeggi, Ambrosius Catharinus, Franciscus Torrensis, Leonardus canonicus venetus. — Raphael Cylenius Venetus disseruit *de legato pontificio*, Venetiis 1558.

61. E *belgis* huc pertinent praeter Gilbertum d'Oignies (d'Ongnies) n. 1520, episcopum tornacensem (1565; † 25. Aug. 1574), qui sollicitus de reformatione sui gregis et exsequendis concilii tridentini decretis habuit synodum dioecesanam[3]), in qua promulgavit *Decreta et statuta*, Duaci 1574; Lovanii 1589 — Georgius Vivienus Antverpiensis n. a. 1536, qui absolutis studiis et peragrata Hispania Angliaque circa a. 1559 Parisiis regentem et professorem egit. Supremis jurisprudentiae gradibus in Gallia acceptis revocatus in patriam curiae brabanticae advocatus fuit alteroque post anno episcopi cameracensis juratus. Occasione tumultuum Belgii Coloniam secessit (1570), ubi privatim per biennium jura docuit, postea et publice, factus etiam aulae archiepiscopi assessor. Sed et hic aemulos reperit. Inter plura, quae reliquit, scripta exstant *synopsis juris utriusque,* Lovanii 1563; *epitome regularum* juris pontificii seu canonici ex decretalibus et Sexto etc. ordine alphabetico, Coloniae 1571. — Joannes Sotellus (Soteaux) Montinensis e dioecesi leodiensi, Joannis Hesselii discipulus, in monasterio Cisterciensium Camberonae apud Hannonios s. Scripturae interpres († 1567), edidit: *Summa pontificalium et synodalium constitutionum* per locos communes digesta, Lovanii 1570; *Annotationes marginales ad concilium tridentinum* cum Horatio Lutio juris consulto, quibus s. Scripturae, conciliorum, juris pontificii veterumque Ecclesiae PP. cum citata tum consonantia loca fideliter indicantur ad constitutionum auctoritatem tuendam et adversus catholicae fidei hostes muniendam, Antwerpiae 1570; Duaci 1618 etc.; *opera s. Prosperi,* Lovanii 1566, quae secundum Schoenemann[1]) eadem videtur cum editione coloniensi a. 1565. — *Decretum Ivonis carnotensis* XVII t. seu pp. constans ut thesaurum totius ecclesiasticae disciplinae primus edidit Lovanii 1561. in f. Joannes Molinaeus[2]) (vander Meulene) gandavensis n. 1525, quod praeferebat decreto Gratiani, unde acris ei cum Boe-

[1]) Ita Echard II, 259.

[2]) Praeter alia opera, quae huc non spectant. Prodiisse nunquam videntur quas scripsit, ut loquitur Sixtus sen., „in sacros utriusque T. libros annotationes non poenitendas, quibus historiam virorum illustrium et descriptionem animalium, plantarum, lapidum, montium, fluminum, urbium, oppidorum ceterarumque hujusmodi rerum, quae passim divina Scriptura commemorat, diligentissime complexus est."

[3]) Cf. Ch. Piot Biogr. nat. de Belg. XVI, 412—415.

[1]) Notitia historico-lit. in s. Prosp. § 3.

[2]) Alius a Petro M. (du Moulin) celeberrimo sui temporis juris consulto (1500—66), acerrimo jurium sedis apostolicae et jesuitarum adversario, qui ad Calvinianos, dein ad Lutheranos defecit, sed parum ante mortem novatorum renunciavit erroribus agente in primis Claudio Espencaeo. Omnia ejusdem opera prohibita sunt: libri autem juris canonici et catholicorum auctorum, in quibus habentur postillae et notae ejusdem, non permittuntur, nisi iis deletis et emendatis juxta censuram jussu Clementis VIII. impressam Romae a. 1602. Prodierunt ejus opera collecta t. V Parisiis 1681. Cf. Cathrein KL. IV, 9.

tio Epone controversia oborta est. Juvenis 20 annorum Aristotelem cum plausu explicavit, et quidem stupentibus auditoribus graece, dein jus canonicum in academia lovaniensi, cujus factus est rector. Pluribus ditatus est beneficiis ecclesiasticis. Mente turbatus fame se enecuit 29. Sept. 1575. — Joannes Ram n. 28. Febr. 1535, Lovanii juris professor († 25. Nov. 1578), edidit *oeconomiam* seu dispositionem regularum utriusque juris, Lovanii 1557, et *commentarium methodicum* ad juris utriusqne regulas, ib. 1641 in 4. — Fridericus Schenk de Pontenborch[1]) juvenis 17 a. juris doctor, et 22 annorum Carolo V jam a secretis, dein praeses camerae imperialis Spirae. Sed memor illius „Exeat aula, qui vult esse pius," relicta aula et curia factus est sacerdos, demum archiepiscopus ultrajectensis († 25. Aug. 1580). Composuit praeter opera juridica[2]) *Enchiridion* veri praesulis sive de officio episcopali, Antverpiae 1525 (f. 1552); *de vetustissimo ss. imaginum usu* in Ecclesia Christi catholica l., ib. 1567; *Acta conc. provincialis trajectensis* a. 1565 in Heusseni Batavia sacra p. 2 pag. 25. — Nec praetermittendus videtur Daniel Venetarius Germanus, qui *juris canonici methodicam dilucidationem* 5 ll. distinctam edidit, qua sub titulis decretalium antiquarum succincte et perspicue continetur quidquid in decretalibus, decretis et toto jure pontificio sparsim traditur, adjectis singulis titulis propriis axiomatibus et sententiis etc., Moguntiae 1579; 1596; Lugduni 1604.

62. De theologia *morali* et *pastorali* scripserunt Christophorus Madridius S. J. toletanae dioecesis, praepositus domus professae romanae et Italiae assistens († 13. Aug. 1573), cujus libellus *de frequenti usu sacramenti eucharistiae,* Neapoli 1556, saepe deinde prodiit simul cnm egregio Joannis Polanci S. J. *directorio* brevi ad confessarii ac confitentis munus recte obeundum; prodiit hoc primum Lovanii 1554 et saepissime alibi, fuitque in alias versum linguas. Porro Jo. Polanco Burgensis n. 1516 Romae societatem Jesu ingressus est a. 1541 atque fructuosissimum sese in omnibus novae sodalitatis operarium exhibuit. Tribus namque praepositis generalibus s. Ignatio nimirum, Jac. Lainio et s. Francisco Borgiae a secretis, a consilio et ut dici solet pes et manus fuit. Electus est vicarius generalis societatis Jesu, provincialis Siciliae fuit et obiit 21. Dec. 1577. Composuit etiam utilissimam *methodum* ad eos adjuvandos, qui moriuntur, ex complurium doctorum ac piorum scriptorum diu diuturnoque usu et observatione collectam, Maceratae 1575 et alibi saepissime, quae in varias quoque linguas fuit versa. Alia ejusdem opera recenter fuere edita, ut *Vita Ignatii Loj.* et rerum societatis Jesu t. VI, Matriti 1894-1898; *Epistolae IV* de Pio V. leguntur in Anal. boll. VII (1888), 46—73; aliae V in Zeitschr. f. k. Theol. IX, 310 ss. Industriae ad usum doctrinamque operariorum ac missionariorum Cracoviae 1883. Ipse vertit latine constitutiones S. J. a s. Ignatio elaboratas (Romae 1559). — Thomas Mercado hispalensis Mexici ordinem s. Dominici est ingressus, magno profectu in illius urbis studiis dedit operam. In Hispaniam profectus plura opera prelo subjecit, in reditu vero portum aeternitatis intravit corpore in mari sepulto a. 1575. Inter illa sunt: *Suma de Tratos y contratos,* Salmanticae 1569 in 4; Hispali 1571 ll. VI comprehensa; *Commentarii* in textum Petri Hispalensis seu summulas, ib. 1571. — *De Cambiis* disputavit Fabianus Clavarius O. S. Aug., patricius genuensis, qui variis in studiis fuit theologiae lector et regens

[1]) Cf. Schulte 3, 681.
[2]) Cf. Foppens p. 321.

studiorum, ter praefuit suae provinciae et destinatus est procurator generalis (1554—1561). Jam senex postulatus est ab Andrea Auria rei publicae genuensis duce abbas infulatus ad s. Matthaeum O. S. Ben. († 2. Apr. 1569). Prodiit illud opus Romae 1555; inter tract. Venetiis 1584 editos VI, 410 ss.; Genuae 1596. Tr. *de usuris et restitutionibus* Gerardi correxit et Romae edidit 1556. — Antonius de Bernardis philosophiae professor, episcopus Casertanus 1552, cui sedi tamen renunciavit 1554, ut ad cathedram rediret († 19. Jun. 1565), reliquit praeter alia disputationes, in quibus ex professo *Monomachia*, quam recentiores duellum vocant, philosophicis rationibus evertitur, Basileae 1562.

63. In theologia *mystica* versatur Nicolaus van Esch (Eschius), Batavus, magister in vita spirituali b. Canisii et Laurentii Surii. Piissime vixit solicitamque egit curam animarum sibi commissarum, ut patris sancti nomine innotuerit. Vocatus a. 1538 ad curam Begginagii s. Catharinae diesthemensis tanto zelo pietateque praeluxit, ut non modo illius reformator, sed et verus pater et fundator habeatur, pluraque alia virtutum seminaria condidit († 19. Jul. 1578). Scripsit *introductionem* in vitam introversam, quae prodiit cum *Templo animae*, Antverpiae 1563; *exercitia theologiae mysticae* seu exercitia quaedam pia, quae compendio hominem ad vitam perfectam instituendam juvare possunt[1]), ib. 1563. — In primis vero memorandus est Ludovicus Blosius (de Blois) ex illustri Blosiorum sive Blesensium stirpe natus a. 1506 in castello Doni-Stephani (Don-Estienne) provinciae ac dioecesis leodiensis. Primam aetatem in aula Caroli Belgarum principis inter illustres pueros honorarios egit, gratusque illi in primis exstitit; eodem cum illo usus est praeceptore Hadriano, qui postea fuit romanus pontifex hujus nominis sextus. Gravi morbo correptus Benedictinorum institutum in laetiensi (Liesse) apud Hannones abbatia statuit amplecti (1520). Magna alacritate virtutum studio se dedit, unde abbatis meliorumque sodalium oculos in se convertit, a quibus etiam in abbatis coadjutorem (1527) et post hujus mortem in abbatem nondum sacerdos fuit electus (1530). Monasterii disciplinam nonnihil collapsam exemplo, precibus et lacrymis, scriptis et paterna prudentia restauravit atque promovit († 7. Jan. 1566). Propter unctionem suis scriptis propriam dictus est ‚alter Bernardus.' Ea commendant impense viri ascetae, inter quos s. Franciscus Salesius et s. Ignatius. Saepius ea prodierunt collecta ut Lovanii 1568; Antverpiae 1632 cum auctoris biographia; Kampoduni 1672 t. 2 in 4; Ingolstadii 1725 etc. et in plurimas linguas versa fuere. Ex iis potiora sunt: *Paradisus animae fidelis;* Psychagogia seu *Animae recreatio; Sacellum animae fidelis; Institutio spiritualis* cum apologia pro Joanne Taulero; *Consolatio pusillanimium; Margaritum spirituale; Conclave animae fidelis; Instructio vitae spiritualis*; Polemica seu *Defensio verae fidei*[1]) etc. — Sebastianus Broilus Ammiani O. S. Aug. natione Italus, interfuit concilio tridentino a. 1563. Praeposito generali ordinis erat a secretis († 30. Jul. 1568) scripsitque *christianam institutionem virtutum et vitiorum* pro concionatoribus utilem, Venetiis 1562 in 12., cujus forte est alia edititio *Discorsi predicabili* per documento del vivere Cristiano da vari luoghi raccolti t. 3 in 8., ib 1562; 1570 etc. Edidit ipse et *Commentaria*

[1]) Cf. du Ram V. Nic. Eschii vita et opera ascetica, Lovanii 1858; Hermes KL. IV, 888; Pfülf der s. Petrus Can., Einsiedeln 1897 p. 11ss.

[1]) Cf. Mittermüller KL. II², 924. Plura ejusdem opuscula germanice versa edidit M. Jocham Sulzbach 1835—46.

Thomae de Argentina in ll. sententiarum praemissa ejusdem vita, Genuae 1582. — Ejus sodalis Lodovicus de Montoya Lusitanus, solidae virtutis illustre exemplum, quem Sebastianus rex in conscientiae moderatorem selegit († 7. Sept. 1569), plures libellos asceticos reliquit lingua patria, qui collectim uno prodierunt volumine Olysipone 1563 in 8.

64. Alius insignis hujus periodi asceta est Joannes de Avila natus in oppido Almodovar del Campo dioecesis toletanae, celebris Dominici de Soto Compluti discipulus. A sacerdotii exordio adnisus est perfecti sacerdotis et evangelici ministri munus quam accuratissime adimplere. Cogitabat aestuans zelo apostolico Indiam, sed Deus eum destinaverat in Hispaniae, Andalusiae praesertim, salutem. Vitam duxit poenitentia et mortificatione rigidam, et ut quasi ad apostolatum inauguraretur, Deo permittente factum est, ut ad inquisitionis deferretur tribunal. Innocentia ejus agnita publico cum plausu exceptus est concionaturus a populo. Hinc majoribus conceptis flammis Baeticam sibi delegit provinciam, quam velut alter Paulus excoleret, unde et Andalusiae apostolus est salutatus. Laetissimos retulit fructus, tantoque spiritu et virtute erat plenus, ut quandoque paucis verbis auditores ad omnem inflammaret pietatem. Sanctissimas regebat suis consiliis animas ut Joannem de Deo, Franciscum de Borgia, Theresiam de Jesu et piissimum Ludovicum de Granada etc.; plures quoque habuit discipulos, quos simili succendit spiritu et zelo. Decessit circiter septuagenarius 10. Maj. 1569 in odore sanctitatis. Acta est post mortem ejus causa atque Clemens XIII. declaravit „constare de virtutibus ven. Servi Dei Jo. de Avila in gradu heroico, ut procedi possit ad ulteriora, nempe ad discussionem trium miraculorum“: sed causa ultra non processit[1]). Opera ejus collecta prodierunt Matriti 1618; 1757 t. 9; 1792—1805; germanice Ratisbonae 1856—1881 cur. Schermer t. 6; gallice cur. d'Andilly, Parisiis 1673. Haec potiora: *Audi filia* aureus scil. tr. in verba Ps. 44, 11 et complectitur egregiam institutionem asceticam ad assequendam perfectionem christianam, inscio auctore editus Compluti 1556; 1577; 1581; *Cartas spirituales* i. e. epistolae plane eximiae ad diversos omnis status et conditionis homines, pretiosissimus asceseos thesaurus, cujus lectio satis commendari nequit; etiam in Biblioth. de Autores Españoles, Madrid 1850 t. XIII; *Tratados XXVII* de ss. sacramento; de festis b. Mariae V. etc. *Dos Platicas hechas a los Sacerdotes*, Cordubae 1595, quo in l. ideam exhibet perfecti sacerdotis; *De los malos lenguages* del Mundo, Demonio y Carne, 1577; 1579; 1604 etc. et in alias versum linguas. — Plurimum inclaruit hoc tempore s. Franciscus Borgia, quem Joannes de Avila in via perfectionis promovit. Celeber vero est non tam scriptis, quam gestis. Nobilissima ortus (n. 1510) prosapia, ex qua erat Alexander VI. pontifex, Gandiae dux, supremas in Hispania conscendit dignitates, erat enim Cataloniae vicerex et in Caroli V. aula summae auctoritatis. Defuncta uxore omnibus mundi honoribus renunciatis et conculcatis humilitatis studio ingressus est societatem Jesu. Licet vero cautissime fugeret honores etiam ecclesiasticos, cavere tamen non potuit, quin invitus in ejusdem societatis supremum eligeretur praepositum (1565), quam et sanctissime rexit. Humilem duxit semper et rigidissimam etiam in seculo vitam, prolixae orationi intentam. Car-

[1]) Cf. Ludov. de Granada Vida del ven. Maestro Juan de Avila Matriti 1849 opp. III, 451—486; M. Ruiz de Mesa, Vida y Obras del v. M. J. de Avila, Madrid 1674; Zingerle-Kaulen KL. I, 1763—1766; N. Antonius bibl. h. n. I, 639—642.

dinali Alexandrino legato pontificio, qui missus fuerat ad conjungendos contra Turcas christianos principes, comes additus est a b. Pio V. Fractis jam pene viribus arduum iter suscepit ex obedientia; qua in missione vitae cursum ut optarat feliciter consummavit 30. Sept. 1572 a. aetatis 62. Beatum eum declaravit 1624 Urbanus VIII; sanctis accensuit 1671 Clemens X. Reliquit *Seys tradados muy devotos* y utiles para qualquier fiel christiano, Valentiae 1548, opus valde rarum; *tr. breve* para los Predicadores del s. Evangelio, editus a P. Ribadeneyra in fine vitae s. Francisci a se concinnatae, Madrid 1592; et deinde saepe alibi etc. Etiam Eus. Nieremberg suae biographiae sancti nostri plura scripta ascetica antea inedita subjicit. *Opera omnia*[1]), quae inveniri poterant, edidit Franciscus Borgia ejus pronepos Bruxellis 1675 in f. Inter monumenta historica Soc. J. duo t. ad eum spectant, complectentes ejus opuscula et epistolas Matriti 1894—1896. — *Opere spirituali,* inter quae *Della frequentia della Comunione,* reliquit Fulvius Androzzi (Androtio) prius canonicus sacrae aedis lauretanae, dein sodalis S. J. († 1575). Ea prodierunt cur. Franc. Adorno S. J., Venetiis 1581; 1586; 1606; 1626, in alias etiam linguas versa. — Hieronymus Natalis (Nadalis) S. J. Majoricensis n. 1507, praecipua in societate Jesu munera gessit, fuit enim praepositus provinciae, assistens, commissarius et vicarius generalis († 3. Apr. 1580). Reliquit *Annotationes* et meditationes in Evangelia, quae in ss. missae sacrificio toto anno leguntur, Antverpiae 1594 in f., opus illustrationibus ornatum, ed. princeps ceteris praeferenda. *Epistolae* ejus ab a. 1546—1577 pretiosae pro historia ordinis prodierunt nostra aetate Matriti 1898—1905 t. 4.

1) Cf. Sommervogel I, 1808—1817; Backer I, 771—776, qui plures vitas de sancto nostro recenset. Etudes CI (1904), et fasc. seqq.

65. Inter *concionatores* praeter eos, quos vel inter theologos polemicos vel inter exegetas laudavimus, mentione digni adhuc sunt Aegidius Dominicus Topiarius (Vanden Prieele) Flander O. Praed., celeber per universum Belgium sua aetate verbi Deo praeco († 4. Maj. 1579), cujus conciones e tabulis D. Maurentii a Villavincentio elaboratae in evangelia et epistolas, quae in dominicis et festis diebus populo in Ecclesia proponi solent, et e tabulis D. Jac. Veldii concinnatae in evangelia et epistolas quadragesimae saepe admodum prodierunt, illae Antverpiae 1566; 1568; 1569; 1574 etc.; hae Antverpiae 1568; 1573 etc. *Catechismus* formandae in orthodoxa fide juventuti, flandrice Antverpiae 1576 in 8. — Petrus Divolé ejusdem ordinis Antissiodorensis, provinciae Franciae praepositus 1551—1561, annis 35 celebriora Galliae pulpita magno auditorum concursu et plausu implevit. Suis sermonibus Calvinianos impetebat, a quibus propterea occasione accepta in carcerem fuit conjectus atque aegre supplicium evasit († 30. Mart. 1568). *Sermones* ejus post mortem prodierunt[1]) Parisiis 1577; 1586; 1630. — Franciscus Vicedominus ex nobili Ferrariae familia O. Conv., cujus conciones collectae prodierunt Venetiis 1575 p. 2; 1585. Habuit et orationem ad patres synodi tridentinae, quae exstat apud Le Plat I, 500—513. — Didacus Valades O. S. Franc. Hispanus, ordinis sui in Urbe procurator generalis, de salute Indorum occidentalium, apud quos nonnunquam substitit, procuranda admodum sollicitus (fl. 1570) dedit in lucem *Rhetoricam christianam* ad concionandi et orandi usum accommodatam, utriusque facultatis exemplis suo loco insertis ex Indorum maxime historiis, Perusiae 1574; 1579; 1583; Romae 1587, opus rarum (m. 88) et quaesitum

1) Cf. Echard II, 200 s.; Feret II, 269 s.

propter digressiones de Mexicano regno et illustrationes.

66. Neque defuit huic periodo *poëta* plane insignis Marcus Hieronymus Vida patria Cremonensis n. 1490, felix aemulus Virgilii, ad quem maxime accessit. Unanimes sunt humaniorum literarum studiosi in extollendis ejus carminibus ob formae elegantiam, conceptuum nobilitatem, poësis artem. Inter ea magis ad nos spectant *Christiados ll. VI*, Cremonae 1535, in quibus vitam passionemque Christi poetica forma eaque classica depingit: quod opus propterea in Europae linguas certatim fuit conversum; nimis tamen est diffusum et imaginibus mythologicis infectum. Hymni *de rebus divinis*, Lovanii 1552. A pontificibus Leone X. et Clemente VII, qui eum episcopum Albae dixit (1532), magni est factus et ad pangenda carmina invitatus[1]). Erat autem episcopus plane egregius, qui gregem suum cura vere apostolica rexit, s. Carolo Borromeo familiaris († 1566). *Poemata* collecta prodierunt Cremonae 1550 t. 2; Oxonii 1722-43 t. 3.

[1]) Cf. Baumgarten Gesch. der Weltliteratur IV, 588—592; Tiraboschi Storia della lett. it. VII, 3 (Modena 1779), 242—257; Lancetti della vita e degli scritti di Vida, Milano 1840 etc.

II.

Theologi annorum 1581—1600.

I. Theologia scholastica.

67. Plurimi nobis occurrunt in hac periodo, qui theologiae *scholasticae* operam dederunt. Fere omnes Hispani sunt [1]), nonnulli Itali, aliarum nationum vix unus: plerique vero in illustrandis sententiarum libris versati sunt. Ex *Hispanis* opus illud commentati sunt: Josephus Angles O. Min. Valentinus, cui Felix Peretti cardinalis nepotem instituendum tradidit et quem pontifex factus episcopum bossanum in insula Sardinia dixit. Excelluit insigni doctrina theologica, philosophiae sacraeque theologiae eximius erat professor, omniumque scientiarum et virtutum genere ornatissimus († c. 1587). Emisit *Flores theologicarum qq.* in 1. l. sententiarum pp. 2, Lugduni 1584. 1585; in 2. l. sententiarum (post alias editiones) Matriti 1586; Lugduni 1587 t. 2 in 4; *opiniones* super 4. l. sententiarum, Burgis 1585 t. 2 in 4. ed. auctior et correctior; Venetiis 1586; 1615; tr. tres *de oratione,* jejunio et eleemosyna. In theologia morali inter auctores *graves* numeratur. — Franciscus Ovando Mogollonius de Paredes ex urbe Caceres in Extremadura Ord. Min. praeter *Commentaria in 4. librum sententiarum,* Matriti 1584, edidit *Breviloquium scholasticae theologiae,* ib. 1587. — Franciscus a Christo O. Erem. S. Aug. Conimbricensis, 20 annis in academia patria professor, vir linguarum callens, ingenio et sermone praestans († 1587), reliquit praeter *Enarrationes in collectanea l. 1. sententiarum,* Conimbricae 1579; *de fide, spe et caritate,* ib. 1579;

[1]) Praetermittimus Ferdinandum de las Infantas, cordubensem presbyterum, qui se *idiotam* inscripsit, cujus sunt tr. *de praedestinatione* secundum Scripturam s. et veram evangelicam lucem mediante divina gratia et extra omnem praetensionem ipsi verae luci Christo Dei Filio, a quo accepit omnia, dicatus, Parisiis 1601; 1653; L. *divinae lucis* in 109. Ps. ejusque mysteriorum expositio, in quo de humana redemptione, Ecclesiae sacramentis, electorum gaudio et damnatorum poenis; de poenitentia, de peccato in Spiritum s.; de visione Ezechielis, Isaiae, Joannis etc. agit, Coloniae 1587; Parisiis 1601, utrumque opus prohibitum a. 1603. — Joannes Carpeneto (Carpeneti) Patavinus dicitur fuisse „philosophus doctissimus et modestissimus“, qui in studio patrio magno plausu philosophiam est professus († c. 1589). Cf. de ejus operibus philosophicis Vedova Biografia degli Scrittori padov. I, 229.

Praelectiones sive enarrationes admirabilis divini Verbi incarnationis, 1564. in f., quae opera commendantur ab accuratione et nitida concinnitate. — Augustinus de ss. Trinitate Ord. Eremit. s. Aug., Lusitanus, cujus profundam doctrinam conimbricensis, tolosana et burdigalensis academiae admiratae sunt († 1589), publicasse fertur[1]) *Commentarium in s. Thomam et magistrum sententiarum* t. 3. — Michael de Palacios Granatensis, salmantinae academiae theologus professor, legionensis et civitatensis ecclesiae canonicus magistralis, „vir in omnibus theologiae partibus, inquit Nicolaus Antonius[2]), sive quae a schola cognominari solet, sive quae mores dirigit, sive tandem quae biblia interpretatur, aeque valens expertusque: quam ei laudem eruditissimos doctrinae multiplicis commentarios in lucem editos perire nunquam aut decrescere permissuros speramus.“ Ex his sunt: *Disputationes theologicae in 4 ll. sententiarum*, Salmanticae 1574—79. t. 6 in 2 v. in 4., opus rarum; *Dilucidationum et declamationum tropologicarum* in Isaiam proph. ll. XV, ib. 1572 t. 3 in f.; *explanationes in 12 prophetas minores* secundum omnes s. Scripturae sensus ib. 1593 in f.; *enarrationes in epist. b. Pauli ad Hebraeos* juxta sensum literalem, historicum et mysticum, ib. 1590; in *Joannis ap. Evangelium et in epist. canonicas*, ib. 1581 t. 2 in f.; Venetiis 1587; Praxis theologica *de contractibus et restitutionibus*, Salmanticae 1585. — Franciscus de Herrera O. Min. regul. observ., cujus sunt *commentaria in 1. et 2. l. sententiarum*, Salmanticae 1589, 1590, 1595 t. 2 in f.; *Manuale theologicum* et resolutissima dilucidatio principalium qq., quae communiter in 4 ll. sententiarum disputantur, Romae 1606 in 32. et saepe alibi; *de angelis* Salmanticae 1595 in f. († c. a. 1600). — His adde Damianum Giner O. Min., qui *Scriptum oxoniense* Scoti in 4 ll. sententiarum in commodiorem formam redegit, Valentiae 1598.

68. *S. Thomam* commentariis luculentis illustravit praeter Molinam (n. 70) Bartholomaeus a solo natali (in ditione legionensi) de Medina dictus O. Praed. (n. 1527). Banezii erat condiscipulus rexitque aliquamdiu cathedram Durandi in academia salmanticensi et concursu facto promeruit primariam († 1581). Inter principes theologiae scholasticae moralisque cultores sui aevi est habitus et exinde quoque celebritatem quandam est nactus, quod probabilismi systemati praelusisse dicitur (in 1. 2. q. 19): sane non alio sensu, quam quod sententiam antiquam ea protulerit forma, qua deinceps probabilistae uti solebant. Expositionem quasi traditionalem Summae s. Thomae antecessorum suorum ducto a celeberrimo Fr. de Victoria initio diligenter ex scriptis discipulorum collegit atque ita concinnavit stilo claro et nitido egregia *commentaria* in 1. 2. p. Salmanticae 1577; 1582; 1588; Bergomi 1586; Venetiis 1580. 1590. 1602 etc.; in 3. p. usque ad q. 60., ib. 1578; Venetiis 1582. 1590. Coloniae 1618. 1584; *Breve instruccion* de como se ha de administrar el Sacramento de la Penitencia, ib. 1580; Coloniae 1618, et saepe alibi; etiam in alias linguas versa[1]). — Ejus sodalis Alphonsus de Luna Villalpandae dioecesis valentinae c. a. 1553 natus, cathedrae Durandi in academia salmanticensi regens († 1597) edidit[2]) *Observationes novas et additiones* ad 3. p. s. Thomae et ejusdem expositionem Fr. Barth. de Medina, Salmanticae 1597. — Sebastianus

[1]) Biblioth. hisp. nov. 1, 179.
[2]) Ib. II, 143, ubi reperies cetera ejusd. opera. De ejus fratre Paulo non minus docto agemus infra.

[1]) Cf. Morgott KL. VIII, 1167—1170; de operibus ejusdem msc. Ehrle Katholik 1885 I, 174.
[2]) Cf. Ehrle ibid. p. 414. qui ejus msc. recenset.

Perez, Baeticus, episcopus uxamensis (1583—1593), praeter alia scripsit *de sensibus sacrae Scripturae,* Burgis 1587; *de sacramentis in genere, de baptismo, confirmatione, eucharistiae sacramento et sacrificio,* canonis missae explicationem, commentaria et disputationes analyticas in qq. 3. p. s. Thomae a 60. usque ad 73., 1588 ib. in f.

69. Praeter hos commentatores floruerunt hac periodo Hieronymus de la Rua, toletanus sacerdos, qui in schola ejusdem civitatis philosophiae prius, dein theologiae docendae munus publicum gessit. Edidit *Controversiarum theologicarum* partim positivarum, partim scholasticarum partis primae volumina duo, Romae 1584, Matriti 1619 in f. Plures ex his controversiis spectant ad s. Scripturam, ut de libris sacris et canonicis, de codicibus hebraicis s. Scripturae, de festis et jejuniis Hebraeorum, de sacerdotibus et levitis. — Ferdinandus Vellosillo ex oppido Aillon dioecesis seguntinae, Salmanticae sex annis (1544—1550) ss. literas est professus, unde Seguntinum evocatus sexdecim annis easdem docuit primarius interpres, idoneusque est habitus, qui cum aliis ab Hispania destinatis theologis ad concilium tridentinum et ipse mitti, reversusque ad lucensem pontificatum sufficí meruerit († 1578). Morbo affixus lecto elucubravit[1]): *Advertentias theologicas scholasticas in b. Chrysostomum et quatuor doctores Ecclesiae,* Compluti 1585 in f., Venetiis 1601. Hinc forte derivatae sunt ejus Advertentiae theologico-scholasticae *in s. Augustini opera,* Lugduni 1664 in f. — Didacus de Tapia O. S. Aug. Segoviensis († 1591) publici juris fecit *de incarnatione Christi, de admirando eucharistiae sacramento* ll. 2; adjicitur in fine tractatus *de ritu missae,* Salmanticae 1589. — Joannes Roa de Avila (Davila), prius e societate Jesu, dein prior Caberi ordinis canonicorum regularium s. Aug., edidit *de providentia et praedestinatione* ll. 3, Matriti 1591 in f.; *tabulae quinque de annis mundi et successionibus et de genealogia Christi,* Romae 1610 in 4. Notior tamen est ob aliud opus inventu rarum, scil. *de juribus principalibus defendendis et moderandis juste,* ib. 1591 in f., quod quondam fuerat in indicem relatum, et in quod Baronius graviter invehitur (ad a. 447 n. 8), quia illud „novatoribus parare viam qui acutiorem odoratum habent, probe norunt“. — Alphonsus Gonzalez de Mendoza O. S. Aug., „juvenilem adhuc agens aetatem judicio et ingenio sic industriam adsequavit, vix ut esset unus aut alter, quem in scholastica et biblica doctrina non dico superiorem, sed vel parem agnosceret. Theologiam nempe non consueto, hoc est, incondito atque horrido stilo, sed ut principem omnium scientiam decet ornato atque diserto pertractavit . . . Abiit ad plures c. a. 1591, in cujus immatura morte ingentem, si Deo placet, jacturam et nunquam satis deplorandam theologica studia fecerunt[1]).“ Edidit stilo ornato et diserto: *Quaestiones quodlibeticas* partim scholasticas (10) partim expositivas (10): his adjungitur: *Relectio de universali Christi dominio ac regno,*

[1]) Norisius disputans contra Annatum, qui auctorem hunc adversus Augustini auctoritatem allegaverat, ita de eo (in vindiciis Aug. c. 5. § 7) scribit: „Haec doctissimus ille episcopus, qui summa diligentia atque ingenti labore quaecunque dubia in universis s. Augustini voluminibus occurrere poterant explicuit, unumque praesertim ostendendum sibi proposuit, nil falsi alicubi ab Augustino assertum fuisse. Quare quis non aegre ferat et acerbe, hunc strenuissimum s. doctoris defensorem contra eundem ad tribunal obtorto collo a recentioribus trahi, fieri illum ipsorummet ore ea loquentem, quae non modo non dixit, sed quae ab Augustini sensibus procul abesse solidissime demonstravit?“ Norisius eum constanter vocat *Vallosillo.*

[1]) Bibl. hisp. nova 1, 36.

quod rerum habet et qua Deus et qua homo est, Salmanticae 1588; Coloniae 1603. — Notanda est ejus professio in Prooemio: „Thomista sum, quamvis non de genere eorum, qui nostra hac tempestate hac se nomenclatura insigniunt. Nam s. Thomam sequor, alia tamen via, quam eum sequuntur Thomistae neoterici.“ Ex eo op. q. IV. „Utrum Sixtus V., qui nunc temporis est P. M. papatum ab episcopis ademptum conferre et annectere Salmanticensibus possit“, recepit Roccaberti in suam bibl. P. III, 1—21. Negat jure divino esse annexum primatum sedi romanae. — Petrus Trigosus, prius e societate Jesu, dein inter Capucinos professus est. Vir fuit doctrina et eruditione insignis, qui ex Bonaventurae in magistrum sententiarum scriptis utilem *Summam theologicam* collegit, quae „merito ab omnibus viris doctis in pretio habetur[1])“. Primus tantum tomus (in dist. 21 l. 1.) prodiit Romae 1593 in f., quo a. et auctor obiit; dein Lugduni 1616. — Ex Dominicanis hispanis nominandus est Joannes Vincentius (Vincente), Asturicensis n. 1544, qui in universitate salmantina cathedram Durandi tribus circiter annis moderatus est, tum et vespertinam academiae disputationi expositam a. 1584 adversus Alphonsum Curiel insignem O. S. Ben. theologum obtinuit. Inde Romam vocatus est munere procuratoris generalis ordinis functurus (1591); vices etiam gessit magistri generalis provincias ordinis lustrantis. Edidit[2]) Romae 1591: *De habituali Christi Salvatoris nostri sanctificante gratia relectionem,* iterum Neapoli 1625 in f. Ejus doctrinam pluribus impugnat Suarez[3]), contra quem eam tuetur[4]) Vincentius Baronius O. Pr. († 18. Oct. 1595).

[1]) Bibliothec. francisc. II, 475.
[2]) Cf. de ipso ejusque mscr. Ehrle Katholik 1885. I, 409—12.
[3]) De gratia l. 7. c. 1. n. 24 ss.
[4]) Apolog. l. 2. s. 1. § 4.

70. Agmen claudit qui omnium postremus mortuus (a. 1600) omnes famae celebritate, forte et doctrinae splendore superat, Ludovicus Molina[1]) S. J. natione Hispanus, primus e Soc. J. s. Thomae commentator. Natus est Conchae parentibus illustribus 1535, et ingressus 10. Aug. 1553 societatem Jesu. Discipulus fuit magni philosophi Petri Fonseca[2]). In eborensi regni Lu-

[1]) Confundi non debet cum Lud. de Molina Baetico, aequali et in jure versatissimo, qui disseruit *de Hispanorum primogeniis,* Compluti 1573 v. 2 in f.: Coloniae 1588 etc. Cf. N. Antonius Bibl. H. N. II, 52. — Alfonsus Molina O. Min. Escalonensis a puero in Nova Hispania magno Indorum commodo vitam transegit eorumque linguam perfecte addidicit († 1584 a. aetatis 88), ut ejus opera testantur. Reliquit inter alia *catechismum,* majorem et minorem. Cf. ib. I, 37.
[2]) Petrus Fonseca S. J. natione fuit Lusitanus. „Vir fuit, scribit Nic. Antonius in bibl. h. n. II, 194, magnae in societate ipsa et Lusitaniae regno auctoritatis, domi forisque carus adeo et probatus viris principibus et in primis Philippo II. Lusitanorum regi catholico, Gregorio item XIII. P. M., ut quaeque expedire ad pietatem et religionem providisset, homo egregie industrius atque magnanimus, eorundem nutu et auspiciis vel difficillima peregerit“. Coimbrae Aristotelem explicuit tanta ingenii subtilitate et profunditate doctrinae, ut a nonnemine *Aristoteles lusitanus* audiret. Obiit a. 1599 aetatis 71. Edidit: *Institutionum Dialecticarum* ll. 8, Romae, Coloniae 1567, et intra hoc seculum saltem adhuc septies. — *Commentariorum in ll. Metaphysicorum Aristotelis Stagiritae* t. 4, Romae 1577, 1580, 1589 in 4; Coloniae 1615 ed. jam 13. in 4. et deinceps saepius. Magnus erat praesertim sec. 17. horum commentariorum in scholis philosophicis usus. Cf. Sommervogel Biblioth. de la Comp. de Jésus III, 837—40. Celebritatem autem nactus est Fonseca in theologia, quod primus non *novitatis studio, sed claritatis gratia* tertium invexerit membrum inter scientiae divinae partitiones, quod a loco *intermedio,* quem occupat inter scientiam liberam et necessariam, contingentem et naturalem, scientiae *mediae* nomen obtinuit, quae tot deinceps rumores excitavit et cujus tantae sunt partes in Molinae aliorumque de gratia systematibus.

sitaniae academia permultos (20) annos primas inter professores theologos partes docendo tenuit et Aquinatem Thomam est interpretatus. Matritum vocatus theologiam moralem ut doceret, mox moritur d. 12. Octobris a. 1600 aetatis 65. Duae in eo potissimum fulsere virtutes, paupertas cum summa humilitate conjuncta. Obedientia et observantia in superiores, promptitudine ad communem convictum ac consueta munera nullus eum tiro praeivisset. Nullo die praetermisit interruptis tantisper studiis librum Thomae de Kempis de imitatione Christi delibare[1]). Rogatus in extremo vitae, num quos relinqueret libros absolutos et de illis quid fieri vellet, quasi nihil ad se attinerent, Faciat, inquit, de iis Societas pro suo arbitratu. Non minor ejus virtute fuit scientia. Hinc plurima et splendida encomia ipsi tributa, quorum summam ita complectitur historia S. J.[2]): »In P. Ludov. Molina scriptores multi multa laudaverunt. Alii vim ejus ingenii maximis difficultatibus perrumpendis parem; alii amplitudinem arcana scientiae naturalis, mysteria sacrae doctrinae, legum nodos, juris aenigmata complexam: alii fecunditatem de suo promentem omnia quasi fundo, non aliunde corrogata vel sublecta mutuantem: alii religiosam in opinionum delectu severitatem, qua spretis laxioribus tutiores ferme et virtuti legique amiciores amplectebatur: alii amorem veritatis ac prope venerationem, ita ut ab ea nec odio nec amore deflecteret, ac ne auctoritatem quidem alienam nisi ratione solida fultam admitteret: alii laborem indefessum, quo 20 annos divinam scientiam tradidit Eborae vitamque omnem in studio pertinaci consumpsit: alii prudentissimam in scribendo decidendoque cunctationem, cum diu multumque secum ipse cumque doctis et sapientibus viris agitaret, quaecunque in lucem editurus erat.« Ejus opera sunt: *De justitia et jure* t. VI, quorum tres priores prodierunt Conchae 1593, 1597, 1600; alii tres post ejus mortem Antverpiae 1609; 1615; Venetiis 1614 t. VII; Moguntiae 1659 t. VI in f.; 1733 t. V in 2 v. in f., quae editio complectitur R. P. Ludov. Molinae e S. J. vitae morumque brevem adumbrationem. Magni hoc opus aestimatur. »Nemo est, inquit Mohrhof[1]), qui horum librorum utilitatem ignoret.« »Molina, ait Silv. Maurolycus[2]), in theologia morali tantae est auctoritatis tantaeque aestimationis in tribunalibus et apud juristas, ut sine adminiculo aut copia aliorum auctorum afferat lumen veritati, decisionem causis, terminum litigiis.« Hinc Cardenas eum annumerat auctoribus in theologia morali omni exceptione majoribus, classicis Ballerini-Palmieri et Gury eum dicit »probabilistam rationum et doctrinae soliditate gravissimum«. *Commentaria in 1. p. D. Thomae* in duos tomos divisa, Conchae 1592; Venetiis 1594, 1602; Lugduni 1622. Horum velut complementum (licet prius prodierit) est opus illud famosissimum, quod tot disputationum[3]), concertationum, imo et turbarum exstitit occasio, cui titulum fecit: *Concordia liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia, providentia, praedestinatione et reprobatione*

[1]) Litterae annuae coll. Matrit. a. 1600. Cf. Alegambe bibl. script. S. J.

[2]) L. 24. P. 5. § 37.

[1]) Polyhist. liter. p. 2. l. 1. c. 14. n. 58.

[2]) L. 5. Ocean. relig.

[3]) Inter has eminent illae habitae in congregatione a Clemente VIII. instituta de auxiliis pro examinanda hujus libri doctrina (a. 1598) et sub Paulo V. continuata ad a. usque 1607, quo demum tot disputationibus a celeberrimis utriusque partis theologis habitis finis impositus fuit. Non obstante omni adversariorum conatu liber vel systema Molinae non fuit damnatum; imo vetuit summus Pontifex „in quaestione hac (de auxiliis gratiae) pertractanda ne quis partem suae oppositam aut qualificaret aut censura quapiam notaret“.

ad nonnullos 1. p. d. Thomae articulos, Olisipone 1588, scil. ad q. 14 a. 13; q. 19. a. 16; qq. 22. 23, editio admodum rara; appendicem[1]) adjecit 1589; Antwerpiae 1595[2]); 1609. 1715; Venetiis 1602, et aliis editionibus omissis, iis scil. in quibus adjecta est commentario in 1. p. s. Thomae (sed non integre), Parisiis 1876. Quidquid sit de Molinae doctrina deque singulis ejusdem theorematis, negari nequit, lectorem exinde magnum fructum percipere, cum quaestiones subtilissimas ingeniose admodum, clare, distincte, absque ira et studio prorsus pacifice pertractet, luceque perfundat plura de concordia liberi arbitrii cum gratia problemata obscura, meritoque dixeris ab hoc opere novam incipere in scholis, quod controversias de gratia attinet, periodum[3]).

[1]) Appendix paucis adjecta fuit exemplaribus. Eam exhibet Theodorus Eleutherus i. e. Livinus Meyer in fine suae hist. controversiarum de auxiliis p. 789—805.

[2]) Contendit Le Blanc (i. e. Serry) histor. de auxiliis l. 1. c. 13: „Molinam in antwerpiensi editione multa expunxisse contra communem theologorum doctrinam asserta". Quod falsum esse evincit Liv. Meyer hist. de aux. l. 2. c. 5. (ubi de variis hujus operis ed. disserit) comparatione accurata instituta inter utramque editionem. Quae enim Molina omisit (ea refert l. c. Meyer) minoris sunt momenti: adjecit responsa ad quasdam exceptiones interim sibi factas. Cf. Limbourg Zeitschr. für kath. Theologie 1, 495.

[3]) De Maistre in op. De l'eglise gallicane t. 1. liv. 1. ch. 9 de Molina ejusque systemate scribit: „Un homme de génie, auteur d'un système, à la fois philosophique et consolant, sur le dogme redoutable qui a tant fatigué l'esprit humain, système qui n'a jamais été condamné et qui ne le sera jamais: car tout système publiquement enseigné dans l'église catholique pendant trois siècles sans avoir été condamné, ne peut être supposé condamnable; système, qui présente après tout le plus heureux effort, qui ait été fait par la philosophie chrétienne pour accorder ensemble suivant les forces de notre faible intelligence res olim dissociabiles, libertatem et principatum."

71. Ex *italis*[1]) Vincentius Justinianus O. Pr. in chiensi insula natus[2]) 28. Aug. 1519, ordinis magister generalis (1558) et (1570) cardinalis († 28. Oct. 1582) cum sodali Thoma Manriquez magistro s. Palatii hispano († 1573) edidit *opera omnia* s. Thomae, Romae 1570—71 t. 14 in 19 pp., quae ed. licet aliae postea prodierint, magni aestimatur (m. 500). — Scotum illustravit Franciscus Antonius Casimirus a Brundusio O. Min. auctor op.: *Scotus dilucidatus in 2. sent.*, Neapoli 1597; 1607, quo in op. controversiae inter d. Thomam et Scotum explicantur. — Bonav. Manenti O. Min. Conv. provinciae et fidei inquisitor

[1]) Franciscus Patrizi ex Cherso insula prope Dalmatiam vir in omni disciplinarum genere excultus n. 1529. Patavii studiis operam dedit. Post multa itinera Ferrariae substitit atque a. XIV Platonem ibidem exposuit et inde a Clemente VIII. Romam vocatus est, ut philosophiam doceret platonicam († 1597). Scripsit *Discussiones peripateticas* Venetiis 1571 t. 4; Basileae 1581; quo in op. diligenter persequitur Aristotelis vitam, opera, doctrinas ejus, sed dein stilum vehementer in eum invertit atque Platonis restaurare nititur doctrinam. Hoc vero fusius aggreditur in *Nova de diversis philosophia*, divisa in pp. IV: Panaugia, Panarchia, Panpsychia et Pancosmia: opus inutilibus onustum subtilitatibus (cf. Brucker hist. philos. IV, 125 et suppl. p. 754), sed vastissimae eruditionis, praesertim in disciplinis naturalibus. Cf. Tiraboschi Storia della Letter. it. VII p. 1 l. 2 c. 2 § 14.

[2]) Alius ab eo est Vinc. Justinianus Antist pariter O. Praed. Valentiae Aragonum natus, antiquitatis curiosus indagator, qui veteribus eruendis gestorum monumentis sedulam navavit operam († 1599). Edidit praeter commentaria *in universam logicam;* accessit thesaurus qq. iis, qui aut disputaturi aut assertiones defensuri sunt, admodum necessarius, Venetiis 1582: *opuscula* s. Vincentii Ferrerii cum annotationibus, Valentiae 1591; *La vida y historia* hujus sancti ib. 1575; 1582; Tratado *de la concepcion de N. Señora*, Matriti 1615; Majoricae 1616 in 12, qua in opella piam sequitur sententiam. Cf. Echard II, 325.

(fl. 1600) edidit Petri Tartareti lucidissima *commentaria* sive ut vocant *reportata in 4 ll. sententiarum et quodlibetica Joan. Duns Scoti* ante (integra) nunquam edita, Venetiis 1583 pp. 5 in 3 v., quae etiam annotationibus illustravit, ib. 1607 ed. 2. castigatior. — Ludovicus Silvester a s. Angelo in Vado O. Min. Conv. recognovit et illustravit Richardi de Mediavilla super IV ll. sententiarum Lombardi *quaestiones,* Brixiae 1591 t. 4, et eiusdem *quodlibeta* qq. 80 continentia, ib. 1591, opus valde rarum. — Lucae Mencholini a Cutiliano O.S. Franc. pistoriensis († 1590) opus posthumum est: *Contradictiones Scoti* tum literales tum virtualiter tales tum dictis sanctorum et philosophorum oppositiones in prologum, 1. et 2. l. sententiarum subtilis doctoris, Florentiae 1625. — Capreolum illustravit Matthias Aquarius (ita ab oppido patrio Aquaro dictus) O. Praed. († 1591), nam *Commentaria* Joan. Capreoli *in 4 ll. sententiarum* recensuit, accuravit, notis etc. auxit; et insuper adjecit singulis Capreoli scriptis: Conclusiones s. Thomae, quas defendit Capreolus in 4 ll. sent. adversus male de eis sentientes, corroboratas auctoritatibus s. Scripturae, conciliorum et ss. patrum et glossatas germano sensu doctoris sancti. Ad calcem t. 4. subjiciuntur: *Controversiae inter d. Thomam et ceteros theologos ac philosophos,* Venetiis 1589 in f.; *Formalitates* juxta doctrinam ang. d. Thomae Aq., opus posthumum finitum et editum ab Alph. de Marcho, Neapoli 1605 in f. — Eodem tempore floruit Julius Sirenius O. S. Hieron. Brixianus, cujus exstant *de fato ll. IX,* Venetiis 1563; *de unitate naturae angelicae* ll. III, Bononiae 1578; *de praedestinatione* ll. II. Venetiis 1580; *Promptuarium theologicum,* Bononiae 1595.

72. De quatuor praesertim theologiae scholasticae sideribus Thoma, Scoto, Bonaventura et Aureolo bene meritus est Constantius Torri Buccafocus vel a patria dictus Sarnanus, O. Min. Conv., vir »doctrinae praestantia eruditis omnibus notus[1]). Sixto V. familiarissimus, nec tam ob doctrinam, quam ob animi candorem carissimus fuit. Is illum nihil tale cogitantem sperantemve repente cardinalem dixit unaque vercellensem episcopum a. 1587.« Obiit 31. Dec. 1595. Praeter commentaria in varia opuscula (philosophica) Scoti edidit plurium veterum scholasticorum opera. Ita coepit Romae 1588 ed. operum s. Bonaventurae operam conferentibus P. Galesini, Angelo Rocca et Francisco Lamata doctore theologo. Editio, quae aestimatur, splendida: sed textus scatet mendis, lacunis, interpolationibus; quaedam opuscula mutila et vitiata in lucem prodierunt, alia genuina omissa et quae recepta fuere non omnia sunt genuina. Edidit praeterea Lycheti in ll. 1. 2. et 3. sententiarum *commentaria,* Venetiis 1589 pp. 4 in 2 v.; Petri Aureoli minoritae *commentaria* in 4 ll. sententiarum revisa et emendata Romae 1596 t. 1; 1605 t. 2. in f. cum auctoris vita; *conciliationem doctrinae s. Thomae et Scoti,* Lugduni 1577; Romae 1589; adjecto *Directorio in universam theologiam* in f.; 1593 ed. auctior et castigatior; Jo. Vallonis a Juvenacio O. Min. (II, 1221) *lecturam absolutissimam* super formalitatibus Scoti ampliatam cum textu Ant. Syrecti et variis additamentis, Venetiis 1588; Petri Tartareti in 4. l. sententiarum Duns Scoti reportata, ib. 1579: Antonii Andreae O. Min. *in 3. l. sententiarum* commentaria, ib. 1578 cum annotationibus; M. P. Paduani de Grassis O. Min. *Enchiridion scholasticum* contradictionum quodlibetalium doctoris subtilis recognitum, cui adjectus est ejusdem dialogus de concilio Pauli i. e. con-

---

[1]) Joan. a s. Ant. in bibl. francisc. 1, 277, ubi elenchum operum ab ipso editorum reperies.

ciliatione locorum Pauli, qui videntur contradicere Evangelio et tr. *de ecclesiastica republica*, ib. 1583, opus rarum; Petri Aquilani O. Min. (qui dictus est Scotellus cf. II, 624) J. Duns Scoti *quaestiones* in 4 sententiarum ll. ad ejusdem doctrinam multum conferentes cum annotationibus, ib. 1584; 1600 in 4; *Summa* seu compendium theologiae sive octo loci communes, ad quos omnis theologia revocari potest, Romae 1592; *Commentaria in evangelium s. Joannis et in epistolam S. Pauli ad Hebraeos* Joannis Andreae Delphini de Casali majore cum additionibus, Romae 1587; Jo. Vitalis de Furno O. Min. (II, 683) *commentaria* in Proverbia Salomonis, in quatuor Evangelia, sed ubi non liquet. — Aliorum sodalium opera typis dedit Salvator Bartolucci O. Min. Conv. vir apprime doctus, concionator insignis, philosophus acutus et in illustrando doctore subtili laboriosus (fl. 1586). Castigavit scil., et notis margineis illustravit Laurentii Brixiani Min. *Isagoges* in formalitates Ant. Syrecti (cf. II, 995), Parisiis 1588. Scriptum oxoniense Scoti in 4 ll. sententiarum correxit imprimique fecit Venetiis 1580 t. 4 in 8, quibus ejusdem *quaestiones quodlibetales* et disputationes collationales cum compendio quodlibetorum cujusdam anonymi et qq. 10 adjecit. *Resolutiones* in 4 sententiarum libros Scoti a Melch. Flavio (cf. supra p. 5) elucubratas, ib. 1580 cum syllabo generali in 4 ll. sententiarum ab Ant. Fantio composito. Recognovit pariter, castigavit vulgavitque Petri Tartareti Scotistae (II, 995) in Porphyrii Isagogen ac in universos logicorum Aristotelis ll. *explanationes* ib. 1581; nec non ejusdem *triplicem philosophiam* naturalem, divinam et moralem, ib. 1581 cum duabus qq. Jac. Malafossae (cf. supra p. 5).

73. Georgius Busti (etiam de Vercellis nuncupatus, quia natus Candelli, quod oppidulum est vercellensis agri) O. Praed. s. Thomae addictus fuit ac in ejus doctrina versatus, juris etiam canonici peritus ac philosophus acutus († a. 1599 aetatis 96.). Edidit volumen *quaestionum philosophicarum et theologicarum*, in quibus resolvuntur subtiliores utilioresque difficultates et controversiae inter doctores, quae in philosophia ac s. theologia tractantur, insuper tractatus astronomicus et theologico-moralis, Venetiis 1574 in 12. — Joannes Capella Cremonensis O. Serv. b. M. V. ob insignem pietatem et eruditionem a Pio V. socius Generalis totius ordinis ad dies vitae constitutus est, quo tamen magistratu paulo post summa cum humilitate se abdicavit († 24. Sept. 1585). Ex ejus ll. duo tantum aspexerunt lucem, alter *de satisfactione sanguinis J. Christi*, Ferrarae 1551 in 8; alter *de praedestinatione et libero arbitrio*. — In 1. l. Sententiarum *commentaria* edidit Florentiae 1579 Angelus Maria Montursius Florentinus ejusdem ordinis Generalis, vir, si studia literarum spectes, omni eruditione insignis: si vero pietatem et religionem cum ceteris hujus ordinis beatis patribus aequandus[1]). Decessit 1600. — Paulus Franzosi disseruit *de explicatione literae* Magistri Lombardi in 4 sententiarum ll., Patavii 1606 in 8., et *resolutiones theologicas* edidit Brixiae 1595 in 8. — Ludovicus Carboni a Costacciaro Perusii lector theologiae († 1597) composuit Summae theologiae s. Thomae *compendium* absolutissimum Venetiis 1587 in 4; Coloniae 1609; *catologum* scholasticorum theologorum sive interpretum Summae d. Thomae, ib. 1618 in 4; *introductionem* in theologiam, Venetiis 1589 in 8; *de omnium rerum restitutione*, Venetiis 1592; *Fons vitae et sapientiae*, ib. 1588. Cum vero versatus esset etiam in jure et legibus reliquit

---

[1]) Markel Speculum virtutis et scientiae seu viri illustres O. serv. b. M. V. p. 27 ss.

plures disputationes, quae reperiuntur inter tract. juris univ. ed. Venetiis 1584, ut *de pacificatione, dilectione inimicorum* et injuriarum remisssione (Florentiae 1583) t. XII, pag. 249 ss.; *de amore et concordia fraterna,* 1586; *de praeceptis Ecclesiae,* Venetiis 1598; tr. *de legibus,* qui est vice commentarii in s. Thomam ll. XVIII, Venetiis 1599; *Summa summarum casuum* conscientiae sive totius theologiae practicae, Venetiis 1606 t. 3. in 4. His adde *Introductionem in universam philosophiam* ll. IV una cum catalogo expositorum Aristotelis aliorumque scriptorum de rebus philosophicis, ib. 1599; *introductio in Logicam* una cum catalogo auctorum, qui de logica scripserunt, ib. 1597. Reliquit et opera rhetorica nam et in literis humanioribus erat cultissimus[1]). — Aegidius Mancurtius (Moncurtius, Mancusius) Siculus edidit a doctioribus viris collaudatum *typum omnium scientiarum* et praesertim theologiae scholasticae, in quo omnia, quae ad christianam philosophiam sunt necessaria, continentur, Parisiis 1591 in 8., opus scotica subtilitate contextum et concisa brevitate multiplices difficultates comprehendens. — Hieronimus Accetti († 1591) disseruit *de triplici theologia* symbolica, scholastica et mystica, Cremonae 1582 in 4. — Lactantius Domaninus O. Carm. suae congregationis vicarius generalis († 1595) fuse disputavit in opere rarissimo *de divina providentia,* Mantuae 1592; Veronae 1593 t. 2 (fr. 50). — Marcus A. Mazzaronus praeter tractatum *de tribus coronis romani pontificis* et de osculo ejus pedum, Romae 1588 in 4., scripsit *de praedestinatione et reprobatione,* Perusii 1579 in 4. — Cosmus Filiarchus[2]) Pistoriensis, canonicus florentinus quaestionem instituit *de causis praedestinationis et reprobationis,* an ea sit operum praescientia vel sola Dei voluntas, Florentiae 1575; *de officio sacerdotis,* Christo summo et aeterno sacerdote et ejus in terris vicario, Venetiis 1597 t. 2 in 4. — Joannes B. Gratianus O. S. Aug. Bononiensis disseruit *de sacramentis in genere.* — Hannibal Roselli O. Min. Observ. Calaber post annos 38 in multis academiis variarum disciplinarum lector animum tandem ad scribendum applicuit. Scripsit autem *de septem sacramentis,* Posnaniae 1590; in Pymandum et Asclepium Hermetis Mercurii Trismegisti *commentaria,* Cracoviae 1585, 1586 t. 6, Coloniae 1630, opus varia eruditione refertum, in quo universa fere theologia plurimaeque quaestiones philosophiae illustrantur[1]). — Tenacissimae memoriae et stupendae eruditionis (non tanti judicii critici) erat Jacobus Mazzoni Caesenas, philosophiae professor Pisis et Romae († 1598; juxta alios 1603). Juvenis disputavit de 1593 quaestionibus Bononiae 1577, quas ib. et typis dedit: agit de omnis generis argumentis, praesertim ex literis humanioribus. Scripsit in universam Platonis et Aristotelis philosophicam sive *comparatione Platonis et Aristotelis,* Venetiis 1597; quo in op. nititur Aristotelem cum Platone conciliare. Reliquit et alia[2]).

74. Ex aliis nationibus nobis tantum occurrunt Martinus Balduinus Rythove ita a natali municipio Rythoviae appellatus, Belga[3]), Brabantinus n. 1512 in academia dilingana ss. literarum professor (1549), sed a. 1554 ad academiam lovaniensem vocatus,

[1]) Cf. Biblioteca pic. Osimo 1793. III, 144 ss.

[2]) Alius a Valerio F. Pistoriensi, cujus exstant *dialogi tres* super tridentini concilii progressu et successu, Basileae 1552 in 8; Venetiis 1577 in 4.

[1]) Tomorum indicem cf. in bibl. franc. II, 51 ss.

[2]) Cf. Tiraboschi VII p. 1. pag. 385 s.

[3]) Cf. Sweins Esguisse sur Rythovius premier évêque d'Ypres, Brugis 1859; Claessens Analectes VII, 329—63.

ejus fuit cancellarius, primus dein episcopus iprensis (1562), qui interfuit concilio tridentino. Sollicite nitebatur, ut illius decreta per Belgium exsecutioni mandarentur. Gandavi captus a fidei hostibus carceres tulit et Audomaropoli exsulans lue epidemica exstinctus est 9. Oct. 1583. Ejus comcommentarii in ll. sententiarum, licet discipulorum manibus tererentur, nunquam prodiisse videntur. Prodiit ejus *Manuale pastorum* Parisiis 1576. — Albertus Hero Frisius doctor theologiae coloniensis et in gymnasio laurentiano philosophiae professor († 10. Mart. 1589) disseruit *de providentia Dei ll. V*, Coloniae 1532. — Joannes Forsannus O. Min. Gallus reliquit *resolutiones* in 4 ll. sententiarum 1579 in 8.

II. Theologia polemica.

75. In *Italia* pauci data opera theologiae polemicae incubuerunt[1]). Huc referri possunt: Angelus Pientini O. Praed. Corsiniani in Etruria ortus, theologiae in academia florentina magister († 1589), qui edidit *dimostrationi* degli errori della perfida setta maometana ll. 5 cioè *l'Alcorano riprovato*, Florentiae 1588 in f.; 1603; Romae 1596; tr. *de jubilaeo* in IV ll. distinctus, ib. 1575. — Damianus Rossi (Roscius) O. Pr. Boncniensis theologiae magister, magistri s. Palatiis socius (1573) auctor est op. *LL. III commodi* et utiles partim manifestandis, partim convincendis haeresibus atque haereticis, ordine alphabetico. Primus tractat de haeresibus agnoscendis seu potius variarum censurarum, quae propositionibus apponi solent expositionem et discrimen tradit. Alter de haereticorum dogmatibus agit propositonesque ad suam usque actatem censuris notatas alphabetice refert.. Tertius eodem ordine de haereticorum sectis etc. agit; adjicitur conciliorum Summa, quibus haereses damnantur, Vincentiae 1582.—Paulinus Bernardini O. Praed. Lucensis natus circa a. 1515, fidei disciplinaeque zelo aestuantissimus, vitae morumque sanctitate conspicuus, qui s. Augustini opera prope omnia mente complectebatur ac in promptu habebat († 1585). Scripsit *Concordia Ecclesiastica* contro tutti gli heretici ove si dichiara, qual sia l'autorità della chiesa, del concilio, della sedia apostolica e de' santi dottori, Florentiae 1552 in 8. — Julius Castellani Faventinus, filiorum Cosmi I. magni ducis Etruriae institutor, dein Caesari Gonzagae a secretis, patriae cathedralis canonicus (1571), in Sapientia romana philosophiae professor, demum a Sixto V. dictus episcopus chariatensis in Calabria, sed post electionem mox mortuus 23. Oct. 1586, disputavit *de imaginibus et miraculis sanctorum* adversus haereticos ll. IV, Bononiae 1569; ejus *opuscoli volgari* editi ed inediti prodierunt cura Fr. Zambrini, Faventiae 1847. — Ludovicus Majoranus Gravinae in regno neapolitano n. canonicus ord. lateranensis, episcopus stabiensis (Castellamare 1581—1591), composuit *Clypeum militantis Ecclesiae* seu de vero Dei *cultu*, Romae 1575, cui subjecta est ejus oratio quam habuit ad concilium tridentinum *de optimo rei publicae statu* (etiam apud Le Plat I, 318—340). — Antonius a Castro novo O. S. Aug. Siculus, drepantinus († 1513) scripsit l. *adversus antiqua schismata*, Romae 1582; *regnum Christi* sive de Ecclesia romana ll. 8, ib. 1582. — Laelius Zecchius utriusque juris doctor et cano-

[1]) Adeodato Burgo O. S. Aug. Casalensi, congregationis insubricae vicario generali († 1589) aliquot scripta polemica tribuit Lanterius III. 379, sed utrum et ubi prodierint non refert.

nicus brixianus, suo aevo celebratissimus, teste Gener[1]) primus omnium e recentibus quos ipse vidit universam scholastico-polemicam compendioso nitidoque stilo aggressus est suis scil. *tractatibus theologicis et canonicis,* Brixiae 1591 t. 2 in 4; *de indulgentiis* et jubilaeo anni sancti, Coloniae 1601; *de republica ecclesiastica,* Veronae 1599. — Petrus Illicinus (corrupte Olicinus, Flicinus), Senensis, studiis juris et theologiae Patavii absolutis nullibi sedem fixit stabilem, sed vagabatur per Transilvaniam, Poloniam, Austriam, Hungariam, Moraviam, ubi adeptus est canonicatum olomucensem[2]). Variis in locis praelectiones subinde habuit († p. 1581). Reliquit praeter alia *Paraenesim de antiqua fide servanda* Olaho archiepiscopo strigonensi inscriptam, Olomucii 1573 ed. 2; *Paraeneticon* ad Transsilvanos, qui a catholica fide alienati ad Sabellium seu Praxeam seu Paulum Samosatenum, et ad Arium vel Nestorium vel Photinum degenerarunt, 1581. Ejus scripta produnt hominem bene in divinis literis versatum sagacisque judicii.

76. Ex *Hispanis* laudem merent: Caspar Cardillo de Villalpando a. 1527 in urbe Segovia editus. Vices Alvari Mendozae abulensis episcopi in concilio tridentino sub Pio IV. egit, et ad nutum cardinalis Borromaei in locum Petri Soti theologus pontificius subrogatus est (1581). In eo orationes habuit duas, quae leguntur apud Le Plat I, 561—73, et 694—703. „Praecipua Casparis laus, inquit Nicolaus Antonius[3]), praeter eruditionis illam profanae sacraeque, latini ad haec et graeci sermonis, assertus fuit in decus pristinum et a barbarie ineptiisque laboriosissimorum interpretum vindicatus ac perpurgatus Aristoteles: quae maxime cura illius et consilium cum omni posteritate nominis ejus commemorationem adaequavit.“ Reliquit *disputationes* adversus protestationem 34 haereticorum augustanae confessionis habitas pro synodo tridentina, Venetiis 1564. — Franciscus Orantes (Horantius) Cuellarensis O. Min. interfuit concilio tridentino episcopi palentini procurator in eoque orationem habuit, quae prodiit Lovanii 1567, et apud Le Plat I, 479—500 etc. Decessit episcopus ovetensis a. 1584. De religione christiana optime meritus est formidabilis haeresi scriptor et multarum palmarum athleta[1]) pereleganti illo ac celebri, et nunquam satis laudato, addit Gener[2]), opere, cui titulus est: *Locorum catholicorum* pro romana fide adversus Calvini *institutiones ll. VII,* Venetiis 1564; Parisiis 1566, in quibus singula institutionis calvinianae capita contundit. Edidit quoque: Epistolam seu *tractatum de quibusdam quaestionibus* inter Philippum Marnixium s. Aldegundae abbatem et Michaelem Bajum acad. lovan. cancellarium circa Ecclesiae auctoritatem et judicem controversiarum fidei, 1584, circa quas scil. non sat accurate scripserat Bajus ad Marnixium calvinistam[3]). — Caspar Casal Lusitanus, in familia eremitarum s. Augustini eruditionis at-

---

[1]) Theologiae dogm. schol. t. 1. prodr. 1. c. 4 § 56.

[2]) Cf. Aschbach Gesch. der Wiener Univ. III, 199—201.

[3]) Bibl. H. N. 1, 521, ubi reperies quoque operum ejusdem catalogum. Eorum pleraque sunt philosophica et commentaria in varios Aristotelis libros complectuntur, pauca tantum sunt adversus Protestantes. Contemnendus non est ejus *Commentarius praecipuarum rerum, quae in conciliis toletanis continentur,* Compluti 1570.

[1]) Dechamps de haeresi jansen. l. 2. disp. 4 c. 9. n. 4. et c. 14. n. 1.

[2]) L. cit. I, 58.

[3]) Cf. Bibl. H. N. I, 452. Ceterum ejus sodalis Joannes Baptista Fernandez lingua vernacula edidit a. 1593: *Primiera parte de las Demostraciones catholicas,* y principios, en que se funda la verdad de nuestra sagrada religion.

que ingenii necnon et vitae integritatis laude praestans, in conimbricensi schola c. a. 1542. primarius s. theogiae professor, Joanni III. regi a concionibus et consiliis, dein funchalensis in Madera insula antistes, postea leirensis (a. 1557), mox et conimbricensis († 9. Aug. 1585). Concilio tridentino interfuit (bis), ut regius legatus et orator, dein ut episcopus leirensis, in eoque veluti magnum doctrinae jubar radiavit. Hic prolixum omnimodaque eruditione locupletissimum opus conscripsit *de quadripartita justitia ll. XI,* in quibus omnium, quotquot exstant, theologorum conquisitis probeque digestis sententiis orthodoxa de justificatione nostra fides asseritur, et Lutheri, Calvini, Buceri, Bullingeri aliorumque a s. rom. Ecclesia dissidentium opiniones eliduntur, Venetiis 1563 t. 4 in f. Praeterea habemus: *De sacrificio Missae et de sacrosanctae eucharistiae celebratione* per Christum in coena novissima ll. III, Venetiis 1563, praesertim adversus Melanchton; *de coena et calice Domini* quoad laicos et clericos non celebrantes ll. III, ib. a. 1563; *Axiomatum christianorum ll. III* ex diversis Scripturis et ss. patribus adversus haereticos antiquos et modernos, Conimbricae 1550 etc. — Alphonsus Pisanus S. J. Toletanus (n. 16. Sept. 1528) fuit „mediocris corporis staturae, sed ingenii maximi et nobilissimi, adeo ut quod de apibus latinus poeta cecinit, de eo quoque possit dici rectissime:

Ingentes animos angusto in pectore versat[1]).“

Vir erat doctissimus, moribus quoque atque modestia insignis, omni literatura aetate sua nobilissimus teste Baronio. Postquam Romae Aristotelem explicuerat, Dilingae et deinde Ingolstadii theologiae egit professorem. Translatus in Poloniam obiit d. 9. Dec. 1598. Edidit: *De continentia et abstinentia* vel de apostolico coelibatu, jejunio et ciborum delectu doctrina catholica, Coloniae Agripinae 1579; *Nicaenum conciliorum primum generale* in IV ll. distinctum, Dilingae 1572; Coloniae 1581 ed. auctior, in quod opus recepit 80 can. nic. ex arabico codice versos a sodali J. B. Elia[1]) seu Romano alexandrino e judaismo ad veram fidem converso († 3. Mart. 1589). *Confutatio brevis 113 errorum* apud sectarios nostri seculi circa 7 Ecclesiae sacramenta, Posnaniae 1587[2]), in qua confessionem augustanam et institutiones Calvini aggreditur; *catholica et orthodoxa responsio* ad praecipua capita epist. D. Jac. Niemoienski, Posnaniae 1585, in qua agit praesertim de Ecclesia. — Agmen claudit Bartholomaeus de Valverde et Gandia, quem Villena urbs protulit Castellae, valentino regno finitima, s. theologiae doctor, qui multiplicis doctrinae merito excelluit. Hinc a romanis pontificibus adhibitus tum in editione LXX interpretum tum in correctione Vulgatae. Praecipue vero in ea parte studii theologici curas suas collocasse videtur, quae adversus fidei hostes contentionis utilissimae atque honestissimae funes trahit († 1590, secundum alios 1600). Plura edidit opuscula, inter quae eminet rarumque est: *Ignis purgatorius post hanc vitam* e latinis patribus orthodoxis Hebraeorumque doctissimis assertus, Patavii 1581; Venetiis 1590, cui operi adjecta sunt breve apologeticum aliorum dogmatum et rituum Ecclesiae; responsa de verbo scripto et non scripto ad quaestiones Wenc. a Wertzoviz, et nomologia ex ss. patribus, i. e. insigniores aliquot sententiae, quibus et catholici in fide confirmantur et qui ab Ecclesia discesserunt redarguuntur.

1) Mederer acad. Ingolstad. 1, 304.

1) Reliquit Elian et brevem catechismum et libellum polemicum in forma dialogi lingua arabica conscriptum. Cf. Sommervogel III, 379 ss. et app. pag. V.

2) Alia ejusdem scripta cf. ap. Sommervogel Bibl. de la Comp. VI, 864 s.

77. Ab Hispanis transeamus ad *Anglos,* quorum non parvus est numerus, nec spernenda auctoritas; horum tres obierunt eodem a. 1581. Richardus scil. Bristow, Edmundus Campianus (Campion) S. J. et Nicolaus Saunders. Prior Vigorniae (Worcester) natus a. 1538 condiscipulus fuit Edmundi Campiani, academiae oxoniensis decus et pro fide avita exsul (a. 1569), Lovanii morabatur. Eo deinde plurimum utebatur Alanus[1]) praesertim in regendo collegio Anglorum duaceno, in quo etiam s. Scripturam est interpretatus, sed brevi abreptus est magno catholicorum Angliae dolore et damno (18. Oct. 1581). Haec ejusdem sunt opera: *A briefe Treatise* of diverse plaine and sure wayes to finde out the truthe in this doubtfoul and dangerous time of Heresie conteyning sundry worthy motives unto the Catholike faith, or Considerations to move a man to beleve the Catholikes and not the Heretikes, Antverpiae 1574 in 12; libellus egregius ab Allen admodum commendatus, etiam latine Atrebati 1608 in 4, communiter inscriptus *Bristows Motives;* hujus epitome prodiit inscripta: *Demaundes* to bee proposed of Catholiks to the Heretikes, Londini 1592; *A Reply* to William Fulke in Defence of. M. D. Allen's Scrole of Articles and Booke of Purgatorie, Lovanii 1580, cui Fulk respondere nisus est. Annotationes adjecit versioni anglicae N. T., quae prodiit Rotomagi 1582, de qua infra. — B. Edmundus Campion[2]), Campianus, patria Londinensis n. 1540, adolescens florenti ingenio praeditus in oxoniensi academia studiis operam dedit, atque ita inter suos eminuit condiscipulos, ut cum Richardo Bristow ad salutandam destinaretur Elisabetham reginam, futuram suam carnificem, academiam tunc invisentem (1566). Haereticorum fraudibus circumventus se ab iis ordinari passus est: ad quod scelus expiandum Anglia excessus in duacensi Anglorum catholicorum seminario commoratus theologiam egregie didicit et magistri lauream accepit. Romam profectus societatem Jesu est ingressus (1573). Aliquot annos Pragae et Viennae rhetoricam et philosophiam docendo et latine concionando consumpsit, et a. 1580 in patriam rediit, ubi magno cum fructu rei catholicae causam promovit. Ita ipse in quadam ep. de sua scribit missione: „Accurrunt nobilissimi juvenes, salutant, vestiunt, ornant, armant, emittunt ex urbe. Partem aliquam regionis obequito pene quotidie. Ingens omnino messis est. Sedens in equo meditor conciunculam, quam ingressus in domum perpolio. Deinde si qui me adeunt colloquor, aut confitentes audio. Mane peracto sacro verba facio; aures afferunt sitientes; sacramenta percipiunt frequentissime.“ Inimicorum fidei maxime in se concitavit iram, brevi admodum sed aureo plane libello, quem inter innumeras angustias in silvis concinnavit: *Decem rationes,* quibus fretus certamen anglicanae ecclesiae ministris obtulit in causa fidei, quo nihil solidius, efficacius nihil ad revincendos Protestantes. Saepissime hic libellus prodiit ut Romae et Antwerpiae 1582 etc., etiam una cum Tertulliani l. *de praescriptionibus adversus haereticos* et Vincentii lirinensis *commonitorio* Coloniae 1594; varias etiam in linguas fuit translatus.[1]) Hinc a fidei

[1]) Cf. Gillow 1, 300. En quo elegio in memoriis collegii duaceni celebratur: He might rival Allen in prudence, Stapleton in acumen, Campion in eloquence, Wright in theology, and Martin in languages.

[2]) Alius Campion Guilelmus (Wigmore) Herfordiensis († 28. Sept. 1665) scripsit *On the catholic doctrine of transubstantion* against Dr. John Cosin, s. l. et a.

[1]) De editionibus et versionibus (sicut etiam de libris contra illum editis) cf. Sommervogel II, 586-597; Gillow 1, 376-92. Raess, Convertiten 2, 91 ita de eo scribit: „Die zehn Beweisgründe sind in einem

catholicae hostibus omnibus vestigiis perquisitus, tandem ex insidiis captus est 15. Julii 1581. Itaque raptatus, suspensus, semivivus de furca dejectus, corde spiranti adhuc evulso, pudendis abscissis, in ignem visceribus conjectis atque combustis, immanissime mactatus est 1. Dec. 1581 [1]). Cultum Leo XIII. confirmavit 9. Dec. 1886. B. Edm. Campionis *opuscula* (epistolae, sermones, poemata et decem rationes) prodierunt Barcinone 1889.

78. Nicolaus Sanders (Sander), qui tertius est, Charlewoodanus n. 1527, juvenis adhuc jus canonicum Oxonii interpretabatur (1557—1560). Propter fidem catholicam exsul Romam secessit, ubi sacerdos ordinatus et s. theologiae doctor fuit creatus. Cardinalem Hosium Tridentum comitatus est ad concilium, deinde in Poloniam; docuit quoque s. theologiam Lovanii. Gregorius XIII. eum nuncium in Hiberniam ad solandos misit catholicos, ubi tamen Anglorum persecutionibus et insidiis expositus, aerummis et fame tandem confectus obiit in silva 1581. Inter ejus opera [1]) omnium magis notum est: *De visibili monarchia Ecclesiae* ll. VIII, in quibus diligens instituitur disputatio de certa et perpetua Ecclesiae tum successione, tum gubernatione monarchica ab ipso mundi initio usque ad finem; deinde etiam civitatis diaboli persaepe interrupta progressio proponitur, sectaeque omnes et haereses confutantur, quae unquam contra fidem emerserunt: denique de antichristo ipso et membris ejus deque vera Dei et adulterina diaboli ecclesia copiose tractatur, Lovanii 1571; Antverpiae 1578; 1581; Parisiis 1580 etc., opus eruditum et doctum, stilo licet forte minus eleganti conscriptum. Illud ex protestantibus impugnarunt in primis Barth. Clerke et Georgius Ackworth, quorum exceptionibus respondet in alio opere pariter docto et raro, quod prioris est velut continuatio et apologia: *De clave David* seu regno Christi ll. VI contra calumnias Acleri pro visibili Ecclesiae monarchia, Romae 1588; cum praecedenti Wirceburgi 1592; in Rocaberti bibl. XVII, 397—534: prius anglice Lovanii 1567. Nomine autem generico Acleri designat omnes cleri adversarios. In eo opere explicat in primis quo sensu Christus dixerit *Regnum meum non est de hoc mundo* (Jo. 18, 36); probat Ecclesiae jus vere remittendi pec-

überaus reinen Latein geschrieben, mit Ciceronischer Eleganz, mit der Gedrängtheit des Tacitus und in der abrupten Weise einiger altrömischer Satyriker. Die Übersetzung derselben ist nichts weniger als leicht; auch hat der französische Übersetzer bei Migne, Démonstation Evangélique 14, 1189—1216 diese Schrift jämmerlich geradebrecht, Manches unrichtig aufgefaßt, die schwierigsten Stellen übergangen, und Alles verflacht, so daß Campian sein Werk nicht mehr erkennen würde". Joannes Durie (Duraeus) S. J. Scotus († 20. Oct. 1588) Campiani libellum adversus Whitakeri responsionem vindicavit Parisiis 1582 (m. 25); Ingolstadii 1585, quae *confutatio* est erudita, elegans et dilucida, sed rara.

[1]) Triduo post ejus martyrium ita Bernardinus de Mendoza, legatus hispanus, sorori suae scripsit: „Quotquot hic sunt et ego in particulari fidem facere possum attento modo, quo passus est Campianus, illum annumerandum esse illustrioribus martyribus in Ecclesia Dei et pro tali potest illum habere sua religio etc." Plura de ipso cf. in l. Martyrium Edm. Campiani S. J. e gallico in latinum versum a Guilelmo Estio, Lovanii 1582; et in l. Vita et martyrium Edm. Campiani Mart. angli e S. J. auctore Paulo Bombino ex eadem societate, Antwerpiae 1618, valde rara (m. 30); Kobler die Märtyrer und Bekenner der Gesellschaft Jesu in Engl., Oeniponti 1886 p. 35—69; R. Simpson E. Campion. A Biography, Edinburgh 1867.

[1]) Cf. Niceron, Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres etc., ubi accuratus operum Sanderi index reperitur, in versione germanica interprete Baumgarten XI, 150-159; Dublin Review, New Ser. XXIX, 120—140; Bellesheim Gesch. der kath. Kirche in Irl. II, 167 s.; 176 ss.

cata, agit de synodorum oecumenicarum auctoritate etc. *The Supper of our Lord ll. VI*, Lovanii 1565; *tres orationes:* 1. de transubstantiatione. 2. de linguis officiorum ecclesiasticorum; 3. de pluribus missis in eodem templo celebrandis, Antverpiae 1566; *De explicatione missae* ac partium ejus, ib. 1569; *Sedes apostolica* seu de militantis Ecclesiae romanae potestate romanorumque pontificum primatu et auctoritate, Venetiis 1603: forte versio et nova ed. operis anglici: *The Rock of the Church* Lovanii 1567. Tr. quod Dominus in VI. c. Ev. s. Joannis *de sacramento eucharistiae* proprie sit locutus, Antverpiae 1570; *de typica et honoraria ss. imaginum adoratione* ll. II, quorum prior in adoratione ss. imaginum nullum esse idololatriae periculum, posterior docet figuralem quandam adorationem illis deberi et naturali et gentium et divino et ecclesiastico jure, Lovanii 1569; prius anglice 1567; *de justificatione* contra colloquium Altenburgense ll. VI, Augustae Trevirorum 1585, Coloniae 1594, opus rarum; *de origine ac progressu schismatis anglicani* ll. III, quibus historia continetur maxime ecclesiastica, nimirum ab a 21. regni Henrici VIII., quo primum cogitare coepit de repudianda legitima uxore Catharina usque ad a. 28. Elisabethae, quae ultima est ejusdem Henrici soboles, aucti per Eduardum Risthonum[1]), Coloniae 1585; Romae 1586; Ingolstadii 1586; cum appendice Ribadeneirae Coloniae 1590 et 1628; Parisiis 1676; Lugduni 1685, quod versum quoque fuit in varias linguas. Adverti tamen debet primam tantum editionem[2]) esse genuinam, posteriores auctore quodam anglo fuisse interpolatas circa eventus a. 1531. Alia quaedam opuscula diligenter recenset Gillow V, 476—79. Ejus *relatio* (pretiosa) de constantia catholicorum sub Elisabetha ad card. Morone prodiit inter Historical papers ed. in Cath. Record Society Londini 1905 ab I. H. Pollen.

[1]) Hic missionarium agens captus est cum Campion et morte damnatus: sed poena mutata in carcerem, diu in eo fuit detentus: mox vero post liberationem decessit 30. Jun. 1585.

[2]) Ita Bridgett in Tablet mensis Novembris 1889. II, 740; cf. Katholik 1890. II, 83; Bellesheim Lit. Rundschau 1890 p. 130. — Alius ab eo est Antonius Sanders († 1664). de quo t. seq.

79. Hos excipiunt: Thomas Watson ultimus episcopus lincolniensis, qui ob fidem annos 20 carcerem est passus († 27. Sept. 1584). — Jo. Howman de Feckenham O. S. Ben. ultimus abbas westmonasteriensis († 5. Aug. 1585) saepe in carcerem propter fidem conjectus, in quo demum post diram 29 annorum detentionem piissime occubuit, insignis theologus, verae fidei verbo et scriptis[1]) pugil plane strenuus, adversariis formidabilis virtutisque simul exemplar. — Joannes Gibbons Somersetensis n. 1544 relicta academia oxoniensi Romam se contulit atque in collegio germanico philosophiae et theologiae operam dedit. A Gregorio XIII. auctus est canonicatu bonnensi, cui tamen mox renunciavit, ut societatem Jesu posset ingredi (1578). Treviris theologiae professorem atque collegii egit rectorem († 3. Dec., secundum Gillow 16. Aug. 1589). Edidit *concertationem Ecclesiae catholicae* in Anglia adversus Calvinopapistas et Puritanos etc., Augustae Trevirorum 1583, quam auctam iterum in lucem prodire jussit Joannes Aquapontanus (Bridgwater) S. J. his additis priori titulo: Nunc denuo centum et eo amplius martyrum sexcentorumque insignium virorum gestis variisque certaminibus, lapsorum palinodiis, novis persecutorum edictis ac doctissimis catholicorum de anglicano seu muliebri pontificatu ac romani pontificis in principes christianos auctoritate disputationibus aucta et in 3 pp. divisa, ib. 1588;

[1]) Cf. Gillow II, 233—38; Baeumker Kirchenlex. VI, 1664—71.

1594 in 4. ed. praecipua (m. 60). Operi inserta sunt b. Campiani vita, martyrium et ejusdem libellus Decem rationes. — Gibboni sodalis erat Laurentius Arturus Faunt (Faunteus) Lecestrensis, fidei causa patria profugus. Plures vitae annos transegit in Polonia, ubi magnam ab insigni vitae, probitatis et praeclarae eruditionis opinione consecutus est laudem († Vilnae 28. Febr. 1591). Inter ejus lucubrationes sunt theses, disputationes, assertiones[1]). Potiores sunt: *De Christi in terris Ecclesia*, quaenam et penes quos exsistat ll. III, in quibus Calvinianos, Lutheranos et ceteros, qui se Evangelicos nominant, alienos a Christi Ecclesia esse argumentis signisque clarissimis demonstratur et simul apologia assertionum ejusdem inscriptionis contra falsas Ant. Sadeelis[2]) criminationes continetur, Posnaniae 1583 in 4; *coenae Lutheranorum et Calvinistarum oppugnatio*, ib. 1586; *Apologia* libri seu thesium *de invocatione ac veneratione SS.* (ib. 1584) contra falsas Dan. Tossani theologiae calvinianae heidelbergensis professoris criminationes; adjunctus est apologiae liber ipse, cujus defensio suscipitur, in Germania nunquam editus, Coloniae 1589. — Guilelmus Reynolds, qui Romae ad matrem Ecclesiam rediit, postea vero s. theologiam in Anglorum collegio rhemensi docuit († 24. Aug. 1594), sub nomine Reginaldi vel Rosei plura[3]) edidit contra sui temporis sectarios, inter quae nominandus *Calvino-turcismus* i. e. calvinisticae perfidiae cum mahumetana collatio et dilucida utriusque sectae confutatio ll. 4 in dialogorum forma[4]), Antwerpiae 1597; Coloniae 1603; *de justa reipublicae christianae* in reges impios et haereticos *auctoritate*, Antverpiae 1592 in 8; A Treatise conteyning *the true Catholike et Apostolike Faith* of tho Holy Sacrifice and Sacrament etc. cum expositione haeresis berengarianae renovata a. Brucio Scoto, ib. 1593; *praxis fori poenitentialis,* Venetiis 1619 in f. opus posthumum; vindicias quoque instituit (anglice) adversus Whitakerum translationis N. T. anglicae, Parisiis 1583. — Albanus Langdale archidiaconus cicestrensis[1]) hoc munere fuit privatus ob recusatum jusjurandum circa suprematiam reginae Elisabethae etiam in rebus ecclesiasticis († c. 1584). Ejus est *Catholica confutatio* impiae cujusdam determinationis D. Nic. Ridlei ... post disputationem de eucharistia in academia cantabrigiensi habitam in ll. 3 divisa, Parisiis 1556 in f. — Joannes Marshall (Martiall) n. 1534, qui maluit sub Elisabetha in exsilium ire, quam fidem prodere. Duaci theologiae operam dedit, cum antea juri civili studuisset adeptusque est doctoratus lauream. In fundando ibidem collegio Anglorum Allen juvit. Factus est canonicus Insulis, ubi decessit 3. Apr. 1597. Composuit contra omnis generis et aevi adversarios ex s. Scriptura, conciliis et patribus *A Treatyse of the Crosse,* Antverpiae 1564 cum apologia adversus blasphemias Calfhill, quas hic huic tractatui opposuerat, Lovanii 1566.

80. Multum inclaruit Guilelmus Allen (Allyn, Alanus) Lancastrensis n. 1532 in oppido Rosall, quondam professor oxoniensis, academiae procurator et canonicus eboracensis (etsi laicus), sed propter fidem exsul (1561). Ardenti atque infatigabili zelo pro restauranda religione catholica in patria sua laboravit hic acerrimus Elisabethae reginae adversarius. Cum ob affectam valetudinem redire cogeretur in patriam (1562—65), licet nondum

[1]) Cf. Sommervogel III, 554—57; Gillow II, 226.

[2]) Cf. de operibus contra Sadeelem editis et de hujus responsis Roskovàny 2, 421 s.

[3]) Cf. Wood Athenae oxon.

[4]) Cf. hujus ep. synopsin ap. Werner, Gesch. der apolog. Literatur 4, 309 ss.

[1]) Cf. Gillow Biogr. Dict. of the English Catholics IV, 115 ss.

sacerdos clam nutantes in fide catholicos confirmavit eo fructu, ut securitatis gratia domicilium mutare cogeretur, ac demum iterum Anglia secedere. Postquam Mechliniae sacros suscepit ordines et aliquamdiu theologiam docuit, Romam est profectus. Post reditum coepit sollicitius cogitare de restauranda religione catholica in patria sua ideoque de instituendis collegiis, in quibus juvenes angli ad sacerdotium munusque apostolicum in ea obeundum diligenter instituerentur, nixus illo adagio »Oportet meliora tempora non exspectare, sed facere.« Celebre fuit collegium, quod instituit (1568) Duaci, inde Rhemos ob turbas bellicas translatum, cujus plus quam paternam curam atque sollicitudinem habuit[1]). Quo in consilio eum egregie juvit Gregorius XIII. Pro bono religionis majora semper cogitans et agens rogatu Philippi II. a Sixto V. purpura fuit decoratus (1587); et licet archiepiscopus mechlinensis sit dictus (1589), nunquam tamen dioecesim adiit, neque a sede apostolica ipse fuit confirmatus, a romano pontifice semper pro universalis Ecclesiae negotiis adhibitus. A Gregorio XIV. loco Antonii Cardinalis Caraffae demortui bibliothecarius apostolicus declaratus, ad reformationem editionis vulgatae bibliorum a Sixto V. coeptam cum Cardinali Columna deputatus et jam a Gregorio XIII. missionibus per Angliam est praefectus. »Hujus viri praestantissimi obitum, scribit Pitseus de ill. Angliae script., quotquot fidei causa persecutionem patimur, adhuc lugemus, et tamquam orphani periisse nobis communem parentem magis ac magis in dies experimur.« »Hunc omnes, addit Eggs[1]), tum illius tum nostri aevi scriptores sinceri summis laudibus et merito extulerunt tamquam christianae religionis athletam fortissimum fideique in Anglia clypeum invincibilem et S. R. E. sacrique collegii singulare decus atque ornamentum. E contrario iniqui s. matris Ecclesiae hostes fideique avitae desertores probris illum omnibus onerarunt odioque capitali prosecuti sunt.« Hoc ei positum est epitaphium in collegii Anglorum ecclesia, in qua ejus corpus requiescit:

Deo trino et uni.
Guilelmo Alano
Lancastriensi
S. R. E. Praes. Card. Angliae,
Qui extorris a patria
Perfunctus laboribus diuturnis,
In orthodoxa religione tuenda
Sudoribus multis, in seminariis
Ad salutem patriae instituendis, fovendis, periculis plurimis
Ob Eccle. Rom. opere, scriptis,
Omni corporis et animi contentione
Defensam, hic in ejus gremio
Scientiae, pietatis, modestiae,
Integritatis fama et exemplo clarus,
Ac piis omnibus carus occubuit
XVII. Kal. Novemb. anno
Aetatis LXIII, exilii XXXIII.
Salutis humanae MDXCIV etc.

Haec potiora ejusdem scripta: *Certain Brief Reasons* concerning the Catholik Faith, Duaci 1564; *A Defense and Declaration* of the Catholique Churches Doctrine touching Purgatory and Prayers for the Soules departed, Antwerpiae 1565 in 8; *A Treatise made in Defense of the Lawful Power and Authoritie* of Preesthood to remitte sinnes: Of the People's duetie for confessienn of their sinnes to Godes ministers: And of the Churches meaninge concerning

---

[1]) Cf. de hoc seminario martyrum (160) et virorum apostolicorum adeo feraci The first and second diaries of the english college Douay and an appendix of unpublished documents (67), opus a patribus londinensis Oratorii editum 1878, de quo cf. Bellesheim hist.-pol. Bl. LXXXII, 39 ss.

[1]) Purpura docta l. 5. n. 46. Cf. praeterea Gillow 1, 14—24; in primis Bellesheim op. insigni Wilh. Card. Allen, Mainz 1885; Jos. Schmid hist. Jahrb. VI (1885), 462—481; Buddensieg Realenc. I³, 371—74.

Indulgences commonlie called the Pope's pardons, Lovanii 1567, contra quem scripsit William Fulke; opus aureum *de sacramentis in genere;* de sacramento eucharistiae; de sacrificio eucharistiae ex vivae vocis diligenti et accurata tractatione (apud Th. Stapleton), Antverpiae 1576 in 4; Duaci 1603, opus rarum, quod magni fecit Bellarminus. Ipse quoque induxit collegas suos in collegio rotomagensi ad vertendam s. Scripturam s. in linguam patriam quae versio magni adhuc fit, adjecitque cum Bristow adnotationes N. T. Cura patrum congregationis Orat. prodierunt *The Letters and Memorials* (284) of W. Card. Allen fere inedita (225) Londini 1882, cum introductione historica auctore Th. Fr. Knox.

81. Omnium tamen celeberrimus est et merito Thomas Stapleton, qui luminaribus illis magnis Bellarmino et Duperonio non impar, a nonnemine illis praefertur[1]). In lucem editus est a. 1535 Henfieldae. Et ipse propter fidem exsul studia, quae inchoaverat Wicestrae et Oxonii, prosecutus est Parisiis, Lovanii et Romae. Doctor Lovanii creatus (1571) s. literas Duaci est interpretatus, dein artem catecheticam et polemicam docuit. Societatem Jesu (1579) est ingressus, sed ob affectam valetudinem, rediit ad cathedram duacenam firmiterque stetit pro Lessio contra Bajum, quo defuncto Lovanium accitus ei in cathedra s. Scripturae successit. Denatus est 3. Oct. a. 1598. Tanti eum fecit Clemens VIII., ut sibi illius opera inter coenandum jusserit praelegi, eumque purpura ornare vellet. Ejus opera (pleraque) collecta cum vita prodiere Parisiis 1620 t. 4 in f., ed. admodum rara. Inter ea eminent: *Principiorum fidei doctrinalium demonstratio methodica* per controversias septem in ll. XII tradita, in quibus ad omnes de religione controversias dijudicandas sola et certissima norma et ad easdem semel finiendas sola et suprema in terris auctoritas, via et ratio demonstratur, Parisiis 1579; ib. 1582 ed. 2, ab auctore recognita et multis locis locupletata, cui etiam accesserunt successionis Ecclesiae defensio accuratior et latentis protestantium ecclesiae confutatio copiosior contra Guil. Fulconis angli inanes cavillationes adversus l. IV. c. 10 et 11 editas; item l. XIII. et speculum pravitatis haereticae per orationes X ad oculos demonstratum; hujus operis scopus est via compendiaria, sepositis quaestionibus innumeris implexisque de singulis dogmatibus controversis, dirimere radicitus omnem catholicos inter et protestantes controversiam[1]); hinc inquirit in principia fundamentalia, secundum quae breviter et peremptorie simul omnis de doctrina revelata quaestio possit dirimi, proinde disserit de Ecclesia controversiarum judice, de hujus docendi auctoritate et infallibilitate, de

[1]) Feller ita de eo judicat VIII, 87: „Stapleton d'un caractère doux et aimable avait la piété en partage; il possédait trèsbien les belles-lettres, était versé dans le grec et l'hébreu, la théologie et l'histoire. Les hérétiques, qu'il confondit dans ses écrits ont rendu hommage à son savoir, et le cardinal du Perron le met à la tête de tous les controversistes. Il faut avouer cependant, que Bellarmin le surpasse dans la science de l'Ecriture, dans la lecture des Pères et dans les connaissances historiques, et que du Perron les surpassa tous deux dans l'exactitude à discerner ce qui est de foi d'avec ce qui n'est que d'opinion." Döllinger eum dicit: „den besten Streiter gegen die neue Lehre, den die Kirche gehabt (Rede auf der gelehrt. Vers. 1863 p. 34)." Cf. H. Hollandus († 1625) Vita . . . Th. Stapleton in ed. opp.; Ledoux de vita et scriptis Th. St. in Annuaire de l'Univ. cath. de Lond. 1865; Paquot Mémoires Lovanii 1768 II, 526—532; Bellesheim KL. IX, 734—736. Leuridan Revue des sciences eccl. LXXIII (1896), 331—349; LXXVII (1898) 193—211; 327—342; Gillow V, 526—29.

[1]) Cf. de hoc opere Werner l. c. 4, 426 ss.; Possevinus l. 7. c. 2.

revelationis amplitudine, quaenam Ecclesia sit judex controversiarum etc. Majoris forte pretii est: *Principiorum fidei doctrinalium relectio scholastica et compendiaria,* Antverpiae 1596, cui accessit triplicatio inchoata adversus G. Whitakeri Anglo-Calvinistae duplicationem pro auctoritate Ecclesiae compendium (sed sat prolixum adhuc) prioris operis secundis curis elaboratum, quod excellit quaestionum notionumque distinctione et perspicuitate, argumentorum pondere et concinna brevitate. *Speculum pravitatis haereticae,* Parisiis 1580. *Universa justificationis doctrina hodie controversa ll. XII* tradita, Parisiis 1582. *De magnitudine Ecclesiae romanae* ll. 2, Antverpiae 1599 in 4; Brugis 1881; apud Roccaberti XX, 1—36; *Auctoritatis Ecclesiasticae* circa s. Scripturae approbationem defensio ll. III contra disputationem de Scriptura s. G. Whitakeri, Antverpiae 1592. Ad refutandas corrigendasque perversas Calvini et hujus discipulorum interpretationes, quibus N. T. librorum sensum pervertebant, edidit: *Antidota evangelica contra horum temporum haereses,* in quibus illi quatuor evangeliorum textus explicantur, quibus haeretici hodie ad sua dogmata propugnanda utuntur, vel ad haereticorum dogmata impugnanda catholici uti possunt, Antverpiae 1595 pp. 2 in 1 v. in 8; *Antidota apostolica,* scil. in Actus apost., *in epist. ad Romanos ac binas ad Corinthios* contra nostri temporis haereticos[1]), t. 3, Antverpiae 1595 t. 1. et 2; Lovanii 1598 t. 3. Quae antidota vere eximia sunt, atque in iis solide admodum illa testimonia expendit exponitque, quae in theologia dogmatica majoris sunt momenti. *Promptuarium morale* super evangelia tam dominicalia quam de festis et quadragesimae, Antverpiae 1591; 1592; 1593 pp. 5 in 3 v., Coloniae 1592; opus saepius et variis in locis editum. *Tres Thomae,* seu de s. Thomae apostoli rebus gestis, de s. Thoma archiep. cantuariensi et Thomae Mori Angliae quondam cancellarii vita, magni pretii pro vita b. Th. Mori; Duaci 1588; Coloniae 1599; 1612; *orationes academicae XXXIV,* Antverpiae 1591; *Quodlibeticae* X; *Propugnaculum fidei primitivae Anglorum,* ib. 1565.

[1]) Cf. Werner l. c. 4, 305 ss.

82. *Scoti* erant Archimbaldus **Hamilton** ad veram conversus fidem, qui editis libris dein Calvinianos impugnavit, et Ninianus **Winzetus** (Wingate) O. S. Bened. natus a. 1518 in Scotia, patria Renfrous (Renfrew), primum erat presbyter secularis in dioecesi glasgoviensi, atque ob praeclaras animi dotes publicis apud Lithgoam (Linlithgow) scholis, dein ecclesiae collegiatae ibidem praepositus; quo tamen munere propter fidem privatus fuit. Mariae Stuart reginae fuit a confessionibus. Invalescente in Scotia haeresi calviniana Joanni Knoxio et Thomae Spotswodio, Calvini discipulis, strenue se opposuit eosque disputationibus qua publicis qua privatis convicit, editisque libris impugnavit. Edidit scil. *Certan Tractates* for Reformatioun of Doctryne and Maneris set furth at the desyre, and in name of the afflictit Catholikis of inferiour ordour of Clergie and Layt-men in Scotland, Edinburgi 1562, opus rarissimum, ideoque recusum 1835; 1888. Knoxium provocavit, ut suam comprobaret missionem, eique opposuit 83 propositiones (1562), lingua vernacula, quibus doctrinam disciplinamque catholicam ex Scriptura et traditione invicte tuetur, Antverpiae 1563. Hinc iram factionis calvinianae in se concitavit ac nonnisi fuga eorum manus evasit. Quare exsulare coactus in Belgium confugit (1562) atque Duaci studio s. theologiae se dedit. A Gregorio XIII. a. 1577 Scotis ratisbonnensibus abbas praefectus est, hinc religio-

nis habitum induit emisitque vota solemnia. Disciplinam monasticam nonnihil collapsam instauravit: laudabilem Scotorum per Germaniam consuetudinem tenendi scholas publicas restituit; altiora studia ipse docuit. Tandem 21. Sept. a. 1592 aetatis 74. obdormivit in Domino[1] „gratus, honoratus et desideratus omnibus non sine sanctitatis opinione[2].“ Edidit praeter alia: *Flagellum sectariorum*, qui religionis praetextu seditiones in Caesarem aut in alios orthodoxos principes excitare student, Ingolstadii 1582. Opera ejusdem accurate cum docta introductione annotationibus illustrata edidit Ja. King Hewison, Edinburgh 1888—1890 t. 2.

83. In *Gallia* contra Calvinistas pugnarunt[3]): Petrus Emotte Burgundus, doctor parisiensis (1572), capituli laudunensis decanus († 1. Aug. 1580), cujus est: *Catholicae fidei professio* primum utriusque T., dein ss. patrum, qui primis duobus seculis floruerunt, testimoniis confirmata ll. IV, Parisiis 1578; ejus *Sermones* prodierunt ib. 1578—82 t. 3; 1588—90. — Petrus de la Coste O. Praed. Aquitanus, patria Condomensis, qui non solum scriptis[4]), sed et sanguine fuso (interfectus siquidem fuit a Calvinistis a. 1582 vel 1583) fidei catholicae extitit testis. — Ejus sodalis Petrus de Bollo Allobrox Cambriaci natus, orator facundus, congregationis gallicanae vicarius generalis edidit: *Authentica probatio sacrosancti missae sacrificii* ex solius s. Scripturae testimoniis, Lugduni 1588 in 8; 1617 cum alio ejusdem libro: *Oeconomia canonica* seu de ss. catholicae Christi familiae ministrorum officio et conservanda ubique majorum ecclesiastica disciplina, quem l. primum ediderat annotationibus exornatum Petrus Matthaeus ib. 1588.— Joannes Portez (Porthesius) O. Min. ecclesiastes vere catholicus, opere et sermone potens († c. a. 1590), scripsit de verbis Domini *hoc facite in meam commemorationem* pro oecumenico conc. tridentino adversus sophisticas nebulas M. Flacii Illyrici, Antverpiae 1567 in 12; 1586; *Les catholiques démonstrations* sur certains discours de la doctrine ecclésiastique en suivant la divine parole et s. Ecriture avec l'universel consentement de l'Eglise chrestienne, Parisiis 1568, utrumque opus valde rarum. — Guilelmus du Blanc episcopus tulonensis († 1588) edidit *Discours sur les sacramens de l'Eglise,* où les plus grossiers pourront comprender tous argumens et erreurs des hérétiques repoussez et decouverts, avec deux discours, l'un du célibat et l'autre des voeus, Parisiis 1583, opus valde rarum. — Petrus Crespet O. Coel. Senonensis (n. 1543., † 1594) contra magiam scripsit *La haine reciproque* de l'homme et du diable, 1590, quo in l. sat credulum se exhibet. *Le triomphe de Marie V.* . . . ou sont . . . esclairis le plus signalez mysteres de nostre redemption, Lugduni 1594 in 8. — Joannes de Pruetis (des Pruets) O. Praem. abbas generalis et reformator, disciplinae religiosae in Gallia praesertim zelator maximus, Calvinistarum errores concionibus apostolicis et etiam scriptis intrepide impugnavit († 17. Maj. 1597). Aliquot ejus opuscula gallice conscripta prodierunt Parisiis 1563 et

[1]) Cf. Ziegelbauer hist. rei liter. O. S. B. ed. Oliverii 3, 360 s.; Mackenzie Live of most eminent Writers of the Scotch Nation 3, 148—55; Bellesheim Geschichte der kath. Kirche in Schottland 2, 20-35; hist.-pol. Blätter 103, 27—39; 107 (1891), 704—712.

[2]) Wassenberg in sua Ratisbona religiosa Ms. p. 174.

[3]) Cf. illa apud Echard II, 268.

[4]) Joannis de Caumont Champenois juris doctoris et advocati parlamenti (fl. 1584), exstat l. *Du firmament des catholiques,* contre l'abisme des hèretiques. Ou est monstré que le seul Catholique sera sauvé etc., Paris 1587 (m. 30). — De Dominico Sergent O. Praed. Lavalensi († c. 1584) cf. Feret II. 301; Echard II, 269.

1566. Plura manserunt inedita, inter quae commentaria in ep. s. Pauli ad Romanos et Corinthios [1]).

84. Praetermissis interim Thoma Beauxamis et Gentiano Herveto, de quibus infra redibit sermo, praecipuis fidei catholicae defensoribus accenseri debet Claudius de Sainctes (Sanctesius, Xaintes etiam et Sanctius dictus) can. reg. O. S. Aug. Carnotensis n. 1525, qui feliciter transactis studiis creatus est a. 1555 doctor sorbonicus, atque in academia parisiensi totam fere transegit aetatem, grassantem tunc in Gallia haeresim verbo et scripto acerrime impugnans. Interfuit famosis colloquiis Possiaci [2]) et Parisiis cum Calvinistis habitis, dein concilio tridentino cum aliis undecim theologis, quos ablegaverat Carolus IX. Renunciatus est propter ejus de re catholica merita episcopus ebroicensis (1575). Munus laudabiliter sustinuit: synodum dioecesanam celebravit (1577), et provincialem Rothomagi habitam a. 1581 promovit, rexit, ejus decreta composuit, in gallicum sermonem vertit et Parisiis edidit 1583. Foederatorum partes sequens captus est, in carcerem conjectus, morte damnatus, venia impetrata mox a. 1591 moritur in castro Crèvecoeur territorii lexoviensis non sine veneni suspicione. Ejus monumentum praefert inscriptionem: »Imago non corporis (vanum), sed ingenii mentisque divinae in libris illius admirandis cernitur; conciones in conspectu regum populique frequentis habitae sat nomen illustrant. Si haec nescis, coecus et surdus, ista non sunt scripta tibi. Vade et ora.« Inter ejus opera eminent: *Examen doctrinae calvinianae et bezanae de coena Domini,* 1566, cum responso Bezae exceptionibus opposito ib. 1567; *Déclaration d'aucuns athéismes* de la doctrine de Calvin et Bèze contre les premiers fondements de la chrétienté, Parisiis 1567 in 8., opus rarum; *Les Actes de la conférence tenue à Paris,* ib. 1568; 1622, opus rarissimum (m. 100). Habitum fuit hoc colloquium a. 1566 inter ipsum et Sim. Vigor ex parte catholicorum, et l'Espine et Sureau de Rosier Calvinistas praesente duce de Bouillon. *De rebus eucharistiae controversis repetitiones* seu libri decem, Parisiis 1575 in f., quo copiose admodum et plenissime hoc argumentum versat, omnesque theologos priores superat. De eo ita judicat doctissimus Franc. Turrianus [1]): »Claudius de Sainctes, episcopus ebroicensis, diuturnis vigiliis et lucubrationibus studio scribendi de eucharistia ex voto consecratis, ingens opus in ll. X digestum ita ex optimis tum suis tum alienis miro ingenio et industria ac labore compositum emisit, ut nihil reliquerit quod vel in aliorum de ea re libris, qui erant prope infiniti, quaerere opus sit, vel in multiplici rei quaestione desiderari possit.« *Liturgiae* seu missae ss. Patrum, Jacobi ap., Basilii M., Jo. Chrysostomi interprete L. Thusco; de ritu missae et eucharistiae ex libris Dionysii Areop., Gregorii Niss., Nicolai Methon., Germani, Nic. Cabasilae, Maximi, Bessarionis, Procli, Justini M., Jo. Damasceni, Samonae Gaz.; accedunt e Jo. Chrysostomo locorum annotatio et capita, unde liturgica comprobantur; Parisiis 1560, qua editione nihil elegantius, complectitur tamen solum textum latinum; graecum etiam exhibet editio ejusdem anni parisiensis, ad quam operam suam contulit Joannes a s. Andrea.

[1]) Cf. Goovaerts I. 182; Feret II, 396.

[2]) Huic colloquio interfuit quoque Petrus Picherel († 1590), cujus *opuscula* partim antea, partim nunc primum edita praelo dedit Andreas Rivet Lugduni B. 1629. Ea gravissimis censuris notavit Sorbona 1. Sept. 1629, prohibita quoque fuere Romae 16. Nov. 1657. Cf. Reusch Index II, 419.

[1]) Gallia christ. 1, 577; Cf. Feret II, 123—30.

doctus canonicus parisiensis, cui debemus etiam editionem (primam) *liturgiae s. Marci* cum additamentis ex l. 8. const. apostolicarum. De hoc opere ita scribit Renaudot[1]): »Etsi non contemnendam operam in praefationibus et notis impendisset Claudius Sanctesius insignis illa aetate theologus, ritibus nullam aut exiguam lucem attulit. Quaestiones illas, quarum origo ex quorundam hominum adversus Graecos criminationibus non aliunde quaerenda est, tractare Sanctesius et qui eum secuti sunt videntur formidare.« Reliquit et *sermones quadragesimales* Parisiis 1600; commentarium *ad edicta veterum principum* de licentia sectarum in christiana religione, Parisiis 1561. — Pro fide catholica tuenda impiger erat Edmundus Auger, operarii filius, natus Allemani prope Trecas a. 1530, qui pedes et mendicans Romam petiit, ibique postquam sacellani partes obierat in ecclesia societatis Jesu, inter hujus sodales propter insignes ingenii dotes, quas prodebat, receptus fuit a s. Ignatio. In Galliam redux qua scriptis qua concionibus[2]) tanto zelo et fervore in reducendis Calvinianis laborabat tamque felici successu, ut eorum quadraginta millia ad Ecclesiam reduxisse feratur. Axiomatis instar ipsi erat, mansuetudine nihil esse efficacius ad reducendos errantes. Tanto vero odio in illum exarserant Calviniani, ut capta urbe Valentia, in qua commorabatur (1562), eum morte damnarent. Jam laqueus, quo suspendendus esset, circumjectus erat collo, cum spes inducendi illum ad defectionem a fide catholica magno suae sectae lucro haereticos a morte imminenti infligenda retinuit. Carceri restitutus a catholicis liberatur. Henrico III., qui eum Lutetias Parisiorum acciverat a. 1583, a confessionibus fuit. Obiit Novocomi a. 1591. Opera ejus lingua gallica exarata recenset Sommervogel I, 632—642 eaque sunt ascetica, alia de sacramentis agunt: quod ceteris praefertur est ejus *catechismus*. Mentione dignum est: *De la vraye, reale et corporelle présence de Jésus-Christ au S. Sacrament de l'Autel* contre les fausses opinions et modernes Hérésies tant des Luthériens, Zwingliens et Westphaliens que Calvinistes ll. 3, Lugduni 1563—65, quorum 3. inscribitur: *de l'institution, vérité et utilité du Sacrifice de la Messe; des sacramens* de l'église catholique, ib. 1564.

85. Ultimus est Christophorus Cheffontaines (Penfentenion, a Capite fontium) O. S. Franc. Britannus n. c. 1532. Romae docebat s. theologiam, a. 1571 delectus fuit in totius ordinis ministrum generalem, a Gregorio XIII. archiepiscopus caesariensis (1579) et coadjutor cardinalis de Pelve in archiepiscopatu senonensi designatus. In Flandriam proficiscens (a. 1586) plures a vera fide devios in rectam deduxit viam, catholicos in fide nutantes confirmavit. Verum cum ejus orthodoxia a nonnullis in suspicionem apud sedis apostolicae nuncium vocaretur, jussu Sixti V. (1586) Romam missus est ibique carcere detentus s. Inquisitionis. Quis ejus causae fuerit exitus, non constat. Decessit Romae 26. Maj. 1595. Quotidie per plures annos horas undecim studio impendebat variasque callebat linguas: dolendum[1])

[1]) In praef. T. 1. Liturg. orient. collectione; Feller 7, 379: Ouvrage rechérché à cause des choses curieuses et importantes qu'il contient touchant la messe; on le joint ordinairment à la *Missa latina antiqua* de Francowitz (Flacius Illyricus)".

[2]) Matthieu rerum gallicarum scriptor eum dicit: „Le Chrysostome de la France, le plus éloquent et le plus docte prédicateur de son siècle." Cf. Bailly S. J. († 1657) historia vitae R. P. Augerii, Parisiis 1652; Dorigny Vie du P. A. etc. Lugduni 1716; Avenione 1828; F. J. Brand P. Ed. Auger S. J. Frankreichs Canisius in s. religiösen und socialem Wirken zur Zeit der Hugenotten, Cleve 1903.

[1]) Nam alioquin „contra Lutheri et Calvini vecordiam non minus vehementer

tamen propter peregrinas exuberantis ingenii opiniones ejusdem opera in indicem debuisse referri, et quidem absolute haec tria: Varii tractatus et disputationes *de necessaria correctione theologiae scholasticae,* Parisiis 1586, cujus op. exemplaria integra et non mutilata sunt rarissima; *de missae Christi ritu et ordine; novae illustrationis christianae fidei* adversus impios, libertinos, atheos, epicureos et omne genus infideles *epitome,* ib. 1586. Maxime vero displicuit illa ejus opinio, quam primum Parisiis quondam prae concione enunciavit, dein in suis propugnavit operibus, neque Christum consecrasse verbis *hoc est corpus meum,* neque sacerdotes hisce conficere consecrationem, nisi accesserint benedictio et preces, quibus elementorum transmutatio exoretur. Alia ejusdem opera sunt prohibita ‚donec corrigantur.' Utraque tamen censura in novo Indice sublata est. Inter ea fuerunt: *Deffence de la foi de nos ancestres* contenant quinze chapitres où sont declarez les stratagêmes et ruses des hérétiques de nostre temps, ib. 1570 in 8; 1575; *Deffence de la foi de nos ancestres* où la présence réelle du corps du N. S. est prouvée par plus de 360 raisons, ib. 1571; 1586 (*m.* 32) utrumque latine, illud Antverpiae 1575; Venetiis 1581 in 8; hoc Romae 1576, qua in ed. exstat tr. *de virtute verborum,* quibus fit consecratio ss. Sacramenti altaris, qui prodiit etiam Parisiis 1585; Coloniae 1587; *consultatio epistolae* cujusdam contra liberum arbitrium et merita, Antverpiae 1576, prius gallice Parisiis 1571; *Chrétienne confutation du point d'honneur,* sur lequel la noblesse fonde aujourd'hui ses querelles et monomachies, déduite en un traité de quatre chap. et entre ce en trois dialogues ensuivants, ib. 1568; 1571; 1579; *perpetuae Mariae V. ac Josephi sponsi virginitatis catholica defensio,* Lugduni 1578 in 8. etc., quo in opere exstat quoque illustratio vaticinii Jacobei Gen. 49, 10. *Hierapistes* dialogi forma conscriptus, in quo cur in exponendis aliquibus Scripturae locis a communi in suo de b. Mariae et Josephi virginitate l. opinione recesserit et nonnullis loquendi usus sit modis, quos aliqui erasmianos falso putant rationem reddit, Antwerpiae 1575. Omnia hujus auctoris opera sunt rara et singularia.

quam eleganter uberrimaque e limpidissimo theologiae fonte profluente eruditione liberum arbitrium et merita bonorum operum asseruit." Ita Mich. a s. Jos. in sua Bibliogr. crit. Culta scribebat latinitate et stilo nervoso. Cf. Bi. un. 8, 317—19.

86. Inter *Belgas* eminet primisque nostri temporis theologis accensendus[1])

[1]) Du Pin 16, 138: „Il peut passer pour un des Controversistes du premier ordre." Ita et Hefele, Beiträge zur Kirchengeschichte 1, 461. Multum eum laudat Baronius ad a. 53. n. 32. „ob egregiam eruditionem toti orbi spectatam et vitae sanctitatem," „jamque mille de prostratis hostibus coronis auctum" dicit. — Huc etiam referri possent Cornelius Loos (Callidius) Gudae n. 1546, Moguntiae aliquamdiu professor theologiae, unde Treviros secessit, sed scriptis contra magiam turbas in se conscivit: quare opiniones suas retractare ditionemque trevirensem deserere est coactus (1592). Parochiam deinde Bruxellis rexit, sed cum iterum suas opiniones proponeret, in carcerem est conjectus. Inde liberatus tertiam delationem evasit morte praeventus (3. Febr. 1595). Praeter scripta contra magiam reliquit alia opuscula polemica, ut *Spiritus vertiginis utriusque Germaniae in religionis dissidio,* unde cunctae calamitatis vera origo, progressus ac indubitatus curandi modus cum rejectione inefficacium adhuc remediorum, Moguntiae 1579 in 8; *annotationes* in Ferum (cf. II, 1487 s.) super Joannem, in quibus interpretationis errores illius auctoris aperit; *illustrium Germaniae scriptorum* (89) *catalogus,* Moguntiae 1581, parum exactus et sat tenuis. — Bartholomaeus van Eersel (Honorius) O. Praem. in canonia floreffiensi († 1589) reliquit *quaestiones theologicas LXX* adversus Calvinistas 1586. Edidit quoque primus 1586 sub nomine s. Anselmi Cant. *Elucidarium* sive dialogum de

est Guilelmus Damasus Lindanus (van der Linden) Dordracenus n. 1525, qui absolutis studiis Lovanii et Parisiis Dilingam vocatus sacras literas ibidem per triennium exposuit (1552), dein Lovanium redux lauream in theologia promeruit 1556. Ab episcopo ultrajectensi selectus est in vicarium generalem Leuwardiae, factus a Philippo II. decanus capituli Hagae, primarius consiliarius ecclesiasticus et fidei inquisitor. Nominatus dein primus ruremondanus episcopus 1562, sedem suam occupare non potuit ante a. 1569. Bonus pastor animam suam pro grege ponere pestis tempore paratus fuit, fidemque catholicam strenue propugnavit et bonum Ecclesiae in sua patria misere afflicta omni opere promovit, synodos dioecesanas habuit, bis etiam propterea Romam se contulit 1568 et 1584 benigne a Gregorio XIII. exceptus, qui eundem propter tot merita insignia ad ecclesiam gandavensem transtulit 1588 eodem quo obiit anno. Operum ejusdem praecipuum est: *Panoplia evangelica* sive de verbo Dei evangelico ll. V, quibus ex Scriptura prophetica et apostolica illius eruitur et declaratur indoles atque natura, patres explicantur, scriptum atque τὸ ἄγραφον non scriptum et quae ad traditiones indubitato apostolicas, licet non scriptas, at fide tamen pari suscipiendas pertinent, pertractantur, denique verbum Dei non scriptum sed traditum adversus infesta catholicae Christi J. Ecclesiae hostium tela et arietationes omnes defenditur, Coloniae 1559; 1563; 1571; 1577; 1590 in f.; adjectis *Tabulis analyticis omnium haeresum hujus seculi* ex Lindani scriptis concinnatis, Parisiis 1564 in f. et saepius deinceps. Edidit praeterea: *Psalterium vetus a sexcentis mendis repurgatum* et de graeco atque hebraico fontibus illustratum, Antwerpiae 1568 in 4; Lovanii 1571; Coloniae 1572; *Glaphyra in epistolas apocalypticas s. Joannis ap.* cum Ecclesiae prosopopoeia, Lovanii 1590 in 8; *Dubitantius de vera certaque per J. Chr. Evangelium salutis aeternae via instructus* ll. 3, Coloniae 1571; *Christomachia calvinistica*, Coloniae 1584; *De vera Christi Ecclesia* diatriba analytica ad Ge. Majorem ceterosque academiae wittenbergicae theologos, quae novae ipsorum confessioni CXXX prop. a. 1570 editae vanisque germanici schismatis causis respondet, ib. 1572; *de vera apud Romanos Ecclesia* contra Wittenbergenses eam Wittenbergae collocantes, ib. 1572; *Concordia discors* seu querimonia cath. Ecclesiae ad principes etc. nomine confessionis augustanae gloriantes, quae demonstrat, simulatam ac vere personatam ipsorum concordiam viros facere antichristianos, et minime solidis niti fundamentis. Inserta est *censurae Jeremiae* patriarchae Constantinop. de confessione augustana epitome, qui illam gravissimorum errorum condemnat, Coloniae 1583. *Stromatum* ll. III pro

---

Summa totius theologiae christianae, quod est Honorii augustodunensis (Migne P. L. CLXXII, 1109—76). — Theodorus Graminaeus Ruremondanus, Coloniae professor mathesis praeter alia scripsit *Prodromum antichristi* h. e. haereticorum nostri temporis, Coloniae 1578, in quo tuetur romani pontificis primatum. — Aegidius de la Coulture Insulensis e calvinismo ad veram Ecclesiam redux, disputavit *de visibilitate Ecclesiae* ejusque perpetuitate, Antverpiae 1588. Aliud ejusdem opusculum: *Rescriptions* faictes entre Gilles de la C. depuis son retour du Calvinisme au giron de l'Eglise Romaine et Ant. Escailler ministre Wallon a Cantorbery, Antverpiae 1588, est rasissimum et carissimum (m. 100). — De Joanne de Mouronval (Moronval), qui exeunte hoc sec. floruit, cf. Paul Bergmans in Biogr. nat. de Belg. XV, 274. — Arnoldus Gerardus Flander († 1591), disseruit *de fide catholica*, Coloniae 1556. — Jacobus Coemans theologiae doctor et ecclesiae cathedralis Gandavi scholasticus († 10. Sept. 1592) reliquit Defensionem *pro communione sub una specie* adversus Hamelmann, Coloniae 1563. — Hadriani Hofstadii O. Min. insignis concionatoris et lectoris theologiae († 1598) *sermones eucharistici XLIX* prodiisse dicuntur, Antverpiae 1608.

variis concilii tridentini decretis ac potissimum de suscipiendis etiam apostolicis traditionibus, ib. 1575; *de optimo genere interpretandi Scripturam,* ib. 1558, quo in opere temerarias Laurentii Vallae, Erasmi, Calvini, Roberti Stephani adversus vulgatam editionem censuras et calumnias depellit[1]). *Responsio* pro vero atque vivo Christi corpore in s. eucharistia contra Jo. Campani blasphemias, ib. 1575; *missa s. Petri* ap. cum annotationibus et apologia contra Calvinistas et Martinistas; accedit anonymi l. *de actione missarum,* Antverpiae 1589; *de Teneraemonda* ll. III, Antverpiae 1612; *Apologeticon* ll. III ad Germanos pro concordia cum cath. Ecclesia Christi contra novam protestantium confessionem augustanam ex lutherana calvinizantem, ib. 1570; 1578 pp. 2; *de apostolico virginitatis voto atque evangelico sacerdotum coelibatu* ll. 5 pro conc. tridentino adversus Chemnitium, ib. 1579; Dialogus *de animi tranquillitate,* Colon. 1567. 1577. 1578; *de sapientia Christi,* Antverpiae 1567 in 16; *speculum sacerdotale,* Coloniae 1577 et alibi; plura opuscula lingua patria in populi utilitatem, conciones, catechismus, epistolae etc. Laudant in Lindano eruditionem, soliditatem theologicam, patrum conciliorumque notitiam, ingenii sublimitatem optimumque dialecticae usum. Plura ex ejus scriptis inseruit Roccaberti in suam bibliothecam pontif.

87. Lindani in hac pugna socii fuere: Andreas Fabricus (Lefèvre) Leodiensis, philosophiae professor Lovanii et diu Romae orator (1560—1565) cardinalis augustani (Othonis Truchsess), ecclesiae collegiatae apud veterem Oettingam praepositus († 1581). Ejus est *Harmonia confessionis augustanae* doctrinae evangelicae consensum declarans, Coloniae 1573, 1587; in qua ostendit dissensum variarum editionum et auctorum hujus confessionis inter se et a fide antiquae Ecclesiae singulisque articulis subjicit breves, sed sagaces solidasque animadversiones[1]). Geminum opus est: *Brill auf den evang. Augapfel* d. i. Ablegung u. wohlbegründete Resolution, deren im Augapfel Augsb. Confession sämtlicher gesetzter Articul Carolo V. und den kath. Ständen in a. 30 u. respective a. 52 zu Augsburg ausgedachte Confession u. zu dero wohlgegründeten Refutation auf alle Articul gerichtet von den kath. Theologen übergeben s. l. 1529 in 4. — Theodorus Antonius Peltanus (Pelten, ita dictus, quia oriundus ex oppido Pelte prope Leodium) S. J., cui facultas theologica ingolstadiensis hoc monumentum posuit in schola sua: „Theodorus Peltanus S. J. ss. Theol. doctor et professor. Fuit hic unus ex primis patribus, qui virtute et doctrina claruerunt et in hac academia omni literarum genere ornatus quam maxime floruit. Post multos labores academiae et religionis causa consumptos, post literas graecas, hebraicas et theologiam publice explicatas Ingolstadii (1562—72), Augustae alienae saluti, conscriptis etiam libris tanta felicitate et fructu se impendit, ut merito illud ambrosianum poni possit: Vixit Ecclesiae, mortuus est Deo. Obiit

---

[1]) Cf. Possevinus, Bibl. selecta l. 2. c. 15. Contra hoc opus scripsit Joannes Isaac Levita quondam rabbinus, ex lectione c. 53 Isaiae Christianus, sed primum Lutheranus (1546), mox catholicus (1551), professor linguae hebraicae et chaldaicae Coloniae († 1577): *Defensio veritatis hebraicae ss. Scripturarum,* Coloniae 1559. Ejusdem est: Peefectissima *hebraica grammatica* ll. III, ib. 1558. Cf. Hartzheim p. 182.

[1]) Plura de eo cf. in ejus Vita auctore can. Claessens in l. Annuaire de l'université cath. de Louvain, 1871; Rotermund III, 1859; Arn. Havensius Vita G. Lindani. Coloniae 1609. E. Varenbergh in Biogr. nat. XII, 212—216, qui opera ejus sub num. 61 recenset.

[2]) Cf. Kellner allg. d. Biogr. 6, 503.

Augustae a. 1584. 2. Maji[1]).« Addit vero Engerdus[2]): »Si quis vel propter ingenii rotunditatem et acumen, vel in disputando tam in philosophica quam in theologica arena subtilitatem et promptitudinem meretur laudem, certe ille amplissimis dignus est encomiis, ut interim linguarum cognitionem, quam publicis scriptis et versionibus seu translationibus et aptissimis et ornatissimis toti Ecclesiae jam fecit testatam silentio praeteream. Atque singularis illa tanti theologi eruditio eo majori debet omnibus esse admirationi, quo serius ad literarum studia fertur accessisse, adeo ut pene sit praeter fidem tot auctores in omni scientiarum genere ab illo esse perlustratos.« Plura scriptorum graecorum opera edidit et latine vertit. Ita Jo. Chrysostomi *expositionem in d. Pauli epistolas;* accedit commentarius Andreae Caesariensis in d. Joannis Apocalypsin, Parisiis 1596; sacros. magni et oecumenici *conc. ephensini acta omnia,* Ingolstadii 1576; decem et septem excellentissimorum theologorum *declamationes* ante 1200 a. in praecipuis Christi Servatoris festis publice habitae, ib. 1579 in 8; Victoris Antiocheni commentarii *in Marcum* et s. Titi Bostrorum ep. commentarii in Ev. Lucae, ib. 1580 in 8; *in Proverbia Salomonis* paraphrasis et scholia ex ss. patrum scriptis, Antverpiae 1606 in 4; *catena graecorum patrum* in Proverbia Salomonis; in Ecclesiasten b. Gregorii Thaumaturgi metaphrasis graecolatine; in canticum canticorum Mich. Pselli, ib. 1514; Basilii Seleuciae Isauriae archiep. or. *de annunciatione b. Mariae* seu de incarnatione, Parisiis 1589 etc. Praeterea edidit plures *disputationes*[3]) et insuper: *Doctrina catholica de purgatorio,* de animarum sedibus, de vita functorum suffragiis, de christianorum sepulturis, exsequiis et anniversariis, Ingolstadii a. 1568 vel 1569; *de librorum canonicorum numero, auctoritate et legitima interpretatione,* ib. 1572; *de nostra satisfactione et purgatorio* ll. II, Coloniae 1576; *de originis peccato disceptatio* in tractatus XVIII distributa, item de Christi satisfactione et majestate, ib. 1576: *de tribus bonorum generibus* eleemosyna, jejunio et oratione ll. III, ib. 1580.

[1]) Cf. Mederer Annales ingolstad. acad. ad. a. 1572.

[2]) Acad. Ingolst. p. 7. pag. 113.

[3]) Cf. Sommervogel VI, 458-66. Richard Simon, Hist. critique du N. T., qui c. 30. carpit, eum in versione Victoris Antiocheni et Titi Bostrensis plura sibi permisisse, quae interpreti alioquin non licent. Ita ut sermonis contextus planior fieret pauciora pluribus, plura paucioribus interdum reddidit; sententias quasdam et expositionum pericopas locis opportunioribus collocavit. De his tamen lectorem monuit Peltanus in praefatione.

88. Martinus Duncanus (Donck) Kempenae oriundus 1505, Lovanii studiis operam dedit; variis in locis pastoris munus obiit, postremo Hagae Comitis Guilelmo Lindano in decanatus ac senatoriae dignitatis munere suffectus est. Verum inde coactus secedere (1571), exosus enim erat admodum haereticis propter ardentem zelum, Amstelodamum se contulit, ubi pastor et viginti pastoratuum fuit inspector; sed et inde cum periculo vitae Amersfortium se recepit, ubi piissime[1]) in Domino obdormivit 16. Apr. a. 1590 aetatis a. 85. Plura opuscula conscripsit sermone populari (flandrice), quae Antwerpiae prodierunt; *Anabaptisticae haeresis confutatio,* ib. 1549. — Joannes de Lens (Lensaeus) philosophiae et theologiae professor lovaniensis et canonicus tornacensis († 2. Jul. 1593), »in quo, inquit Miraeus, ut solida Augustini doctrina, sic et suavis Lactantii elegantia enituit. Pauci certe hoc viro

[1]) Cf. Hartzheim Bibl. colon. p. 235, qui pietatis ejusdem specimina refert et plura opuscula recenset. In primis impugnavit Duncanus anabaptistas: allg. d. Biogr. V, 466.

theologiae dogmata purius atque nitidius explicarunt, pauci errores sectariorum eloquentius atque validius confutarunt.« Academiae nomine doctrinae schema composuit propositionibus Baji oppositum (cf. hujus op. II, 161 ss.): ceterum partes quoque habuit in conscribenda censura adversus Lessii doctrinam. Inter alia edidit *de libertate christiana* ll. XV, Antverpiae 1590, »quos quidem libros, inquit Possevinus, bibl. sel. I, 26, maxime cuperem, ut omnes politici perlegerent. Agit autem prioribus ll. de servitute, in quam incidit homo ob peccatum idque satis docte ac prolixe; mox de necessitate liberatoris deque vera libertate; quo etiam in progressu haereticos nostrae aetatis ostendit in constituenda libertate christiana turpissime lapsos esse. Libro autem XIV. confutat libertini cujusdam argumenta, qui pestilentem ediderat libellum, quo libertatem cuique religionis esse relinquendam probare nitebatur[1]). Ad extremum vero XV. libri finem adjecit de his, qui politici vulgo vocantur, compendiariam et brevem instructionem lectu dignissimam.« *De fide, spe et caritate* contra haereticos, ib. 1599 in 8; *de limbo patrum*, Coloniae 1583; Lovanii 1584; *de una Christi in terris Ecclesia*, Lovanii 1577; 1587, in quo opere hoc argumentum ita pertractavit, ut fatentibus eruditis nihil sive ad confirmandam veritatem sive ad evertendam falsitatem et penitus obstruenda haereticorum ora solidius, potentius et efficacius prolatum eo tempore fuerit; *de admirabili Ecclesiae concordia* ll. VI, Lovanii 1582; *de ecclesiastica satisfactione poenitentis* adversus Ben. Aretium bernensem, ib. 1585; *de verbo Dei* scripto et non scripto seu de traditionibus ecclesiasticis, Antverpiae 1591 in 8; *de fidelium animarum purgatorio* ll. 2, Lovanii 1584.

¹) Contra quam edidit etiam *de unica religione* studio catholicorum principum in republica conservanda, Coloniae 1579.

— Henricus **Vicus** Vallencenae, quae est urbs Hannoniae, natus (1536—1596), laicus quidem, sed insignis philosophus et theologus, praeside doctissimo Martino Rithovio theses de fidei controversiis publice defendit, pluribusque etiam libris[1]) doctrinam propugnavit catholicam. Disputavit siquidem *de descensu Christi ad inferos*, Antverpiae 1586 in 4; *de christianorum sacramentorum natura*, officiis et numero, Lovanii, 1571 in 8; *de controversiis hujus temporis*, Atrebati 1598 in 8; *de communione sanctorum ac symbolo*, sanctis literis et historia ecclesiastica, Antverpiae 1596. — Laevinus **Torrentius** (Livinus van der Becke, Beken) patria Gandavensis literis et legationibus domi forisque spectatus ex archidiacono et principis leodiensis vicario generali secundus Antwerpiensium episcopus et tertius mechliniensis archiepiscopus designatus († 26. Apr. 1595), insignis erat poeta, qui carmen pangebat sonorum, purum, Horatiano simillimum[2]), ita *de partu Virginis* ll. II; *de vita d. Pauli* ll. II; disseruit *et de*

¹) Cf. eorum catalogum ap. Zedler Universallexicon 48, 1017. — His addi potest Cornelius **Adriaensz** (Adriansen, Adrianus) Dordracenus O. S. Fr. vulgo frater Cornelius appellatus, Brugensium apostolus, qui a. 30 populum in fide confirmavit interque frementium haereticorum calumnias libellorumque ludibria semper constans et invictus mansit, religiosisque omnibus causa fidei proscriptis obiit 14. Jul. 1581. *Conciones* ejus prodierunt quidem malevolorum hominum et haereticorum malitia plane vitiatae 1566 et 1569. Calumniis in eum sparsis apologia occurrit, quae tamen mansit inedita. Cf. Foppens p. 191 s.; Alberdingk Thijm KL. I, 248. Libellus infamatorius *Historie van Cornelius Adriansen* v. Dordrecht contra eum 1569 editus saepe prodiit. — Ab hoc distingui debet **Hadrianus** Adriaensz (Adriaensens, Adriani etc.) S. J., qui eodem a. decessisse legitur, quique reliquit lingua patria plura opuscula ascetica, de quibus cf. Sommervogel I, 57—59.

²) Cf. Foppens p. 793; Fr. Holdewey allg. d. Bi. 38, 457.

sacrificio cruento ll. V. Prodierunt aliquot ejusdem *poemata sacra* Antverpiae 1594. Plures protestantes ad veram reduxit Ecclesiam. — Joannes Porta pastor wracenensis in Wasia, dein canonicus audomaropolitanus flandrice quaedam scripta reliquit.

89. Neque omnino praetermittendus videtur Michael Bajus (de Bay) Jansenismi praecursor, Melini in Belgio n. 1513. Absolutis Lovanii studiis doctrina sua promeruit cathedram philosophicam et dum Leonardus Hasselt Tridenti degeret, s. Scripturae interpretandae pro illo supplevit munus. Hasselt defuncto in cathedra successit (1552), quam ad mortem usque tenuit. Interfuit ultimis conc. tridentini sessionibus. Auctus est dignitate decani capituli ad s. Petrum (1575), cancellarii universitatis (1578) et regii inquisitoris († 16. Sept. 1589). Haec ejus opera: *de libero arbitrio,* de justitia, de justificatione et de sacrificio, 1563; *de meritis operum,* de prima hominis justitia, de virtutibus impiorum, de sacramentis in genere, 1564; *de peccato originis,* de caritate, de indulgentiis, de oratione pro defunctis 1566, cum prima opusculorum serie; *de potestate papae* 1575; ea sane produnt ingenium sagax stiloque conscripta sunt nitido. Novae tamen ejusdem opiniones novaque disputandi methodus atque scholasticae contemptus merito offenderunt viros gravissimos, inter quos eminebant Ruardus Tapper et Jodocus Ravesteyn. Primum rogatae fuere de ejus doctrina variae exterae academiae, res demum delata ad sedem apostolicam, quae diligenti examine praemisso 76 (seu 79) prop. reprobavit tacito auctoris nomine. Cum vero Bajus non satis censurae se subjiceret, nec omnis controversia ea esset sopita, Gregorius XIII. damnationem renovavit atque Toletum Lovanium misit ad restituendam pacem. Hujus prudentissimi theologi opera Bajus cum universa facultate, ut se judicio apostolico subjiceret, fuit inductus atque pax confecta[1]). Opera Baji collecta cura Gerberonii prodierunt cum bullis pontificum et aliis ipsius causam spectantibus jam pridem ad rom. Ecclesiam a convitiis protestantium simul ac ab Arminianorum imposturis vindicandam, expurgata et plurimis, quae hactenus delituerunt opusculis aucta, Coloniae 1596 t. 2 in 4., quae tamen editio prohibita est propter editoris additamenta.

90. *Germanis* potius quam Belgis accensendus est b. Petrus Canisius (de Hondt) S. J. Noviomagensis[2]), cujus fata et merita ita paucis complectitur epitaphium[3]) ei in Ecclesia S. Nicolai Friburgi positum:

Petrus Canisius theologus
Noviomagi natus (a. 1521)
Societatem Jesu
Tertio a confirmatione illius anno
(1543)
Ingressus
Ac sacerdotio insignitus
Ob magni simul et placidi animi prae-
[stantiam

---

1) Plura de eo cf. apud Linsemann: Michael Bajus und die Grundlegung des Jansenismus, Tübingen 1867, collata recensione in Katholik 1868. v. 1. p. 281 ss.; Scheeben Kirchenl. I² 1852—62.

2) Alius ab eo est Henricus C., de quo infra, et Jacobus C. eius nepos, S. J. Calcarensis († 1647), cujus praeter alia ascetica est *Flos sanctorum* seu Vita et res gestae SS. ex probatis scriptoribus selectae et in formam concionum . . . accommodatae, primum hispanice a R. P. Petro Ribadeneira . . . nunc latine traductae additis utilissimis annotationibus et SS. vitis recentioribus, Coloniae 1630 in f. etc.; 1741. Cf. Sommervogel II, 614—17.

3) Alia ejusdem elogia cf. in Bibl. script. soc. Jes. Ita ex. gr. magnus Hosius in ep. 150. eum dicit: „Haereticorum malleum et novum Augustae apostolum, non doctrina magis quam pietate insignem et si quisquam alius in controversiis exercitatum;" quem propterea ejus adversarii *canem austriacum* dixerunt.

A coloniensi ecclesia ad Carolum V.
[imp.,
Ab Ottone card. augustano
Ad s. concilium trident.,
A Ferdinando imp. Wormatiam
Contra Melanchtonem haereticum,
A Pio IV. Pont. max. ad principes Ger-
[maniae
In fide confirmandos missus;
Postquam Romae, in Siciliae et Germa-
[niae academiis docuisset,
Diu apud Ferdinandum imp.
Et passim summa laude verbum Dei
[praedicasset,
Primus Provincialis Soc.
Ejusdem in Germania
Ab ipso soc. auctore P. Ignatio
Datus fuisset,
Scriptisque fidem catholicam egregie
Illustrasset,
Auspiciis Reverendi D. Joan. Francisci
Friburgum sexagenarius venit,
Collegii societatis fundamenta jecit,
Multa praeclara documenta dedit,
Et quasi quidem Friburgensium patro-
[nus,
Ecclesiae per Helvetiam patriarcha,
Religionis catholicae suo tempore co-
(lumna,
Toto christiano orbe notissimus,
Fide, prudentia, indefesso scribendi
[labore, abstinentia,
Perenni gravitate, animi puritate,
Flagrantissimo Dei amore,
Multaque sanctitate clarissimus,
Migravit ad Christum
Festo s. Thomae Apostoli
1597 anno aetatis 77.

Edidit *Tauleri opera* praemissa ejusdem vita, Coloniae 1543; *D. Cyrilli archiep. alexandrini opera,* 1546 t. 2 in f., inter quae ll. XI in Gen. nunc primum editi, ed. rarissima; *s. Leonis M. sermones et homilias*, ib. 1547; Lovanii 1566; *epistolas s. Hieronymi*, Dilingae 1562, et saepissime alibi; Hosii *opera* Coloniae 1583 t. 2 in 8; opuscula quaedam ascetica; omnium vero celeberrimum est ejus *Summa doctrinae christianae*, quae potest vocari major catechismus, ut discernatur a minore et minimo, quos ambos in gratiam rudiorum postea evulgavit. Ea primum [1]) prodiit 1554, dein saepissime, adeo ut editio parisiensis a. 1668 ad quadrigentas editiones numeret; in plures quoque linguas versa fuit. Merito proinde Baronius de eo t. 1. Annal. ad a. 9. potuit scribere. „Venerandus vir, cujus laus est in Evangelio per omnes ecclesias.“ *Commentariorum de verbi Dei corruptelis* t. 1., in quo de ss. praecursoris Domini Joannis Baptistae historia evangelica cum adversus alios hujus temporis sectarios, tum contra novos ecclesiasticae historiae consarcinatores (centuriatores) pertractatur, Dilingae 1571 in 4; *De Maria Virgine incomparabili et Dei genitrice* ll. 5, sive t. 2. commentariorum de verbi Dei corruptelis, Ingolstadii 1577; 1583, opus valde rarum, Parisiis 1584; utrumque saltem quinquies editum. Disserit l. 1. de immaculata Virginis conceptione, nativitate, infantia; l. 2. de perpetua virginitate adversus diversos impugnatores hujus praerogativae; l. 3. de Dei genitricis praerogativa; l. 4. de sanctitate ab omni peccato actuali immuni; l. 5. de morte, in coelos assumptione et perpetuo cultu. Hinc integram Mariologiam exhibet [2]). Cogitavit eadem eru-

[1]) De hac controversia, quando primum prodierit magnus Canisii Catechismus cf. Braunsberger Ztschr. f. k. Theol. XV (1890), 721 ss.; Entstehung und Entwickelung der Katechismen des s. P. Canisius Freiburg 1893; hist. Jahrb. XVII (1896), 804 ss.; Kneller XVIII (1897), 632--636. Ceterum Cf. Reiser B. P. Canisius als Katechet in Wort und Schriften, Mainz 1882.

[2]) Cf. Riess, Der selige Petrus Canisius l. 4. c. 2, ubi operis epitomen exhibet, ac ita inter alia scribit: „So ist das Werk mit seinem bescheidenen Titel eine gedrängte Widerlegung aller Hauptlehren des Protestantismus und ... eine dem Irthum jener Zeit auf den Grund gehende eben desshalb unabhängig von den verschollenen Centuriatoren von Magdeburg ihren Wert behauptende Untersuchung.“

ditione disserere de Petro, de Christo, de Paulo et Joanne et Jacobo ap., sed laboribus et morte fuit praepeditus. *Epistolas* accuratissime edere coepit Braunsberger Friburgi 1896, cujus ed. t. 4 jam prodierunt; *Exhortationes domesticas* G. Schlosser S. J. Ascetica praetermittimus.

91. *Germani* praeterea sunt: Joannes a Via (proprie zum Wege) Coloniensis, concionator wormatiensis, canonicus monacensis et Alberto duci a concionibus († 1582), qui plura opera utilia vertit germanice[1]), ut vitas SS. auctore Surio; relationem edidit de colloquio wormatiensi a. 1557 habito, Wormatii 1557; et *jugis Ecclesiae catholicae sacrificii eorumque omnium, quae in eo peraguntur, solidam justamque defensionem et assertionem* ex priscorum et ss. patrum monumentis depromptam contra calumnias et cavillationes Jac. Andr. Smidelini, Coloniae 1570; *responsio ad calumnias confessionaristarum* (Melanchton, Schnepf etc.) adversus catholicae veraeque religionis defensores, 1557; *Vita ss. Marini* ep. hybernobavari M. et *Aniani* archidiaconi Conf. patronorum monasterii in Rota, Monachii 1679. — Caspar Frank, qui 2. Nov. 1543. in civitate Misniae Ortrand natus, a teneris unguiculis inter Lutheranos educatus cum lacte haeresim suxit. Ingolstadium jam tum philosophiae magister venit (1566) et aliquamdiu in aedibus Martini Eisengreinii commoratus tum diligenti et assidua ss. Ecclesiae patrum lectione, tum frequentibus theologorum colloquiis errorem suum agnovit et ad Ecclesiae gremium 25. Jan. 1568 rediit[1]). Suae conversionis rationes reddidit in op. *Klare u. Gründtliche Ursachen*, warumb C. Fr. von der Sect zu der allgemeinen christlichen und röm. Kirchen getreten . . . sampt Erklärung der fürnembsten jetziger Zeit strittigen Artikeln, Ingolstadii 1568, etiam latine. Eodem adhuc anno sacerdos ordinatus fuit. Per Bavariam multis in locis et alibi pie docteque concionando, errantes in viam veritatis proprio exemplo et doctrina revocando, nutantes in avita religione confirmando utilem et salutarem Ecclesiae praestitit operam. Martino Eisengrein primum in parochia s. Mauritii (1572), deinde in ss. literarum cathedra successit (1578) tantaque dignitate et fructu spartam suam ornavit, ut statim a senatu academico rector magnificus fuerit electus jam a. 1573 (iterum a. 1579). Alberto duci erat a consiliis, a Gregorio XIII. dictus protonotarius et comes lateranensis († 12. Mart. 1584). Egregia reliquit opera lingua patria conscripta et in latinum versa suae pietatis, zeli solidaeque eruditionis argu-

---

Cf. de Canisio praeter tot alios Der s. Petrus Can. in Österreich auctore A. Kroess S. J., Wien 1898; W. Hartl u. Schortauf Nachtr. zum 3. Bd. v. Aschbachs Gesch. d. Wiener Univ. Wien 1898 p. 128—156; Braunsberger in Ztschr. f. k. Theol. XIV (1890), 720—744; Baumgartner KL. II, 1796—1803; operum catalogum exhibet Sommervogel II, 617—88.

[1]) Cf. Streber Kirchenlex, VI², 1780 Falk Zeitschr. f. k. Theol. II (1878), 802; praeprimis F. W. E. Roth in accurata notitia in hist. Jahrb. XVI (1895), 565-575.

[1]) Cf. Raess Die Convertiten 2, 15 ss., qui ita de eo scribit: „C. Franck war eine der ausgezeichnetsten confessionellen Eroberungen in Baiern und der Universität Ingolstadt in der letzten Hälfte des 16. Jahrhunderts. Die Aufmerksamkeit, die man ihm allgemein schenkte, die Theilnahme vieler vornehmen Personen an der Feierlichkeit seines Uebertrittes, die Schnelligkeit, womit er zu den geistlichen Weihen befördert wurde, die Ehrenstellen, womit man ihn sogleich überhäufte, die Belobungsschreiben, die er von den höchsten Stellen erhielt, beweisen, welchen großen Wert man katholischer Seits auf seine Bekehrung legte. Auch hat der würdige Mann dem in ihn gesetzten Vertrauen vollkommen entsprochen, sowohl durch seine Frömmigkeit und die Erfolge seines Eifers, als durch die große Zahl der Werke, die er in so kurzer Zeit zur Wahrung der katholischen Grundlage verfaßt hat."

menta[1]), ut ex. gr.: *Kurtzer u. beständiger Bericht* vom pur lauteren Wort Gottes u. Liecht des h. Evangelii, sampt nothwendiger Widerlegung der zwo Schriften D. Jo. Andreae Schmidlein u. Jo. Celestin wider die wolgegründeten ursachen des Abtrettens von den Secten, ib. 1570; 1571; responsum acre ad acrem impugnationem illorum duorum adversariorum. *Grundt des cath. Glaubens,* darinnen 63 Ursachen begriffen, warumb alle rechtglaubige Christen bey der allgemainen christl. u. römischen Kirchen biss an ihr endt zu verharren schuldig seyn, ib. 1580; *von dem Ordentlichen beruff der Priester u. Prediger*, ib. 1571, in primis adversus Georgium Nigrinum, in quo respondetur ad q. illam, an papistici aut lutherani calvinianique concionatores rite ac legitime vocati sint et sacramentum eucharistiae consecrare possint. Item apud quos Christiani verae Christi carnis verique sanguinis participes fieri queant. Pro quo opere duplicem apologiam ib. 1573 et 1575 scripsit; similis argumenti est *de externo, visibili et hierarchico Ecclesiae catholicae sacerdotio* adversus haereticorum figmenta ex s. Scriptura et orthodoxis patribus assertio, Coloniae 1575; oratio apol. pro defensione professionis orthodoxae fidei juxta decretum conc. trid. *de divinis apostolicis et ecclesiasticis traditionibus* deque earum vi et auctoritate, ib. 1581; *Rettung u. Erklärung des trid. Concils* 1. von den canonischen regulierten und bewerten Büchern des A. und N. T. 2. Wie auch dieselbige einglich und wahrhaft sollen verstanden, erklärt u. ausgelegt werden, ib, 1582 in 4. adversus Martini Chemnitii examen decretorum concilii tridentini; *Catalogus haereticorum* d. i. warhafftige erzelung der namhafften Irrlehrer und Ketzer, welche von Anfang der Welt biss auff unsere Zeiten entstanden, ib. 1576 etc. Facultas theologica sequenti elogio in schola theologorum affixo collegam suum honoravit: „C. Francus ss. theologiae doctor, professor et parochus ad d. Mauritium tam constans Ecclesiae fideique romanae propugnator, quam acer ante fuit Lutheri sectator. Postquam enim agnitis erroribus ad verae Ecclesiae gremium se recepit, eandem stilo scriptisque egregie vindicavit etc.“

[1]) Haec (24) diligenter recenset Mederer in Annal. acad. Ingolst. ad 1584. Cf. Engerdus Acad. Ingolst. VIII, 113 ss.; Streber Kirchenl. IV, 1683; N. Paulus hist.-pol. Bl. CXXIV (1899), 545—557; 617—627.

92. Gregorius Eder Frisingae n. 1523, undecies rector academiae viennensis, cujus salutarem reformationem strenue promovit, juris peritus et doctor, a consiliis tribus imperatoribus, acer religionis catholicae apologeta, etsi laicus pluribus scriptis[1]) innotuit, cujusmodi sunt: *Malleus haereticorum de variis falsorum dogmatum notis atque censuris* ll. II, in quibus universa pene haereses et cognoscendi et fugiendi ratio continetur, sive methodus contra sectas ad arguendos et convincendos haereticos hoc tempore omnino necessaria ex paucorum quidem sed probatissimorum patrum praescriptionibus in unum velut corpus congesta, Ingolstadii 1580, quod est compendium op. *Evangelische Inquisition* wahrer und falscher Religion wider das gemain unchristliche Claggeschray, dass schier niemandsmehr wissen künte, wie oder was er glauben solle, in Forma eines christlichen Rathschlags wie ein jeder Christenmensch seines Glaubens halber gänzlich vergwisst und gesichert sein möge: dermassen dass er leichtlich nicht künte betrogen noch verführt werden, Dilingae germanice et latine 1573 in 4. p. 1., quae propter stili acerbitatem Ma-

[1]) Cf. Werner, Geschichte der polem. Liter. 4, 364, 580; N. Paulus hist.-pol. Bl. CXV (1895), 13 ss.; Aschbach Gesch. der Wiener Univ. III, 166—180.

ximiliano II. displicuit et caesareo edicto prohibita fuit. Prodiit tamen adhuc 1574 s. l. (f. Dillingae); Coloniae 1574; s. l. 1579; Ingolstadii 1580; 1629. P. 2. inscribitur *Das guldene Flüss christl. Gemain und Gesellschaft* d. i. ain allgemaine richtige Form der ersten uralten prophetischen und apostolischen Kirchen gleich als ain kurze historia von der h. Statt Gottes, wie es umb dieselbe vor dieser Spaltung für ain Gestalt gehabt, und wie sich das jetzige Religionswesen darmit vergleiche, Ingolstadii 1579, adversus quam scripsit Ge. Nigrinus. P. 3. non prodiit. *Mataeologia haereticorum* seu Summa haereticarum fabularum, in qua brevi quodam veluti compendio continentur nongenti fere vanissimi errores de ducentis prope religionis catholicae capitibus, quibus homines quidem reprobi purum Dei verbum plerumque corrumpere, Ecclesiae vero unitatem praescindere ac fidei christianae integritatem violare ausi sunt etc., ib. 1581 in 8; *catalogus rectorum et illustrium vivorum archigymnasii viennensis*, in quo praeter elegantissimam temporum seriem summa quaedam continentur quasi capita earum rerum, quae celeberrimae huic academiae sub cujusque magistratu memoria contigerunt dignae ab a. 1237—1559, Viennae 1559 in 4; 1645 in f., opus non sine pretio, continuatum a Jona Litters ad a. 1644; 1670 cura Pauli doctoris medicinae; 1693 cum app. eorum, qui deinceps academiam rexerunt, itemque cancellariorum ac superintendentium academicorum nominibus, 1693; quod opus vocari solet *calendarium ederianum*. Edidit etiam: *Oeconomia bibliorum* seu partitionum theologicarum ll. V, quibus s. Scripturae dispositio seu artificium et vis atque ratio in tabulis velut ad vivum exprimitur et ita ob oculos ponitur, ut non modo absolutissimam complectantur universae theologiae Summam atque methodum, sed commentarii etiam vice haberi queant, Coloniae 1568, 1582; Venetiis 1572; 1577, de quo opere scribit Possevinus [1]): „Porro de interpretatione Scripturarum pulchra et recte distincta ex multis patribus atque adeo ex recentioribus collegit G. Eder in sua oeconomia a tabula 54 usque ad 75., in qua item ponit 41 regulas ex iisdem patribus decerptas. Simili consilio elaboravit *Partitiones Catechismi catholici* (scil. tridentini)... nunc facilioris cognitionis gratia in luculentam hanc epitomen et commodas aliquot tabulas sic digestus et distributus est, Coloniae 1568; 1571; 1582; Brixiae 1569; catechismum tridentinum in compendium redegit ad captum juventutis christianae sic partitum et accommodatum, ut in scholis etiam pueris utiliter proponi queat, sub inscriptione *Catechismus catholicus*, Coloniae 1569; 1570 etc. Decessit tam strenuus vir 19. Maj. 1586.

93. Praetermissis[2]) vero Henrico Blissemio (vel Blysemio) S. J. Bon-

---

[1]) Bibl. sel. l. 2. c. 15; cf. Adelung II, 830.

[2]) Georgius Gotthardt Ingolstadii n. Romae in collegio germanico studiis vacavit 1573—1576 ibique philosophiae ac theologiae lauream promeruit. Ex urbe rediens canonicus factus est Passaviae (1576). Praeter aliorum canonicorum morem diligenter choro interfuit atque scholas rexit. Anno 1584 a capitulo Sirningam ablegatus est, ut convulsam religionem catholicam erigeret, lutheranamque contagionem, quae diuturnitate temporis altas jam radices egerat, extirparet. Verum frustra laboravit. Excitatae fuere gravissimae in eum turbae, passus est damna, imo vel vitae incurrit periculum: hinc parochia cessit atque ad Musas studiaque intermissa rediit, ut ipse narrat in praef. op. *Defensio Ecclesiae catholicae*, Ingolstadii 1586 p. 17 s.: imo calumniis impetitus parochia fuit privatus ab episcopo et capitulo. Hinc in episcopum concepit iram machinationibusque adversus illum se adeo immiscuit, ut ab eo fuerit in carcerem conjectus (3. Febr. 1589) et de crimine laesae majestatis accusatus. Cogitans fugam interemit custodem: quamobrem sententia mortis in eum prolata primum fuit degradatus et 6. Mart. 1589 morte punitus. Bonus erat alioquin

nensi, collegii romani doctore, collegii pragensis professore et rectore († 1586), cujus est praeter alia[1]): Tr. *de uno geminoque s. eucharistiae synaxeos salubriter perficiendae ritu et usu* contra gravissimos adversariorum errores de communione sub utraque specie, Ingolstadii 1585 in 4. — Tilmanno Bredenbach Embricensi[2]), canonico coloniensi († 1587), filio celebrioris Matthiae Bredenbach (cf. II, 1495), qui aliquot opera theologica ex latino germanice reddidit *collationumqe sacrarum* ll. VIII edidit Coloniae 1585; 1609, in quibus historias et miracula de s. eucharistia, b. Mariae V., ss. imaginum narrat, deque miris operationibus quorundam sanctorum, de ecclesiis et quae circa rerum ss. violatores contigerunt, de veteribus et neotericis haereticis, de visionibus agit etc. — Wolfgango Heggel O. Praem., cujus est *Autolatreia* seu CXLV propositiones catholicae, quibus demonstratur modernos novatores evangelicos inaudito quodam idololatriae genere semetipsos pro Deo colere ac venerari, Pragae 1589 — Christophoro Erhardo Tirolensi parocho nicoloburgensi, cujus *catholische Brieff u. Sendschreiben* etc. Nicolspurg 1586 prodierunt — Nic. Wolffsbach vicario catholico francofordiensi, cujus inter alia exstat, *Ableinung* der lügenhaftigen 485 Sprüchen und Thesium G. Nigrini Superintendenten, in welchen

theologus, qui aliquot scripta apologetico-polemica reliquit, scil. Controversia *de bonorum operum et sacramentorum necessitate* ... or. 2 comprehensa, Ingolstadii 1577; tr. 1. *de confessione*, quae est altera pars sacramenti poenitentiae; ib. 1579; *Defensio Ecclesiae catholicae* adversus Jac. Heerbrandi ... et aliorum sectariorum calumnias, ib. 1586; cum *apologia* adversus Heerbrandi defensionem, ib. 1588. disputationes et praefationes aliquot etc., 1587. Cf. Dr. Lauchert Katholik 1904 XXIX, 321—349; XXX, 41—61; Allg. d. Biogr. XLIX, 490.

[1]) Cf. Backer I, 659; Steinhuber Gesch. des Coll. Germ. Hung. I, 38.

[2]) Cf. Bibl. col. p. 309; KL. II, 1219.

der arme Mann, wegen des Cölibats, ledigen Apostelstands der Geistlichen auch christl. catholischen Fastens, sich vermessen den Babst zu Rom zu machen zum wahren Antichristen etc., Moguntiae 1597 in 4. — Sigismundo Ernhoffer S. J. Monacensi († 20 Maj. 1597), qui scripsit in primis adversus Heerbrandum[1]): mentione adhuc dignus est Petrus Michael cognomento Brillmacher S. J. Coloniensis n. 1542, magni Maldonati Parisiis discipulus, quem reddita vice hebraicam docuit linguam. Ejus institutione et opera multi haeretici ad Ecclesiam redierunt catholicam, quam scriptis etiam valide defendit: quare sibi bonorum benevolentiam sed et hostium religionis inexplicabile conciliavit odium, ut saepius ad necem et vincula sit quaesitus. Semel atque iterum ab illis circumventus et per speciem amicitiae ad mensam invitatus[2]), inter epulas venenum incautus hausit, quo sensim exstinctus est 25. Aug. a. 1595. Ex ejus operibus[3]) potiora sunt: *De communione sub altera tantum specie,* Coloniae 1582; *Controversiarum de eucharistiae augustissimo sacramento dialogi quinque* ex partis utriusque elucubrationibus fideliter concinnati, in quibus omnia, quae hactenus de corporis Christi praesentia, panis et vini transubstantiatione, ubiquitate, sacrificio, communicandi legitima ratione et veneratione disputata sunt, familiariter et peramanter conciliantur, Coloniae 1584 pp. 3 in 12; 1603 in 8; christiana et solida *detectio errorum* Joannis a Münster Monasterii 1591 in 4; *Evidiotheca* Brillen-Kästlein d. i. ein neues sehr nützliches Büchlein, in welchem an statt vieler Bücher dem innerlichen schwachen Gesicht mit kurtzen Schlussreden aller Artikel

[1]) Cf. Sommervogel III, 420 s.

[2]) Cf. Sotvellum Script. S. J.

[3]) Horum catalogum cf. apud Sommervogel II, 182—186.

christl. Religion u. derselbigen Beweis als mit guten, weit und nahe stehenden Brillen zu sehen gegeben wird, welche aus den streitbaren Parteyen recht haben vor Gott, ib. 1593 in 12; 1609 ed. aucta; etiam latine; Tafel der evang. u. unevang. Lehr, darinn alle verdampte Irrthumben der Ketzer angezeigt, Coloniae 1594.

94. Alter mentione dignus est Joannes Nas (Nasus) e civitate Eltmann (Heltmann) in Franconia n. 1534 O. S. Franc. strictioris observantiae reformatorum, in sua juventute sectae lutheranae conversatione saltem addictus. Sartor fuerat professione. Post primae aetatis errata lectio piissimi de Christi imitatione libelli eum ad saniora revocavit consilia et, ut ordinem s. Francisci ingrederetur, impulit a. 1552. Cum ingenti discendi ardore aestuaret, improba assiduitate ad nocturnas lampades, quae coram beatissimae Virginis imagine ardebant, ac memoriae stupenda facilitate latine primum didicit; superiorum dein permissu altiores etiam disciplinas complexus est. Ingolstadii[1]) per biennium theologiae operam dedit, ibique cum Eisengrein[2]), Caspare Frank et Staphylo viris celebribus conversatus est. Variis deinde in locis magno fervore nec minori successu verbum Dei annunciavit atque refutavit sectarios, qui immani odio in eum exarserunt, ut in vitae etiam periculo versaretur. Cum Romae degeret propter ministri generalis ordinis electionem a Pio V. dictus est concionator apostolicus (1571). Rediens Brixinae haesit a capitulo pro

[1]) In hujus academiae annalibus dicitur: „Nasus magnus certe et omnis haeresis mastix et schismaticorum vexator."

[2]) Hic de eo in suo catal. testium veritatis scribit: „Joan. Nasus O. Min. conventus ingolstadiensis vir doctissimus atque in monastica disciplina exercitatus, orator facundus, nec ulli theologorum secundus, catechismum catholicum tum pium tum doctum posteritati consecravit."

cathedralis suggestu expetitus a 1571. Anno sequenti pro b. Canisio Romam interim accito Ferdinando archiduci a concionibus fuit, et in praemium zeli totque de Ecclesia catholica in Tiroli meritorum constitutus est a Gregorio XIII. (1578) commissarius omnium conventuum sui ordinis in ditione Ferdinandi archiducis, mox (1580) episcopus auxiliaris brixinensis. Post decennium 16. Maji 1590 Oeniponte obdormivit in Domino. Plurima (39) reliquit scripta[1]). Collegit centurias sex mendaciorum insignium, quae ab haereticis, qui se dicunt evangelicos, scripta sunt. Prodiit opus inscriptum: *Das Antipapistisch eines und hundert auserlessner, gewiser evangelischer Warhait* bei woelchen (als bei den Früchten der Baum) die reyn lehr soll und muss erkannt werden[2]) etc., Ingolstadii 1565, quem t. alii 5 sequuti sunt, saepius recusi; ib. 1570 t. 6, in quibus agit de reformatorum doctrinis, moribus, vita; de Scripturarum corruptione per eos facta etc. pluresque sectariorum primipilos

[1]) Horum catalogum criticum cf. apud Schöpf, Joan. Nasus, Franciscaner und Weihbischof von Brixen, in programmate gymnasii bulsanensis a. 1859—60 cum append. in programmate a. seq. Bulsani 1860. 1861.

[2]) Cf. Schöpf l. c. p. 19; Werner, Gesch. der polem. Lit. 4, 505, 508, 604 ss. qui advertit: „Der volksthümliche Ton und die drastische Haltung seiner Schriften erklärt die große Wirkung derselben auf seine Zeit, dem heutigen Leser bieten sie ein lebendiges Bild der Stimmungen und Bewegungen der Gemüther in jener Zeit, sie führen ihm den Reflex des Reformationsereignisses im katholischen Volksleben jener Zeit in einer Reihe höchst anschaulicher Züge vor . . . Man würde irren, wenn man in diesen Schriften blos Invectiven und Witze vermuthen würde. Sie enthalten des Lehrreichen Vieles und stellenweise erhebt sich der Verfasser zu einer schwunghaften, begeisterten Stimmung, die ihm mehrere, eines bleibenden Andenkens werthe Ergüsse eingegeben hat." Cf. Raess Die Convertiten 1, 298 ff. qui magna cum laude ejus fata enarrat; Mitterrutzner KL. IX, 32 s.

graviter redarguit, ut Rauscher, Erasmum, Alber, Aurifabrum, Brentium, Hesshusium, Flacium, Maulium, Musculum, Osiandrum, qui eum 72 tantum nominibus contumeliosis oneravit, Spangenberg, Jac. Andreä, Coelestinum etc. *Examen chartaceae Lutheranorum concordiae*, ib. 1581, valde rarum; *Angelus paraeneticus contra solam fidem delegatus*, d. i. der Warnungsengel wider den Solen Glauben ausgesandt, welcher herrlich erklärt, warumb aus viel Beruften wenig selig werden, ib. 1588 in 4; *Praeludium in centurias hominum sola fide perditorum* d. i. Newer Zeittung Vorgang u. langerwarter Enderung von der grossen Gloggen zu Erfurdt, darmit man newlichst das Luthertumb ohn sonder gross Miraculum vom Weinfass aus thät leiten wol mit 500 Zeugnussen etc., ib. 1588 in 4; *Concordia* Alter und newer guter auch böser Glaubensstrittiger lehren, verglichne Beschreibung mit fridgiriger bitt und vermannung, man wölle forthin, die frommen Ludgerischen, u. dergleichen Christmenschen unverdambt lassen, besunders schonen, auch jrer Evangelischen Lehr, leben löblich nachfolgend, dem glauben zufaln, und mit In concordieren. Sunst ausserhalb der vorgenannten, anderer Secten und Rotten aller mit einander abstehen, der anderst will zum leben der Statt Gottes eingehn; dann wo nicht lieb und ainigkeit, nur zank und hader ist, da wird auch trew und Glauben weit feuler, dann der nicht Concordirt mit des h. römischen Reichs abschiden, durch mancherley Lehrer zeugknuss auf die h. Gescrifft mit vernünftiger Beweisung gegründet, Monachii 1583 in 4; 1588 ed. aucta valde rara; *Nova novorum*, in quibus tum auctores, confessio et doctrina libri, quem patres bergenses *concordiam* vocant, tum vero symbola, precationes, epistolae adeoque varia epigrammata, secreta et acta continentur, Ingolstadii 1581 in 4. Reliqua fere omnia sunt conciones de controversiis temporis, postillae, libelli polemici adversus praecones lutheranos etc. Vir fuit sermone potens, ejus stilus ad populi captum sane accommodatus, sale conditus et naturalis, ut primariis hujus seculi apologetis merito accenseri possit.

95. His denique addantur: Joannes Jacobus Rabus (Rabe, Rabi) n. c. 1545 Argentorati parentibus lutheranis[1]), lectione librorum Eckii, Staphyli, Canisii etc. meliora edoctus, etsi jam doctor theologiae tubinganus, Dilingae fidem amplexus est catholicam 30. Nov. 1565. Romam profectus opera Canisii in collegium germanicum fuit receptus. Rationem reddidit suae conversionis contra mendacia et calumnias in eum sparsas in l. *Professio catholica*, Ingolstadii 1567, quam germanice versam exhibet Raess die Convertiten seit der Ref. I, 502—524; et. in *ep. apologetica* ad Ludovicum patrem . . . pro fide catholica ac suo ad eam accessu, Coloniae 1570, qua tamen pater placatus non est (ib. 524—562); et in ep. ad concives: *Christl. und treuherzige Vermannung* an seine lieben Landsleute, alle kath. Ulmer etc. (ib. 562—577): Studiis absolutis degit in aula Lud. Madruzzi ep. tridentini, cui erat a consiliis. Coloniam deinde se recepit atque 1561 ordinatus est sacerdos. Ab Alberto Bavariae duce accitus est concionator aulicus et factus canonicus moosburgensis. Straubingae ab a. 1579 munere primum functus est concionatoris, dein (1581) parochi et canonici, dictus quoque protonotarius apostolicus († intra 1584—1587). Praeter illa tria scripta egregia atque catholica reliquit plura alia, ut adversus Marbachi l. de miraculis veris et falsis dijudicandis ex verbo Dei, in quo negat miracula sanctis olim tributa, *Christl. u. wohlbegründeter Gegenbericht* von Mirakeln u. Wunderzeichen, wie man dieselbigen aus Gottes Wort . . .

---

[1]) Alius a Justo Rab, de quo in sequenti periodo erit sermo († 1612).

urtheilen solle, Dillingen 1573. Cum Argentorati 1574 statutae fuissent theses contra cultum sanctorum et sacrarum reliquiarum miracula, opposuit ipse velitationem succinctam, Argentinae 1574; Monachii 1575. Kurtzer doch christl. Unterricht, *wo die rechten Apostaten und Mameluken* heutigen Tages zu finden seyn, 1574 etc. Aliorum quoque opuscula germanice vertit[1]. — Joannes Brunner Helvetus, patria Toggenburgensis postquam a. 14 concionatorem inter Zwinglianos egit, veritatem agnovit atque ad Ecclesiam rediit suaeque conversionis rationem reddidit in *Professione catholica,* quam germanice et latine edidit. Latine prodiit Ingolstadii 1584, germanice redditam habes apud Raess II, 534—549. Factus est ipse postea graecarum literarum et s. linguae professor in archigymnasio friburgensi in Br. — Adamus Walasser ulmensis († 1581) laicus et magister ut videtur, innotuit plurimis[2]) quae reliquit scriptis (saltem 33). Inter ea sunt libri aliorum, quos correxit, auxit et typis dedit, apologetica, ascetica, poëtica: quibus se admodum utilem exhibuit populo. — Sub nomine Francisci Burkardi (Burckardi, Burkhardi) utriusque juris doctoris, consiliarii cancellarii electoris coloniensis († 1584), quem Canisius maximi fecit, prodiit Monachii 1586 (Coloniae 1604) opus inscriptum *De Autonomia* d. i. von Freystellung mehrerley Religion und Glauben, was und wie mancherley sie seye: was nach derselben bisher im Reich Teutscher Nation ergangen, und ob dieselbe von der geistlichen Obrigkeit möge bewilliget und gestattet werden; opus, quod ingentem excitavit rumorem atque protestantibus accidit ingratum, nimis clare enim eorum injustam agendi rationem revelat. Ejus tamen verus auctor videtur esse Andreas Estenberger imperatori a secretis[1]) — Paulus Weidner origine Italus n. 1592, quondam Judaeus medicinae doctor, qui fidem amplexus est christianam 21. Aug. 1558. In universitate viennensi, cujus ter erat rector, professus est medicinam, Ferdinandi I. erat medicus et ab eo fuit donatus nobilitate († 28. Aug. 1585). Ut conversionis suae redderet rationem popularibus suis, collegit et explicuit *Loca praecipua fidei christianae,* Viennae 1559, sermonemque ad eos habuit in synagoga, quo aliquot ad fidem Christi amplectendam permovit. Prodiit ib. 1562. Collegit et *sententias hebraicas* ad vitae institutionem perutiles[2]), ib. 1563.

96. E *Polonia* plures insignes apologetae fidei catholicae prodierunt: Jacobus Gorsky[3]) archidiaconus gnesniensis, octies rector et procancellarius academiae cracoviensis († 1585), cujus opera agunt de illis dogmatibus, quae tunc in Polonia a sectariis in dubium revocabantur[4]). — Martinus Cromer Bieczae in dioecesi cracoviensi natus a. 1512, primum juris studio se dedit, et Bononiae (c. 1538) utriusque juris doctor creatus Petro Gramrat episcopo cracoviensi, dein archiepiscopo gnesensi, postea ipsi regi a secretis fuit. Verum tristi statu religioso suae patriae permotus sacrae se addixit militiae. Propter ejus in gerendis negotiis prudentiam et peritiam variis fuit adhibitus legationibus. Causam catholicam intrepide cum Hosio egit, cui etiam in episcopatu successit warmiensi (1579), postquam jam diu ejus suppleverat vices. Indefessa sollicitudine gregis sibi commissi curam

---

[1]) Cf. praeter op. cit. Raess p. 494—502, Otto Schmid Allg. d. Biogr. XXVII, 95-97; Steinhuber Gesch. des deutschen Coll. I, 76; Zeck KL. X, 721 ss.

[2]) Ea diligenter recenset Nic. Paulus Katholik 1893 II, 453—467; W. Baeumker Allg. d. Biogr. XL, 640—643.

[1]) Cf. Flosz KL. II, 1539.

[2]) Cf. Aschbach III, 297—299.

[3]) Alius ab eo est Simon Gorski (Gurski, Gossius) S. J. Mazovius († 19. Jan. 1616), qui reliquit opuscula polemica lingua patria.

[4]) Cf. Werner Gesch. der pol. Lit. IV, 344.

gessit bonumque religionis in sua dioecesi omni quo poterat modo promovit habitis synodis dioecesanis [1]), editis salutaribus instructionibus, missionibus et seminariis, quae fovit, emendatis libris ritualibus etc. († 23. Mart. 1589). Plura ejusdem scripta collegit Hipler in *Monumentis Cromerianis* M. Kromers Gedichte, Synodalreden und Hirtenbriefe, Braunsberg 1892 in Zeitschr. f. Gesch. und Altertumsk. für Ermland X, 145—290. — Martinus Bialobrzeski n. 1520, episcopus auxiliarius cracoviensis, dein episcopus camenecensis († 1586), insignis concionator, magnae apud regem regnique primates auctoritatis, strenuus fidei catholicae adversus haereticos apologeta, quam egregiis concionibus (*postilla orthodoxa*, Cracoviae 1581; 1838) defendit [2]) librisque editis. Hinc dicitur in xeniis Bernardinis III, 312: „In literatura polonica qua scriptor polemico - religiosus famosissimus.“ Opera ejus splendore, subtilitate et evangelica dulcedine clara non semel typis mandata fuerunt, inter quae eminet opus perrarum *Orthodoxa confessio de uno Deo*, quem Christiani catholici credunt, adorant et invocant ex s. literis descripta, adversus omnes Samosateni, Arii, Eunomii, Nestorii et similium haereses et blasphemias... Adjecta est sub finem libelli eorum confutatio, qui animas cum corporibus exstingui commenti sunt, Cracoviae 1577. Alia plura sunt polonice conscripta. — Contra Socinianos pugnavit quoque Stanislaus Zdescheki Ostrowski O. Cist. theologiae lector et abbas przemenzkiensis in l. *de Trinitate* contra impia scripta Simonis Budnaei, Mart. Cechowicii, Stanisl. Farnowii etc., Posnaniae 1591 in 4; *Refutatio examinationis* Fausti infausti Socini, ib. 1594 in 4; opera rarissima. — Stanislaus Rescius, canonicus warmiensis, Hosii biographus et ei quondam ab epistolis († 1598). Edidit hic inter alia [1]): *Ministromachia*, in qua evangelicorum magistrorum et ministrorum de evangelicis magistris et ministris mutua judicia, testimonia, convicia, maledicta, irae, condemnationes et in omnibus seculis inauditi anathematismi recensentur, Coloniae 1592 in 8., valde rara; *de atheismis et phalarismis evangelicorum* ll. 2, Neapoli 1596. — Benedictus Herbestus S. J., natione Roxolanus, patria Neapolitanus (Nowemiastoz) ante suum in societatem Jesu ingressum professor in academia cracoviensi, canonicus deinde et concionator Posnaniae, ubi plurimum auctoritate sua et vitae exemplo valuit ad coercendam haereticorum audaciam. Quare magnus ille cardinalis Hosius, cui innotuit sua *confutatione* Picarditarum haereticorum (1567), peculiari epistola eum est hortatus, ne civitatem illam desereret, quoniam in ipsum unum recumberet illius salus. Post suum in societatem Jesu ingressum (1571) in missionibus magnam vitae partem maximo cum fructu consumpsit vir potens opere et sermone, hinc Russiae, Podoliae vicinarumque terrarum apostolus dictus. Pie in Domino decessit d. 4. Martii 1593. Inter plurima ejusdem scripta [2]) nonnulla

[1]) Cf. Eichhorn der ermländ. Bischof M. Cromer, Brunsbergae 1768; Thiel Kirchenlex. III, 1195; Werner III, 343. 347 ss., qui de eo scribit: „Unter seinen theologischen Arbeiten erwarben ihm namentlich seine in polnischer Sprache abgefaßten *Vier Dialoge* über die wahre und falsche Religion (1548. 1549, latine *Monachus* seu colloquiorum de religione ll. IV, Coloniae 1568) einen großen Ruf. (Sie sind nicht streng wissenschaftlich, sondern mehr populär gehalten). Nicht minder fand seine Schrift *de conjugio et coelibatu clericorum* (Coloniae 1564) Beifall, welche in Form eines Sendschreibens an den berühmten polnischen Gelehrten Orzechowsky abgefaßt ist.“ Celebrior tamen est ejus *Polonia* seu de origine et rebus gestis polonorum ll. 30, Coloniae 1589. Ejus saepe meminit b. Canisius in suis epistolis.

[2]) Cf. Lüdtke Kirchenlex. II, 581.

[1]) Cf. Werner l. c. p. 344.

[2]) Ea praecipue spectant ad literas humaniores. Cf. Sommervogel IV, 289—294.

etiam sunt (polonice scripta) de controversiis cum haereticis, Picarditis in primis et schismaticis. — Ejus sodalis Jacobus Wiecus (Wujek, Wuyk) S. J, Vagrovecensis n. 1540, vir fuit aeque singulari doctrina atque admirandis animi dotibus cum suavissima humanitate conjunctis insignis, ad animarum quaestum faciendum attentissimus († 27. Jul. 1597). Bene meritus est de suis popularibus non solum concionibus, postillis quae magni fiunt (m. 100), libris adversus haereticos lingua polona editis[1]), sed etiam s. Scripturae in eandem linguam versione (m. 480), quam Clemens VIII. laudavit, synodus vero nationalis petrocoviensis a. 1607 adhibendam in populi usum commendavit. — Andreae Jurgiewicz canonico vilnensi debemus: *Bellum quinti evangelii.* Contra larvatam harmoniam genevensium et fucatum consensum sendomiriensem ostenditur, nullam esse apud evangelicos fidei unitatem vel certitudinem, Coloniae 1595, opus valde rarum, Monasterii 1602; germanice per Joan. Stamph, Moguntiae 1603. — Andreas Patritius Nidecki episcopus wendensis in Livonia († 1587) scripsit praeter alia *de vera et falsa Ecclesia* ll. 5, Cracoviae 1583. — Joannis Szilvási est *antiquitas et perpetua duratio* fidei catholicae seu tabulae testimoniorum ex ss. libris et ss. patrum scriptis servata serie temporis petitorum de octo magnis in fide controversiis, Claudiopoli 1597. — Christiani Varsevicii opera (rara) collecta prodierunt Cracoviae 1600 in f., inter quae etiam aliqua pro fide catholica.

1) Cf. Backer, III, 1579—86.

III. Disciplinae ad ss. literas spectantes.

97. Maxime gloriosa est haec epocha in annalibus illarum disciplinarum, quae ad sacras spectant literas. Palmam vero omnibus nationibus praeripuit *hispana*, sive numerum spectes interpretum s. Scripturae, sive horum pondus atque auctoritatem. Ipsa enim pluribus gloriari potest, quam reliquae simul regiones, et inter hos primi subsellii haud paucis, ut Maldonato, Salmeron, Prado cum Villalpando, Toleto, Aria Montano etc. Initium ab hoc, quem ultimo posuimus loco, ducamus, cum ipse suis laboribus utilem contulerit interpretibus s. Scripturae operam[1]). Benedictus Arias Montanus[1]) natus a. 1527 (quo loco incertum, forte in oppido Frejenal de

1) Isagogicum est opus Petri Lopez de Montoja professoris salmanticensis hoc titulo: *De concordia sacrarum editionum* ll. 2, quorum alter continet controversias introductorias ad studia ss. literarum; alter concordiam ipsam editionum hebraicae et graecae 70 interpretum cum vulgata latina, Matriti 1596, quod opus laudat Richard Simon, Histoire critique du V. T. l. 3. ch. 17. plusque judicii ei in hoc argumento tribuit, quam Leoni Castro, de quo infra p. 234 et Guilelmo Lindano, de quo egimus p. 187. Nititur in hoc opere ingeniose conciliare vulgatam cum textu originali illis in locis, de quibus major erat inter eruditos controversia, utrum non fuerint in textu originali corrupti. — Quaedam ad hermeneuticam spectantia reperiuntur in op. Ludovici a s. Francisco Lusitani, olim juris pontificii interpretis, dein O. Min., quod inscripsit: *Globus canonum et arcanorum* linguae sanctae et div. Scripturae, Romae 1586 in 4.

1) Praeter hunc Ariam ex cognominibus mentione digni sunt: Didacus Ximenes Arias O. Praed. († 1578), cujus est: *Lexicon ecclesiasticum latinohispanicum* ex sacris bibliis, conciliis, pontificum et theologorum decretis etc. concinnatum servata ubique vera etymologiae, orthographiae et accentus ratione, Salmanticae 1572; Barcinone 1618. — Franciscus Arias S. J. Hispalensis (1533-1605), cujus opera

la Sierra), Hispali prius (unde Hispalensis, quod sibi tribuere solebat nomen), Compluti deinde incredibili ardore animi felicissimoque conspirantium ingenii atque industriae successu, literis, praesertim vero pluribus addiscendis linguis operam dedit. Ordinis divi Jacobi sacerdos et academiae creatus doctor Martinum Perez Ayala comitatus est Tridentum, unde redux nihil optatius habuit, quam declinata hominum frequentia latere sibi et literis sacrorumque librorum meditandae atque illustrandae lectioni. Quo consilio secretum quoddam baeticorum montium atque amoenissimum juxta Artacenam locum nidum sibi ac velut latibulum vitae ac studiorum jam olim delegerat justoque aedificio construxerat. Verum diu non latuit Philippum II., qui a celeberrimo typographo Christophoro Plantino solicitatus bibliae polyglottae editionem subsidiis regia liberalitate suppeditatis plurimum promovit, utilissimoque huic operi Ariam Montanum praefecit. Prodiit haec biblia polyglotta antwerpiensis vel etiam biblia regia dicta, secundum Gregorium XIII. opus vere regium, a. 1568—72 vol. 8, quorum 5 priora complectuntur rarissimam bibliam polyglottam complutensem, adjectis reliquis Thargumim secundum editionem Bomberg (cf. II, 1493), et versione syriaca N. T.[1]), reliqua tria volumina apparatum sacrum continent i. e. v. 6. communes et familiares hebraicae linguae idiotismos; N. T. graece cum interpretatione latina graeci contextus lineis inserta et V. T. latinam interpretationem; v. 7. lexicon graecum et institutiones linguae graecae; Masii syrorum peculium cum grammatica linguae syriacae; dictionarium syrochaldaicum cum grammatica chaldaea Guidonis Fabricii; Pagnini epitome thesauri linguae sanctae; v. 8. l. Joseph sive de arcano sermone; l. Jeremiae sive de actione; l. Thubal-Cain sive de mensuris sacris; l. Chanaan sive de chorographia; l. Chaleb sive de terrae promissae partitione; Exemplar sive de sacris fabricis l.; l. Aaron sive ss. vestimentorum ornamentorumque summam descriptionem; l. Nehemias sive de antiquae Jerusalem situ; l. Daniel sive de seculis codex integer, qui prodierunt[1])

---

ascetica cum operibus Ludovici granatensis impense commendat s. Franc. Salesius Introd. a la vie devote I, 6. Inter ea praecipue laudantur: L. *de la Imitacion de Christo N. S.*, Sevilla 1591 t. 2 in 4; latine *Thesaurus* inexhaustus bonorum, quae in Christo habemus, Coloniae 1610 t. 3; *De la imitacion de Nuestra Señora*, Valentiae 1588, saepius ed. et in alias versa linguas; item et Aprovechiamento espiritual, Valladolid 1592 t. 2 in 4. — Alvarus Arias S. J. († 1643), qui collegit: *Encomia ss. eucharistiae et b. Virginis Mariae ex s. Scriptura deprompta*, Hispali 1621; Viennae 1632, „opus, ut ait Biblioth. Script. S. J., mole exiguum, sed prorsus egregium."

[1]) Biblia polyglotta *complutensis* est hujus generis *prima*, de qua cf. II, 1132. Tertia biblia polyglotta est *parisiensis* (1628—1645), quae si editionem spectes splendidissima est, si pretium criticum atque commoditatem, minoris fit. *Quarta* est Biblia polyglotta *londinensis* curante Briano Walton vol. VIII in f., quae plura complectitur (versionem scil. persicam et aethiopicam etc.) et in commodiorem redacta est usum. Cf. Le Long, Bibl. s. c. 1; Kaulen KL. X² 143 ss.

[1]) Richard Simon Histoire critique du V. T. l. 3. ch. 17. rigidae crisi subjicit hos Ariae ll. Rite tamen advertit Dupin (Nouvelle biblioth. des auteurs ecclés. 16, 162): „Il est le premier, qui ait bien éclairci ces matières, et ceux qui sont venus depuis lui, se sont servis utilement de ses lumières." Hinc Possevinus has dissertationes perutiles vocat (Biblioth. s. l. 2. c. 15) et cum magno judicio conscriptas (l. 2. c. 19), illas saltem, quae de actione et arcano sermone agunt. Idem Simon valde improbat versionem latinam Ariae Montani suae polyglottae insertam, (quae proprie non est nova versio sed nonnisi versio Pagnini parum immutata) approbans quorundam dictum: „Quot correctiones, tot corruptiones", simulque affirmans, Montanum non tam fidissimum, quam ineptissum esse dicendum interpretem. „Peut-on donner, inquit ipse Histoire critique du V. T. l. 2. ch. 20, la qualité d'interprète très-exact à un traducteur qui renverse presque partout le sens de son

seorsim Lugduni in Hollandia 1593 inscripti: *Antiquitatum judaicarum* ll. 9; in fine reperitur interpretatio nominum hebraeorum, chaldaeorum et graecorum: urbium, fluviorum, montium ceterorumque locorum: seorsim jam editus l. Antverpiae 1571; opus propterea laude dignum, quia primum fuit, quod accuratius de his egerit argumentis. Editione absoluta Romam se contulit regis suoque nomine eam oblaturus [1]) Gregorio XIII. atque reversus in Hispaniam larga remuneratione a rege donatus fuit maximaque apud eum gratia floruit. Non defuere tamen, qui ejus carperent editionem, inter quos eminet Leo castrensis (de quo infra p. 234), qui crimini ei vertit, quod textum hebraicum pro originali in illam receperit, nimium usus sit rabbinorum scriptis, quod laeserit decretum tridentinum de vulgatae authentia. Ut ab hisce se purgaret Montanus, apologiam hispanice conscripsisse fertur, quae in oxoniensi bibliotheca tamquam pretiosissimum κειμήλιον asservatur [2]). Ceterum et haec editio est admodum rara, cum 500 tantum

texte? En effet, toute son érudition consiste à traduire les mots Hébreux à la lettre, selon leur signification la plus ordinaire, sans prendre garde si elle convient, ou non, aux endroits où il l'emploie etc. En un mot si l'on veut prendre la peine de parcourir toutes les corrections d'Arias Montanus, on trouvera qu'il a plutôt traduit la Bible en écolier, qu'en homme de jugement.« Carpit quoque ejusdem versionem textus graeci N. T. (Hist. crit. du N. T. ch. 23); eam tamen laudat Andres (dell'Origine etc. d'ogni letteratura t. 6. l. 2. c. 2.), qui illam tot defectibus obnoxiam non esse vel exinde probat, quod in praecipua biblia polyglotta fuerit recepta. Latina versio aliquoties seorsim etiam prodiit ut Antverpiae 1572; 1583 etc. Cf. Vigouroux Diction. de la Bible 1, 954.

[1]) Secundum continuatorem hist. eccl. ab. Fleury l. 183 § 56, non solum gratulatus est Gregorius regi literis ad eum datis, verum etiam constitutione edita 1. Sept. opus approbavit.

[2]) Ita Paulus Colomesius in suis opusc. Parisiis 1668 editis; cf. Reusch, 575—77.

fuerint impressa exemplaria, quorum plura naufragio, cum in Hispaniam asportarentur, perierint. De hujus viri vivendi ratione haec refert Nicolaus Antonius [1]): „Vino semper abstinuit epulisque largioribus. Coenabat die semel idque noctu praeter breviorem meridianum cibum, qualem vel nunc jejunantes conciliaturi somnum sumimus, diurnas horas omnes ut in exercitia pietatis ac studiorum impenderet. Diebus festis carmine plerumque sacro nonnullisque aliis humaniorum disciplinarum exercitationibus a superiore commentandi in libris sacris cura veluti feriabatur. Inter enim seculi sui poetas nemini palmam detulit, meritus ob id etiam lauream poeticae artis apud Complutenses.« Decessit 22. Maji 1598. Praeter bibliam regiam [2]) plura alia edidit,

[1]) Bibl. H. N. 1, 208. Joannes Verzosa (Epist. l. 4) elegans de eo carmen ad Plantinum composuit, in quo cum Arias statura esset pusillus, ita de eo canit:

Digito monstratur ubique
Indice et hic parvus tam magnus.

[2]) Socios in hac editione habuit celebrem A. Masium, de quo egimus p. 64, et Vitum Faber (Guy Lefèvre de la Boderie) Normannum n. 1541, qui in bonum Ecclesiae catholicae linguarum orientalium studio se dedit. Interpretatione latina N. T. syriacae versionis innotuit Montano, qui eum operis socium accivit. Curavit N. T. syriace cum versione latina (t. V.) et glossarium syriaco-latinum composuitque grammaticam chaldaicam et dictionarium syrochaldaicum (t. VI). Edidit seorsim N. J. Chr. Testamentum syriace literis hebraicis cum versione interlineari latina, vulgata et textu graeco Antverpiae 1584; Severi alex. quondam patriarchae *de ritibus baptismi et s. synaxis* apud syros christianos receptis l., Antverpiae 1572 ut palam faceret concordiam Orientis cum Occidente in re sacramentaria († 1598). Ejus quoque frater Nicolaus operam suam contulit. — Joannes ab urbe patria dictus Harlemius (Willems) S. J. ejusdem operis censor, qui in chaldaeis, syris et graecis non vulgares fecit progressus multumque Ariam sublevavit, adjecit indicem, qui propter suam utilitatem in vulgatae editiones passim receptus fuit, variasque collegit lectiones in latinis Bibliis et ad textum hebraicum, chaldaicum, graecum at-

ut *Commentarium in XII prophetas minores*[1]), Antwerpiae 1571 in f.; 1582 in 4; *elucidationes in quatuor evangelia et in acta apostolorum*, ib. 1575; *Benjamini tutelensis judaei itinerarium*, ex hebraeo in latinum conversum, in quo res memorabiles, quas ante 400 annos totum fere terrarum orbem notatis itineribus dimensus vel ipse vidit vel ab aliis accepit, breviter describuntur, ib. 1575. Hujus itinerarii Ms. repererat Arias Tridenti. *De optimo imperio* sive in l. Josue commentarius, ib. 1583; *elucidationes in omnia ss. apostolorum scripta et in s. Joannis apocalypsin*, ib. 1588 in 4; *de varia republica* sive commentaria in l. Judicum, ib. 1592; *liber generationis et regenerationis Adam*, sive de historia generis humani operis magni pars prima i. e. anima, ib. 1593. Parabat alias duas partes, quas inscribere volebat: *Corpus* et *vestes*, sed eas non absolvit. *Commentarii in Isaiae proph. sermones*, ib. 1599; *commentarius in 31 priores Davidis psalmos*, ib. 1605; Dictatum christianum sive aureus *de Christi vita ac doctrina* libellus, Antwerpiae 1575. De ejus operibus ita judicat Dupin[2]): „Claruit Montanus non eruditione solum sed et judicio. Ejus in s. Scripturas annotationes sunt doctae et accuratae, stilus nitidus et simplex; scientiae profundae pietatem junxerat solidam ... Negari denique nequit eum unum esse e celebrioribus viris, quos Hispania protulit[1]).“

que syriacum examinavit atque discussit († 1578). — Praeter hos nominandi sunt Guilelmus Canterus Ultrajectensis († 18. Maj. 1575), celeber criticus sed prae nimio studendi ardore brevi consumptus multorum auctorum graecorum et latinorum editione clarus, qui variarum in Bibliis illis lectionum libellum concinavit (qui exstat in apparatu) — Joannes Livinejus, G. Sirletus, Franciscus Lucas Brugensis, de quibus infra. — Franciscus Raphelengius (Ravlenghien) celebris Plantini gener, quem in edendis operibus plurimum juvit, linguarum hebraicae et arabicae in academia ultrajectensi professor († 20. Jul. 1597), suppeditavit varias lectiones et emendationes in chaldaicam bibliorum paraphrasin. Cf. Le Long, Bibliotheca s. c. 1.

[1]) Integrum catalogum cf. ap. Niceron, Mémoires edit. Rambach 22, 142 ss.

[2]) L. c. XVI, 162. Plura de eo cf. in Memorias de la real Academia de la historia, Madrid 1832. t. 7, 1—199.

98. Universam Scripturam notationibus illustravit Emmanuel Sa (Saa) S. J. Lusitanus n. 1530. Is a prima juventute per totam vitam mirabiles in virtute et in literis fecit profectus. In omni disciplinarum genere diligentissime versatus est, incertumque, utrum plus temporis precationi an studiorum commentationi tribueret. Aristotelem publice exposuit in Lusitania aetate tam tener, ut aliqui scholam ingressi, ut fit cognoscendi causa, quoniam ille magistrorum more ultimus venerat, eum ad sedendum in suis subselliis invitarent. Eundem exposuit Gandiae nova in academia et privatim s. Francisco Borgiae, tunc Gandiae duci, ac subinde Romae, ubi in primis collegii romani initiis a. 1557 vaticinia Oseae et 1, 2. p. summae S. Thomae orsus est explicare. Simul etiam concionabatur contra omnem, ut refertur, formam eloquentiae eloquentissimus. Jussus est a Pio V. interesse Bibliorum

[1]) Eruditis displicet, quod celeberrimum Malachiae locum 1, 11. de sacrificio eucharistico non sit interpretatus, sed de sacrificiis gentilium. „Saepe miratus sum, inquit Suarez in 3. p. q. 83. disp. 74. sect. 1, cur Arias Montanus, vir alioquin eruditus et pius, h. l. Malachiae interpretans ad peregrinum et improbabilem sensum deflexerit etc.“ Cf. Possevinus biblioth. sel. l. 2. c. 9, qui in append. ad Apparatum sacrum ita scribit: „Verum tamen corrigenda sunt in eo pleraque tam in commentario ad Isaiam et in commentario ad minores prophetas, quam in elucidationibus in quatuor evangelia et acta apostolorum et in omnia ss. apostolorum scripta et in libro generationis et regenerationis Adam, quae omnia indicavit magister s. palatii in suo indice edito Romae a. 1607“ scil. Fr. Jo. Maria Brasichellensis (Brisighella).

corrigendae editioni. Cum deinde plures annos aliis in Italiae urbibus exegisset, non citra sanctitatis famam emigravit ex hac vita Aronae 30. Dec. 1596. »Omnino vir fuit, inquit bibliotheca Script. S. J., inter illustres nostrae societatis homines eminens, ut vere primitias spiritus habuisse atque ab ipso nostrum omnium parente Ignatio pietatem exsuxisse appareret.« Reliquit doctrinae suae monumenta: *Scholia in 4 Evangelia* ex selectis doctorum sacrorum sententiis collecta . . . addita et quaedam ab auctore, Antwerpiae 1596 et saepius, quae vere auream catenulam possis appellare, ait bibliotheca supra laudata. *Notationes in totam Scripturam s.,* quibus omnia fere loca difficilia brevissime explicantur, Antwerpiae 1608 et saepius alibi, etiam in Biblia magna Haji receptae 1643, 1660. Eas tironibus iisque, quibus perfunctorium tantum s. Scripturae studium permittitur, utilissimas dicit Calmet[1]). Ita etiam Simon, Dupin, André et Feller[2]) judicant. Et revera brevissimae sunt et quandoque auctor verbo obscuriori nonnisi clarius substituit verbum. Utilissimi quoque sunt ejus *aphorismi confessariorum* ex doctorum sententiis collecti, fructus studii 40 annorum: quam utilitatem testantur innumerae editiones; earum ultra triginta, quae prodierunt spatio triginta annorum, recenset Backer[1]). Fatendum tamen est priores editiones fuisse prohibitas, »nisi fuerint ex correctis juxta ed. romanam a. 1602 (decr. 7. Aug. 1603).« Nulla tamen correcta prodierat a. 1602, prima correcta prodiit a. 1608. M. Brasichellensis nimio zelo et libertate eam correxit in ultra centum locis[2]). Ratio prohibitionis praecipua fuit, quod faveret confessioni per epistolam absenti factae. In recentissima Indicis edit. (1900) haec clausula sublata fuit. Editio melior est ea, quam curavit Andreas Victorelli juxta correctum romanum exemplar, qui libellum auxit et illustravit Lugduni 1612 etc. Hujus operis ratione inter auctores *classicos,* qui de moribus scripserunt, referri potest.

99. Quo breviores hujus interpretis notationes in universam Scripturam s., eo prolixiores sunt commentarii seu potius dissertationes Alphonsi Salmeronis S. J. in N. T. Fuit is patria Toletanus, qui dum Parisiis philosophicas et theologicas diligenter excoleret disciplinas, s. Ignatio socium se adjunxit. Maximas deinde ac celeberrimas totius Italiae civitates concionibus ac sacris lectionibus illustravit; plurimas ac laboriosas peregrinationes Dei causa suscepit. In superiorem et inferiorem Germaniam, in Poloniam item et Galliam legatorum pontificiorum comes fuit. In

---

[1]) In biblioth. sacra.

[2]) Simon ita habet Hist. crit. du N. T. ch. 42: „Ceux qui n'aiment point les longs commentaires où il y a bien des choses inutiles, doivent consulter les Scoliastes et entre autres Emmanuel Sa, Francois Luc de Bruges et Jean Mariana. Le premier, qui s'applique entièrement à trouver le sens littéral est exact: mais il n'est pas assez étendu, ni même assez critique.“ Cf. Hist. crit. du N. T. l. 3. c. 11. Feller vero scribit VII, 368: „Ces notes sur la Bible sont courtes et littérales; il y en a un grand nombre, qui dans leur brièveté jettent plus de jour sur le texte sacré et terminent mieux de grandes difficultés, que de longs commentaires.“ Dupin (XVII, 130): De tous les commentaires sur l'Ecriture il n'y en a point de plus court, ni de plus commode ques les Notes de E. Sa . . . qui s'applique entièrement à trouver le sens littéral en peu de mots et d'une manière très-intelligible.“

[1]) Bibliothèque III, 445 s.; Feller ita scribit: „Les confesseurs y trouvent d'excellentes règles, fruits de l'experience, du jugement et de la solide piété de l'auteur. L'ouvrage n'est pas d'abord sorti de sa main tel que nous le voyons, le maître du sacré palais en ayant fait changer ou retrancher un certain nombre de décisions, qui lui paraissaient s'éloigner des opinions communément reçues parmi les théologiens.“

[2]) In suo Indice ll. expurgandorum in studiosorum gratiam confecto, Romae 1607. p. 347—70; cf. Reusch II, 312.

Hibernia etiam nuncii apostolici munere ad solandos catholicos dire ab Henrico VIII. vexatos functus est (1541). Ingolstadium cum b. Petro Canisio et Claudio Jajo missus a Paulo III. rogatu Guilelmi Bavariae ducis, s. Pauli epistolas publice interpretatus est. »Summam is, referunt annales hujus academiae ad a. 1550., quamdiu quidem apud nos fuit cum in legendo tum in disputando laudem obtinuit.« Ibidem legimus, in proverbium abiisse »a Lainetzio splendida christianis auditoribus exhiberi convivia et in iis fercula suaviter condita et bene concisa ac praeparata simul apponi; ab Alphonso autem convivia perquam magnifice ac splendide ornari, eaque non ad cujusvis gustum communem institui, neque sine aliquo labore a quovis degustari posse.« Synodo tridentinae nonnisi 31 annos natus cum Laynio sub Paulo III., item sub Julio III. ac sub Pio IV. sedis apostolicae nomine interfuit, in qua et orationem habuit de s. Joanne evangelista pereruditam (apud Le Plat I, 93-105), et ut pontificis theologus maxima cum eruditionis opinione et audientium admiratione sententiam dixit, adeo ut doctissimus Aegidius Foscarari O. Praed. episcopus mutinensis de ipso ejusque socio dixerit: »Lainez et Salmeron maximo cum splendore de ss. eucharistiae sacramento contra Lutheranos disseruerunt, et revera me felicem duco, quod in haec tempora tam doctorum quam sanctorum patrum inciderim.« Haereticorum erat Salmeron perpetuus hostis, quos disputationibus, lectionibus ac scriptis semper exagitavit ac fregit, catholicae fidei ubique propugnator acerrimus. Postremo cum viribus exhaustus voce non posset, stilo Dei Ecclesiae prodesse non destitit seque totum ad scribendum contulit. Obiit cum fama sanctitatis 13. Febr. 1585 a. aetatis 69. Neapoli, quam civitatem ipse laboribus suis apostolicis ab haeresis contagio purgaverat. Tantae fuit modestiae ut vel a junioribus peteret consilium et juxta Bellarmini, operum suorum censoris, nutum plura corrigeret, quamvis fatente ipso Bellarmino, haud invalidis destitueretur rationibus pro sua tuenda sententia[1]). Ejus *commentarii* t. 16 in 11 v. prodierunt Matriti 1598–1602; Coloniae 1602; 1612–15 (m. 400); hoc vero ordine sunt dispositi: t. 1. inscribitur de prolegomenis (43) in sacrosancta evangelia; 2. de Verbi ante incarnationem gestis fuseque in eo disserit de Joan. 1, 1—18 deque ss. Trinitatis mysterio; 3. complectitur infantiam et pueritiam Christi; 4. historiam Christi usque ad dominicam coenam; 5. sermonem montanum (Matth. 5, 1 ss.); 6. Christi miracula; 7. parabolas; 8. Salvatoris disputationes; 9. sermonem in coena ad apostolos habitum; 10. agit de passione et morte Domini; de resurrectione et ascensione t. 11; t. 12. Ecclesiae nascentis exordia enarrat prolixeque admodum disputat de hac q. »Num potestas spiritualis, quae residet in episcopis, a Christo immediate derivetur ac proinde sit juris divini, aut vero a Christo nonnisi medio pontifice romano et consequenter juris sit ecclesiastici[2])«: quod posterius ipse tuetur; t. 13. in tres dividitur libros, et liber primus tres in partes, quarum prior est isagogica in Pauli epistolas, secunda explicat terminos, quibus passim Paulus in suis utitur epistolis, cujusmodi sunt: *Praescire, praedestinare, eligere, diligere, odio habere, misereri, irasci, vocare, justificare,*

[1]) Plura de eo cf. ap. Tanner Societas Jes. apostolorum imitatrix; Katholik 1863. II, 529 ss.

[2]) Ejus de hoc themate sententiam exhibuit Joannes B. Andries in op. inscripto: A. Salmeronis ... doctrinam *de jurisdictionis episcopalis origine ac ratione*, ex variis ejusdem commentariis conscriptam ad comprobandum conc. vaticani de jurisdictione episcopali oraculum apto ordine disposuit notisque illustravit etc., Moguntiae 1871 in 8. Haec tamen doctrina potius Lainio est tribuenda, ut ostendit Grisar in Jacobi Lainez disput. trid. I, 58* Oeniponte 1886.

credere, operari, concupiscere etc. Tertia de Ecclesiae verae agit notis, quas Lutheranorum et Calvinianorum coetibus non competere ostendit. In reliquis duobus libris difficiliores explicat ep. ad Romanos locos. Ita quoque nonnisi difficiliores locos reliquarum Pauli epistolarum, epistolarum canonicarum et Apocalypsis exponit in tomis 14—16. Hanc explicat de primorum Ecclesiae seculorum visissitudinibus, de praeliis cum synagoga et gentilitate deque illius victoria de utrisque. In fine aliquot auctoris apponuntur epistolae, quibus ad nonnulla sacra interrogata respondit. Si laudanda est in his commentariis profunda eruditio stilique facilitas, commendanda tamen non est nimia prolixitas, hinc factum videtur, quod rarus eorum sit usus[1]).

100. In singulares libros ediderunt commentaria, et quidem (ut Scripturarum ordinem sequamur) in *l. Job*, Didacus de Zuñiga (etiam Stunica, Estunica) O. Erem. S. Aug. Salmanticensis, qui caritatis victima aegrotis pestifera lue infectis inserviens obiit a. 1589. Multiplicem sane humani atque divini juris sacraeque theologiae doctrinam varia linguarum cognitione totiusque fere encyclopaediae notitia clariorem ac locupletiorem reddidit. Sermone usus est latino puriore in commentariis et qualem (ut ipse sibi arrogat conscius suae supellectilis) usurpatum sciebat felicibus Romae temporibus. Praeter opus philosophicum edidit[2]): *Commentaria in l. Job*, quibus triplex eius editio, vulgata latina, hebraea et graeca LXX interpretum, necnon et chaldaea explicantur et inter se conciliantur, et praecepta vitae cum virtute colendae moraliter deducuntur, Toleti 1584; Romae 1591; *in Zachariam prophetam commentaria*, Salmanticae 1577 in f., eodem prorsus tenore scribendi servato; *in omnes sui temporis haereticos sive de vera religione* ll. 3, ib. 1577 in f. — Martinus Alphonsus del Pozo Cordubensis *elucidationes in omnes psalmos Davidis*, Compluti 1587 in f. edidit. — *In cantica canticorum triplicem explanationem*[1]) edidit Salmanticae 1580; 1582; 1589; Venetiis 1604, Ludovicus de Leon (Legionensis) O. S. Aug. patria Bellomontanus n. 1527, sui sodalitii illustre decus et theologus insignis. Hujus commentarius plane egregius est, qui aliorum labores suae aetatis praecellit. Porro ipse adeo in theologia excelluit, ut s. Thomae cathedram Salmanticae concursu facto adversus septem competitores promeruerit; dein s. Scripturam interpretandi munus sibi delatum plausu non minori suscepit, quam fructu et fama gessit. Agentibus inter alios contra ipsum Barth. de Medina et Leone de Castro „in suspicionem, uti idem conqueritur ad Ps. 26[2]), laesae fidei criminose vo-

[1]) Dupin ita de his commentariis judicat: „Salmeron parlait et écrivait facilement, il était même savant et profond, mais il n'a ni la critique ni le discernement qu'il serait à souhaiter. Il est peu méthodique et par trop diffus, et traite des matières de la religion d'une manière trop philosophique."

[2]) Plura de ipso cf. in Revista august. XIV, (1887), 293 ss.

[1]) B. Alphonus de Horozco ejusdem ord. (1500—1591) concionator sanctitate conspicuus, eloquens, fervidus ac vere igneus eundem hunc librum (Burgis 1581 in 4) commentatus est. Plurima alia ejusdem opera ascetica et conciones, quae cf. in Bibl. hisp. n. I, 29 s., prodierunt collecta 1736 t. 7 in f. Decessit vir celebratissimus 19. Sept. 1591 a. aetatis 91. Cf. de eo Thomas Cámara in Vida y escritos del Beato A. de Orozco, Valladolid 1882. Lapsu temporis Beatis est adnumeratus. — Alius ab eo est Joannes H. (Orozco) et Covarrubias Toletanus, theologiae doctor et in ecclesia segoviensi canonicus, episcopus in Sicilia agrigentinus, inde ob lites sibi suscitatas occasione typographiae a se conditae ad ecclesiam translatus accitanam († 23. Jun. 1610), cujus praeter alia exstat *Tratado della verdadera y falsa prophecia*, Segoviae 1588 in 4. (m. 30).

[2]) Prodiit *commentarius* in hunc (unum) Ps. Salmanticae 1580. 1589.

catus fuit, remotusque ab hominum non solum sermone et congressu, sed etiam aspectu, per quinque fere annos in carcere atque in tenebris jacuit.‹ Verum innocens demum inventus famae suae ac docendi partibus restitutus fuit[1]). Qua occasione insigne oblivionis injuriarum specimen dedit. Intermissas enim praelectiones coram multa auditorum frequentia recipiens hoc usus est exordio: ‚Dicebamus hesterna die' etc. Praefuit dein suae provinciae vicarius generalis et praepositus; designatus quoque est qui constitutiones reformati sui ordinis sodalibus conficeret. Multum delectabatur Ludovici granatensis libris spiritualibus, iisque studiose perlectis plus quam in tot annorum scholastica exercitatione imbuisse animum se theologia vera solidaque ipse professus est per epistolam Benedicto Ariae Montano, veteri amico, qui Ludovicum ipsum ab elegantia et virtute dictionis atque eloquentia summopere laudat ajens, Deum optimum christianae facundiae illi vires et facultatem omnem concessisse († 23. Aug. 1591). Celebrior tamen est propter sua in literaturam patriam merita. ›Vulgaris enim sermonis proprietatem cum concinna verborum compositione totiusque orationis structura sic conjunxit, ut inter primores hispanae linguae vindices cum disertissimo quoque ac eloquentissimo de palma contendat[2])etc.‹ Quare a. 1856 ejus ossa digniori illata sunt tumulo ipsique erecta in loco publico statua aerea. Edidit praeterea: *Commentaria in Abdiam prophetam et in epistolam ad Galatas,* Salmanticae 1598; *De utriusque agni typici atque immolationis legitimo tempore*[1]), ib. 1590; *De los Nombres de Christo* ll. III, ib. 1583; 1587; 1595; 1603, de quo Possevinus[2]): ›Verum tamen quae ad ipsum Christum tamquam hominem attinet, Ludov. Leo, augustinianus theologus, lingua hispanica et pereleganti ut sensu erudito ac profundo interpretatus est: postrema tamen, quam ipsi legimus, (scil. tertia a. 1587) editio auctior est, quippe cui tertius fuit liber adjunctus.‹ *El perfecto Praedicador* Exposicion del Ecclesiastes hactenus ineditus prodiit demum in Revista Aug. XIV (1887). Quibus adde commentarium *in l. Job*; *carmina* egregia, erat enim insignis poëta, opuscula ascetica. Opera collecta prodierunt Salmanticae 1891—1895 t. 7; et jam antea Matriti 1804—1816 t. 6 (opera scil. lingua hispana scripta) cura sodalis Ant. Merino. Carmina germanice reddita ediderunt Monasterii 1853 Schlüter et Stork.

101. Nitidis, cultis doctissimisque[3]) commentariis illustravit Hector Pintus O. S. Hier., Lusitanus († 1584), tres prophetas majores: reliquit enim *in Isaiam prophetam commentaria,* Lugduni 1561; 1567 in f.; Antwerpiae 1567; 1572; *in Ezechielem,* ib. 1570; 1582; Salmanticae 1581; Lugduni 1581; 1584; *in divinum vatem Danielem,* Conimbricae 1582; Venetiis 1583; Coloniae 1582; Antwerpiae 1595; partim etiam Jeremiam, scil. ejus *lamentationes,* quibus adjungitur *Prophetia Nahum,* cum explanatione et observationibus ex hebraeo 1574. ›Hunc stilum, addit Nicol. Antonius[4]), secutus semper fuit Hector, ut literalem pri-

[1]) Acta causae prodierunt in Proceso original de la Inquisicion ... hizo al Maestro Fr. L. de Leon in Coleccion de Doc. ined. X. XI, 1—358, Madrid 1847.

[2]) Ita Antonius in Bibl. H. N. 2, 45 s. Cf. Reusch Luis de Leon Bonn 1873, quo in l. notitias reperies etiam de Barth. Medina, Leone de Castro, Pinto, Martinez etc.; José Gonz. de Tejada Vida de Fray L. de Leon, Madrid 1863; Ehrle Katholik 1885. I, 508.

[1]) Contra hunc l. scripsit gallice Gabriel Daniel S. J. (anonyme L. D. P. Q.) *Animadversiones* in systema Ludovici Legionensis theologi hispani de ultimo Christi paschate, a. 1695.

[2]) Bibl. selectae l. 2 c. 27.

[3]) Cf. Mich. a s. Joseph in bibl. crit.

[4]) Bibl. hisp. nova 1, 562.

us libri sensum explicaret, deinde ad finem singulorum capitum ex hebraeo, chaldaeo graecoque annotationes subnecteret.« Opera omnia in V. T. prodierunt Coloniae 1616 t. 5 in 4; Parisiis 1617 t. 3 in f. — *Isaiam* praeterea explanavit Franciscus Forerius (Foreiro) O. Praed. Olissiponensis, natalibus clarus, sed longe clarior literis et eruditione. Cum acutissimi esset ingenii, judicii juxta et acerrimi, Parisium cum aliis mittitur a Joanne III. lusitano rege, studiis ut operam daret. In patriam e Gallia redux c. 1540 mox in scholis sacrisque pulpitis doctrina et facundia magnam sibi comparavit famam, quae et ad aulam usque pervasit, unde et a rege ecclesiastes adscitus fuit. Cum autem a. 1561 ad concilium tridentinum graviores ex omnibus regnis mitterentur theologi, Forerius a Sebastiano rege in primis selectus est, qui suo nomine in eo adesset theologus. Quantum vero in ea synodo illuxerit[1]), produnt ejusdem historici testanturque majoris momenti commissa ipsi negotia, adeo ut cum quaedam occurrissent cum summo pontifice ore ad os communicanda, ad idque homine opus esset fidissimo, haec ipsi a patribus demandata provincia fuerit, quam et ita executus est, ut exspectationi patrum plane responderit et maximam sui fecerit apud Pium IV. existimationem. Habuit et sermonem ad synodi patres (apud Le Plat I, 709-19). Adhibitus quoque fuit cum Leonardo Marino archiepiscopo lancianensi et Aegidio Foscarario[2]) episcopo Mutinensi necnon et Mutio Calini (cf. pag. 103) corrigendis missali et breviario romano et concinnando catechismo ad parochos, et si fides est adhibenda Munoz, synodi patribus adeo perspecta probataque erat Forerii eruditio et solertia, ut sacri concilii textus ipse, quo modo utimur, ab ipso prodierit. Congregationis pro conficiendo ll. prohibitorum indice erat secretarius, et ipsius est ad eundem praefatio († 10. Jan. 1581). Laude dignum est ejus opus[1]): *Isaiae prophetae vetus*

[1]) Cf. Echard II, 262; Pallavicini Hist. conc. trid. l. 18. c. 1, qui ejus orthodoxiam adversus Sarpi tuetur.

[2]) Leonardus Marini (de Marinis) in insula Chios 1509 natus de stirpe penes Genuenses nobili adolescens ordinem ingressus est s. Dominici. Facundus erat orator, suavitate morum et religione conspicuus miraque in agendis dexteritate atque prudentia commendatus. A Julio III datus est Herculi cardinali Gonzagae episcopus auxiliaris et sedis mantuanae administer et in variis adhibitus legationibus, quas prudenter obivit. A Pio IV. designatus est episcopus lancianensis in Aprutio 1560, quae sedes mox in metropolitanam fuit evecta. Interfuit concilio tridentino, in quo magna erat ejus auctoritas. Ipse inter eos fuit, quibus concreditum munus proponendi canones et doctrinae capita de eucharistia deliberationi concilii. Finita synodo rediit in dioecesim, ut exsecutioni mandaret ejusdem decreta, sed a. 1566 sedi suae resignavit. Verum Pius V. ex quiete iterum revocavit ad labores, nam eum constituit episcopum albensem et super XXV episcopatus visitatorem apostolicum († 11. Jun. 1573). Cum duobus sodalibus jussu synodi operam ipse contulit ad concinnandum *catechismum romanum*; contulit et ad revisionem Breviarii et Missalis romani (1570). Cf. Echard II, 228 s. Morgott KL. VIII 859. — Aeg. Foscarari O. Pr. patria erat Bononiensis n. 27. Jan. 1512, vir praecellens, ut in coenotaphio legitur, „religione, praestantia, prudentia ac rerum scientia divinarum tanta, ut in publico tridentino concilio patres in ejus judicio aquiescerent.“ Obiit 23. Dec. 1564. Cf. prolixum ejus elogium apud Echard II, 184 ss.; Tiraboschi VII p. 1 l. 2 c. 1 n. 27. Ceterum et ipse accusatus fuit sub Paulo IV. et in carcerem conjectus, sed innocens repertus, ejusque innocentia postmodum a Pio IV. solemniter declarata fuit. Cf. Schroedl KL. IV, 1636.

[1]) Cf. Reinke, die messian. Weissagungen, Einleit. v. 1. p. 28, ubi Forerii commentarium dicit: „Einen für jene Zeit gelehrten, schätzbaren, ausführlichen, historisch-kritischen“; et de ipso: „Forerius bemüht sich die eigentlichen Bedeutungen der hebräischen Wörter und den Sinn und den Zusammenhang der Gedanken und Sätze mit Fleiß und Einsicht zu erforschen und zu bestimmen. Nicht

et nova ex hebraico versio cum commentario, in quo utriusque ratio redditur, vulgatus interpres a plurimorum calumniis vindicatur, et loci omnes, quibus sana doctrina adversus haereticos atque Judaeos confirmari potest, summo studio ac diligentia explicantur, Venetiis 1563 in f., Antwerpiae 1565. Dignum illud censuerunt londinenses, quod in suis Criticis sacris t. 5. in prophetas 1660 iterum ederent et Migne in suum cursum s. Scripturae reciperet. De eo scribit Sixtus senensis[1]): „Nullum unquam opus in hoc scribendi genere prodiit in lucem, quod aequius possit cornucopiae appellari.“ Ejus commentaria in Job, Prophetas, ll. Salomonis et Evangelia manserunt inedita.

102. Eidem *Isaiae* illustrando studia sua consecravit Leo de Castro, qui Salmanticae ingenium acre et capax insignemque memoriam excoluit literis, et pervigili industria atque labore improbo nocte dieque ad procudendam sibi e sacris literis non vulgarem eruditionis laudem fuit enixus. Quinquaginta et ultra annos eloquentiam docuit juventutem hispanam e primaria hujus professionis cathedra. Nominari vero maxime coepit propter sua cum summis ejus aetatis viris certamina. „Contendit nimirum Leo, scribit Nic. Antonius[2]), hebraicis bibliis utpote vitiatis et una cum introductione punctorum corruptis non eam fidem habendam, quam existimabat doctorum vulgus, veramque potius et indubitatam eorum librorum sententiam in vulgata s. Hieronymi[1]) atque item in graeca LXX seniorum translationibus perquirendam. Super quo cum Benedicto Aria Montano (cf. supra p. 219) . . . contentionis diu funem traxit quasi nimium credulo veritati, ut ipse loquebatur, hebraicae: cui tamquam originali et illibatae una cum translationibus graeca, latina et aliis compertae fidei dari debere locum in editione illa pervicaciter Leo pernegabat. In hoc tamen frustra eum laborasse, nec hebraeorum librorum auctoritatem sic facile convelli posse, virorum excellentium, quos hujus linguae usu atque ejus gentis historiae cognitione praestantes habuit hoc (XVII.) et superius seculum, communis fuit existimatio. At ille eo in omnibus, quae in lucem protulit, collimavit, praecipue in opere illo, cui inscripsit: *Apologeticus pro lectione apostolica et evangelica*, pro vulgata d. Hieronymi[2]), pro translatione LXX virorum, proque omni ecclesiastica lectione contra earum obtrectatores, Salmanticae 1585 in f.[3]). E biblicis libris Isai-

selten sucht er den hebräischen Text nach bloßer Conjectur zu verbessern, er thut dieses aber öfters ohne genügende Gründe.“ Richard Simon Histoire crit. du V. T. l. 3. c. 15: „Il fait voir dans tout son ouvrage, qu'il était exercé dans le style de l'Écriture. Il s'étend, à la vérité, quelquefois sur le sens moral: mais comme il ne s'éloigne guères de son sujet, cela sert à éclaircir davantage le littéral;“ Nic. Antonius ib. I, 426.

[1]) Biblioth. s. IV, 367 ed. Mil. Juxta Rosenmüller Schol. in Is. Lipsiae 1823 p. IX, „Non minore diligentia quam judicio in singularum vocum proprias significationes et integrarum sententiarum sensum et nexum indagavit.“

[2]) L. c. II, 14: cf. etiam Possevinus l. 2. cc. 6. 8.

[1]) Censuit enim s. doctorem non citra s. Spiritus assistentiam suam adornasse versionem, qua adjutus locos corruptos textus originalis secundum primitivum et genuinum sensum reddere potuerit.

[2]) Pro hac quoque stetit Nicolaus Ramos O. Min., theologiae lector, episcopus Portus divitis in America (1591; † 1597), dein archiepiscopus s. Dominici, in *assertione veteris Vulgatae lectionis* juxta decretum sacrosancti conc. tridentini, Salmanticae 1576 in 4., quae doctrinae, eruditionis et elegantiae plenum opus dicitur a N. Antonio II, 155. Pars altera dicitur a Sbaralea prodiisse Pinciae 1577. Verum contra ipsum Jod. Tiletanus scripsit *Admonitionem*.

[3]) Quamvis nonnulla in eo reprehendat Richard Simon (Histoire crit. du V. T. l. 3. ch. 17) tamen non sine laude de illo ita scribit: „L'Apologie que L. Castro . . . a composée pour défendre les anciennes

am et Oseam illustrandos suscepit. Cogitabat ad omnes 12 prophetas minores et ad canticum canticorum, sed ea solum perfecit, nempe: *Commentaria*[1]) *in Isaiam prophetam* ex ss. scriptoribus graecis et latinis confecta adversus aliquot commentaria et interpretationes quasdam ex rabbinorum scriniis compilatas, Salmanticae 1570 in f.; adjunguntur in fine: *Periochae* singulorum cc. Isaiae summam continentes; item: *Concordia evangelica cum Isaia propheta* adductis in medium locis parallelis; item: *Loci 50*, quos juxta LXX interpretum graecorum paraphrasim ex hoc propheta citant apostoli et evangelistae. *Commentaria in Oseam prophetam* ex veterum patrum scriptis, qui prophetas omnes ad Christum referunt; ib. 1586 in f. Decessisse refertur a. 1586.«

103. De *Ezechiele* bene meruit[2]) Hieronymus Prado S. J., patria Biacensis, dioecesis giennensis, vir quidem corpore pusillo, sed animo magno et ingenii excellentia morumque integritate praestans. Sacras literas professus est tum in academia biacensi tum in collegio societatis cordubensi, ubi auditores habuit Joannem Pinedam et Ludovicum de Alcazar (de quibus infra), quorum ille non semel in suis commentariis amantissimi atque doctissimi sui magistri honorificam mentionem facit. Editionem sui operis parans Romam venit, ubi a. 1595 decessit. Illud absolvit (pertigerat enim Prado tantum ad c. 26.) Joan. Baptista Villalpandus[1]) S. J. Cordubensis, in architecturae scientia excellens († 1608), atque sumptibus regiis splendide edidit hoc titulo: Hieronymi Pradi et Joan. Baptistae Villalpandi S. J. *in Ezechielem explanationes* et apparatus urbis ac templi hierosolymitani commentariis et imaginibus illustratus, Romae 1596—1604 t. 3 in f.; t. 1. complectitur Pradi commentaria in 26 priora cc.; t. 2. pars prima Villalpandi explanationes in 13 cc. subsequentia; in parte altera templi eiusque vasorum forma tum commentariis tum aeneis quam plurimis descriptionibus exprimitur; t. 3. urbis ac templi hierosolymitani apparatum continet. Classicum hunc vocat Du Pin[2]), secundum quem hoc opus inter praeclarissima, quae prodiere de Ezechiele, numerari debet. Dorn, auctor protestans, ita scribit[3]): »Fuit uterque theologus pro conditione romanistarum pereruditus et mathematicus excellens, hinc lucem insignem huic prophetae accendere poterant.« De t. 2. vero ita habet: »Cuncta Villalpandus non tantum expressit sed et secundum regulas genuinae archi-

Versions de l'Eglise contre les nouvelles Traductions, peut aussi beaucoup servir aux Théologiens; et elle serait encore plus utile, si l'Auteur ne s'était pas si fortement emporté contre les Rabbins etc.“

1) Doctissima haec vocat Bona in notitia auctorum. „Totus in sensum spiritualem atque universam prophetiam ad J. Christum applicandam intentus, literalem interim et historicum sensum negligit.“ Calmet in Bibl. s. Richard Simon non absque laude hujus commentarii meminit (Histoire crit. de V. T. l. 3. c. 12); carpit tamen, quod nimium aversatus sit rabbinorum recentiorumque interpretum opera.

2) „Der Commentar des Prado S. J. und Villalpandus, ita cl. Wiseman (Zusammenhang zwischen Natur und Offenbarung, Vortr. 10. § 21), über Ezechiel, welcher zu Rom von 1596 bis 1604 erschien, ist noch immer die große Fundgrube, zu der jeder neue Scholiast bei der Erklärung der Schwierigkeiten dieses Buches seine Zuflucht nehmen muß, und wird von den Gelehrtesten aus ihnen anerkannt (cf. Rosenmüller, Ezechielis vaticinia, 1, 32, Lipsiae 1826) als ein Werk, das von manigfacher Gelehrsamkeit angefüllt und für das Studium des Alterthums sehr fruchtbar ist.“

1) Ab hoc distinguendus Caspar Cardillo de V. cujus supra (p. 161) inter theologos polemicos meminimus, et Franciscus Torreblanca de V. nostri ex sorore nepos († 1645), de quo infra.

2) T. XVII. p. 131.

3) Biblioth. theolog. L. 7. c. 11. § 17.

tectonicae exposuit, omnia figuris elegantissime aeri incisis ante oculos demonstravit, ostenditque quantum intersit discriminis inter artem architectonicam Dei[1]) et hominum, quantumque antecellat illa humanam.« Prado reliquit praeterea commentaria in alios quoque s. Scripturae libros. Villalpandus vero edidit *Explanationes ep. b. Pauli ap.* Romae 1598 sub nomine Remigii remensis, cum sint R. antissiodorensis.

104. Plures commentaria ediderunt *in prophetas minores* vel omnes vel singulos. Et in omnes quidem Paulus Palacios[2]) de Salazar Granatensis, quem non minor utique pietatis quam doctrinae fama in Lusitania, ubi fere semper degit, reddidit clarum († 1582). Evulgavit: *In 12 prophetas minores commentaria,* in Portugallia apud Villamviridem 1581 in f.; Coloniae 1583 in 8., quae Michael a s. Joseph sicut et reliqua vocat »docta plane, erudita et gravitate plena.« *Enarrationum in sacrosanctum J. Chr. Evangelium secundum Matthaeum* t. 2, quorum prior selectiores interpretationes plus quam 20 patrum, qui super Matthaeum scripserunt, posterior nova auctoris continet commentaria, Conimbricae 1564; Salmanticae 1571 in f., Antwerpiae 1572 etc.; *in Ecclesiasticum commentaria* in Portugallia apud Villam-viridem 1584 in f., Coloniae 1593. — Alter est Franciscus Ribera (Ribeira) S. J. ex oppido Castellae Villacastin[1]). Vir fuit egregie doctus, ingenio excellenti, judicio acri, tenaci memoria, sanctorum patrum lectione atque observatione instructus, singulari modestia, animi candore, dejectione exactissima vel in rebus minutis obedientia ceterisque religiosis virtutibus instructus[2]). Obedientia efficere sola potuit, ut proferret in lucem publicam, quae privatim elucubraverat, nam quae erat ejus animi submissio suarumque rerum contemptus, haud facile ad id permoveri potuisset. Orationis praesidio, quam diurnis nocturnisque horis usurpabat prolixe, ad s. Scripturae intelligentiam utebatur: addebat etiam crebra jejunia et severiores corporis macerationes, et si quid incidisset implicationis difficultatisque, secedebat per dies aliquot et exercitiis spiritualibus animum ad divinos illapsus parabat. Hinc etiam in suis lucubrationibus nihil est fluxum ac caducum, sed divinae majestatis cultum atque obsequium omnia spectant. S. Scripturam Salmanticae exquisita eruditione cum pari religione conjuncta sexdecim annos est interpretatus: s. Theresiae, cujus vitam conscripsit, a confessionibus fuit. Meritis plenus Salmanticae 1591 naturae debitum persolvit. Edidit: *Commentarii*[3]) *in 12 prophetas*

[1]) Haec advertit Biographie universelle 48, 497: „Villalpande tout rempli des idées magnifiques, qu'il avait puisées dans l'étude de l'architecture grecque et romaine, crut qu'il ne pouvait rien imaginer de trop grand, de trop somptueux pour un temple, dont Dieu était en quelque sorte l'architecte. Aussi lui reprochet-on d'avoir multiplié les cours et les portiques, et d'avoir prodigué sans mesure les pavés de porphyre, les murailles de marbre de Paros, les vases, les candelabres et les tables d'or pur etc.“

[2]) Distingui hic debet a fratre suo Michaele P., de quo egimus p. 143, qui etiam in omnes duodecim prophetas minores commentarios edidit.

[1]) Eodem hoc seculo floruit Antonius de Ribera, qui scripsisse dicitur *Defensionem sacrosanctae synodi tridentinae ll. 5 comprehensam adversus haereticos,* Olisipone 1595.

[2]) Cf. ejus virtutum exempla in vita Balthasar Alvarez, Riberae in novitiatu magistri, a Ludov. de Ponte conscripta c. 31.

[3]) Richard Simon (Hist. critique du V. T. l. 3. c. 12) ita de his scribit: „Ribera Jesuite, qui a fait un commentaire assez étendu sur les douze petits prophêtes, est, ce me semble, plus judicieux que Léon Castro: car il a joint les nouveaux Interprètes aux anciens et aux Pères, et il donne d'ordinaire le sens, qu'il croit le

minores sensum eorundem prophetarum historicum et moralem, saepe etiam allegoricum complectentes, Romae 1590 in 4; Salmanticae 1598; Coloniae 1599; 1600 etc., quorum veluti compendium prodiit Salmanticae 1598 hoc titulo: *Commentarii historici selecti in 12 prophetas minores. In sacram b. Joannis ap. et evangelistae Apocalypsim commentarii,* ib. 1591; Lugduni 1592; 1593 etc. His adjuncti sunt *quinque ll. de templo et de iis, quae ad templum pertinent,* ad multorum locorum tam Apocalypsis quam reliquorum ll. intelligentiam admodum utiles. *Commentarii in epistolam b. Pauli ad Hebraeos,* Salmanticae 1598. Pervenit in explicatione usque ad Hebr. 13, 5. Quidam sodalium ex aliis ejusdem scriptis pauca, quae deerant, supplevit. „Ultimam hic quasi cycnaeam vocem edidit", ait de illis Cornelius a Lapide[1]). *In sacrum J. Chr. Evangelium sec. Joan.,* Lugduni 1623; Coloniae 1623 in 4. Hujus viri axioma erat, in omnibus disciplinis adhibendos esse magistros multorum annorum usu contritos ac perpolitos: plus enim una praeceptoris veterani ac perfecti schola profici quam plurimis aliorum. Magnis ceterum laudibus noster ab eruditis effertur. „Optimi judicii est interpres, inquit Michael a s. Joseph[1]), et literalis sensus indagator studiosissimus. Fama est a d. Theresia . . . auditum esse Christum dicentem de Ribera: Hic est, qui germano sensu meas Scripturas ea veritate explicat, quam ipse infundo. Veritatem dico, non mentior, fere a pueritia Riberae commentarios avidissime ac jucundissime lectitavi et profundum viri optimi judicium, gravitatem, eruditionem ac pietatem ubique spirantis semper miratus sum." Scripsit et *La Vida de la Madre Teresà de Jesus,* Salamanca 1590. Erat ipse huic sanctae virgini a confessionibus. Ea versa fuit varias in linguas. — Tertius fuit Petrus Figueiro Lusitanus, regularis canonicus in monasterio regio et inclyto s. Crucis conimbricensi, hebraica, graeca et aliis linguis orientalibus doctissimus, quem alterum nostris temporibus Hieronymum ob eximiam in ss. literis doctrinam atque originalis divinorum fontium notitiae praecellentiam non dubitavit Joannes Suarezius, episcopus conimbricensis doctissimus[2]), appellare († 11. Jan. 1592). Ejus commentaria prodierunt t. 2, quorum prior complectitur *commentarium in 15* (secundum le Long 25) priores *Psalmos, paraphrases in prophetias Jeremiae, commentaria in ejusdem lamentationes, in Malachiam prophetam;* posterior *in 12 prophetas minores commentaria,* Lugduni 1615. — Hieronymus Box[3]) de Guadalupe O. S. Hier. (postea ut videtur O. SS. Trinitatis Red. Capt.) composuit *Commentaria in Hoseam prophetam* christianae philosophiae praeceptis pie accommodata, adjectis observationibus Evangeliorum concionatoribus accommodatis cum parabolis elegantissimis, Caesaraugustae 1581 in

plus littéral. Il s'applique principalement à expliquer le style et les façons de parler des Prophêtes (ita et Reinke Messianische Weissag. allg. Vorbemerkung p. 6). Son grand auteur est s. Jérôme, dont il a lu les ouvrages avec application; et il a donné même des règles pour entendre la manière d'écrire de ce Père, qui paraît être rempli de contradictions." Carpit quidem artis criticae et accuratae cognitionis linguarum graecae et hebraicae defectum, verum Du Pin advertit (17, 131) „On n'est pas obligé de s'en tenir au jugement de M. Simon, et plusieurs habiles gens ont tout une autre estime (i. e. majorem) du Commentaire de Ribera sur les petits Prophêtes." De ejus commentario in evang. s. Joannis et in epistolam ad hebraeos cf. R. Simon Hist. critique du N. T. c. 41.

[1]) In introd. ad epist. ad Hebr. De ejus operibus cf. Backer III, 165 ss. Editionibus plerumque adjuncti sunt utiles indices, inter quos etiam index regularum ad Scripturae intelligentiam.

[1]) Bibliogr. crit. II, 301.
[2]) Ita Bibl. hisp. nova II, 193.
[3]) Ita vocatur a Le Long in Biblioth. s.

f.; Venetiis 1585; cum Petri Matthaei scholiis et illustrationibus, Lugduni 1587; aucta a Gabriele Gyrelo, Brixiae 1604. Praeter *vitam s. Hieronymi* ex ipsius scriptis potissimum contextam, Toleti 1597, edidit quoque *commentaria in sacrum s. Lucae Evangelium* (scil. in priora 6 cc.), Valentiae 1595 in f. — *In Habacuc* edidit *exegemata* (doctis variisque antiquitatum, linguarum et historiarum notis referta, teste Andrea Scoto; elegantia, pia atque erudita secundum Possevinum) Antonius Guevara[1]), Matriti 1585; 1593 in f.; Augustae Vindelicorum 1603; Antwerpiae 1609. Ipsius quoque est *Literalis expositio in 1. c. Gen.*, Augustae 1585 in 4.

105. Ad *novum* transeamus *T.* Primus occurrit Joannes Maldonatus[2]) S. J., qui interpretandi sagacitate et peritia suos superavit aequales atque nostra quoque aetate magna fruitur auctoritate. Natus is est in oppido Casas de la Reyna (vel Beturiae) in provincia Extremadurae a. 1534. Primam aetatem in academia salmanticensi egit doctissimis et celeberrimis praeceptoribus usus, praecipue Dominico Soto et Francisco Toleto. Professus quoque ibi est aliquandiu philosophiam et theologiam et literas graecas, antequam societatem Jesu ingrederetur (1562). Lutetiam missus philosophiam primum (1564) ac deinde (1567) totos decem annos docuit theologiam magna celebritate ingentique auditorum concursu et fructu, ut vox ipsius ex illo celebri theatro per universam Galliam quam latissime exaudiretur, et vix doctus esset quispiam, qui non ad ejus scholam ventitaret, ne ipsi quidem Calvinistae et Calvinistarum ministri ipsius praelectionibus abstinerent. Duabus quotidie tribusve horis ante certatim subsellia implebant, quam ludum ille ingrederetur, ne excluderentur. Saepe in aperto docere coactus est ob multitudinem auditorum, inter quos et s. Franciscum Salesium numerabat. Cum Carolus IX. Hugenottas sibi subjecisset eosque non vi sed veritatis manifestatione ad Ecclesiam vellet reducere, Maldonatus cum sociis novem ad id opus fuit destinatus[1]). Pictavium, illorum asylum, missus, concionibus, colloquiis, mansuetudine praesertim, qua amaritudinem omnem acerbitatemque vitabat, eorum lucratus est quadringentos. Parisios redux variis calumniis appetitus est, haeresis quoque a Sorbona accusatus, quod (contra decretum sess. 36. synodi basileensis) negaret, immaculatam Virginis conceptionem dogma esse fidei; verum auctoritate Petri Gondii parisiensis antistitis (1575) ab omni injuria vindicatus fuit[2]). Mox iterum accusatus fuit, quod negaret purgatorium ultra decennium durare. Ut paucorum aemulationi se subtraheret, Bituricum secessit, totum se ad sacrae Scripturae convertens expositionem. Designatus est 1578 visitator Societatis per Gallias, missus quoque ad eligendum novum ordinis generalem

[1]) Non confundendus cum celebriori Antonio Guevara O. S. Franc., episcopo mindoniensi † 1544, de quo cf. II[3], 1573 s.

[2]) Distingui debet noster ab altero Joanne Maldonato, de quo cf. II[3], 1542, et ab Alphonso M. O. Praed., Josepho M. O. S. Fr. et Petro M. O. S. Aug., de quibus suis locis redibit sermo.

[1]) Calvinistarum conversioni multum semper incubuit. „Joannes Maldonatus, inquit Genebrardus apud Sotwellum in biblioth. Script. S. J., Capellum, Holinum, Loqueum et viginti alios ministros calvinistas primum disserendo, deinde declamitando prostravit: nam in declamationes disputationem commutandam ministri censuerant, quod ejus vim syllogisticam non possent depellere;" additque Launeum et Henricum Pennetericum ministros, qui aderant, fuisse conversos.

[2]) Absolutionis sententia reperiebatur in omnibus editionibus ad a. usque 1615. Cf. de hac controversia Car. du Plessis d'Argentré in collect. judiciorum de novis erroribus etc. II, 443—448.

a sua provincia electionisque negotium ipse moderatus est. Ab Aquaviva novo ordinis praeposito Romae fuit retentus et a Gregorio XIII. designatus, ut operam suam praestaret ad editionem graecam LXX interpretum, quam parabat: sed non diu superstes fuit, mortuus enim inventus est in lectulo 5. Jan. 1583 annos natus tantum 50. Fuit is vir multis a Deo magnisque donis cumulatus, ingenii subtilis, judicii admirabilis, memoriae excellentis, diligentiae incredibilis, indefessi studii, laboris supra corporis vires assidui. Eximiam ejus eruditionem, summam in docendo gravitatem, prudentiam, modestiam, doctarum linguarum peritiam, in concertatoria theologia efficacitatem omnes passim scriptores depraedicant. Cum tanta doctrina et ingenii dotibus non minor conjuncta erat virtus. Magna in cibo potuque parcitas, paupertatis evangelicae rigida observatio, ut qui praeter ceteros nihil haberet retineretve, cum ex uno loco in alium abiret, nisi vestem, quam humeris gestaret, vilem potius quam simplicem, et aliqua lucubrationum suarum adversaria. In summa vir fuit mundoque sibique crucifixus; et ut staret semper in procinctu quietus et securus, paratus ad mortem, eam sibi quinquies quotidie ponebat ob oculos, indagabatque numquid sibi esset in conscientia, quod eum in hora mortis angere posset atque affligere, et si quid reperisset, deponebat.

106. Maldonati opera sunt: *Commentarii in 4 evangelia,* Mussiponti 1596, 1597. Cum morte praeventus extremam huic operi manum imponere non potuisset, munus hoc a P. Claudio Aquaviva injunctum fuit P. Fronto du Duc cum quatuor sociis. Saepissime recusi fuere hi commentarii; recentiori aetate quater Moguntiae cur. Sausen 1840-44 t. 5; cur. Martin 1853; 1862 t. 2 (pluribus omissis); cur. Raich 1874 juxta editionem originalem t. 2; Barcinone 1881—1882 t. 10. Adverti tamen debet, in editiones, quae prodierunt post a. 1607, receptum fuisse textum vulgatae Clementis VIII. auctoritate correctae atque editae, hinc nonnunquam dissonantiam quandam reperiri inter explicationem et textum explicandum[1]).In his commentariis genus dicendi breve est, sed lucidum et perspicuum, elegans, peracutum et ad docendum ac convincendum aptum in primis ac robustum. De eorum praestantia disserere plane est superfluum, cum nemo[2]) sit, qui illam ignoret vel ne-

---

[1]) Cf. Prat, Maldonat et l'université de Paris au XVI. siècle p. 499. Paris 1856; Raich in vita praemissa suae ed.; KL. VIII, 547—551. Ceterum prima editio est rara, et ut ait Calmet in biblioth. s. optima; cur autem haec praeferatur, inquit l. c., faciunt ea, quae in parisiensi et lugdunensi editione addita sunt, vel mutata vel dempta: haec autem omnia exhibet sub oculis in praefatione ad opera doctissimi commentatoris Philippus Du-Bois.

[2]) Hinc Kuhn (Tüb. Qtlschr. 1838. S. 547): „Namentlich muß ich des Maldonat Erwähnung thun, welcher keinem Ausleger seiner Zeit nachsteht und die meisten übertrifft;" et Reusch (Kirchenlex. 6[1], 779): „Über die Vortrefflichkeit dieses Commentars herrscht nur eine Stimme; selbst R. Simon (Histoire crit. des principaux comment. du N. T. c. 42) spricht davon, trotz seiner Abneigung gegen die Jesuiten in den ehrendsten Ausdrücken; wahrscheinlich würde er in mehreren Beziehungen noch vollendeter sein, wenn der Verfasser selbst die letzte Hand hätte daran legen können." Et revera ita R. Simon incipit prolixam suam crisin l. c.: „De tous les Commentateurs dont nous avons parlé jusques à present, il y en a peu qui aient expliqué avec tant de soin et même avec tant de succès le sens littéral des Evangiles que J. Maldonat." Cf. quoque Andres, Dell' origine, progresso e stato attuale d' ogni letteratura t. 6 l. 1. c. 5. et iterum l. 2. c. 3. ubi sic habet: „D' ingegno piu acre e severo, e di piu fina critica ed erudizione (che Toleto) si mostrò il Maldonato, uno degli spositori, che possono servire d'esemplari in questo genere: fornito di perizia nelle lingue antiche, sa meglio intendere il testo, e scegliere il senso più conveniente al medesimo, e più conforme alla

get[1]), verissimumque sit, quod legimus in bibliotheca hispana nova: „Ea perspicuitate, elegantia, soliditate, brevitate munere functus (est) interpretis, ut fere alios omnes ab hujus argumenti replicandi proposito deterruisse videatur.“ *Commentarii in prophetas 4, Jeremiam, Ezechielem* (apud Migne in cursu s. script. XIX, 645—1016), *Baruch et Danielem*, forte a discipulis excepti. Accessit expositio Ps. 109. et epistola de collatione sedanensi cum Calvinistis, Lugduni 1609 in 4; Parisiis 1610 etc.; *Commentarii in praecipuos s. Scripturae ll. V. T.*, ib. 1643, opus dubium, in quo volumine commentarii supra citati in 4 prophetas sunt recogniti, adjecti vero (nunquam antehac editi) *commentarii in Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten, Cantica canticorum, librum Sapientiae, Isaiam.* Fatendum est horum commentariorum pretium multum distare a praestantia illorum, quos in evangelia reliquit. *Disputatio de fide,* Moguntiae 1600 (juxta Sommervogel non exstat); *Disputationum ac controversiarum decisarum* et circa septem Ecclesiae romanae sacramenta inter catholicos praesertim et Calvinistas tum alios hoc tempore agitari solitarum[2]) t. 2, Lugduni (falso, vere Francofurti) 1614, quae editio non est correcta; Bruxellis 1676. Hoc opus Maldonato abjudicat Alegambe, vindicant vero editores (Dubois et Faure), quorum curae debemus ejusdem auctoris *Opera varia theologica* t. 3 in f., Lutetiae Parisiorum 1677, qui complectuntur praeter has disputationes de sacramentis emendatius editas *tractatus theologicos* 1. de libero arbitrio; 2. de gratia; 3. de peccato originali; 4. de providentia; 5. de justitia et justificatione cum *epistolis* (9) et *orationibus* (4) et *de collatione sedanensi. De caeremoniis* tractatus valde laudatus editus est a Zaccaria sua in bibliotheca rituali t. 3. p. 1—210; Traicté *des Anges et demons* gallice editus a Francisco de la Borie, Rotomagi 1615; 1616 in 12, epitome ipsius de angelis praelectionum.

107. In evangelium *secundum Matthaeum commentaria* (in usum concionatorum) scripsit Alphonsus de Avendano[1]) O. Praed. († 11. Oct. 1596) Madriti 1592 v. 2 in f.; quo in op. et sensum literalem explicatum et plures conciones ad populum habitas reperies; commentaria *in Ps. CXVIII,* Salmanticae 1584; Venetiis 1587. — In evangelium *secundum Marcum* ll. XV edidit Joannes a Fonte (de la Fuente) O. S. Franc. Toletanus, Compluti 1582 in f.; 1584, pietate et doctrina commendatos. — *Marcum* et *Lucam* interpretatus est Angelus del Pas O. Min. Perpinianensis, theologus facundissimae et solidissimae doctrinae, egregie versatus in conciliis, sanctis patribus,

verità. Egli non lascia passare alcuna difficoltà, che non l'esamini a fondo: si stende alle volte assai lungamente in materie di controversia, ma le sue dispute istruiscono senza arrivare a nojare.“ Hanc praestantiam testantur et plurimae editiones usque ad nostram aetatem, quas cf. ap. Sommervogel V, 403—412.

[1]) Nisi forte a Casaubono, qui Maldonatum „virulentissimum et maledicentissimum scriptorem“ appellat, in illo opere, quod ipsum, ut ait Petavius in annot. ad Epiph. haer. 51. n. 9, ex virulentis calumniis et haereticis opinionibus contextum adversus baronianos annales effudit.

[2]) In *indice* librorum prohibitorum et expurgandorum *hispano* (Matriti 1667) legimus: „Joanni Maldonato liber falso adscriptus, ementito impressionis loco Lugduno pro Francofurto, impressoris nomine suppresso, cum hac inscriptione: *Disputationum et controversiarum decisarum circa septem sacramenta* prorsus prohibetur.“ In *indice* vero *romano* quondam legebatur: „*Summula* J. Maldonati (Lugduni et Coloniae 1604) cuilibet sacerdoti confessiones poenitentium audienti scitu perutilis. Quae tamen falso J. Maldonato tribuitur.“ Est Martini Codognat, qui illam male compilavit ex Maldonati operibus.

[1]) Alius ab eo est Didacus de Avendano S. J. († 1688), de quo t. seq. erit sermo.

historia ecclesiastica, theologia scholastica. Gregorio XIII., Sixto V., Gregorio XIV. et Clementi VIII. erat carus[1]), et vitae sanctitate virtutumque splendore illustris († 1596). Prodierunt ejus *in Marci evangelium commentaria* Romae 1623 in f.; *in Lucae evangelium*, ib. 1625 t. 2 in f. Praeterea *Expositio symboli apostolorum ll. XIV,* quorum priores novem Romae 1596 in f. impressi sunt, dein ib. 1614 t. 2 in f. ut videtur omnes. De priori tomo, quem solum legerat, Possevinus ita scribit: „Quem perlegisse spero neminem poenitebit, nam stilus elegans et ecclesiasticus, ac cum plurima afferat, non tamen laxus, sed pressus et patrum testimoniis absque legentium taedio dives." Est hoc opus rarum plenissima symboli explanatio atque universam complectitur theologiam circa symbolum velut centrum dispositam. *Enchiridion divinae scholasticaeque theologiae* distributum in duas partes, speculativam et practicam, Genuae 1582. — Casparis de Melo O. S. Aug. Truxiliensis in Extremadura, professoris sacrorum bibliorum in lyceo vallisoletano, *commentaria in s. Matthaeum* prodierunt Vallisoleti 1584 in f.; *in Lucam* 1597 ib. in f.; *in Apocalypsim*, ib 1589 in f.

108. *Joannem* illustrandum sibi selegit Franciscus de Toledo seu Toletus[2]), alterum Hispaniae sidus splendidissimum. Natus est Cordubae 4. Octobris 1532 eadem in domo, ut ferunt, qua s. Zoilus martyr. Philosophiae operam navavit Valentiae ibique lauream in artibus adeptus Salmanticam se contulit, ubi celeberrimum Dominicum Sotum O. Praed. habuit inter ceteros doctorem, qui Toletum propter ingenii excellentiam *prodigium* appellare consuevit. Annos natus 23 publice philosophiam ibidem interpretabatur, magistri jam tum insignibus in theologia ornatus, tanta opinione doctrinae, ut paris aevi nemo tota in Hispania aeque doctus esse crederetur. Societatem Jesu ingressus est a. 1558, atque Romam a s. Francisco Borgia missus in collegio romano (1559) primum quidem artium cursum, ut vocant, sive aristotelicam doctrinam, deinde Thomae theologiam, tum varias et implexas de moribus quaestiones per multos annos magna sapientiae opinione explicavit. A Pio V. a. 1569 accersitus est, ut in sacro palatio concionatoris munus obiret, quod tanta cum laude praestitit, ut per totos 24 annos eo fungeretur[1]). Ita de eo scribit Fridericus Borromaeus[2]): „De hoc (Toleto) fuerit instar compendii, si dicam concionatorem eum assiduum per multos annos fuisse pontifici cardinaliumque senatui, cumque in illa urbe flos virorum ei dicenti adesset, nunquam auditum esse cum taedio." Hujus rationem, si quaeras, hanc reddit „quod in omni foret oratione serius et gravis, idemque varius et cum novo semper argumento;" quod „monita ejus spectarent mores tantum eorum, qui praesentes aderant, communia et

---

[1]) Cf. Nic. Antonium in bibl. hisp. n. I, 91 ss. Joan. a s. Antonio I, 81 ss., penes quos reperies alia ejusdem opera vel ascetica vel inedita. Tanta erat hujus viri fama sanctitatis, ut de ejus virtutibus post mortem examen institueretur, quo posset inter beatos referri.

[2]) Alius ab hoc est ille Fr. Toletus, de quo Eisengrein in catalogo testium veritatis ita scribit; „Philosophus, rhetor atque theologus suae aetatis clarissimus et cum in disputationibus vir magnus, tum in argumentorum ac demonstrationum probationibus argutus atque subtilis, omni doctrina consumatissimus." Fuit hic, ut videtur Pariae in proleg. suae edit. enarrationis in S. Thomam a Toleto conscriptae n. 13, sacrae theologiae professor in ecclesia hispalensi, archidiaconus de Astigia, Pii II. cum Hieronymo Lando archiepiscopo cretensi ad Georgium Bohemiae regem orator et nuncius missus quum ad alias res magni momenti, tum ad haeresim Joannis Husii profligandam.

[1]) Cf. Sacchinius in historia S. J. p. 5 l. 11. n. 8.

[2]) De claris oratoribus.

aliena non attingeret;« quod brevis esset et in ipsa brevitate animi ostenderet candorem, qui veluti persuasionis erat telum. »Ita penetrabat animos Toletus, prosequiter mox clariss. Cardinalis, argumentorum enthymematumque violentia, quibus in illo simplici genere frequenter admodum utebatur, ut vulgo numeraretur inter dicendi artifices et magistros.« Vulgare erat tunc illud dicterium: »Toletus docet, Panigarola delectat, Lupus autem movet[1]),» vel ut habet Joannes a s. Antonio[1]), »Toletus *doctissime*, Lupus *vehementissime,* Panigarola *facundissime*« verbum Dei annunciabat. In Poloniam (1572) et in Germaniam tum superiorem tum inferiorem missus fuit Toletus a sede apostolica propter causas publicas ecclesiasticas, quas omnes feliciter transegit. Inter has autem legationes illa est celebris, quam ex mandato Gregorii XIII. obiit ad academiam lovaniensem, ut hujus pontificis bullam »Provisionis nostrae« adversus Baji errores promulgaret, omnesque ad horum errorum damnationem induceret (1580). Hinc liquet, quanti eum fecerit hic pontifex. Ceterum hoc constat etiam ex variis ejusdem literis. Ita ex gr. scribit 1576 ad Albertum Bavariae ducem: »Omni cum veritate confirmamus, hunc hominem esse illum quidem omnium, qui nunc sunt, sine ulla controversia doctissimum. Nos autem multo majorem ei laudem tribuere intendimus integritatis atque innocentiae quam doctrinae. Utimur autem jam quadriennio hoc concionatore in nostro palatio, eumque audimus ipsi diligentissime. Utimur etiam ejus opera in rebus gravissimis s. poenitentiariae. Nec quidquam gravius incidit, quod ad animarum salutem pertineat, in quo non hujus viri consilium adhibeatur[2]).« Et ad Gerar-

---

[1]) Cf. Jani Nicii Erythraei Pinacoth. 1, 78. Porro Franciscus Panigarola O. Min. Mediolani 1548 natus, insignis sui temporis erat concionator, tantaque dicendi suavitate et venustate pollebat, ut ‚Demosthenes christianus, italus Chrysostomus, Leo vulgaris, concionatorum norma, coetus catholici deliciae, lyra suggesti' diceretur. Praecipuas Italiae cathedras sacras illustravit, multos ad veram reduxit fidem, s. Carolum Borromaeum in suis comitatus est visitationibus eique morienti astitit. Creatus est a. 1586 episcopus christopolitanus et ferrariensis auxiliaris, mox anno sequenti promotus est ad ecclesiam astensem. Obiit 31. Maj. 1594. Scripta ejusdem (conciones, orationes etc.) cf. apud Sbaralea p. 276 ss., intra quae sunt *disceptationes calvinicae*, Mediolani 1594 in 4, quas lingua vulgari coram Sabaudiae duce habuerat Taurini 1582 et ediderat inscriptas *Lettioni sopra dogmi calviniche;* come si confonda la maggior parte della dottrina di G. Calvino, Venetiis 1584, opus rarum; gallice Lugduni 1583. Priorem tomum annalium Baronii in compendium redegit atque italice edidit Romae 1590; Venetiis 1593; *introductio ad lecturam theologiae et praedicationis evangelicae officium* pro religionis seraphicae studentibus tr. polemicus, biblicus, hierorhetoricus, cura Octav. Jadertini recusus, Romae 1693 in 4, forte idem cum l. Il predicadore, Venetiis 1609. Insigne hujus oratoris encomium habes l. 2. operis card. Borromaei supra citati. Cf. praeterea Jeiler KL. IX, 1329—31; Marcellino da Civezza in Storia univ. delli Francesch. VII, 1, Prato 1883, 436—449. — Alphonsus Lupus (Lobo) O. Cap. Hispanus († 1593) alius sui temporis insignis erat sacer orator, qui adeo auditores suos movebat rapiebatque, ut quondam Salmanticae tota quadragesima concionatus non minus quam quingentos ex scholastica illa juventute in portum religionis perculisse referatur. Ejus laudes narrant Nic. Antonius in bibl. hisp. nova I, 313; Borromaeus l. c.; Bern. a Bononia in bibl. Script. O. Cap. p. 16.

[1]) Bibl. franc. 1, 319.

[2]) Quanti aestimaretur hujus viri prudentia liquet etiam ex his Jani Nicii Erythraei verbis (l. c.): „Non tantum concionatoris partes, sed doctoris etiam ac magistri munus et in pontificum aula gerebat; ac tam multae causae ad eum deferebantur, difficiles atque contortae, in quibus theologi opera desiderabatur, ut nulla ipsi pars quietis relinqueretur, nec suo liceret dare operam negotio: quas ille causas singulari doctrina, prudentia ac mirifica illa sua in animi sensibus explicandis perspicuitate ex incertis certas, ex dubiis exploratas, ex implicitis explicatas

dum cardinalem leodiensem 19. Jan. 1580 scribens ait, se mittere „dilectum filium Fr. Toletum, concionatorem nostrum, virum excellenti doctrina, pietate, prudentia praeditum atque omni laude cumulatum.“ Ad ipsum vero Toletum has dedit 16. Nov. 1584 literas: „Tanta est doctrina, prudentia, fides et diligentia tua, quae gravissimis in muneribus longo et intimo usu nobis cognitae sunt ac perspectae, ut tua scripta sicut ceterorum aliorum judicio et examini subjici aequum non sit. Itaque commentaria illa tua in d. Joannem sine alterius cujusquam approbatione aut licentia, quandocunque tibi videbitur, in lucem edendi plenam ac liberam tibi damus facultatem etc.“ Magni eum fecerunt etiam Sixtus V[1]). et Gregorius XIV., qui inter consultores congregationis ad s. biblia vulgatae editionis recognoscenda institutae Toletum quoque elegit[2]); et sub Clemente VIII. maximae fuerunt in hoc opere Toleti partes; textum enim ad calcem usque Apocalypsis percurrendo, omissa supplendo, quaeque dubia remanserant, alterutra lectione selecta firmando, septimo ab electione Clementis mense nondum expleto, rem ad umbilicum adduxerat[3]). Cum vero adversus omnem sollicitudinem et diligentiam nonnulli irrepsissent errores in editionem a. 1593, ita statuit summus Pontifex: „Hanc bibliorum emendationem juxta correctionem a congregatione praestitam imprimendam mandamus, et judicio P. Francisci Toleti e S. J. committimus, eique nostram hac in re auctoritatem impertimur: emendationem vero typographicam Fr. Angeli Rocchensis Augustiniani a Camerino fidelitati et industriae demandamus. Clemens Papa VIII.“ Editio autem a. 1598 omnium censetur maxime emendata[1]).

109. Propter tot Toleti merita Clemens VIII. illum invitum quidem cardinalem dixit primum e societate Jesu. Eo praesertim auctore Henricum IV. gallorum regem cum Ecclesia reconciliavit (1595), quod beneficium Henricus ipse quum deberi Toleto prae ceteris intelligeret[2]), ei demortuo in templo Lutetiae primario regia pompa voluit parentari. Eodem anno summus pontifex Toletum editioni conciliorum generalium vaticanae praefecit, teste Petro Morino ita ad eum scribente: „Gratulatus sum Ecclesiae catholicae sanctaeque apostolicae sedi, cum intellexi SS. Domini nostri esse voluntatem, summam editionis conciliorum penes illustrissimam Amplitudinem Vestram esse etc.“ Licet cardinalis, pauper erat inter divitias, sobrius inter delicias, pulmentis leguminibusque vitam, uti consueverat prius, tolerabat. Sabbato pane et aqua vitam suam definiebat et e Vaticano ad aedem Deiparae in Exquiliis longo itinere pedes itabat, quaecunque tempestas incidisset, ibique sacrum faciebat. Quotannis dies 40, qui assumptae Virginis memoriam praecurrunt, continuatis jejuniis, idque vel in ultima jam aetate transegit. Nondum elapso a promotione anno integro fastidio habens res omnes caducas, atque adeo ipsam purpuram, oblato libello supplice[3]) enixis precibus a Clemente VIII. petiit, ut sibi liceret dignitatem cardinalitiam abdicare et in solitudinem se recipere, ubi exiguo illo, quod

reddebat. Quamobrem ejus nomen factum est ita celebre, ita magnum, ut nulla tam difficilis res, tam ardua, tam consilii egens, in quaestionem deducerent, quae non ejus doctrinae, prudentiae judicioque committenda esse videretur.“

[1]) Sixtus V. ejus opera utebatur in vulgatae editionis correctione. Cf. Ungarelli Hist. vulg. bibl. edit. § 8.

[2]) Vercellone, Variae lectiones, vulgatae bibliorum editionis, Romae 1860 p. L.; Ungarelli l. c. § 16. 21 ss.

[3]) Vercellone l. c. p. LXII, LXX.

[1]) Ungarelli l. c. § 24.

[2]) Cf. Aug. Thou l. 113. suae historiae.

[3]) Cf. hunc insignem libellum supplicem in Katholik 1864 v. 1. p. 411 ss. in annot.

ei supererat, vitae spatio commodius vacaret sibi ac Deo. Sed pontifex re mature per triduum expensa cardinali Dei nomine imperavit, ut amplius de nuncio remittendo dignitati impositae nullatenus cogitaret. Cum idem cardinalis supremo decumberet morbo, Clemens VIII. singulari benevolentiae significatione eum invisit, obortisque lacrymis amplexatus est: vita autem defunctum (14. Sept. 1596) amplissimo funere honestandum curavit. Post tam insignia RR. Pontificum encomia necesse non erit aliorum virorum illustrium affere testimonia[1]), quibus Toleti doctrinam profundam, eruditionem vastam, ingenii subtilitatem, vitaeque sanctitatem commendant. Inter ejus opera eminent philosophica primum, ut *Introductio in dialecticam Aristotelis,* Romae 1561; *commentaria una cum quaestionibus in 3 ll. Aristotelis de anima,* Venetiis 1575, saepissime deinceps recusa[2]); omnia opera philosophica simul Lugduni 1608 t. 4 in 8. Teste Buddeo protestante[3]), magna fuit Toleti eo tempore, quo vixit quove aristotelicoscholastica adhuc regnabat philosophia, tum in theologorum tum in philosophorum scholis auctoritas. Succedunt opera exegetica: *In sacros. Joannis evangelium commentarii,* Romae 1588; Coloniae 1589 etc. »Franciscus Toletus, ait de hoc commentario Cornelius a Lapide[4]), acri judicio sapidus est et pulcher, praesertim in applicandis metaphoris et similitudinibus earumque analogiis v. g. cur Christus vocetur vitis, panis, vita, lux, ostium, pastor; cur Spiritus s. nuncupetur aqua viva, columba, ignis etc.[1]).« *Commentaria in 12 cc. sacros. J. Chr. evangelii secundum Lucam,* Romae 1600 etc.; *commentarii et annotationes in epistolam b. Pauli ap. ad Romanos,* ib. 1602; Lugduni 1603; Venetiis 1603; Coloniae 1603 etc., de quibus ait Corn. a Lapide[2]): »Commentarium plenum et exactum magno judicio edidit card. Toletus, qui Apostoli argumenta et rationes acri indagine rimatur, nectit et stringit. Multas hic habet novas expositiones, easque vestigare et adamare videtur[3]).« Scripsit

[1]) Horum nonnulla reperies in biblioth. script. S. J. Omnes in Toleto laudando Cabassutius excessit affirmans „plura secula virum tanti meriti vix visura esse, nec ullam laudem cardinalis Toleti meritis esse parem."

[2]) Cf. de Toleti operibus Sommervogel VIII, 54—81.

[3]) Isag. in hist. liter. l. 2. c. 4. § 10. p. 707.

[4]) In Praef. com. in Ev. s. Jo.

[1]) De hoc commentario ita scribit Js. Casaubonus (ep. 624 ad P. Fronto de Duc): „Multa Toletus scripta edidit, multos in s. literas eximios commentarios conscripsit, in quibus nullum quod sciam doctrinae hildebrandicae vestigium, nisi forte leviter impressum apparet. Memini cum ante annos 20 et quod excurrit Toleti in Evangelium Joannis commentarii ad Theodori Bezae manus primum pervenissent, qui tum forte eundem evangelistam in publicis lectionibus exponebat, virum illum ut erat doctissimus pariter et doctorum candidissimus aestimator, impense Toleti illud opus mihi in privato colloquio laudasse. Et merito. Nam in ejus scriptis, quae legi, cum excellenti rerum philosophicarum et theologicarum notitia par certat modestia, quae judicio meo tum in alio quovis scriptore, tum in theologo potissimum, laus est vel praecipua etc."

[2]) In praef. com. in ep. ad Rom.

[3]) Censor alioquin rigidus R. Simon (Hist. crit. des princ. commentateurs du N. T. c. 41) ita habet: Le Cardinal „Tolet . . . mérité d'être mis au rang des plus habiles commentateurs du N. T. Il est néanmoins trop étendu et trop fécond en questions, qui l'éloignent quelquefois de son sujet; mais comme la plupart de ces questions éclaircissent l'ancienne Théologie et la doctrine des Pères, elles ne sont point ennuyeuses, surtout a ceux, qui aiment la Théologie. Sa méthode est exacte, parce qu'il a séparé son Commentaire, qui est court, de ses notes, où il traite différentes matières. Il est à propos des les lire, au moins une partie, parce qu'il y a inséré plusieurs choses, qui servent à avoir une connaissance plus exacte du sens littéral, et qu'il est même quelquefois Critique. Ayant été exercé dans la Théologie de l'Ecole qu'il avait enseignée, il est subtil dans ses décisions; et quoi

praeterea *instructionem sacerdotum ac de septem peccatis,* Coloniae 1599; Romae 1601; saepe edita sed aucta, ut cum annotationibus Andreae Victorelli, Venetiis 1604; vel cum *tractatu de ordine* Martini Fornarii S. J., Romae 1608, quae etiam sub titulo: *Summa casuum conscientiae absolutissima,* Duaci 1633 prodiit et saepissime fuit recusa. Tanti eam fecit s. Francisc. Salesius, ut illam suo commendaret clero; in decretis vero synodi mechlinensis a. 1607 legimus[1]): „Confessarii, quibus non hominis sed Dei judicium exercendum est et quidem de animabus pretioso sanguine J. Christi redemptis, lectione eorum librorum, unde necessariam sibi scientiam hauriant, diligentissime vacare merito debent, utpote directorii Polanci, manualis Navarri aut ejus compendii, *Summae Toleti,* enchiridii Binsfeldii et similium.“ Propter hanc summam Toletum inter auctores „qui possunt esse omni exceptione majores“, recenset Lacroix[2]); a Gury dicitur: „Probabilista moderatus doctrina rerum, brevitate, ordine et soliditate praeclarus.“ Reliquit praeterea Toletus plura scripta inedita[3]), e quibus nostra aetate Jos. Paria S. J. edidit: *In Summam theologiae s. Thomae Aquinatis enarratio,* Romae 1869. 1870. t. 4 in 4. Deest tamen enarratio in 1. 2. p. Summae. Tanti hanc fecit, manuscriptam licet, Bellarminus, ut magnam primi voluminis partem non solum descripserit sed annotationibus auxerit vel in epitomen contraxerit.

110. In *epistolam ad Romanos commentaria* ediderunt Raimundus Pasqual O. Praed. Catalanus († 1593), Barcinone 1597, 1611 et Gundisalvus de la Cerda sacerdos alcantarensis Philippo II. a sacris, Olisipone 1583; 1591 in f. — *In b. Judae canonicam epistolam enarrationem* Petrus Martinez de Bree, Toletanus, doctor et professor saguntinus — *In Apocalypsim* Blasius Viegas S. J., qui in academia conimbricensi et eborensi magna cum excellentis ingenii, acris judicii atque exquisitae doctrinae opinione sacras literas explicavit. Tanti ejus commentarius factus est, ut inter 16 annos undecies prodierit, primum Eborae 1601; dein Lugduni 1602; 1606; Venetiis 1602 etc.; valde probatus quoque fuit Franc. Suario. Sensui morali fere ubique inhaeret, hinc factum, ut concionatorum praesertim manibus tereretur. — Mentionem praeterea merent: Marcus de la Camara (de Camera juxta Sbaraglia) O. Min. Complutensis, qui in lucem emisit: *Quaestionarium conciliationis locorum difficilium s. Scripturae,* in quo 600 Scripturae loca exponuntur, Compluti 1587, 1588. — Joannis de Alba O. Carth. est: *Sacrarum semioseon, animadversionum et electorum ex utriusque T. lectione commentarius et centuria,* Valentiae 1610; Venetiis 1631 in 4., quae prodiit quoque inscripta: *Selectae annotationes* in varia utriusque T. loca difficiliora Valentiae 1613; Venetiis 1616; Moguntiae 1675, opus rarum. *Floridus manipulus* divinae Scripturae. Valentiae 1615. — Joannes Ferdinandez S. J. Toletanus, Romae sacrorum voluminum interpres, dein per Belgium et Hispaniam diu strenuus et intrepidus concionator († 9. Mart. 1595), reliquit *divinarum Scripturarum* juxta ss. patrum sententias locupletissimum *thesaurum,* in quo per singulas dictio-

qu'il semble préférer ordinairement la doctrine de s. Augustin à celle des autres Pères, il n'est pas cependant pur Augustinien: car il la modifie d'une certaine manière, qu'il en ôte les expressions, qui pourraient paraître dures.“ Notat tamen commentarium in ep. ad Romanos utpote opus posthumum non esse adeo exactum ut commentarii, quos ipse edidit; hoc non obstante *excellentem* illum judicat.

1) Tit. 5 de sacr. poenitent. c. 5.

2) Theol. Mor. L. 1. q. 26. n. 163.

3) Horum elenchum cf. in proleg. Pariae in enarr. in S. Thomae Summam, n. 12.

nes ordine alphabeti literario parabolae, metaphorae, phrases et difficiliora loca totius s. Scripturae declarantur, cujus tamen tantum volumen primum (A-D) prodiit Methymnae a Campo 1594. — Andreas Azitores O. Cist. philosophus eximius, magno vir ingenio et maturo judicio[1]), scripsit *Theologiam symbolicam,* sive *hieroglyphicam* pro totius Scripturae sacrae juxta primarium et genuinum sensum commentariis aliisque sensibus facile hauriendis, Salmanticae 1597. Ex octo tomis, in quos opus distribuerat, primus tantum prodiit († 1599). — Anno sequenti obiit Josephus de Acosta[2]) S. J. patria Methymnensis, qui inter rerum americanarum scriptores facile excellit. Edidit praeter catechismos et alia: *De Christo revelato ll. IX et de temporibus novissimis ll. IV,* Romae 1590; Lugduni 1592, „opus sane dignum ut Scripturae s. studiosi assidue lectitent[3]); “ propter utilitatem suam saepius recusum; a Tournemine in editionem Menochii, a Migne (ex parte) in cursum s. Scripturae, Parisiis 1840. t. II. p. 699—732 receptum. *De natura novi orbis ll. 2* et de promulgatione Evangelii apud barbaros sive de procuranda Indorum salute ll. VI, Salmanticae 1589; Coloniae 1596. — Nec praetermittendus[4]) est Joannes de Bustamante de la Camara, Complutensis, qui medicinae et philosophiae naturali operam dedit ac *de animalibus s. Scripturae,* Compluti 1595 t. 2 in 4. disseruit: quibus Hierozoikon suum Samuel Bochartus Rothomagensis superstruxit, memor nostri quibusdam in locis praecipue l. 6. posterioris partis c. 4. Secundum Le Long opus prodiit inscriptum: *Historia animalium reptilium quae in s. codice commemorantur.* Recusum fuit Lugduni 1620; 1658.

111. Ad Hispaniam prae ceteris accedit *Italia,* quamvis si exegetarum sive numerum, sive famam spectes, multum ab illa distet. In primis mentione dignus est Guilelmus Sirletus ortus Guardavalle prope Stilum in Calabria a. 1514. Neapolim commigravit graecis, hebraicis latinisque literis operam daturus, atque ita exquisitam trium linguarum intelligentiam est assecutus, ut nihil in eis sciri discique possit accuratius. Sic enim latine, sic graece et hebraice loquebatur, ut in iis linguis natus potius quam edoctus videretur ipsis magistris, quos longe superaverat. Quibus studiis cum mathematicas quoque, philosophicas atque theologicas disciplinas ex ipsis graecorum fontibus haustas conjungeret, brevi tempore in omni scientiarum genere ita perfectus evasit, ut omnium hisce in studiis versatorum princeps passim nec immerito haberetur. Eum Romam delatum amabat card. Cervino (postea pontifex Marcellus II.), qui ejus opera utebatur, cum esset praeses concilii tridentini, ad confirmanda hujus decreta testimoniis veterum[1]). Ejus opera fac-

---

[1]) N. Antonius bibl. hisp. n. 1, 70.

[2]) Distinguendus a Gabriele et Philippo Acosta, de quibus agemus infra.

[3]) Mick. a s. Joseph Bibl. cr. III, 129; Sommervogel I, 31—38.

[4]) Fridericus Furius Ceriolanus (vel Caeriolanus, Ceriol), Valentiae natus Philippi II. familiaris († 1592) scripsit adversus Joannem de Bononia, Siculum, professorem lovaniensem, *Bononia* sive de libris sacris in vernaculam linguam convertendis ll. 2, Basileae 1556; Leyden 1819, qui tamen liber quondam erat in Indice ll. prohibitorum. Cf. Reusch 1, 254. — Bernardinus Sahaguntinus Hispanus reg. obs. in Mexicum profectus totum se impendit addiscendis linguis illius regionis, quas ita perfecte addidicit, ut erectis scholis plurimos erudierit ad fidem capessendam, multosque libros pro illis conscripserit (cf. Jo. a s. Ant. Bibl. franc. I, 214). Recenter vero B. Biondelli ed. *Evangeliarium, epistolarium et lectionarium* aztecum sive mexicanum ex cod. antiquo mexicano nuper reperto cum praefatione, interpretatione, adnotationibus et glossario hujus missionarii (fl. 1529—1590).

[1]) Aliquot (5) epistolas card. Cervini ad Sirletum, qui Romae morabatur, edi-

tus est bibliothecae vaticanae custos. Multum insudavit, ut utile conderet repertorium codicum graecorum illius bibliothecae. Etiam Marcelli successor Paulus IV. Sirletum aestimabat eumque in sacrum senatum referre cogitabat; vicissimque Paulum Sirletus et diligebat ut patrem et reverebatur ut principem ac dominum. Unde non tantum viventi perpetuo aderat atque ab ejus latere vix discedebat, verum etiam morientem nunquam deseruit, sed ad extremum usque spiritum fidelis ei affuit[1]). Pius IV. Sirletum et ipse magno habuit in pretio ejusque fidei ac tutelae nepotem suum, s. Carolum Borromaeum, commisit, ad cujus preces eum cardinalem creavit(1565): maxima enim ejus fuere merita de concilio tridentino, cujus labores, licet Romae degeret, ita promovit, ut Seripandus concilii praeses fateretur, Sirletum plus juvasse, quam id praesules 50 potuissent praestare. Post Pii IV. mortem tam s. Carolus quam Michael Ghislerius (postmodum s. Pius V.) de eo in pontificem eligendo serio egerunt, eaque sola de causa pontificatu excidisse dicitur, quod nonnulli dubitarent, an homo totus libris et literarum studiis immersus parumque rebus regendis exercitatus tantam negotiorum molem periculoso eo tempore sustinere posset. Episcopus primo s. Marci (1556), dein squillacensis (1559) renunciatur; a Pio V. Romam vocatur ob maximam qua pollebat eruditionem sacrarumque literarum eximiam cognitionem, ut cum aliis doctissimis viris missalis, breviarii et catechismi reformationi ad mentem concilii tridentini, correctioni martyrologii[1]), ac demum indici librorum prohibitorum eorumque expurgationi incumberet[2]), ac bibliohecae praeesset vaticanae, quam toto orbe conquisitis exemplaribus praestantissimis, graecis, latinis, hebraicis, arabicis partim editis, partim ms. admodum auxit. Amplum fovit commercium epistolare cum plurimus viris doctis sui aevi. Mira erat ejus in egenos beneficentia, praesertim in adolescentes inopes, quos omnibus modis, ut studiis vacare possent, juvit. Vitam omnibus virtutibus ornatam placido fine conclusit, assistente sibi s. Philippo Nerio, 6. Oct. 1585 anno aetatis 71. Magnis encomiis ab aequalibus celebratur. Marcus Antonius Muretus propter exactissimam librorum omnium cognitionem eum ‚spirans museum‘ appellat, Stanislaus Rescius ‚vivam Christi bibliothecam.‘ Ita vero scribit Stanislaus Hosius: „Vellem ostendi mihi quempiam, qui sit tam reconditae lectionis, qui tam multa viderit tantoque labore legerit, quam Torrensis (de quo infra). Ego certo praeter unum cardinalem Sirletum scio neminem, ad quem velut ad oraculum scientiarum recurrebant omnes, quicunque aliqua difficultate in literis quibuscunque tenebantur etc.“

dit Ehses Röm. Qtlschr. XI (1897), 595—604.

[1]) Hujus pietatis cum laude meminit Pius IV., cum eum sacra purpura exornaret, ita patres alloquens: „Hunc in collegium adlegimus, ut quemadmodum Paulo praedecessori nostro morienti officiosissime adstitit, ita etiam suis precibus nostram adjuvet apud Deum ex hac vita migrationem.“ Quod praesagium ipso eventu comprobatum est decimo post elapso mense, quo Pius IV. recitante Sirleto cardinali animae commendationem, ex hac vita migravit.

[1]) Cf. Baeumer, Breviergeschichte, Freiburg p. 423 ss.; Laemmer de martyrologio rom., Ratisbonae 1878; Ild. Veith OSB. in hist.-pol. Bl. CXVII (1896), 469 ss. Prodiit Martyrologium reformatum 1583 (bis), Venetiis 1583, editiones mendosae; hinc emendatius prodiit Romae 1584; Venetiis 1585. Sed cum nec haec ed. satis accurata esset, negotium hoc commissum est Baronio, ut infra dicemus.

[2]) Operam quoque contulit ad operum s. Ambrosii, s. Hieronymi, et actorum conciliorum oecumenicorum editionem. Cf. Tiraboschi, Storia della letteratura ital. P. VII. l. 2. c. 1. n. 46. De ejus laboribus literariis et in Ecclesiae utilitatem cf. Theol. Qtlschr., Tübingen 1884 p. 451 ss.; 621; 1885 p. 468 ss.; 624 ss.

Alius facete simul et vere dixit, Sirleti somnia eruditiora fuissse, quam essent plerorumque doctorum vigiliae, cum saepe somno correptus graece aut latine de argumento difficili disputare vel ambiguum locum explanare auditus sit[1]). Latinius Masio scribit: „In ea re (in ss. bibliis restituendis) Sirletus cardinalis unus omnium pene instar erit, ut ego sentio, qui viri excellentissimi ingenium, eruditionem memoriamque jam multos annos plane perspectam habeo[2]).“ Dolendum, tam eruditum virum non multa literis consignasse, et horum pleraque mansisse inedita. Ariae Montano transmisit pro suis bibliis polyglottis *annotationes variarum lectionum in Psalmos*[3]), quas et hic edidit in suo apparatu sacrorum bibliorum, Antverpiae 1572. Manuscriptas reliquit lectiones variantes in aliquot alios ll. V. T.

112. Ab hoc sejungendus non est cardinalis Antonius Caraffa Neapoli natus 1538, quem viri eruditi non minoribus efferunt encomiis. Sic dicitur a Ghislerio[4]): „Vitae innocentia, variarum disciplinarum eruditione et graecae linguae sacrarumque rerum peritia maxime insignis atque in ecclesiasticis negotiis indefessus, a quo omnis adhibita est diligentia, ut undequaque Romam ex universo christiano orbe quoad fieri poterat, correctiores adveherentur codices et graecae versionis septuaginta et latinae versionis vulgatae.“ A Pio V. 1568 cardinalis, bibliothecarius apostolicus renunciatus est a Gregorio XIII., cui pontifici auctor fuit instituendi festum cathedrae s. Petri Romae. Sixtus V. ejus eruditionem, fidem ac pietatem admirans, eundem cum aliis cardinalibus paris meriti congregationi ss. bibliorum et eorundem correctioni, necnon concilii tridentini interpretationi, breviarii ac missalis castigationi, regularium ordinum reformationi et Vaticano praefecit. Sancto fine[1]) decessit Romae 12. Jan. 1591. Plura ex graeco in latinum vertit, quo spectat ejus *Catena explicationum veterum patrum in omnia tam V. quam N. T. cantica,* Patavii 1565 in 8; Coloniae 1573; Joan. Cassiani[2]) et Eliae cretensis opera ab innumeris mendis purgavit; Gregorii M. epistolas per locos communes digestas in lucem edidit. Baronius ita in ejus laudes excurrit[3]): „Quis unquam compluribus retro decursis seculis adeo de christianis literis bene meritus reperitur atque Antonius cardinalis Caraffa? cujus industria intermortua editio Septuaginta duorum rediviva inexspectata comparuit[4]) et nostra vulgata plurimo excusso pulvere enitescit; cujus et diligentia oecumenica antiqua concilia tam latine quam graece conscripta jam sunt candori pristino restituta[5]). Sed et ejusdem venerandae memoriae viri industria tres etiam tomi *epistolarum RR. PP.* (ingens plane Ecclesiae romanae the-

[1]) Cf. Eggs, Purpura docta l. 5. § 11; Jos. Schmid KL. XI, 359—362.

[2]) Cf. op. Latinii t. 2. edit. viterb. 1667 p. 134. 140.

[3]) Hinc Arias Montanus multum eum commendat in praef. ad lectorem, inter alia de hisce annotationibus scribens: „Tanta industria et judicio eas collegit, et quas sequi et quas rejicere oporteat, ita docte admonuit, ut merito tanti beneficii immortales gratias amplissimo huic viro habere debeas.“

[4]) Ap. Vezzosi, I Scrittori dei chierici regolari detti Teatini t. 1. p. 12.

[1]) Cf. Eggs, Purpura docta L. 5. § 16.

[2]) Quid praestiterit hic cardinalis enarrat typographus Dominicus Basa in praefatione et dedicatoria editionis operum Cassiani Romae 1588.

[3]) In apparatu ad annales.

[4]) Prodiit Romae 1587, quae editio est rara multumque expetita a viris eruditis, eamque omnium editionum pulcherrimam dicit Richard Simon in catalogo praecipuarum s. Scripturae editionum. Recusa fuit a Jo. Merino 1628. Ceterum de laboribus meritisque hujus cardinalis in hac editione cf. plura in cl. Le Long Biblioth. s. I, 187 ss. et 267 s.

[5]) Prodiit haec *conciliorum collectio* Romae 1608 v. 4 in f. Ceterum magnam partem in hac editione sicut et in editione epistolarum decretalium RR. PP. et ver-

saurus a ruderibus antiquitatis effossus) jam habentur excusi [1]).«

113. Tertius eruditionis fama clarus fuit Flaminius Nobilius Lucensis, latine et graece doctissimus († 1590), qui latinorum tum graecorum bibliorum editioni romanae insudavit, quae prodiit inscripta: *Vetus T. secundum LXX latine redditum* et ex auctoritate Sixti V. P. M. editum cum annotationibus et scholiis (eruditione refertis) studio et cura Flaminii Nobilii cum ipsius praefatione, juvantibus Antonio Agellio, Laelio, Barthol. Valverda et Petro Morino, Romae 1588 in f. (m. 100), de qua versione ita scribit Huetius [2]); »Quamquam italam illam totam ex latinorum patrum scriptis maximo labore collectam consarcinare et renovare studuerit Fl. Nobilius lucensis, unde sacrorum voluminum pure, presse, religiose interpretandorum quivis documentum capere possit; attamen cum pannos illos e patribus undequaque corraserit Nobilius, et non italam unam sed complures alias passim tunc temporis emergentes (versiones) et omnium usui permissas promiscue patres usurparent, imo pro captu suo loca ex tempore saepe converterent vel ab aliis conversa memoriter recitaret, cumque e LXX senum editione κοινῇ profecta sit italica, sixtinae autem, quam puram illam esse Hexaplis intextam eruditi propugnant, Nobiliana consentiat, certissimum est non facilius in Nobiliana italam quam aliam quamlibet reperiri posse.« Non dissimile judicium proferunt Rich. Simon [1]) et Humfr. Hody [2]).

114. Praeter hos cursim saltem nominandi sunt: Evangelista Bosius O. S. Aug. († 1593), cujus sunt *theoremata theologica,* Romae 1571, in quibus diserendi ratio, regulae modusque assequendi Scripturae sensum explicantur [3]). — *De libris canonicis et de sensibus s. Scripturae* disputat Justus Rugerius, protonotarius et secretarius apostolicus, Venetiis 1581 in 4; *de s. Scripturae obscuritate atque ejusdem interpretatione,* Romae 1583 in 4. — Antonius Marinari O. Carm. Apulus († 1570) edidit *concordiam V. et N. T.*, Parisiis 1586, quam Possevinus dicit uberem, eruditam et certe perutilem [4]). Intererat concilio tridentino, in quo habuit orationes quas reperies apud Le Plat I, 23—32; 134—143. — Ascanius Martinengus canonicus reg. lat., Brixiensis († 1600) collegit *glossas magnas* in s. Genesim (seu potius in Hexaemeron), in quibus post diversas editiones, voces phrasesque hebraicas calculatas, interpretationes ac observationes literales et mysticas ex 200 fere patribus depromit Patavii 1597 t. 2 in f., quod opus Calmet prodigiosum vocat [5]). Alia manserunt inedita. — Paulus Sacratus celebris Sadoleti sororis filius reliquit *in principium Geneseos* commentarium, Ferrariae 1589; necnon *in psalmos* 33 priores, ib. 1588. — Angelus de Faggis, communius Sangrinus ab oppido patrio Sangri dictus O. S. Ben. »vir reverendus et

---

sionis LXX habuit Petrus Morinus, de quo alias.

[1]) Editionem absolvit Antonius de Aquino, eaque prodiit Romae 1591 atque complectitur epistolas a Clemente I. usque ad Gregorium VII. Porro A. de Aquino, qui a Baronio dicitur „nobilis planta clarae familiae, memoria s. Thomae clarioris, nobile germen eosdem ex radice deducens et producens fructus probitatis“ cogitavit de adjiciendo auctario, repererat enim nova monumenta, quorum aliqua liberalissime Baronio annalibus inserenda concessit, sed fato praeoccupatus rem infectam reliquit.

[2]) De claris interpret. p. 110.

[1]) Critique du V. T. l. 2. c. 11; Lettres chois. t. 2 p. 51.

[2]) De bibl. textibus orig. p. 343; Le Long c. 4. p. 230 s.

[3]) Quaedam ex iis exhibet Possevinus bibl. selectae l. 2. c. 15.

[4]) Ib. l. 2. c. 17. Cf. Villiers I, 176—80.

[5]) In biblioth. sacra. Cf. plura de eo apud Celsum de Rosinis in lyceo lateranensi illustrium scriptorum s. apostolici ord. cler. can. reg. Salv. lateran.

in omni bonitate et sanctitate redimitus, religione et vita probatus, abbas et restaurator coenobii casinensis († 1593 a. aetatis 93), poëta insignis et admirabilis praeter quamplurima ascetica et poëtica[1]) *Psalmos* mira paraphrasis arte colligavit imitatione Hebraeorum, quae paraphrasis exstat Venetiis 1540; Basileae 1551; Romae 1587 in 4. — Ita Bartholomaeus B o t t a, praepositus papiensis (fl. 1581) auctor est op. inscripti *Davidias* seu psalmi Davidis carmine hexametro et pentametro cum uberrimis commentariis, Ticini 1580; Venetiis 1561. — Hieronymus V i e l m i u s O. Praed. Venetus, vir sua aetate singulari eruditionis laude fuit conspicuus. Eum a. 1554 senatus venetus ob praeclaras dotes ad lecturam theologiae promovit. Sexennium cathedram tenuit tanta sui nominis fama, ut Pius IV. de instauranda Sapientia romana solicitus, eum in Urbem accersiverit, qui sacras ibidem literas interpretaretur (a. 1560). Patavii discipulum habuit s. Carolum Borromaeum, qui Hieronymum affectu singulari prosequebatur et apud pontificem egit, ut argolicensis in Peloponeso crearetur episcopus (1563). Interfuit adhuc synodo tridentinae, factus deinde est patavinae sedis et antistitis in spiritualibus vicarius generalis et auxiliaris, tumque iterum a senatu veneto ad docendi munus resumendum invitatus, s. Scripturae cathedram sibi oblatam accepit (1565) usque dum translatus fuerit (1570) ad ecclesiam aemoniensem († 7. Martii 1582). Edidit inter alia: *De sex diebus conditi orbis,* Venetiis 1575, complectens 30 lectiones in Gen. 1, quas habuit Patavii Scripturarum interpres; *de episcopis,* quos *titulares* appellant, elucubratio, ib. 1580; *de d. Thomae Aquinatis doctrina et scriptis* ll. 2, Patavii 1564; Vindobonae 1763, quod opus admodum commendat Tiraboschi[1]). — Lectiones *de terrestri paradiso* typis dedit Hieronymus Q u a i n u s de Patavio O. S. b. M. V. concionator insignis, s. Scripturae in patrio gymnasio professor († 31. Jan. 1582). — Marcellinus Evangelista G e r b i O. Min. Etruscus ecclesiastes zelo ardens et valde proficuus, quem Romani libenter per 24 annorum cursum audierunt († 1593, secundum Le Long 1597), praeter conciones etc. reliquit *Lezioni sopra il l. dei Giudici,* Venetiis 1598; *sopra Ruth,* Florentiae 1584; *Annotazioni sopra la Storia di Giudit,* Romae 1622; Sermoni 15 *sopra il Salmo 109* fatti agli hebrei di Roma, Florentiae 1583; Lezioni *sopra la Cantica*[2]), ib. 1599; *sopra Abacuc,* ib. 1585; *sopra Giona Profeta,* Bononiae 1579; Camerini 1581; *sopra Daniele,* Venetiis 1588; *sopra l' Apocalissi,* ib in 8. etc. — Hieronymus de P e r t o l e s scripsit *commentaria* in 26 capita priora Ezechielis, Romae 1596. — Angelicus B u o n r i c i u s Venetus can. reg. s. Salv. superior generalis praeter *Dichiarazione* dei sacri Salmi, Venetiis 1584 in 4., reliquit *Le cristiane e devote parafrasi* sopra tutte l' epistole di s. Paolo e le canoniche, ib. 1565; *sopra gl' Evangeli* di s. Matteo e s. Giovani, in Ghirlanda spirituale sub titulo Fiori XII, ib. 1569 in 4. — H i l a r i o n O. S. Ben. congr. casinensis, Genuensis († 1585) edidit commentaria seu animadversiones *in sacrosancta Evangelia,* Brixiae 1567; 1578 t. 2 in 4. — Commentaria locupletissima *in testamentum et passionem D. N. J. Christi* . . . quod alias sermo dominicus et coelestis thesaurus appellatur, reliquit Joannes Maria C a p a l l a O. Praed. Insuber († 1596), etiam sub titulo *Arca salutis humanae,* Venetiis

[1]) Cf. Placidus in suppl. ad opusc. Petri Diac. de viris ill. casin. c. 8 in ed. Fabricii Bibl. eccl. Hamburgi 1718.

[1]) Storia della lett. it. P. 7. l. 1. c. 2. n. 28; Echard II, 264 s.; cf. nova acta erud. lips. 1755 p. 417—24.

[2]) Prosper R o s s e t u s seu Rossinus O. Serv. b. M. V. florentinus pariter scripsit commentaria *in cantica canticorum,* Venetiis 1594 in 4.

1606 in f. — Antonius Scaynus Brixiensis presbyter et theologiae doctor *paraphrasim* concinnavit in omnes s. Pauli epistolas cum annotationibus, Venetiis 1589 in f. — Laurentius Lauretus O. Carm. Venetus, Romae professor, a Gregorio XIV. episcopus Adriae renunciatus († 1599), praeter commentarios in ll. sententiarum scripsit tractatus *in epistolam ad Romanos et ad Galatas.* — De mystica numerorum praesertim in ss. literis significatione disseruit Petrus Bungus canonicus bergomensis, Bergomi 1585 in 4; Parisiis 1618 — *de temporum computatione et divisione*, de vero die passionis dominicae, Veronae 1586, Joannes Paduanus Veronensis — *de origine Hebraeorum eorumque regimine* a creatione mundi ad Christi Domini adventum Philippus Philomusus sacerdos venetus, Venetiis 1588 in 4. — His addimus Marcum Marinum Brixiensem can. reg. Salv. († 1594), qui edidit *Talmud Babylonicum* integrum (ex veterum rabbinorum scriptis et responsis compositum) cum commentariis R. Sal. Jarchi, Maimonidis, R. Ascher, Tossafot juxta mentem concilii tridentini expurgatum, secunda ed. basil. Berolini et Francofurti ad O. 1713—1728 t. 12, opus rarum. Concinnavit et *thesaurum linguae sanctae*, Venetiis 1593, quem Arcam Noe appellavit.

115. Praetermissis e *Gallis* Antonio Birrieto O. Min., cujus *commentaria in quatuor evangelia* Parisiis 1581 prodierunt — Petro Bulliod laico († 1597), regio procuratore Lugduni, cujus sunt *Expositions et remarques sur les Evangiles* tirees des escrits des ss. Peres et des monuments anciens de l' Eglise contre les erreurs modernes Lugduni 1598; ed. 2: *La fleur des explications* anciennes et nouvelles etc., 1628— Petro Bulenger trecensi, in academia pisana professore († 1598), cujus exstat *Ecphrasis in Apocalypsim,* Parisiis 1589, vel *commentarius* locupletissimus in Apocalypsim, ib. 1597 ed. 2. — Natali Taillepied Pontizarensi, Gallo, O. S. Franc. n. c. 1540, doctore parisiensi, qui dein amore strictioris disciplinae transiit ad Capucinos († 1589), cujus citantur[1]) *Collectio quatuor doctorum:* Ambrosii, Hieronymi, Augustini et Gregorii super 30 articulis ab haereticis modernis disputatis, 1574 et 1577 in Jo. Bundern compendio rerum theol.; *Commentarii in Threnos Jeremiae,* Parisiis 1582 ib.; in *Jeremiam* prophetam ib. 1583; *resolutio sententiarum s. Scripturae* ab haereticis modernis, in suarum haereseon fulcimentum perperam adductarum, ib. 1574; *Les Vies de Luther, de Carlostadt, de P. Martyr,* ib. 1577 in 8. Vitam Lutheri iterum edidit Hieronymus Bolsec (de quo cf. infra p. 306 a.) additis vitis Calvini et Bezae sub inscriptione: *Histoire des vies, moeurs, actes et morts* des trois principaux hérétiques de notre temps, Duaci 1616 in 12., opus rarum; *Traité de l'apparition des esprits*, saepius editus ib. 1586; 1602; Bruxellis 1609 etc.; *le thresor de l'Eglise catholique* et de verité contenant l'origine, institution, Parisiis 1586. — Petro Viel Cenomano, doctore parisiensi (1547) archidiacono parisiensi († 1582), cujus est: *Davidis Psalmi* argumentis, orationibus et annotationibus majore multo quam antea et perspicuitate et brevitate illustrati, Parisiis 1576 in 16. — His, inquam, praetermissis majorem nominis celebritatem adeptus est Thomas Beaux-Amis (Bellamicus, Pulcher-Amicus) O. Carmel. Melodunensis n. 1524, doctor parisiensis, concionator in aula Catharinae de Medicis, Caroli IX. et Henrici III., acerrimus Calvinistarum impugnator, qui totam vitam docendo, disputando, scribendo

---

[1]) Cf. Biogr. univ. 44, 402; Feret II, 230—239, qui opera ejusdem historica etiam recenset statuitque: En N. Taillepied le théologien est savant, l'historien respectable.

transegit, etiam a virtutum excellentia commendatus († 1. Maj. 1589). Scripsit *commentaria in evangelicam historiam* sive concordiam ex antiquis Ecclesiae patribus congestam, in quibus quae ad interpretis et ecclesiastae munus faciunt, continentur, Parisiis 1570 v. 2 in f.; 1583 v. 4 in f.; 1590; 1650; Lugduni 1594 t. 2 in 3 v. in f., opus rarum, sed non absolutum. *Promissio carnis et sanguinis Christi* in eucharistia, Parisiis 1582. Reliquit quoque opera polemica [1]), ut *Histoire des sectes* tirées de l'armée sathanique, lesquelles ont oppugné le sainct Sacrement du corps et du sang de J. C. depuis la promesse d'iceluy faicte en Capernaum jusques à present. Et la victoire de la vérité et parole de Dieu contre le mensonge, Parisiis 1570; 1576, opus valde rarum; *de cultu, veneratione, intercessione*, invocatione, meritis, festivitatibus, reliquiis et miraculis sanctorum catholica assertio, ib. 1566; *de fide de symbolo* ll. 4, ib. 1573; 1574 etc. Multae supersunt et *homiliae*, Parisiis 1567 etc.

116. Prae ceteris [2]) tamen eminet Gilbertus Genebrardus O. S. Bened. Sorbonae lumen magnum et Galliarum decus, ut a cl. D'Aguirre salutatur, patria Arvernus, natus Ricomagi 12. Dec. 1535. Cum bonarum literarum amantissimus esset, Lutetiam Parisiorum profectus est, ubi optimis usus est praeceptoribus, ut Adriano Turnebo et Claudio Sanctesio. Adepta a. 1563 s. theologiae laurea linguae hebraicae professor regius et interpres in academia parisiensi renunciari meruit. Sixto V. summo pontifice Romam venit, cujus non minus benevolentiam quam cardinalium, quibus praestans ejus doctrina ex operibus in lucem emissis cognita erat, amorem ac humanitatem expertus est. A Gregorio XIV. invitus creatus fuit archiepiscopus aquensis 1591; sed cum staret a foederatorum parte adversus Henricum IV., cujus in regnum successioni vehementer se opposuit, archiepiscopatu aquensis parlamenti senatus consulto privatus fuit 1596, licet illi se demum subjecisset [1]). In vivis esse desiit 16. Febr. 1597; sepulchro inscripta sunt verba:

Urna capit cineres, nomen non orbe tenetur.

Annos 13 integros horas quatuor super decem in dies studuisse fertur. Catellum etiam aluit, qui ita institutus erat, ut si quando heri oculis inter studendum somnus obrepsisset, eum excitaret. Amicitia junctus erat cum viris illius aevi doctissimis, cum Petro Danesio, Arnaldo Pontaco, Jacobo Billio, Baronio, Valerio, Alano etc. ac vicissim viri doctrina et eruditione praestantes magnis illum encomiis extulerunt [2]). Ita Bulaeus [3]): „Hic annus (1597) Ecclesiae literatorum lucidissimum sidus exstinxit Gilbertum Genebrardum . . . Vir sua fama tam notus, ut commendatione non indigeat, praecipue chronologico opere, Psalmorum recensione, editione veteris litur-

---

[1]) Cf. Bi. univ. 3, 670; Feret II, 372-80.

[2]) Joannes de Fregeville Albigensis, mathematicus et chronographus, hoc tempore librum, qui huc referri poterit, lingua edidit gallica, cui titulus: *Tractatus chronologicus* complectens plurimas observationes circa supputationes antiquas Aegyptiorum, Assyriorum, Medorum ac Persarum historiae sacrae consentaneas cum ejusdem chronologiae apologia, Parisiis 1583 in 4. — Gallice pariter conscriptus est l. Ludovici Demontiosii (Mont-Josieu † 1588): *Hebdomadae Danielis et dies Ezechielis* juxta tempus, in quo nascendus erat Christus, Parisiis 1582 in 4. — Clemens Mercator scripsit adversus haereticos tr. *de adventu et persona antichristi* secundum Scripturam s., Parisiis 1577.

[1]) Subjectionis documentum, quod demum innotuit 1866, cf. in Revue des qq. hist. 1866 I, 616 annot.

[2]) Cf. Ziegelbauer hist. rei lit. O. S. B. t. 3. c. 3. § 43; P. Desvoye Etude hist. sur G. Génébrard in Revue de Marseille 1885 p. 327—335, etiam seorsim.

[3]) In hist. univers. paris. t. 6. p. 936.

giae aliarumque lucubrationum, quas nonnisi ab uno Genebrardo nostra vel postera aetas exspectare debuit.«

117. Plurima reliquit opera[1]), quorum potiora ordine chronologico hic adducemus: *Isagoge rabbinica* ad legenda rabbinorum commentaria, Parisiis 1559; 1563; 1587; *Joël propheta* cum chaldaea paraphrasi et commentariis Salomonis Jarkii, Abrahami Aben-Ezrae et Davidis Kimhi[2]), latine, Parisiis 1563; 1570; *Rabbi Josephi Albonis, Davidis Kimhi et anonymi judaei argumenta contra Christianos* ex hebraeo latine, cum refutatione eorundem argumentorum adversus recens trinitariorum dogma, Parisiis 1566. Daniel Huetius in l. suo de claris interpretibus Genebrardo id laudis tribuit, quod satis feliciter nec minus fideliter rabbinorum opera transtulerit: in eo tamen illius versionem reprehendit, quod neglectis phrasis hebraicae distinctionibus, linguam, quae natura sua brevis et concisa habetur, plus aequo amplificarit. — *De s. Trinitate* ll. 3 contra hujus aevi trinitarios, antitrinitarios et antitheanos, Parisiis 1569; 1585, opus valde rarum; cum responsione ad Jac. Schegkium, ib. 1576; *Symbolum fidei Judaeorum* e R. Mose Aegyptio; precationes eorundem pro defunctis; commemoratio divorum et ritus nuptiarum e l. Mazhor, ib. 1569; *Chronologiae sacrae l.,* Lovanii 1570 in 12; Coloniae 1571; *Trium rabbinorum Salom. Jarkii, Abrah. Ben-Esrae et anonymi commentaria in canticum canticorum* in latinam linguam conversa cum commentariis, Parisiis 1570 in 4; *Seder Olam Zuta* sive Hebraeorum chronicon de mundi ordine et temporibus ab orbe condito usque ad a. Domini 1112; capita R. Mose Ben. Majemon de rebus Christi regis; collectanea Eliae Levitae et R. Jacob Salomonis filii de eodem, quibus summatim explicatur quidquid Judaei de Christo sapiunt[1]), ib. 1572 in 8. Ejusdem chronologia magna, cum priori seu minori ib. 1578. Gallice vertit etiam plura Josephi Flavii opera, Parisiis 1578; 1588; 1604; 1608. — *Origenis Adamantii opera,* ib. 1574; 1604; 1616; Basileae 1620, quae editio judice R. Simone melior est erasmiana tum quia est plenior, tum quia magis critica, tum quia aucta biographia Origenis: nondum tamen omnibus numeris est absoluta. Nititur vero Genebrardus Originem excusare vel tueri adversus tot incusationes illi illatas[2]). *Opuscula* e graecis conversa, nempe liturgia mysteriorum anteconsecratorum e cod. cretensi; liturgia pro dormientibus sive defunctis; officium de angelis et sanctis; canon sive bulla contra haereses praecipuas; Menologium sive kalendarium totius anni; tituli cap. 122 Euchologii; Zacharias et mytilenensis contra aeternitatem mundi a philosophis constitutam e bibliotheca regia; Basilii et Gregorii naz. brevissimus dialogus de invisibili Dei essentia, Parisiis 1575 in f. — *Psalmi Davidis* vulgata edi-

[1]) Horum indicem accuratum cf. ap Niceron Mémoires pour servir à l'Histoire des hommes illustres etc. t. 22. p. 1. ss. et ex eo Ziegelbauer l. c.; Feret II. 342—355.

[2]) Hac occasione mentio fieri poterit Thomae Neli, Angli Glocestrensis, hebraicarum literarum professoris oxoniensis († 1590), qui *breves observationes* in commentarios R. D. Kimhi in Haggaeum, Zacchariam et Malachiam edidit, Parisiis 1557.

[1]) Eodem fere tempore floruit Joannes Quinquarboreus (Cinq-Arbres) Aureliacensis linguae hebraicae et chaldaicae professor parisiensis, vir orationis († 1587), qui paraphrasin chaldaicam *in Threnos et Ruth* transtulit additisque scholiis edidit Parisiis 1549; item Jonathani *Onkelosi commentarios* in Osee, Joelem et Amos latine reddidit ib. 1565.

[2]) Feller biogr. univ. IV, 130 eam dicit estimée même après celle des bénédictins, qui auraient très-bien fait de conserver la dédicace de Génébrard au roi Charles IX.. où il y a d'excellentes choses, et l'apologie de Pamphile pour Origène.

tione, calendario hebraeo, syro, graeco, latino, hymnis, argumentis et commentariis genuinum et primaevum sensum hebraismosve breviter aperientibus instructi, Parisiis 1577; 1582; 1587; 1588, editio auctior et optima, quam postea plures aliae aliis in locis subsecutae sunt. Hic liber magni aestimatur[1]), nam ut ait Possevinus[2]), „Genebrardus Psalmorum literalem sensum est maxime assecutus;" et secundum Calmet[3]): „Genebrardus . . . inter primores in Psalmos scriptores merito habendus . . . Defendit versionem graecam LXX in fautores nimis animatos textus hebraici." — Opus quo sibi nominis celebritatem[4]) conciliavit, inscribitur: *Chronographiae ll. IV.* Priores duo sunt de rebus veteris populi et praecipuis 4000 annorum gestis; posteriores e D. Arnaldi Pontaci vassatensis ep. chronographia aucti recentes historias reliquorum annorum complectuntur. Universae historiae est speculum in Ecclesiae praesertim seculo a mendaciis, maculis, imposturis centuriatorum aliorumque haereticorum detersum: in reliquis contra Judaeos, paganos, Saracenos christianae religionis antiquam veritatem perennitatemque repraesentans. Subjuncti sunt libri Hebraeorum chronologici eodem interprete, Parisiis 1580 in f.; 1585; cum appendice Petri Victorii Palma Cayet, quae usque a. 1600 pertingit, ib. 1600; Lugduni 1609; *Notae chronicae* sive ad chronologiam et historiam universam methodus, ib. 1584 in 8., liber valde utilis secundum Possevinum[1]), quem „qui praelegerit priusquam se divinae historiae interiori studio dedat, sciat se optime operam positurum." — *De sacrarum electionum jure et necessitate* ad ecclesiae gallicanae redintegrationem, ib. 1593 in 12., in quo episcoporum electionem adversus reges clero populoque vindicat. Illud laudat Hallier[2]), igni addixit parlamentum aquense. *Traité de la liturgie* ou sainte Messe selon l'usage et forme des Apôtres et de s. Denys, Lugduni 1597; Parisiis 1592; 1602, opus valde rarum; prius jam prodierat *de eucharistia* necnon tr. *de utraque missa,* Parisiis 1873; *de sibyllis dissertatio,* quae reperitur in Perionii opere: *De vita ss. mulierum V. T.,* ib. 1565. Utebatur Genebrardus latino scribendi genere facili ac tolerabili, sed nonnihil duro ac synonymis et epithetis turgido.

118. E *Belgis* mentione digni sunt[3]): Hieronymus Verlenius (Verle) Silvaducensis, Ultrajecti apud Johannitas ss. literarum professor, canonicus et vicarius generalis harlemensis († 17. Aug. 1586), qui edidit *commentariorum ll. 3 in omnes Psalmos davidicos,* Lovanii 1558 in f. Edidit quoque *epistolas s.*

---

[1]) Feller, ib. de hoc commentario scribit „savant et bien écrit, il doit être mis au premier rang avec ceux de Jansénius de Gand et de Siméon de Muis."

[2]) Bibl. sel. l. 2. c. 18.

[3]) In Biblioth. s. Cf. etiam Richard Simon hist. crit. du V. T. l. 3. c. 12.

[4]) De quo ita Feller l. c. „ouvrage qui peut être lu encore utilement aujourd'hui et où il y a bien des choses remarquables, qu'on chercherait vainement ailleurs." Ac generatim de eo affirmat: „Génebrard était certainement un des hommes les plus savants de son siècle. Ses vertus et surtout la pureté de ses moeurs le firent respecter des personnes les plus illustres. S. François de Sales se glorifiait d'avoir été son disciple."

[1]) Bibl. sel. l. 2. c. 16, ubi etiam praecedentis operis synopsin exhibet.

[2]) De sacris elect. et ordinat. proleg. c. 4. § 22.

[3]) Praetermittimus Jacobum Veld O. S. Aug. Brugensem († 1583), quod ejus opera ut *commentaria et conciones* in Danielem cum chronologia ad intelligenda Jeremiae, Ezechielis et Danielis vaticinia, Antverpiae 1576, concionatoribus tantum juvandis destinata videantur — Joannem Covillonium S. J. Insulensem († 17. Aug. 1581), qui quondam fuit professor ingolstadiensis et theologus in concilio tridentino, cujus sunt: *Affectiones seu conclusiones e priori ep. Pauli ad Corinthios deductae.* Romae 1554.

Ignatii M. graece et latine, Antverpiae 1566; 1588; et *Enchiridion Epicteti*, quod scholiis breviusculis illustravit, 1543. — Joannes Livinejus Teneramundanus Gandavo oriundus, canonicus antwerpiensis († 1599), propterea nominandus, quod in plantiniana, deinde in romana bibliorum graecorum editione hortantibus Sirleto et Caraffa sedulam operam navaverit. Plura quoque patrum graecorum opera latine vertit annotationibusque criticis illustravit. — Joannes Buisson alias Rubi, Hanno, doctor duacenus († 1595), cujus *Historia et Harmonia evangelica* saepius prodiit, ut Duaci 1571; 1575; Romae 1575 etc. — Nicolaus de Leuze scholasticus ad s. Petrum Lovanii et canonicus (1559), ab a. 1590 rector universitatis lovaniensis († 8. Aug. 1598), s. Scripturam ex latino gallice vertit: quae versio (edita primum Lovanii 1550) dicta est lovaniensis.

119. Sacram *geographiam* illustrarunt duo in primis Belgae: Christianus Crucius Adrichomius (Kruick van Adrichem) Delphius n. 14. Febr. 1533, director virginum ad s. Barbaram in patria, qui ob fidem exsul Coloniae decessit 20. Jun. 1585. Innotuit opere, quod ob accurationem aestimatur[1]: *Theatrum terrae sanctae et biblicarum historiarum* cum tabulis geographicis, quod complectitur etiam urbis Hierosolymae descriptionem, collectanea variorum locorum, tabellas chronologicas (ab Adamo usque ad a. 1585) et chronicon utriusque testamenti usque ad a. 109 p. Christum, Coloniae 1590; 1593; 1600; 1628; 1682; 1722 etc. *Jerusalem sicuti tempore Christi floruit* etc., Coloniae 1584; 1588 etc. Parisiis 1869; in varias linguas versum; 1722 etc.; *Vita J. Christi* ex IV Evangelistis breviter contexta, Antverpiae 1578. — Sacram geographiam pariter excoluit,

[1]) Feller VI, 343: „Il était meilleur géographe qu'historien. Sa Géographie sainte est très-estimée. Bonfrérius en a corrigé les cartes.“ Dupin vero XVI, 133: „On n'avait point fait jusqu'à Adrichomius de Géographie sainte si éxacte et si cómplète que la sienne; c'était un chef d'oeuvre en ce temps-là, et quoique l'on ait fait depuis plusieurs découverts, cette partie de son ouvrage est et sera toujours très-bonne et très-utile, aussi bien que sa description de la Ville de Jérusalem. Pour sa chronique elle est beaucoup moins estimable.“ Cf. Röhricht bibl. geogr. Pal. p. 209 ss. — Opus huic affine edidit Michael Aitsinger, Austriacus: *Terra promissionis topographice et historice descripta*, Coloniae 1582 in 8. — Hisce addantur alii scriptores de hoc argumento. Ita Bonifatius de Stephanis Ragusinus O. Min. reg. Obs. episcopus stagniensis in Dalmatia (1562—1584) l. scripsit *de perenni cultu terrae sanctae* et de fructuosa ejus peregrinatione, Venetiis 1573; 1875 in 4. Peregrinationem instituit cum sodali Pantaleone de Aveiro Lusitano, qui et ipse lingua patria elucubravit *Itinerario da Terra Santa* e suas particularidades, Olisipone 1593; 1596; 1600; 1685; 1721; 1732. — Rodericus de Yepes O. S. Hier. Hispanus luci dedit *Tr. y descripcion de la Tierra Santa*, Matriti 1583; italice 1591 in 12. — Petrus de Escobar Cabeza de Vaca O. Equitum Templ. s. Crucis hieros. reliquit *Luzero de la Tierra Santa* y grandezas de Egipto y Monte Sinai agora nuevamente vistas y escriptas, Valladolid 1587; 1594. — Franciscus Guerrero portionarius et choragus cantorum ecclesiae hispalensis († 1599), cujus est *El viage de Hierusalem*, Valentiae 1590; 1593; Hispalis 1592; 1596; Madrid 1801; et saepe alibi. — Joannes Ceverio de Vera 40 a. jam natus ex milite factus est sacerdos, tum Romae haesit Clementis VIII acolythus. Decessit in fama sanctitatis 1600. Ipsius est *Viage della Tierra Santa*, descripcion de Gerusalem y del s. monte Libanon con relacion de cosa maravillosas etc. Romae 1596; Matriti 1597 et alibi. — Joannes Dublinlius O. Min. reg. obs. provinciae Germaniae minister (1579) et definitor concinnavit *hierosolymitanae peregrinationis hodoeporicum* VII dialogorum ll. explicatum, in quo de ratione itineris in Palaestinam, de ss. locis vicinisque provinciis, de gentium illarum religione et moribus aliisque eo pertinentibus accurate disseritur, Coloniae 1599; 1600; Monachii 1661 in 4. Hoc Röhricht in sua Bibl. geogr. Pal. etiam sub nomine Jo. Dovet O. Min. (cf. supra p. 6) adducit.

nominatim vero Abrahami et Pauli ap. peregrinationes plurimum illustravit Abraham Ortelius (Ortel, Wortels) Antverpiensis n. 14. Apr. 1527, geographus celeber[1]), sui temporis ,Ptolomaeus' dictus († 4. Jul. 1598), cujus sunt *peregrinatio* et vita patriarchae Abrahami, Antverpiae; *typus chorographicus peregrinationis d. Pauli,* ib. 1579; *typus chorographicus celebriorum locorum Judae et Israel,* ib. 1586. Alia ejusdem opera ad geographiam universalem spectantia, quibus in primis innotuit, praetermittimus. Ex his tamen et theologis magno esse poterit usui: *Synonymia geographica* sive populorum, regionum, urbium . . . appellationes et nomina (scil. antiqua et recentia), Antverpiae 1578; 1596 ed. 2. inscripta: *Thesaurus geographicus;* emendatus a Moretto Antverpiae 1611; 1624.

120. E *Germanis* memorandus est Petrus Carbo[2]) O. Carthus. metropagitus († 1590), cujus sunt: *De veritate hebraica,* undenam haec ad divinorum librorum intelligentiam atque versionem petenda sit, Pragae 1590 in 8; *Vulgata editio* graeci hebraicique textus, necnon novae ex utroque versionis et variarum annotationum suffragiis a novatorum suggilationibus vindicata et paraphrastica methodo exposita, ib. 1591 in 8; *commentatio in dictum Gen. 3, 15: Ipsa conteret caput tuum,* ib. 1580; Contra viperarum genimina in illud Gen. *Ipsa conteret caput tuum,* Pragae 1590; *de Christo rege, legislatore, sacerdote, Deo.* Ps. II. et CIX. Vulgatae ed. paraphrastica methodo exposita, ib. 1587.

1) A F. Ratzel in allg. d. Biogr. 24, 433 dicitur bonus catholicus, hinc in textum eum recepimus. Wanwermans vero, qui fuse et erudite de eo disserit Biogr. nat. de Belg. XVI, 291—332, scribit: Aujourd'hui encore, il serait très difficile de décidere s'il fut protestant ou s' il resta catholique (p. 295). Gerhardum Mercatorem († 1594) in priori ed. recepimus, sed jam Possevinus in bibl. sel. dolet eum a fide catholica fuisse alienum: quare modo eum omittimus. Cf. Breusing allg. d. Biogr. XXI, 385—396.

2) Alius ab eo, cujus supra fecimus mentionem pag. 156.

121. Ex Anglis mentione dignus est Gregorius Martin Sussexianus, ob fidei avitae amorem exsul (1570) in collegium anglorum Duaci receptus. Ipso hortante etiam celeber Campion pro salute animae suae Oxonio discessit. Duaci studio se dedit theologiae, in qua licentiatus gradum promeruit (11. Jan. 1575). Romam se contulit ut operam suam conferret ad fundandum ibidem Anglorum seminarium (1576): mox tamen ab Allen Rhemos, quo collegium duacenum ob bellicas turbas fuit translatum, revocatus, linguas graecam et hebraicam docuit atque sacras literas est interpretatus. Hortante Allen cum aliis versionem s. Scripturae anglicam aggressus est. Prodiit N. T, Rhemis 1582; V. T. nonnisi 1609. 1610 t. 2, cui adnotationes saepe polemicas et tabulas historicas adjecerunt Bristow et Worthington[1]). Magni pretii est haec versio et admodum fidelis[2]), saepius edita; et tamen, quod sequatur vulgatam nondum emendatam et saepius, non quidem in melius, fuerit correcta, emendatione et retractatione indiga declarata fuit ab Angliae episcopis (1855). Hujus versionis occasione scripsit Martin etiam: *A Discoverie of the Manifold Corruptions of the h. Scriptures* by the Heretikes of our Daies, specially the English Sectaries, Rheims 1582. *A Treatise of Schisme,* Duaci 1578

1) Ad hanc versionem operam etiam suam contulit Henricus Holland Daventriensis († 28. Sept. 1625), cujus exstant aliquot opuscula de eucharistia.

2) Cf. Bellesheim W. Card. Allen Moguntiae 1885. pag. 88 ss.; et Gesch. der k. Kirche in Irl. III, 361; in primis Wiseman in suis diss. quae prodierunt germanice Ratisbonae 1854. t. 1. pag. 65 ss.

in 16; *A Tr. of Christian peregrination*, s. l. 1583; *of the Love of the Soule* with Questions to the Protestants, St. Omer 1603 in 12. Decessit 28. Oct. 1582 magno seminarii anglici et rei catholicae damno. Erat enim vir cultissimus, in s. Scriptura optime versatus. Plura scripta manserunt inedita[1]). — *Thesaurum bibliorum omnium* utriusque vitae antidotum Antverpiae 1577 in 8. etc., saepius editum, collegit Guilelmus Allot propter fidem in carcerem conjectus et in exsilium pulsus († c. 1590).

[1]) Cf. Gillow Biogr. Dictionary of the English Cath. IV, 484—491.

IV. Patrologia.

122. Multi hac epocha operam suam collocarunt in patrum operibus edendis, censendis, illustrandis horumque operum textu emendando. Ita ex *Hispanis* Petrus Chacon (Ciaconus)[1]) Toletanus, „in quo, ut habet epitaphium ei Romae positum, multiplicis doctrinae copia cum vitae ac morum integritate certabat; qui a Gregorio XIII. P. M. ss. patrum libris sacrisque canonibus et sacrosanctis bibliis perpurgandis praepositus[2]), in eo munere obeundo eruditione, judicio, fide ac diligentia praestitit.“ „Erat in illo, ait Schottus[3]), dum vixit, ut summum benemerendi studium, quo aequalium concessit nemini, sic et modestia singularis tantaque honorum contemptio, ut ne laudari quidem se sustineret, aut praedicari ab iis, qui illius essent opera usi, aequo animo auribusque acciperet.“ Plurima eruditorum virorum[4]) collecta reperies elogia in bibl. hisp. nova (II, 180), ex qua haec pauca delibabimus: „Plane in quo eminebat ante alios sibi aequales Ciaconius, genius ille fuit ad veteres scriptores in lineam revocandos atque sanandos veluti datus ei seculo, quod enixius ceteris hoc pensum volvere nunquam destitit: ut jure eum ‚ingenii industriaeque ac conjiciendi arte quadam singulari virum‘ Joannes Grialius, ille qui Isidori opera Matriti cum notis edidit; et ‚ad antiquos scriptores instaurandos bono publico tamquam e coelo delapsum‘ Andreas Schottus in laudatione funebri Antonii Augustini archiep. tarraconensis; et ‚in colligendis veterum e naufragio scriptis accuratissimum et in exponendis eruditissimum‘ Joan. B. Guesnay, dum ad Cassiani lectorem praefatur, existiment. Acu rem tetigit Joan. Nicius Erythraeus: ‚Omnino habebat hoc, inquit, ut in sanandis veterum librorum plagis nemo ipso melius medicinam faceret, adeo ut auctorum eorundem animi, ut somniavit Pythagoras, immigrasse in ipsum suamque eidem de iis rebus, quae erant in quaestione, sententiam quodammodo aperuisse viderentur‘, nempe in sua Pinacotheca prima, quam Ciaconii nostri honestissima instruxit imagine.“ Hac-

[1]) Confundi hic non debet cum Alphonso Ciaconio, de quo alias.

[2]) Ejusdem pontificis auctoritate correctioni Calendarii una cum Christophoro Clavio S. J. diligenter institit.

[3]) In dedicat. Sallustii operum ad Jos. Stephanum. Eodem Schotto teste idem Ciaconius maxime in emendando Gratiani decreto insudabat: „Ingenii etenim ac memoriae summa, qua mirifice excelluit vicitque aequales omnes, felicitate, qui centones atque unde consarcinati essent a Gratiano et quasi stipe viritim collata coaluissent, digitum ad fontes intendendo vere prompteque ostendebat.“

[4]) Ut Baronii, Latinii, Ger. Joan. Vossii, Casauboni, Thuani, Pignorii, quibus alii addi possent, ut Schoenemann in Notit. historico-liter. t. 2. in Cassianum c. 3. et Michael a s. Joseph Bibliographia crit. III, 444.

tenus bibliotheca illa. Romae ad plures abiit 56. aetatis a. 26. Oct. 1581. Reliquit *annotationes* in Arnobii adversus gentes ll. 7, et Minucii Felicis *Octavium*, quibus usus est Fulvius Ursinus in sua editione Romae 1582; in *Joannis Cassiani opera*, quae non adscripto nomine Romae prodierunt 1580, et in plures editiones transierunt magnique aestimantur a Gerardo Joanne Vossio[1]); in *Tertulliani opera conjecturae;* has suis adjunxit Latinus Latinius ac Romae edidit 1584. In *s. Isidori* praesulis hispalensis *etymologiarum ll. 20* notae. Dicere vix potest Joan. Grial, quantum opis hae sibi attulerint in sua scriptorum s. Isidori editione. Illustravit et quosdam scriptores veteres romanos.

123. Innumera patrum opuscula e tenebris eruit Franciscus Turrianus (Torres)[2]) natus 1504 Herrerae palentinae dioecesis, vir omni disciplinarum genere excellens, philosophus et theologus eximius, graecae linguae peritia atque exquisitarum et reconditarum literarum cognitione cum paucis conferendus, curiosus antiquitatis indagator. Celeberrimas enim totius Italiae atque maxime insignes bibliothecas pene omnes pervolutaverat, excusserat et quasi helluo librorum devorarat, praecipue graecorum et vulgo ignotorum auctorum. Interfuit theologus pontificius concilio tridentino et pene jam senex ingressus est societatem Jesu a. 1566, in qua studiis semper deditus diem supremum obiit 1584 die 21. Nov. V. Mariae Praesentationi sacra non sine aliqua ipsius Virginis in Franciscum

[1]) L. 1. hist. pelagianae c. 7. Mich. a s. Joseph. l. c.; „Joan. Cassiani opera ferme ab omnibus tunc neglecta propter errata frequentissima, ita correxit, restituit, emaculavit, ut potius curae ejus debeantur, quam auctoris ingenio ac labori.“

[2]) Confundi hic non debet cum avunculo suo Bartholomaeo Torres, de quo egimus supra p. 3.

benevolentiae significatione. Cum enim Pius V. hoc festum tamquam minus antiquum vellet expunctum, Turrianus illius penes antiquos celebritatem comprobans, ut restitueretur, effecit. Ex plurimis vero libris, quos scripsit vel edidit[1]), nonnullos adducemus: *Dogmaticus de justificatione* ad germanos adversus Lutheranos... *dogmaticus de electione divina,* Romae 1557 in 4; *de summi pontificis supra concilium auctoritate* ll. 3, Florentiae 1551; 1559, quibus adjicitur *de residentia pastorum* jure divino scripto sancita l. (pro quo scripsit postmodum l. Apologeticum adversus Ambr. Catharinum, Venetiis 1562), et *de actis veris VI. synodi* deque canonibus qui ejusdem VI. syn. falso esse feruntur, et de VII. atque multiplici octava l., opus rarum; *de votis monasticis,* Romae 1561; 1566; *de coelibatu et matrimoniis clandestinis,* Venetiis 1563; *dogmatici characteres Verbi Dei* ad catholicos Germaniae adversus novos evangelicos ll. 3, Florentiae 1561; *de hierarchicis ordinationibus ministrorum Ecclesiae catholicae* adversus schismaticas vocationes ministrorum atque superintendentium ex Scripturis s. ad catholicos ll. 2, Dilingae 1569; adversus capita disputationis Lipsiae A. Freyhub *de Ecclesia et ordinationibus ministrorum Ecclesiae,* Coloniae 1574; *adversus capita* disputationis posterioris ejusdem, ib. 1578; *de ss. eucharistia* tractatus duo contra Volanum, Florentiae 1575; Romae 1576; Parisiis 1577, opus magni momenti; epistola *de definitione propria peccati originalis* ex Dionysio Areop. et de conceptione Virginis et Matris Dei sine peccato ex Scriptura angelicae salutationis et testimoniis antiquorum patrum, Ingolstadii 1581; Florentiae 1582; *Defensio locorum s. Scripturae de Ecclesia catholica et ejus pastore* . . . adversus nugatorias cavil-

[1]) Cf. horum catalogum ap. Niceron 29, 129 ss., Sommervogel VIII. 113—26. sub n. 58.

lationes Antonii Sadeelis Lutherani, Coloniae 1580, quod opus alii ll. apologiae vel supplementi instar secuti sunt[1]); *Epistola* ad quendam in Germania theogum *contra ubiquistas, Arianistas,* Ingolstadii 1584. Edidit praeterea *constitutiones ss. apostolorum,* Venetiis 1563, cum prolegomenis, scholiis, annotationibus, explanationibus apologeticis, 80 canonibus concilii nicaeni, responsis Nicolai I. ad consulta bulgarorum etc., Antwerpiae 1578; opuscula quaedam *s. Diadochi* episcopi Photices et *s. Nili,* Florentiae 1570, Antwerpiae 1575; *Joannis Sapientis* cognomento *Cyparissioti,* Romae 1581; *s. Maximi confessoris* contra monotheletas et acephalos opuscula XIII, Ingolstadii 1605; *Theodori Abucarae* varia opuscula XLII contra haereticos, Judaeos et Saracenos, ib 1604; *s. Dionysii alex.* ep. ad Paulum samosat. et ep. ad Basilidem episc., Romae 1606; *Photii* archiep. CP. l. de voluntatibus in Christo in Stevartii l. singulari insigniorum auctorum, Ingolstadii 1616, in quo exstat etiam *Basilii seleuciensis* demonstratio adversus Judaeos de adventu Christi, *s. Maximi M., Theodori* presbyteri rhaithensis, *Serapionis* episc. Thmueos; *Leontii* byzantini, *Anastasii Sinaitae. Anastasii ab., Nicephori archiep. CP., Zachariae* Mytilenensis, *Titi* Bostrensis, *s. Hippolyti, s. Gregorii* Nysseni, *Didymi Alex., s. Joannis Damasceni* etc. opuscula vel orationes, quae in variis patrum collectionibus prodierunt. Verum quidem est nonnullos praeeunte Blondello artis criticae defectum Turriano objicere[2]), quo etiam concesso magna tamen semper erunt ipsius in rem literariam merita. Ceterum nec tantus fuit hic criticae defectus judice ipso Crusio[1]), qui ita censet: „Quam praeceps autem hoc fuerit viri alias doctissimi judicium vel exinde apparet, quod plerique fere auctores isti, quos confictos crediderat Blondellus, nunc in omnium versentur manibus, atque peritissimorum nostrae aetatis comprobentur calculo." — Aliquot opuscula e tenebris eruit[2]) Achilles Statius Lusitanus poëta eximius et philologus. Post longiora itinera Romam se contulit, bibliothecae instructissimae card. Sfortia curam gessit. Pio V. ab epistolis erat latinis. Coelebs vixit ad mortem usque (17. Sept. 1581 vel 1585). Selectissimam sibi paraverat bibliothecam, quam Oratorii patribus legavit, quaeque Baronio in concinnandis annalibus usui erat. Cum in literis classicis esset cultissimus auctores classicos illustravit. Aliquot patrum graecorum *opuscula* latine vertit, Romae 1578; Ferandi carthag. ecclesiae diaconi *opuscula,* Gregorii Baetici eliberitani ep. l. *de Trinitate et fide,* et Pachomii ab. *regulam monachorum* (in app. opp. Cassiani ed. P. Ciaconi Romae 1580). Dictus est ob studendi assiduitatem „librorum venator et helluo."

124. Reliqui sunt Ambrosius Morales Cordubensis (1513—1590), Gundisalvus Marinus Ponce de Leon hispalensis et Joannes Grial vir humaniorum disciplinarum totiusque ecclesiasticae ac secularis historiae peritissimus, quorum primus Castiliae

---

[1]) Cf. Roskoványi II, 420—2, qui eos et responsiones Sadeelis recenset.

[2]) Praesertim propter opus: *Pro canonibus apostolorum et epistolis decretalibus pontificum apostolicorum* adversus magdeburgenses centuriatores *defensio* in 5 ll. digesta, Florentiae 1572, editio valde rara.

[1]) In diss. de Mac. Magnete c. 1 § 2, ubi Turrianum etiam adversus Albertinum tuetur. Andres p. 6. l. 3. c. 2: Sebbene il Turriano non abbia mostrata molto finezza di critica nell' abbracciare indistintamente tanti monumenti, vi ha però sparsa tale erudizione, v' ha toccati tanti punti, v' ha presentate tante nuove viste, che le sue opere sono stato di grand' eccitamento ed instradamento per lo studio critico dell' ecclesiastica giurisprudenza."

[2]) Cf. Bibl. H. N. I, 3 s.

historiographus in historia patria versatus de ea bene meruit[1]) ediditque *opera d. Eulogii Cordubensis martyris* et electi toletani archiepiscopi, cum ejus vita aliisque ss. martyrum cordubensium monumentis scholiis illustratis (in Hispania illustrata 4, 213). Philippi II. auctoritate munitus lustravit monasteria omnia et ecclesias aliquot provinciarum Hispaniae, ut inquireret in monumenta antiqua librosque manuscriptos et hujus itineris literarii rationem reddidit in l. *El santo viage,* qui primum prodiit cur. H. Florez Matriti 1765. — Alter vero fuit pontificius cubicularius, canonicus toletanus et archidiaconus talaverensis, quem Huetius praestantissimis fere interpretibus conferendum censet[2]). Edidit ipse praeter alia[3]): *Theophanis archiep. nicaeni quae exstant opera* ex bibliotheca vaticana graece et latine, Romae 1590 in 8; *Physiologus s. Epiphanii,* Romae 1587; 1601; Antverpiae 1588; *Responsio* ad l. Leonh. Waramundi haeretici calviniani, Romae 1585, qui scil. scripserat pro Gebhardo archiepiscopo coloniensi deposito adversus Gregorium XIII, liber valde rarus. — Tertius denique sub auspiciis Philippi II. inter alios viros doctos incubuit perpurgandis et pro dignitate quam accuratissime edendis ex fide plurium mss. *s. Isidori hispalensis operibus*[4]), quae prodierunt Matriti 1599 v. 2. Nonnullis adjecit notas eruditas: quarum plures eaeque doctissimae (sicut etiam ad concilia Hispaniae editionis Loaisae) debentur Joanni Baptistae Perez († 1597), cujus merita in jus canonicum, praesertim in emendationem decreti Gratiani, pluribus prosequuntur fratres Ballerinii[1]).

125. Inter *Italos* eminet Latinus Latinius Viterbiensis († 1593 a. vitae 80), probatissimus senum et omni literatura instructus, ut dicitur a Justo Lipsio[2]), qui teste Baronio[3]), in mendis illapsis cognoscendis lynceos habebat oculos. Multum ei debent Tertullianus et Cyprianus, quorum opera a tot mendis purgavit, hinc ejus opera usi sunt grati posteriores editores ut Pamelius, Baluzius etc. Annos tredecim impendit in emendando textu decreti Gratiani. Ejus *Bibliothecam sacram* sive observationes, correctiones, conjecturas et varias lectiones in sacros et profanos scriptores edidit Dominicus Magrus Romae 1677 in f.; ejus *epistolae*[4]),

---

[1]) Cf. bibl. hisp. nova 1, 64 ss. Titulus op. historici praecipui est: *Coronica general de Espana,* prosiguiendo adelante los cinco libros que el Maestro Florian Docampo Coronista del Emperador D. Carlos V. dexó escritos, v. 3 in f., Compluti 1574. Laudantur ejus opera hispanice scripta a stilo.

[2]) De claris interpretibus.

[3]) Bibl. hisp. n. 1, 588.

[4]) Cf. de hac ed. F. Arevalo in Isidor. p. I. c. 36. Ceterum operum s. Isidori ed. cogitaverat Alvarus Gomez a loco natali s. Eulaliae in campo toletano Eulalius dictus, graecarum literarum Compluti professor, sed morte interveniente (1580) ab ea typis danda praepeditus fuit. Scripsit *de rebus gestis Fr. Ximenii* Compluti 1569 etc., ut jam supra II[3], 1136 a. diximus.

[1]) De antiquis collectionibus et collectoribus canonum P. 3. c. 4. § 6.

[2]) Centur. 2. miscell. epist. 39.

[3]) In not. Martyr. rom. ad 1. Jul.

[4]) Cf. Tiraboschi p. VII l. 2. c. 4 n. 34: Nelle lettere come negli opuscoli egli tratta ed esamina con molta dottrina parecchi punti di Storia, di antichità, di critica, di disciplina, di erudizione per lo più ecclesiastica; ed ei si mostra uomo in quelle scienze versato al par d'ogni altro. Le stesse lettere fanno testimonianza del vasto carteggio, ch'egli teneva co'piu dotti uomini del suo tempo, come con Jac. Pamelio, con Paolo Manuzio, co'card. Franc. Toledo, Guil. Sirleto, Girol. de la Rovere, Vinc. Laurea, con Marcantonio Mureto, con Girol. Mercuriale, con Andrea Masi, con Camillo Colonna, con Guil. Lindano, con Vinc. Pinelli, con Camillo Paleotti e con più altri; e le lettere da questi scritti al Latinio, che vanno ad esse congiunte, ci provano qual conto essi facessero del parere d'un tanto uomo . . .

conjecturae, observationes sacra profanaque eruditione ornatae ab eodem Magro collectae prodiere jussu card. Brancaccii, Romae 1659 t. 1; Viterbii 1667 t. 2. — Praetermitti vero non debet Felix Perettus Grottamaris in marca anconitana n. 13. Dec. 1513 patre hortulano. Puer novennis ingressus est O. Min. et sagacitate ingenii et studendi ardore adeo profecit, ut ad varias ordinis promotus fuerit dignitates, a Pio V., cui admodum erat acceptus ob reformationis zelum, ad sedem s. Agathae (1566), mox translatus ad firmanam et demum honoratus purpura (1570). Post mortem Gregorii XIII., cui minus erat acceptus, unde quasi a negotiis remotus solis vixit libris, electus est in pontificem († 24. Apr. 1585 voluitque dici Sixtus V. Abstinebimus a narrandis fortissimi hujus pontificis gestis[1]), qui paucis annis magna et stupenda absolvit opera († 27. Aug. 1590). Literarum erat patronus, eruditorum Mecaenas, ad magna natus. Ei debemus ed. *operum s. Ambrosii* Romae 1580—85 v. 5 in f., saepius deinde recusam. Hanc ed. aggressus est hortatu Pii IV. et Pii V., dum Romae in Minorum conventu generalem ordinis ageret. At diversis itinerum aliarumque curarum distractionibus praepeditus illi incumbere non potuit. Factus postea cardinalis intermissum repetiit laborem, sed jam non solus, adscivit enim, ut ipse ait in epist. nuncupatoria ad Gregorium XIII., praeclaros doctores, viros doctrina et pietate graves ac linguarum intelligentia et pietate et historiarum cognitione insignes, praeterea in scholastica theologia et patrum lectione admodum versatos. Juverit de ea audisse judicium editorum posteriorum O. S. Ben. e congr. s. Mauri. »Postquam semel, ita illi inter alia in praef. suae ed., haec eadem editio publici juris facta est, illico neglectis ceteris omnis ad eam transiit auctoritas, ita ut ubique locorum, saltem in quibus viget catholicae religionis professio, typis sola recuderetur .... Dolendum tamen est in eadem hac editione reperiri non pauca, quae non ab haereticis modo, verum etiam ab orthodoxis haud sine causa minus probentur.« Ea in primis sunt, quinquepartita operum divisio non sat concinna, quod tractatus quidam valde dubii receptis ac legitimis quasi indubitati fuerint inserti: »Sed nihil in his omnibus magis offendit, quam quod multa in ipso textu sibi permiserunt ii, quos eidem corrigendo adhibuit em. cardinalis; neque enim istis aliter ab ipso peccatum esse existimamus, nisi quia forte plus aequo eorum diligentiae ac prudentiae credidit. Imo vero neque horum damnandum tanta cum severitate consilium, quippe qui nihil aliud sibi proposuerint, nisi voces quasdam, quae paulo duriores ipsis videbantur, emollire, vel quae obscuriores mutare clarioribus vel denique ad Scripturae seriem auctoris expositiones revocare.« — *Arnobii disputationum adversus gentes ll. 7* Romae 1583 edidit celeberrimus Fulvius Ursinus, canonicus lateranensis (n. 21. Dec. 1530 Romae: † 15. Maj. 1600), qui majorem tamen consecutus est famam ob illustratos auctores profanos.

Dalle stesse lettere noi racogliamo, quanto si adoperasse il Latinio nel confrontare, nel corregere, nell'illustrare gli antichi scrittori e singolarmente Tertulliano, s. Cypriano e Lattanzio. E frutto delle grandi fatiche da esso in ciò fatte è *la bibliotheca sacra ed profana* dal medesimo, stampata in Roma nel 1677, nella quale comprendonsi tutte le note, che il Latinio avea di sua mano aggiunte in margine a moltissimi ss. Padri e altri autori profani nei libri, ch'ei lasciò in dono morendo al Capitolo di Viterbo.

[1]) Cf. praeter alios Tempesti O. Min. Storia della vita e geste di Sisto V., Romae 1755; Ranke die röm. Päpste I[6], 285 ss.; II, 133 ss.; v. Hübner Sixtus der Fünfte, Leipzig 1871 t. 2; Cugnoni Memorie autografe di papa Sisto V., in Archivio della Soc. rom. di Storia patria V (1882) 1 ss.; Capranica Papa Sisto, Storia del sec. XVI., Mediolano t. III; v. Funk KL. XI, 381—384.

Ad illum etiam virorum doctorum coetum pertinuit, qui in editione versionis LXX interpretum desudarunt[1]), de quibus cf. infra n. 216 a.

126. *Belga* natione erat Jacobus Billius (de Billy) O. S. Bened. Guisiae in Picardia natus 1535, qui a. natus 18 philosophiae ac theologiae studium absolverat. Quantum ei inter turbas bellicas licuit, in literas impensissime incubuit, decessitque abbas s. Michaelis in eremo 25. Dec. 1581. Praeter opera ascetica vel poëtica reliquit[2]): *Sacrarum observationum* ll. 2, Parisiis 1585 una cum *epistolis* s. Isidori Pelus. „Qui hasce observationes adhibito judicio legit, scribit Ziegelbauer, Billium inter praecipuos aetatis suae criticos non numerare non potest[3]). Illas vero adornavit, ut christiano lectori facilem ad percurrenda ss. patrum opera complanaret viam, in quibus multae occurrebant salebrae, multi scrupuli, multa errata vel typographorum negligentia vel amanuensium inscitia vel ipsorum interpretum incuria et oscitantia. Illustrandis profanis scriptoribus nullam unquam operam vir pius dignatus est impendere.“ Scriptores, quos illustravit, sunt Ignatius, Irenaeus, Epiphanius, Origenes, Gregorius nazianzenus, Gregorius nyssenus, Chrysostomus, Eusebius, Theodoretus, Evagrius, Damascenus, Nicephorus etc. ejusque in horum opera observationes doctorum commentariorum loco saepe esse possunt. „Optandum esset, inquit Ziegelbauer[4]), ut Jac. Billius plures id genus observationum sacrarum ll. confecisset, sed cum viro modestissimo hoc scribendi genus nonnihil fastus et supercilii subolere, ipseque adeo sibi correctorem, aristarchum et severum censorem agere videretur, manum de tabula sustulit, ac opus, quod alioqui fere in immensum protrahere poterat, intermisit.“ Edidit quoque *s. Gregorii Nazianzeni opera omnia*, quae quidem exstant, una cum Nicetae Seronii commentariis in 16 panegyricas orat., intextis etiam quibusdam Pselli enarrationibus in obscuriora loca II. or. de paschate, omnia latine facta scholiisque ejusdem illustrata, Parisiis in f. 1569. Cum vero prima haec editio numeris omnibus non esset absoluta, alteri eique perfectiori adornandae Billius se accinxit, quam morte praeventus absolvere haud potuit. Ab ipsius obitu Gilbertus Genebrardus et Joan. Chatardus[1]) supremam ei manum imposuerunt, et sub hac epigraphe in lucem publicam emiserunt: *S. Gregorii Naz. opera omnia,* quae exstant, nunc primum propter novam plurimorum librorum accessionem in 2 t. distincta, cum doctissimis graecorum Nicetae Seronii, Pselli, Nonni et Eliae cretensis commentariis, Parisiis 1583 in f. Vertit quoque quaedam ex Irenaei op. (l. 1. c. 1—18) in ed. Fenardentii, de qua infra. *Opuscula* nonnulla edidit Joan. Chrysostomi, *opera* Joannis Damasceni partim latine, partim latine et graece, Parisiis 1577 in f. (non sine auctario recusa 1603; 1612 curante Frontone Ducaeo), et *epistolarum* Isidori Pelusiotae ll. 3, graece et latine ib. 1585 in f., quibus deinde duo alii ll. adjecti fuere. Billii versiones generatim aestimantur, nam juxta Huetium de claris interpr. „verbis paribus sententias apte et fideliter comprehendit; stilo certe

[1]) Alia ejusdem opera cf. ap. Niceron t. 44.

[2]) Cf. horum indicem ap. Ziegelbauer, in hist. rei lit. O. S. Ben. p. 3. c. 3. § 40; Niceron 22, 177 ss. Frater ejusdem Joannes erat O. Carth. (1580) et reliquit ascetica, ita et alter Godefredus episcopus laudanensis (1601—1602).

[3]) „Ouvrage qui met l'auteur au rang des premiers critiques de son siècle.“ Biogr. univers. 4, 495.

[4]) L. c. p. 4. c. 1. sect. 2.

[1]) Hic etiam ejus vitam conscripsit, quae reperitur in Migne P. G. XXXV, 575 ss.

nonnunquam excurrit. Verum ipse se intra metas continuo revocat et coercet.« *Anthologiae sacrae* ex probatissimis utriusque linguae patribus collectae atque octastichis comprehensae ac brevi commentario illustratae ll. 2, Parisiis 1576 in 16; *Anthologiae sacrae* ll. 4, Genevae 1591 in 16. Duo priores ll. complectuntur epigrammata Billii; tertius epigrammata s. Prosperi; et quartus diversos hymnos.

127. Jacobus Pamelius (Jac. de Joigny de Pamele) Brugensis (1536—1587) n. parentibus alta in dignitate constitutis magistros habuit in theologia Ruardum Tapper et Jodocum Ravesteyn. Absoluto Lovanii theologiae curriculo alias quoque invisit academias, in primis et parisiensem et patavinam, discendi seque excolendi desiderio incensus, et Lovanium redux doctoratus lauream promeruit. Diligens erat Flandriae archidiaconus et vicarius generalis: moritur vero, cum electus esset episcopus audomaropolitanus. Insignem sibi collegerat bibliothecam codicibus veteribus instructam, qua etiam in rei literariae commodum est optime usus. Admodum erat beneficus in exsules et literarum studiosos. Edidit: *Micrologus* de ecclesiasticis observationibus, opusculum ante a. prope 500 conscriptum etc. (cf. I, 1037) nunc primum integrum in lucem editum, Antverpiae 1565; etiam in Hittorpii collectione 1568; in Biblioth. PP. max. XVIII, 469; Migne P. L. CLI, 973 ss. Hujus op. Suitb. Baeumer 1891 duo reperit adhuc capita ediditque. — Cassiodori *institutiones divinarum* literarum liber, primum typis evulgatus Antverpiae 1566, cum catalogo commentatorum veterum selectiorum in universa Biblia. *Opera s. Cypriani*, quae mss. ope emendavit, scholiis eruditis illustravit; vitam s. Cypriani ex ipsius operibus adornatam indicesque copiosos adjecit, et epistolas novo ordine digessit, Antwerpiae 1568, quae editio saepius repetita fuit [1]. — *Opera Tertulliani,* ib. 1579 et saepius; mss. ope loca plura castigavit, hiulca supplevit; libros dein in capita distinxit, eorum argumento breviter indicato; annotationibus illustravit, vitam Tertulliani per annos descripsit [2]), paradoxa cum antidoto i. e. auctoris hujus errores cum refutatione adjecit. De annotationibus ita judicat Nourry [3]): „Majoris pretii aestimantur Pamelii in hunc (Apologeticum) aliosque Tertulliani ll. annotationes (quam illae Laurentii de la Barre, de quo p. 297). Non minima quippe, ut ajunt, conspergantur sacra profanaque eruditione, quae lectoribus prodesse potest. Sed hoc in eis culpant, quod Pamelius a proposito saepius digrediatur, plura congesserit inutilia, et interjecta sicut diximus, Zephyri paraphrasi, interruperit Tertulliani contextum, quem debebat in hoc et in aliis libris meliorum codicum ope pristinae si fieri potuerit restituere integritati.« Cogitavit quoque Pamelius editionem operum Rhabani Mauri, consilium vero suum morte intercedente exsequi non potuit. Aliud Pamelii opus idque rarum est *Liturgicon latinorum* duobus tomis digesta, quorum prior ritum sacrificii missae continet, cum ambrosianis missa, collectis, praefationibus ac missa Mosaraba olim in Hispania usitata; poste-

1) Cf. Schoenemann, qui eum propter hanc ed. dicit vere sospitatorem s. Cypriani in notit. historico-liter. in s. Cypr. et Migne P. L. III p. LXIII ss.

2) In Patrol. Migne I, 69 legimus: „In his pamelianis annalibus manent plura imperfecta, hiulca, conjectanea, erronea, quibus resarciendis necessarium subsidium praestat eruditissima J. Aug. Noesselt dissertatio de vera aetate ac doctrina scriptorum, quae supersunt Q. Septimii Tertulliani, ex historia theologica critica de vita, scriptis ac doctrina ss. patrum D. Lumper excerpta.“

3) Dissert. in Tertulliani Apolog. c. 3. a. 3. Ceterum de hac editione, quae ad a. 1657 vicies saltem prodiit cf. Schönemann l. c.; Migne I, 35 ss.

rior vero d. Hieronymi Comitem s. Lectionarium, Gregorii Antiphonarium et ejusdem ac Grimoaldi et Alcuini abbatum Sacramentorum libros, e quibus vetus ordo missae romanae concinnatus est cum vetustis quibusdam praefationibus, Coloniae 1571 in 1 v.; inscriptum *Missale* ss. PP. latinorum sive Liturgicon latinum, ib. 1609; 1610; quarta jam vice ib. 1675 (m. 50). Etsi suo tempore hoc opus non fuerit sine pretio: sat rigide tamen censet Renaudot de eo deque Bona ita scribens (Praef. Coll. liturg. orient): „Qui antea ut Jacobus Pamelius idem argumentum (de rebus liturgicis) tractaverant, etsi multa collegere, quae maximam antiquitatibus liturgicis lucem afferunt, longe tamen abfuerunt a certa illa veri cognitione, sine qua frustra in illis explicandis laboratur. Maxime vero quia plerique graecae Ecclesiae disciplinam pro cognita habuerunt, cum ipsis plane incognita foret, Syrorum, Aegyptiorum aliorumque orientalium multo minus. Pamelius enim graece parum sciebat[1]) etc.“ Ejus quoque sunt: *Commentaria in l. Judith*, quae habentur in t. 3. edit. operum Rhabani Mauri (quam paraverat, demum absolvit Colvenerius 1626-1627) curavit Coloniae 1626 Antonius Henin, in qua exstat etiam ejusdem commentariolus *in ep. ad Philemonem*. In illis commentariis post prolixam praefationem libri vindicat auctoritatem, et nonnisi difficiliora exponit loca. Conciliorum *paralipomena*, Coloniae 1626. *Relatio* ad Belgii ordines de non admittendis una in republica diversarum religionum exercitiis, Antverpiae 1589.

128. *Opuscula* quaedam *ss. Gregorii Nysseni, Paulini Nolani* et *Hieronymi* edidit Joannes Antonianus O. Praed. Neomagiensis († 1588), divinis humanioribusque literis egregrie instructus, in sacra profanaque poetarum ethnicorumque historia versatissimus et ss. patrum lectione ac tractatione assiduus[1]). — Nec omittendus videtur Henricus Gravius[2]) Lovaniensis († 1591), qui postquam non sine eruditionis doctrinaeque insignis laude 20 annos Lovanii theologiae esset professor, Romam vocatus est a Sixto V. typographiae vaticanae in edendis ss. patrum operibus praefectus; verum mox morti festinae succubuit. Magni Romae fiebat a cardinalibus Caraffa, Borromaeo et Baronio, qui literis ad academiam lovaniensem datis mortem ejus amare deplorat. Gravius t. 7. operum s. Augustini editionis lovaniensis, Antwerpiae 1577 v. 10 in f. recognovit, ediditque: *Annotationes in t. 7. Augustini hip. ep.,* quibus castigationum ratio varietasque lectionum indicatur, res memoratu dignae observantur, obscuriora difficilioraque loca explicantur et illustrantur[3]), Antwerpiae 1577. — Suffridus Petri (vulgo Sjurd Peeter, Sjoerd Pietersz) Leovardiensis, ordinum Frisiae historiographus (n. 1527; † 23. Jan. 1597), tribus, ut legitur in ejus epitaphio, pontificibus maximis et praecipuis sui temporis cardinalibus carus. Vir erat studii indefessi, teste Hartzheim, tenacis memoriae atque historiae qua legendae qua scribendae ita addictus, ut ne horam quidem sineret ullam labi, quam non literis impensam doleret. Plurima reliquit opera[4]), inter quae nonnulla versa ex graeco in latinum aucta com-

[1]) Cf. Thalhofer Handb. der kath. Liturgik § 7. p. 85. Cf. de auctore A. C. de Schrevel Biogr. nat. de Belg. XVI, 528—542.

[1]) Ita Echard II, 283.

[2]) Non confundendus cum Henrico Vermolano Gravio O. Praed., de quo egimus II, 1473; et cum Joanne Gravio S. J. lovaniensi, qui ad eandem operum s. Augustini editionem epistolarum additamentum ex urbe transmisit. Floruit exeunte sec. XVI.

[3]) Cf. Schoenemann Notitia historico-liter. in s. August. c. 3. a. 1.

[4]) Cf. Hartzheim p. 300 s.; Feller VI, 494; qui judicium criticum in eo desiderat, ita et P. L. Müller allg. d. Biogr. XXV, 539 praesertim circa opera, quae spectant Frisiae historiam, cum sint fabulis plena.

mentariis; *appendicem ad chronicon episcoporum leodiensium* (ab a. 1389-1505) a Joanne de Beka coeptum, quem edidit Chapeauville historiae suae sacrae t. 3. Ejusdem Bekae *chronicon episcoporum ultrajectensium* continuavit ab a. 1345—1474, quam continuationem edidit Bernardus Turnelius Frank 1614; d. Hieronymum, Gennadium, Honorium et Sigebertum *de scriptoribus ecclesiasticis* recensuit, Coloniae 1580, collectio, quae non caret pretio, quam auxerunt Miraeus (1639) et J. A. Fabricius.— Batavus est Lambertus Gruterus episcopus neostadiensis (Wiener-Neustadt 1572—1582), qui strenue se opposuit protestantismo eam invadenti ditionem. Edidit *Opera* Clementis Romani... cum praefatione critica de veris falsisque b. Clementis scriptis, Coloniae 1569. — Praeterire demum nolumus Theodorum Poelman (Pulmannum), cranenburgium, laicum, qui in juventute fullonem egit totaque vita dure laboravit: otium tamen nactus omnes pene poëtas latinos ad veteres codices comparavit atque critice edidit fere semper typis plantinianis. Omissis editionibus poëtarum classicorum, ipse typis dedit etiam poetas christianos ut Aratoris *historiam apostolorum* cum Sedulio, Juvenco et aliquot (4) hymnis Venantii Fortunati, Basileae s. a.; Coloniae 1573; Pontii Paulini burdig. *poemata;* Prosperi Tironis aquit. *epigrammata* l. 1; *de providentia Dei* l. 1; *de ingratis* l. 1 et s. Hilarii *in Genesin* carmen, Antwerpiae 1560; Boëthii *de consolatione philosophiae* ll. V, ib 1562, Aur. Prudentius Clemens ib. 1564. Obiit[1]) a. 1581. — Victor Giselinus Stantfordiae prope Ostendam natus professione quidem medicus quantum per horas succisivas licuit lectioni scriptorum veterum praesertim, se dedit, qua imbutus in recta fide tempore illo adeo turbato firmiter stetit nec ab orthodoxa et catholica fide dimoveri ratione ulla potuit, tametsi a quibusdam ad docendam in academia leydensi medicinam sub amplo honorario invitaretur. Obiit 1591. Scripsit Commentarium *in Aur. Prudentium* ad msc. codices restitutum Antverpiae 1562; editio mendosa; 1564 ed. castigata. De Prudentio dicitur ab Arevalo optime meritus, qui in suis annotationibus controversias theologicas paucis exceptis non infeliciter pro medico attigit. Notae et chronologia *in Sev. Sulpitii* opera cum mss. comparata, ib. 1574 etc. Cf. Foppens p. 1151 s.

129. In *Gallia* plura opera graecorum patrum vertit Gentianus Hervetus natus Oliveti prope Aurelianum a. 1499. Romam profectus in familiam a cardinali Polo adscitus est, quem Tridentum ad concilium comitatus est, sicut etiam sub Pio IV. card. Lotharingium. Obiit canonicus rhemensis 12. Sept. 1584. Satis accurate vertit plura opera s. Basilii, Jo. Chrysostomi, Theodoreti, Palladii, Clementis alex., Julii africani; *canones* ss. apostolorum, conc. generalium et particularium, ss. patrum Dionysii al., Petri alex. M., Tarasii CP., Gregorii Thaumaturgi, Athanasii, Timothei, Basilii, Theophili, Amphilochii, Gennadii, Niconis, Methodii, Theodori etc.; Photii CP. patriarchae praefixus est Nomocanon: omnia haec cum commentariis Theod. Balsamonis antioch. patriarchae explicata, Parisiis 1561 in f. Plurima quoque reliquit opuscula polemica, in primis adversus Calvinianos[1]); *Le saint, universel et général concil de Trente,* Reims 1564; Ronen 1583; Paris 1584. — Daniel d'Augé (Augentius) regius linguae graecae professor († 1595) primum (latine) edidit Gregorii Nys-

[1]) M. Roosas Biogr. nat. belg. XVII, 874—884.

[1]) Cf. Niceron ed. germ. cur. Baumgarten, 5, 87—102. Ejus ep. ad patres conc. tridentini cum ejus *de matrimoniis clandestinis* sententia legitur apud Le Plat IV, 366—386.

seni *de immortalitate animae* dialogum, Parisiis 1557 in 8., qui alioquin inscribitur *de anima et resurrectione*; vertit et Synesii institutionem principis christiani, seu orat. *de regno*, ib. 1554 necnon et s. Macarii *homilias*, Lugduni 1689 etc. — Joannes Champaigne O. Praed. theologiae doctor et eloquens concionator († 1579) *Flores* collegit ex s. Jo. Chrysostomi operibus Remis 1579. — Simon de Maillé de Brézé ex illustrissima natus familia O. Cist., episcopus vivariensis, dein archiepiscopus turonensis (1544; † 15. Nov. 1597) latine vertit XXIV homilias s. Basilii Caes., Parisiis 1558. — Petrus Comestor (le Mangeard) episcopus negropontinus et auxiliaris lingonensis († 17. Jun. 1584) edidit *opera s. Bernardi*, Parisiis 1547 in f. — *Opera Tertulliani* et *Arnobii* commentariis illustrata edidit Renatus Laurentius de la Barre, Parisiis 1580. Primus Barraeus id egit, ut quae passim in scriptis variis viri eruditi, ut Beroaldus, Alciatus, Crinitus, Turnebus, Vetranius, Hotomannus, Cujacius, Scaliger ad emendandum explicandumve Tertullianum contulissent, conquireret et excerpta una cum suis annotationibus Rhenanis commentariis allineret; ubi vero illi deficerent, in ll. scil. post Rhenanum editis, de suo proferret: in eo tamen lectoribus molestus, quod sua nusquam a Rhenani aliorumve distingueret. Editio ipsa admodum est nitida[1]). Edidit quoque *opera Rufini*, ib. 1580, et opus inscriptum: *Historia christiana veterum patrum*, in qua omnium fere, qui a tempore apostolorum viguerunt et pro Christi Ecclesia militaverunt, acta, tempora ac rerum ecclesiasticarum status describuntur; in fine Usuardi martyrologium, Parisiis 1583. — *Bibliothecam veterum patrum* et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum (c. 200), qua continentur illorum de rebus divinis opera omnia et fragmenta[1]), Parisiis 1575—79 v. 5 in f. collegit Marguerin (Margarin, Marguarin) de la Bigne, doctor sorbonicus, canonicus bajocensis et decanus cenomanensis, quondam etiam rector universitatis cadomensis, (n. c. 1546 in oppido Bernières-le-Patry † c. 1597), auctam 1589 v. 9; Parisiis 1610, cui ed. adjecta est expurgatio. De 4. ed. cf. infra sub Alardo Wyelio. Quamvis laudanda sit auctoris sedulitas et intentio, voluit enim hanc collectionem opponere centuriatoribus magdeburgensibus: plura tamen merito in ea desiderantur, quae ex indice hispano expurgatorio indicant Possevinus[2]) et Michael a s. Joseph[3]), qui ita de ea scribit: „Nam 1. in ea satis ampla sed male digesta collectione scriptorum qualitas non bene discernitur, quin imo mala cum bona passim confunduntur,

[1]) Ita Schoenemann l. c. in Tertull. Nourry diss. in Tertull. Apologeticum c. 3. a. 3: „Quia haec (quae scil. ex virorum illorum scriptis excerperat) spectant ad grammaticam, ibidem adjecit Rhenani notas, quas quidem, quia Romanorum et Hispanorum censuram non effugerant, a se prius correctas esse significat. At quia paucas admodum easque brevissimas addidit vixque ullam dedit in Apologeticum hunc librum, vides sane quid ab eo de rebus theologicis exspectare debeas."

[1]) Laurentius Condivi (Condio, Cumdius, Condeus) natione Italus, apud Henricum III. Galliae regem bibliothecarius et Sorbonae doctor, coepit colligere *Bibliothecam homiliarum et sermonum* priscorum Ecclesiae patrum, quam eo defuncto absolvit Gerardus Mosanus O. Praed. Lugduni 1588 t. 4 in f. Addita sunt utriusque scholia. Edidit quoque Pauli Comitoli S. J. (de quo infra) *Catenam in Job* ex 24 patribus collectam, Lugduni 1586, quam tamquam infidelem reprobavit Comitoli substituta alia Venetiis 1587.

[2]) Bibl. selectae l. 1. c. 19.

[3]) Bibliogr. crit. 1, 530. In Indice libr. expurgandorum, quem curavit Jo. M. Brasichellensis reperitur hujus bibliothecae prolixa expurgatio (p. 55—259), quae debetur Thomae Malvenda (cf. Échard II, 455). Ea inserta fuit ed. 3. illius bibliothecae. Cf. Piolin Notice sur M. de la Bigne, Caen 1870 ed. 2.

iique auctores honorificentissimis appellationibus[1]) commendantur, qui potius ut haeretici aut de haeresi suspecti vel ut schismatici notari taxarique debuissent, ut ab iis lectores prudenter caverent; 2. ipsa opera ibi exhibentur aut librariorum oscitantia aut haereticorum malitia corrupta et depravata, aut saltem periculosioribus quibusdam phrasibus expressa, quae cum olim utcunque in usu fuissent, nunc male sonant sensumque ingerunt detectae jam veritati contrarium; 3. inter ipsa opera alia sunt supposititia nec digna iis auctoribus, quibus falso adscribuntur: alia cum sint apocrypha ut authentica venditantur: alia denique erroribus scatent et tamen uti innoxia propinantur. 4. ad margines et in indice rerum quaedam ex operibus sententiae signantur, quae a suis contextibus avulsae saniori doctrinae minus consentaneae videantur; et tamen eaedem in ipsis auctoribus vel saniorem sensum referunt vel certe sunt toleratu digniores. 5. in indice chronologico ejusdem bibliothecae non parum negligenter observata est temporum supputatio, quae proinde correctione saepe indiget etc.« Hinc quondam donec expurgaretur in indicem fuit relegata, quae modo non amplius leguntur. De la Bigne primus fuit, qui studiose elaboravit, ut *s. Isidori hisp. opera* in unum corpus colligerentur, quae editio elegans et quantum quidem res patitur correcta prodiit[2]) Parisiis 1580 in f. Collegit etiam *Statuta* synodalia episcoporum paris. et senonensium archiepiscoporum, Parisiis 1578.

130. Petrus Pithou (Pithoeus) celeberrimus sui temporis jurisconsultus (n. 1. Nov. 1539), quondam erroribus Calvini addictus post diligens examen ad Ecclesiam rediit catholicam[3]). Non ita se dabat juris studio, ut non etiam vacaret theologiae, patrum evolveret scripta, scriptorum ecclesiasticorum opera cum codicibus conferret atque emendatiora ederet († 1. Nov. 1596). Ex plurimis ejusdem operibus[1]) quaedam, quae huc faciunt, ordine chronologico indicabimus. Edidit: *Ottonis Frisingensis chronicon* ab orbe condito ad a. Christi 1146. et de gestis Frederici Barbarossae 1569 in f.; *Pauli diaconi historia miscella*, ib. 1569 in 8; *Mosaicarum et romanarum legum collatio* ex integris Papiniani, Pauli et aliorum ll. cum notis, Parisiis 1573; 1689 etc.; *Salviani Massiliensis opera*, ib. 1580. Pithoeus non solum epistolarum libro opusculorum Salviani numerum auxit, sed omnes simul ejus lucubrationes ex fide mss. expressas dedit, et quamvis non multos sectatores nactus est, meruit tamen, ut Baluzius, qui centum aliis potior est, eum probaret, et, ni justae rationes superarent, sequeretur[2]). *Veterum aliquot Galliae theologorum scripta*, quorum nonnulla primum eduntur, ib. 1586 in 4; *Annalium et historiae francorum* ab a. C. 708—990 scriptores coaetanei XII, ib. 1588; Caroli M., Ludovici Pii et Caroli Calvi *capitula*, ib. 1588; *Fulgentii Ferrandi breviatio canonum*, ib. 1588; *Historia controversiae veteris de processione Spiritus s.*, 1590 in 8; *de latinis bibliorum interpretibus sententia* et Nicephori constantinop. canon Scripturarum, cum Anastasii bibliothecarii latina interpretatione, 1590 in 8. (etiam criticis sacris adjectus); *Comes theo-*

[1]) Cujusmodi sunt tituli *divi*, *sancti*, *martyris*.

[2]) Cf. de hac edit. Faust. Arevalo in Isidorianis p. 1. c. 35.

[3]) Cum Petrus Pithou discipulus esset celebris Cujacii, solebat Nicolaus Faber (le Fevre) dicere: „Cujacius discipulo praeripuit, ne primus jurisconsultus esset: ille praeceptori, ne solus.“ Petri frater, Franciscus, eruditis quoque viris est accensendus (1544—1621) atque erat in plerisque operibus edendis socius.

[1]) Accuratum horum operum indicem cf. ap. Niceron, Mémoires etc. V, 54—61. De ipso Raess, Die Convertiten II, 188 ss., qui ejus biographos quoque indicat.

[2]) Schoenemann, Bibl. cit.

logus, sive spicilegium ex sacra messe (i. e. collectio dictorum patrum de variis fidei christianae veritatibus), Parisiis 1590 in 12; 1608; auctius 1684; *Ecclesiae gallicanae in schismate status* ex actis publicis (30 ab a. 1408-1551), ib. 1594 in 8; prohibitum 10. Sept. 1610 27. Maj. 1614; *historiae Francorum* ab a. C. 903—1285 scriptores coaetanei, Francofurti 1596 cum prioribus collectioni Duchesne inserti; *Synodus parisiensis* de imaginibus habita a. 824, ib. 1596 in 8; *B. Hilarii ex opere historico fragmenta;* adjecta ipsius Pithoei vita, Parisiis 1598 in 8; *Corpus juris canonici* ad veteres codd. mss. restitutum ac notis illustratum a P. et Francisco Pithoeis. Praefixa synopsi historica eorum, qui canones et decreta ecclesiastica collegerunt, Parisiis 1687 v. 2 in f. Hanc editionem Doujat Praenot. can. V, 23 censet omnium accuratissimam (scil. usque sua ad tempora † 1688). Plurimum tamen inclaruit penes Gallicanos minimi voluminis opere: *Les Libertés de l'Eglise Gallicane*, Parisiis 1594 in 12., Rotomagi 1561 in f., quod ipsis videtur Galliae palladium et tribunalibus erat normae authenticae instar; sed a. 1640 in librorum prohibitorum indicem fuit relatum[1]). Plura ex his Pithoei operibus collecta prodierunt studio Car. Labbei, ib. 1609 in 4.

[1]) De auctore scribit Raess l. c. „Pithou hat aus dem Calvinismus zwar nicht den Haß, wohl aber wenigstens ein anscheinendes Mißtrauen gegen den römischen Stuhl mit sich hinübergeschleppt, was einigen seiner schriftstellerischen Erzeugnisse einen gewissen gallikanischen und echt parlamentarischen Anstrich gibt. Auch wird fortwährend in den dortigen Gewässern seine Flagge häufig als stimmgebend aufgezogen." De opere ita Feller (VII, 16): „Ouvrage qui a quelquefois besoin de commentaire, et qui lui suscita des contradictions: on prétendit y trouver plus d'un reste de la religion que l'auteur avait abandonnée, et on ne se trompait point."

V. Historia ecclesiastica.

131. Fatendum est paucos admodum esse hac epocha, qui de *historia ecclesiastica* fuerint solliciti. Praemittenda est mentio quorundam, qui de emendatione calendarii [1]) temporum lapsu admodum turbati egerunt. Huc spectant fratres Aloisius et Antonius Lilius (Giglio), quorum ille emendationis methodum et rationem excogitavit, atque op. sui saltem compendium exhibuit *de restitutione anni et Kalendarii ecclesiastici,* Romae 1577. Eo autem defuncto (c. 1580) ejus frater pontifici illam Gregorio XIII. proposuit, qui consultis viris doctissimis eam edita bulla comprobavit, Hugolinus Martelli Florentinus, episcopus glandavensis (1572; † c. 1593) in Gallia editis operibus vindicavit, scil. *de anni in integrum restitutione* una cum apologia, quae est sacrorum temporum assertio, 1582; *La Chiave del Calendario Gregoriano* 1583. — De calendarii reformatione disseruit etiam (Senis 1578) Alexander Piccolomini Senensis [1]), archiepiscopus patrensis et coadjutor archiepiscopi senensis († 12. Mart. 1578). Vir erat cultissimus et poëta, qui maturior fac-

[1]) Cf. de ea opera citanda, cum agemus de Gregorio XIII (p. 327). Primus congregationis praeses vocabatur Thomas Giglio, pontificis thesaurarius, postea episcopus Sorae, inde 1577 Placentiam translatus († 1578). De Clavio epocha sequenti agemus.

[1]) Alius ab eo est Franciscus Piccolomini pariter Senensis n. 1520, Sixti V. condiscipulus, annis 40 professor philosophiae Patavii (1561—1601), qui plura Aristotelis opera commentariis illustravit († 1604). Cf. Brucker Hist. crit. Phil. IV, 206; de utroque Tiraboschi VII, 1, 506—512.

tus retractavit quae juvenis licentiosius scripserat. Delectabatur astronomia, opera quaedam Aristotelis illustravit: praecipuum tamen ejus opus est *Dell'Instituzione Morale* ll. XII, Venetiis 1560, ed. retractata.

132. Historiam ipsam attigerunt[1]) Carolus Sigonius mutinensis n. 1524, celeber et doctus philologus, juris peritus et historicus, variis in academiis literarum humaniorum professor († 12. Aug. 1584), cujus plurima[1]) exstant opera, quae prodierunt cura Ph. Argelati cum vita ejusdem a Muratori conscripta[2]), Mediolani 1732-37 v. 6 in f., e quibus in primis huc spectant: *Historiae ecclesiasticae* ll. XIV, Mediolani 1732 t. 4. operum ejusdem, quos hortante Gregorio XIII. conscripsit, opus admodum eruditum. Mentione praeterea sunt digna: *De republica Hebraeorum* ll. 7, Francofurti 1608, Lugduni Batavorum 1701 et alibi saepius. Historia *de Occidentis imperio; de historia bononiensi* ll. VI; *de episcopis bononiensibus* ll. V, annotationes in Sulpicii Severi *chronicon*. Omnium tamen ejus operum celeberrimum est *de regno Italiae* ll. 20 (679—1286), de quo Muratori idoneus sane censor ita in auctoris vita p. IX scribit[3]) „Insigne pro-

---

[1]) Attingunt quidem hanc et illi, qui historiam profanam conscripserunt, e quibus mentione sunt digni: Alexander Scultetus Prutenus et olim canonicus varmiensis, qui *chronographiam* sive annales omnium fere regum, principum et potentatuum ab orbe condito usque ad a. D. 1541 confecit Romaeque edidit 1596, „quae quidem, judice Possevino in bibl. sel. l. 2. c. 26, acre viri judicium atque diligentiam ostendit, neque in secundis habenda est." — Petrus Opmeer (1526—1594) Amstelodamensis, laicus quidem sed eruditus admodum, qui sine magistro per se theologiam, juris prudentiam et medicinam didicit. Ardens erat fidei catholicae pugil, qui composuit opuscula polemica, in primis vero *chronicon* ab exordio mundi ad annum Christi 1569, continuatum a Laurentio Beyerlinck ad a. 1611, Antwerpiae 1611 v. 2 in f., Coloniae 1625 cum ejusdem historia martyrum gorcomiensium. Cet ouvrage, inquit Feller VI, 324, est un des meilleurs qu'on ait en ce genre: le style en est net et fort intelligible. Opmèer a le plus souvent puisé dans les sources; tous ses ouvrages sont écrits en latin. *Officium missae* apud Ecclesiam tempore IV primorum conc. generalium in usu fuisse historica assertio, Antverpiae 1570. — Joannes de Pineda O. Min. Hispanus, Medinae Campi natus († 1590), qui „sacrae profanaeque eruditionis laudem singularem, laboriosissimis editis in publicum christianae philosophiae atque universalis historiae monumentis, collegit. Desideratur in eo tamen a doctioribus cum stili elegantia, quam adhibere minus curavit rebus omnino intentus, tum historicorum veterum Berosique et aliorum, ab Annio viterbiensi in lucem editorum, quos eruditi omnes respuunt, maturius examen. Edidit nempe: *La Monarquia ecclesiastica, o Historia universal del Mondo* 30 ll. et 4 v. divisam, Salmanticae 1588; Barcinone 1594." Ita Biblioth. hisp. nova I, 760. — Petrus Drouet de Gaillard parisiensis parlamenti advocatus compilavit *Briere chronologie*, contenant la suite des anciens peres, monarques, hommes illustres et leurs faits; les choses le plus remarquables depuis la création du monde, notamment en France jusqu'à 1598: plus la chronique ecclèsiastique avec l'ordre et arguments des principaux historiographes, Parisiis 1599 in 16. — Guilelmus Paradin († 1590) scriptor diligens plurium operum ad historiam Galliae spectantium. Cf. Feller VI, 395. — Franciscus Beaucaire episcopus metensis (1555-68; † 14. Febr. 1691) concinnavit bonos *commentarios rerum gallicarum* ab a. 1462—1567, opus posthumum ed. a P. Dineto Lugduni 1625 in f.; Tr. *des enfants morts* dans le sein de leur mere 1567.

[1]) Cf. horum elenchum ap. Zedler Universallexicon 37, 1226 s.

[2]) Cf. acta erud. lips. 1732 p. 433—40; 1734 p. 441—54; 1738 p. 241—54; 1741 p. 625—29; Journal des Savans 109, 147-62; 514—23.

[3]) Tiraboschi t. VII. p. 2. l. 3. n. 12. Sigonium Panvinii vocat aemulum deque eo ita habet: Il Sigonio . . . dotato d'ingegno forse meno vivace, ma più profondo (che Panvinio) ovunque mette la mano, non la ritira, se non dopo aver condotto il lavoro a sua perfezione, e se pone il piede in paese non ancor conosciuto, non vi ha quasi angolo, che diligentemente

fecto opus et monumentorum copia et splendore sermonis et ordine narrationis, ex quo incredibilis lux facta est eruditioni barbarorum temporum in illum usque diem apud Italos innumeris tenebris circumfusae.“ — Leonardus de Maniaco Forojuliensis, canonicus *Historiam* narrat a concilio tridentino ad finem usque seculi, cujus pars prior prodiit Venetiis 1597; iterum cum 2 ll. alterius p. Bergami 1600: ultra auctor non est progressus. — Victorius Bandini typographus ferrariensis auctor est op. *cronologia ecclesiastica,* la quale contiene le' Vite de' sommi Pontifici, Ferrara 1600; 1604. — Ab hoc distingue Franciscum Bandini Piccolominaeum archiepiscopum senensem (1529—88), qui collegit Pii II. opera seu *commentarios rerum memorabilium* a Jo. Gobellino compositos (sed cf. II, 937), quibus accesserunt Jac. Piccolominaei card. *commentarii* rerum suo tempore gestarum, Francofurti 1614; Romae 1584. — Antonius Ciccarelli Fuliniensis († 10. Nov. 1599) scripsit *Vite de' Pontefici* (cum eorum effigie), Romae 1587; et additamenta ad vitas, quas scripserant Platina et Panvinius, Coloniae 1626. — Stephanus de Lusignan O. Praed. e regia Lusinianorum stirpe, quae quondam regno cyprio hierosolymitanoque potita est, oriundus († c. 1590), multa scripsit de rebus maxime Orientis et Galliae, et collegit *catalogum* virorum illustrium V. et N. T. necnon pontificum ecclesiarum romanae, CP., antiochenae, alexandrinae et hierosolymitanae: item ecclesiarum aquilejensis, ravennatensis, mediolanensis, parisiensis et aliarum, cum causis dissensionis Ecclesiae romanae et orientalis, Parisiis 1580 in 8; *Raccolta di cinque discorsi,* Padova 1577, in quorum uno (p. 53—195) *La vera nobilità* della Deo dicata città Hierosolimitana manifestata con 40 efficacissime ragioni. — *Historiam omnium conciliorum* conscripsit Gabriel du Préau seu Patreolus gallus, doctor sorbonicus (n. 1511, † 19. Apr. 1588); haereseon omnium catalogum literato ordine contexuit edito l. scil. sat raro: *De vitis, sectis et dogmatibus* omnium haereticorum [1]), Coloniae 1581; 1605; *histoire de l'état et succes de l'Eglise,* Parisiis 1583; 1604; *de l'autorité du concile* avec les signes pour scavoir discerner l' Eglise de J. C. d'avec la synagogue de l'Antichrist etc., ib. 1564. — Huc referre licet *Historiam rerum* inter catholicos et haereticos gestarum ab a. 1563-1580 Faustini Tasso, qui scripsit etiam sub nomine Aeneae Jason. Hic patria Venetus puer lusit versibus amatoriis, quos postea damnans ingressus est ord. Minorum obs. Genuae et Taurini ss. literas professus est († 1597). Prodiit illa historia Venetiis 1583, in

non ricerchi. Quindi avviene, che le opere di esso son più finite e più esatte che quelle del giovane Panvinio, ci danno più chiara idea degli oggetti che in esse rischiaransi, e si leggono ancor con piacere per l' eleganza e per la chiarezza, con cui sono distese.“ Cf. A. Hessel de regno It. ll. XX von C. Sigonio. Eine quellencrit. Untersuchung, Berlin 1900.

[1]) Feller tamen merito advertit VII, 99: Son jugement n'égalait pas son érudition... Ses traités de doctrine et d'hitoire ecclésiastique tels que son Elenchus haereticorum firent honneur à son zèle; mais l'Elenchus comprend bien des gens, qui ne doivent pas être placés parmi les hérétiques. Hieronymus Bolsec Parisiensis, quondam O. Carm., a quo ad Calvinianos defecit, sed iterum ad Ecclesiam reversus, medicinam est professus († c. 1584). Is scripsit *de Jo. Calvini vita,* moribus, rebus gestis, studiis ac deinque morte; gallice prius Paris 1577; 1582; latine reddita prodiit Coloniae 1582; *De Theodori Bezae vita* gallice Parisiis 1582; latine Ingolstadii 1584, quae vitae calvinianis multum displicuere. Cf. Kirchenlex. II, 999. — Langaeus Scotus, sorbonae doctor pariter ex gallico traduxit *de vita et moribus atque rebus gestis haereticorum* nostri temporis (Lutheri, Carolostadii, Calvini), quibus multa addita sunt, Parisiis 1585; *de vita et moribus Theodori Bezae,* ib. 1585.

qua agit de bellis ob haereses excitatis, de catholicis ob fidem occisis. Praeter carmina sacra et sermones reliquit tr. *de adventu Messiae*, ib. 1585; *de conversione peccatorum* ll. 3 (italice), ib. 1578, opus egregium, cujus l. 2. adjectus est tr. *de veritate purgatorii;* l. 3. tr. *de eleemosyna et de oratione mentali.*

133. Pro historia pontificum juverit audire et acta legationis nunciorum apostolicorum. Huc spectat Zacharias Delfino patria Venetus n. 29. Maj. 1527. Patavii eximio profectu studiis vacavit. Romam venientem Julius III. inter familiares recepit atque 1553 episcopum dixit fariensem (Lesina), nuncium destinavit ad Ferdinandum Caesarem: cui adeo gratus exstitit, ut revocatum a Paulo IV. Romam, eum iteratis vicibus ut nuncium pontificium repeteret (1555). Hinc etiam Pius IV. ab exordio sui pontificatus Delfinum iterum misit ad Ferdinandum imp. (1560). Acta hujus legationis diligenter collegit ediditque S. Steinherz in Nuntiaturberichte aus Deutschland t. I. *Die Nuntien Hosius und Delfino* (1560—1561), Wien 1897; t. II. destinatus actis legationis Commendoni nondum prodiit; t. III (1562—1563), ib. 1903, in quo tamen minus aeque videtur agendi ratio nuncii dijudicari [1]). Munere bene functo creatus est 12. Mart. 1565 cardinalis. Decessit a. 1583. Quaedam ejusdem scripta reperies apud Döllinger, Ungedruckte Berichte etc., sed sat mendose. — Alius nuncius fuit Joannes Franciscus Bonomi patria Cremonensis n. 6. Dec. 1536, familiari amicitia junctus s. Carolo Borromeo, cujus nutu factus est abbas nonantulanus O. Cist. (1566), electus dein (1572) episcopus vercellensis. Egregius fuit suae dioecesis pastor et reformator; undecim habuit synodos dioecesanas atque aliquot interfuit synodis provincialibus. Seminarium dioecesanum nimis angustum ampliavit et ex suis redditibus alioquin non pinguibus ditavit. A s. Carolo delegatus est ad visitandam dioecesim comensem, cujus conditio religiosa sat erat tristis (1578). Visitationis fructus sunt *Reformationis ecclesiasticae decreta generalia,* Vercellis 1579, quae propter suam praestantiam et utililatem recusa fuere a Melch. Hittorp., Coloniae 1585 cum apposito „omnibus ecclesiarum usibus accommodata.“ Cum se ita optime probaret, ex ejusdem sancti praesulis consilio missus est a Gregorio XIII. nuncius ad pagos catholicos Helvetiae (1579) et 1581 ad aulam caesaream et Coloniam: qua in legatione laboribus exhaustus pie in Domino obiit 25. Febr. 1587, dignus purpura, quam ei jam destinaverat Sixtus V., aemulus in reformationis spiritu s. Caroli Borromaei, protestantibus obstinatis invisus, ut ab uno eorum diceretur „inter alia Satanae instrumenta tuba illa furialis.“ Acta ejus legationis coloniensis (169) magna diligentia collegit accurateque edidit, praemissa ejusdem biographia Steph. Ehses in Nuntiaturberichte aus Deutschland Erste Abth. *die Kölner Nuntiatur*, Paderborn 1895. Praeter alias *epistolas* (ineditas) inter ejus opera referri debent: Antiquorum patrum sermones et epistolae *de s. Eusebio* ep. vercellensi et M. et *vita* praeterea ejusdem, Mediolani 1581; *Borromeis* scil. carmen panegyricum ll. IV constans de s. Carolo B., quod post ejus mortem edidit Lucas Borgo cum ejusdem *Eucharistirion* scil. de victoria navali a christianis adversus Turcas apud Lepanto relata, Mediolani 1589 subjecta p. 95—122 praesulis nostri vita [1]). — Alius nuncius pontificius fuit Joannes Baptista Santonio (Sanctonius, falso Sanctorius) Tarentinus n. 1529, episcopus alifanus (1568),

[1]) Cf. Röm. Qtlschr. XVIII (1904) 394-402.

[1]) Cf. Adelung Fortsetz. und Ergänz. zu Jöchers Gelehrtenlex. I, 2047.

dein tricariensis (1586), sub Sixto V. Magister s. palatii, qui eum dein ad pagos catholicos Helvetiae misit (1586-1587). Decessit 29. Febr. 1592. *Acta legationis* habes in op. Ehses mox cit. p. 225—270. — Alexander Farnesius illustrissima gente Romae natus 7. Oct. 1520, adolescens 15 a. a Paulo III. avo suo inter cardinales adoptatus, ad varios episcopatus, demum ostiensem fuit promotus. Purpuram gestavit a. 55, hinc decanus fuit sacri collegii et etiam vicecancellarius romanae Ecclesiae. Ob insignia gesta et virtutum ornatum dici potuit, cum moreretur (2. Mart. 1589): „Patriae et pauperum parentem, curiae splendorem, purpurae ornamentum, antistitum decus, christiani orbis magnum lumen fuisse sublatum[1].“ Ob nobilitatis splendorem et in rebus gerendis dexteritatem non semel missus est juvenis adhuc ad Carolum V. imp. Acta ejus passim occurrunt in Nuntiaturberichte aus Deutschland 1533—1599 t. IV. VIII. et aliis, quos prodituros speramus. — Accurata Actorum editio nuncii Francisci Commendoni pariter promissa est. Porro Commendone[2]) patria fuit Venetus n. 17. Mart. 1523. Propter omnifariam eruditionem in humanioribus praesertim literis toti Italiae inclaruit. A Julio III. inter familiares receptus est missusque in Belgium ad Caesarem (1553), dein orator pontificius ad Mariam Angliae reginam. Negotiis feliciter peractis dictus est episcopus hadriensis, dein zacinthensis et cephalonensis. A Paulo IV. ejusque successoribus in variis gravissimisque legationibus fuit adhibitus, praesertim non semel in Germaniam missus ad Ferdinandum, dein Maximilianum Caesarem. Interim ob sua merita absens a Pio IV. purpura fuit donatus e consilio s. Caroli Borromaei. Vix unquam fuit nuncius pontificius in tot adhibitus legationibus: se enim commendabat dexteritate, prudentia et dignitate. Interfuit et concilio tridentino: *acta* vero ejus, quae hoc respiciunt concilium, habentur in Miscellanea di Storia Italiana t. VI. Decessit vir insignis, quem cardinales tiara dignum judicabant, 26. Dec, 1584.

134. Nuntius apud Poloniae regem fuit Vincentius Laureo Calaber Tropaeae nobili prosapia natus 28. Mart. 1523. In primo jam adolescentiae flore latine ac graece loqui et scribere potuit. Patavii miros fecit in philosophia, medicina et theologia progressus et postquam lauream adeptus est doctoralem, Romam se contulit, ubi a Parisio card. consentino inter familiares est receptus, quo tamen mox defuncto ad Gaddii senioris card., dein Francisci card. Turnonii transiit aulam. Et hoc defuncto suadentibus Jac. Lainio S. J. et Jo. Polanco Henrico Navarae regi recens ad fidem converso pro bono religionis adhaesit eique glande percusso morienti adstitit. A Pio V. creatus est (1566) episcopus Montis regalensis ecclesiae, quam sedem pontifex antea tenuerat, atque nuncius destinatur in Scotiam ad Mariam Stuartam reginam. Eam tamen ob turbas adire non potuit: fugere enim regina fuit coacta atque ita incidit in manus suae adversariae Elisabethae. Quamobrem praesul suam adiit ecclesiam eamque digna pastore vigilantia, zelo et sollicitudine rexit. A Gregorio XIII. nuncius destinatus est ad Poloniae regem (1572), ut causam catholicam adversus haereticorum tueretur ausus. Munere suo egregie est functus, adeo ut Hosius non dubitaret apud pontificem affirmare, illius opera atque industria et religionem catholicam propagatam et sedis apostolicae auctoritatem plurimum in regno Poloniae fuisse auctam. Romam reversus praeficitur congregationi pro calendarii

[1]) Cf. Eggs. Purp. doctae l. 4 § 40.
[2]) Cf. Eggs ib. l. 5 § 8; Marx KL. III, 696—699; Feller III, 41; Ant. M. Graziani in ejus vita Parisiis 1669.

reformatione, iterum legatus mittitur in Sabaudiam et absens a Gregorio cardinalis creatur (1582). A Sixto V. praeficitur congregationibus ss. rituum et regularium. Iteratis vicibus interfuit conclavi, et dum cardinales plures de eo eligendo in pontificem cogitarent, repulsam ab aemulis est passus, qua de re ne minimum quidem est offensus. Piissime obiit[1]) 21. Dec. 1592. Nostra demum aetate Theod. Wierzbowski ed. *Vinc. Laureo* ev. de Mondovi, nonce apostolique en Pologne (1574—1578), et ses dépêches inédites au card. de Come, ministre sécretaire d'état du pape Grégoire XIII, éclaircissant la politique du St. Siège dans les années susdites relativement à la Pologne, la Franche, l'Autriche et la Russie, recueilles aux archives secrètes du Vatican, Varsovie 1887.

135. Historiam *ecclesiarum particularium*[2]) scripserunt: Jacobus Tyrie (Tayre) S. J. Scotus, philosophiae et theologiae Parisiis professor († 20. Mart. 1597), cujus tractatus eruditus *de antiquitate christianae religionis* apud Scotos sub nomine Gregorii Thompson a Possevino receptus fuit in l. XVI. suae bibliothecae; seorsim prodiit Romae 1594 l. rarissimus (m. 200). — Wiguleus Hund (Hunt, Hundt) Bavarus n. Kaltenbergae 26. Jul. 1514, juris peritus, juvenis 23. a. jam institutionum ordinarius in academia ingolstadiensi, post triennium rector magnificus et post alia munera honorifica Bavariae cancellarius, consilii aulici praeses et a secretis consiliis, vir magnae auctoritatis, insignis sec. XVI. historicus († 28. Febr. 1588), auctor est operis[2]): *Metropolis salisburgensis* continens catalogum videlicet et ordinariam successionem archiepiscoporum salisburgensium et coepiscoporum frisingensium, ratisbonensium, pataviensium, ac brixinensium (ad a. 1580), Ingolstadii 1582 in f., opus rarum, in quo quod attinet episcopos passavienses Bruschium sequitur. Illud Christophorus Gewold (Gewald, Geboldt etc.) duci a consiliis et archiviarius[3]), insignis pariter historicus, qui parentibus protestantibus natus fidem amplexus est catholicam († 1621), solerter continuavit auxitque plurimis diplomatis ediditque inscriptum W. Hundii *Metropolis salisburgensis* aucta, annotationibus illustrata et suo usque tempore continuata, Monachi 1620 v. 3 in f.; Ratisbonae 1719, quae tamen editio mendosa est. Tomo primo continentur primordia christianae religionis per Bojariam et loca quaedam vi-

[1]) Cf. Eggs Purp. doctae l. 5 n. 30 p. 88-97.

[2]) Joannes Moreau (Morellus), doctor sorbonicus et canonicus cenomanensis (vixit adhuc 1584, juxta alios † 1573) composuit *Nomenclaturam* seu legendam auream pontificum cenomanensium (902-1572), quae tamen integra nunquam prodiit, sed tantum vitae singularium quorundam episcoporum in Actis SS. — Joanni Mechtel canonico prius limburgensi (1595), dein trevirensi tribuitur *Limburger Chronica*, quae tamen majori ex parte videtur esse Tilmanni Elhelm de Wolfhagen notarii († c. 1398). Recepta ea fuit ab Hontheim in Prodr. hist. trevir. II, 1048. Prodiit critice curis A. Wyss, Hannover 1883. — Augustinus Lapioni concinnavit *Diario fiorentino* ab a. 252—1596, quod demum edidit Jos. Odoardus Corazzini, Florentiae 1900, in quo plura referuntur pretiosa ad s. Pium V. et s. Car. Borromeum spectantia.

[1]) Cognatus ejus est Vincentius Maria Cimarelli O. Praed. († 1660), cujus exstat: *storie dello stato d'Urbino*, Brixiae 1642, opus absque judicio critico conscriptum.

[2]) Cf. M. Mayer Leben, kleinere Werke und Briefwechsel des Dr. W. Hundt, Innsbruck 1892; Widemann hist. Jahrb. XVII (1896), 514 ss.; Braunsberger Stimmen aus Maria Laach XLIV (1893) 615-19. Eisenhart A. deutsche Bi. XIII, 392—99.

[3]) Edidit is quoque Magni *chronicon* monasterii reichensbergensis 1611; aliaque quae cf. apud Oefele allg. d. Biogr. IX, 131-134; A. Dürrwaechter Cr. Gewold, Ein Beitrag zur Gelehrtengesch. der Gegenreformation, Freiburg 1904.

cina; t. 2. (et 3) fundationes et erectiones monasteriorum et ecclesiarum collegiatarum (122) etc.: unde est fons vere historicus. *Epistolae* quoque a Mayer op. cit. editae sunt pretiosae pro historia hujus temporis. — Eodem fere tempore Dominicus Hess O. S. Fr. († 1594) collegit *catalogum antistitum et archiepiscoporum,* qui ecclesiae metropolitanae salisburgensi a Ruperto in hunc diem praefuerunt, Ingolstadii 1586 in 4. Scripsit etiam: *Gründliche Erweisung,* daß diese allein die rechte Kirche Gottes sei, bei welcher die allezeit währende Succession zu finden ist, Graecii 1592 latine et germanice, cum successione episcoporum secoviensium. — Catalogum *episcoporum paderbonensium* dedit Hermannus de Kerssenbroick (c. 1519; † 5. Jul. 1585) gymnasii variis in civitatibus director. Ejus *historia anabaptistarum* rhetorico stilo composita magistratui minime arrisit, hinc impressio prohibita fuit; prodiit tamen germanice versa Francofurti 1771 in 4; et nostra aetate cur. H. Detmer inscripta Kerssenbroch *Anabaptistici furoris* Monasterium inclitam Westphaliae metropolim evertentis *historica narratio*, Münster 1899. 1900 t. 2, ed. egregia[1]).

136. Antonius O. Praed. patria quidem Lusitanus erat, sed vulgo dictus est Senensis: ita enim voluit ex singulari erga sanctam virginem Catharinam de Senis cognominari. Olisipone philosophiam legit: inde missus est Lovanium totosque a. 11 ibi egit et in ea academia ad gradus omnes promotus est meruitque magisterii fasces 24. Jun. 1571. Hinc studii lovaniensis regens est institutus. Sed a rege catholico patria proscriptus, quod secutus sit Antonii partes, qui Lusitaniae regem se gessit; hinc Italiam, Galliam, Angliam exsul erravit non otiosus, sed ubique lustrans bibliothecas (1585 vel 1586). En diligentiae suae fructus: *Chronicon fratrum O. Pr.*, in quo tum res notabiles tum personae doctrina, religione et sanctitate conspicuae ab exordio ordinis ad haec usque tempora nostra complectuntur. Item *bibliotheca ord. FF. Praed.,* virorum inter illos doctrina insignium nomina, et quae scripto mandarunt, opusculorum titulos et argumenta complectens, Parisiis 1585 pp. 2. Fatetur tamen Echard II, 272 Antonium in hoc op. saepius et graviter impegisse, quod illo tempore excusari possit. Ipse dein testimonia patrum aliorumque scriptorum, quae s. Thomas in sua Summa citat, indefesso perquisivit labore atque ad marginem annotavit: cumque his notis marginalibus eadem prodiit Antverpiae 1569; 1575, atque Romae. Idem praestitit circa quaestiones s. Thomae disputatas et de veritate, Antverpiae 1571. Edidit et *Catenam auream* doctoris angelici super quatuor evangelia ad exemplaria antiquissima msc. collata et repurgata cum similibus indicationibus marginalibus, ib. 1573; Parisiis 1577; 1637; *commentarium in Genesim* sub nomine s. Thomae, Antverpiae 1573, qui tamen est suppositus. *Homilias* seu meditationes Henrici cardinalis postea Lusitaniae regis latine vertit ediditque subjecto Humberti de Romanis tr. *de tribus essentialibus votis* (cf. II, 449), Lovanii 1575. Multa reliquit inedita, quae diligenter recenset Echard l. c. — Ferdinandus (Hernando) de Castillo Granatensis O. Praed. insignis concionator et theologiae lector, variis in conventibus prior, tribunalis s. officii assessor et consultor, cujus consilio et Philippus II. libenter utebatur, destinatus est qui historiae rerumque ordinis centurias colligeret atque scriberet. Et revera scripsit purissime et elegantissime summaque fide Primera parte *de la Historia general de S. Domingo* y de su orden de Predicadores, Matriti 1584;

---

[1]) Cf. G. Tumblut hist. Jahrb. XXII (1901), 733–40.

Segunda parte, Pintiae 1592 in f. „Sicubi autem, inquit Echard II, 309, praesertim in primordiis aliquando aberraverit, id penuriae documentorum antiquorum, quae ipsi defuerunt, adscribendum est.“ Rediens auctor e concione, quam habuit coram rege, qui eum audire voluit, ex sermonis contentione oppressus intra paucos dies vitam cum morte commutavit (29. Mart. 1593). Ejus historiae p. 1. italice vertit sodalis Timotheus Bottoni Umber, a patria Perusinus saepe dictus, Venetiis 1589 in f.; alteram p. vertit Philippus Pigafetta, Florentiae 1596; utraque iterum ed. Panormi 1626 novis annotationibus et additionibus a F. Hyacintho de Janua, Panormi 1626. Porro Botinus religiosus erat omnium virtutum genere ornatissimus, religionis speculum et disciplinae assertor et cultor assiduus: hinc Sixto V. acceptus, qui eum constituit ord. ff. Silvestrinorum visitatorem (1587). Ab ordinis generali Paulo Constabili designatus est vicarius generalis, qui vices suas, dum provincias visitaret, Romae impleret: quo defuncto (1582) a Gregorio XIII, Januam fuit missus s. officii generalis inquisitor. A Car. Emmanuele selectus est e consilio s. Caroli Bor. in conscientiae suae moderatorem († 13. Jun. 1591). Opuscula quaedam Francisci de Avila in linguam vertit patriam[1]).

137. Mauritius Parmensis O. S. Aug. „Tertius“ dictus juxta Ossinger p. 663, quia in eodem coenobio parmensi duo alii magistri Mauritii nomine florebant, juxta Affò probabilius, quia Terzi erat nomen familiae[2]), s. paginae doctor, coram Clemente VIII. functus est oratoris munere. Electus a sodalibus vicarius generalis in Germaniam et Poloniam venit claustralemque apud sodales induxit disciplinam, multaque monasteria ab Ecclesiae hostibus in Bohemia diruta vel capta recuperavit. Decessit provinciae bavaricae praepositus 18. Febr. 1594 a. aetatis 43. Scripsit *Breve chronicon ordinis,* Venetiis 1582 in f. *Quodlibetum primum* Gerardi Senensis Perusiis disputatum edidit Viterbiis 1567; aliaque scholasticorum opera legitur illustrasse: num vero hi labores literarii lucem viderint, nos latet. — *Chronicon O. Erem. s. Aug.* scripsit et Josephus Pamphilus O. S. Aug., in quo agit de ejus viris sanctitate vel doctrina vel rebus gestis illustribus (usque ad a. 1575), Romae 1581 in 4., opus sat rarum. Erat Pamphilus patria Veronensis illustri natus familia. Omnigena instructus doctrina insignis quoque erat musicus, hinc factus est cantorum pontificiorum choragus et sacrarii pontificii praefectus. Decessit episcopus signinus (1570—1581). Disseruit quoque *de origine multarum gravissimarum in Ecclesia caeremoniarum*; *de exorcistis* et antiquo ritu expellendi daemones; *de sacris ritibus* apud veteres pontifices in conficiendis et administrandis baptismatis, chrismatis, et eucharistiae sacramentis ll. III, quae tamen opuscula videntur non prodiisse. — Hieronymus Roman O. S. Aug. puer studia adeo aversabatur, ut ob id parentibus ingratissimus domo fuerit ejectus. Confugit tamquam ad asylum ad ordinem s. Augustini, in quem receptus gradatim mutatus est in virum alium totumque se dedit librorum lectioni. Multas peragravit ordinis provincias lustravitque archivia ut notitias de eodem sibi compararet, dictus hinc ordinis chronographus († 1597). Plura exaravit opera: *Chronica* de la Orden de los Eremitanos de s. Augustin, Salmanticae 1569 in f.; a quo distinguitur: Premiera parte *de la Historia* de la Orden de los Frailes Eremitanos de S. Augustin Compluti 1572; *de rebus publicis* hebraea, christiana etc. ll. 16 (quot scil. res publicas describit), Salmanticae 1595, ed. 2. aucta; *Vida de s. Niclas da To-*

[1]) Cf. Echard II, 304; Vermiglioli Biogr. degli scritt. perug. I, 244—48.
[2]) Memorie degli Scritt. e Letterati Parmigiani IV, 190.

lentino, Caesar Augustae 1600 in 8. et plura alia opera historica, quae tamen manserunt inedita[1]). „Nec tamen, inquit N. Antonius, immensae hujus lectionis ac diligentiae solidam sibi laudem apud nostros homines comparare potuit, qui in tam vasta rerum ingenio ab eo versatarum mole judicii plus atque examinis non perverse aestimantes iniqueve, desiderant.“ — Wernerus patria Juliacensis, Titianus a villa Titz dictus, Can. reg. s. Aug. factus est in Novesii monasterio. Prior ei praefuit, dein coenobio marbacensi in Alsatia. Dum hoc laudabiliter administraret, suum a Novesiensibus solo aequatum accepit. Quare collegit *Annales* Novesienses ab a. 690—1592, quos ed. Martene in coll. ampl. IV, 523—740, in quibus sui monasterii historiam sibi conscribendam proposuit, ita tamen ut simul archiepiscoporum civiumque coloniensium aliarumque circum positarum ditionum res gestas intactas non reliquerit. Monasterium novesiense postea a Marcello Lentio congregationis windesheimensis praeposito generali conjunctum fuit cum coloniensi Corporis Christi, et Werner utrique prior praepositus, licet ipse hanc conjunctionem aegerrime ferret imo impugnaret et ut rescinderetur effecit. Ipse Werner postea electus est congregationis windesheimensis superior generalis.

138. Marcus Olisiponensis O. S. Fr. reg. Obs. unus ex fundatoribus ac secundus discalceatae provinciae s. Antonii in Lusitania minister, episcopus portuensis (1581; † 1591), jussu ministri generalis Andreae Insulani peragratis praecipuis coenobiis Italiae, Hispaniae et Galliae multisque collectis documentis composuit scripsitque sermone lusitano *Chronica O. Min.* Olisipone 1556 p. 1; 1561 p. 2; utraque p. 1615; Salmanticae 1570 p. 3. in f. hispanice. Eam reognovisse, ad alium stilum methodumque reduxisse et t. 2 Salmanticae 1625 vel 1626 edidisse Jo. Nunnez (Nunius † c. 1630) scribit Sbaralea p. 445. Versa fuit haec historia in varias linguas et continuata. Ita Horatius Diola Bononiensis vir secularis et laicus italice vertit t. 1. Brixiae 1581; Venetiis 1585; 1586; 1599; t. II. ib. 1589; 1590; t. III. ib. 1591; 1612 Bartholomaeus Cimarellus[1]) sodalis ex oppido Corinalti dioecesis senogallensis († 1628) p. 4. in quinque vol. distributam adjecit, quae prodierunt Venetiis 1620, et Neapoli 1680 in f. — Ludovicus de Rebolledo ejusdem ordinis sodalis provinciae baeticae, quam ineunte seculo decimo septimo administrabat, elegantius quam accuratius, ut ait Waddingus, scripsit *Chronica general de S. Francisco* y de su orden Apostolico, Hispali 1598 t. 1. in f.; 1603 t. 2., in quo historiam prosequitur ad a. usque 1370. Tomo primo subjectus est *Un Catalogo* de los Santos y Varones notables de la mesma orden. — Petrus de Salazar O. Min. casarrubiensis, qui castellanae provinciae semel atque iterum administrationem gessit, scripsit *Coronica y Historia* de la fondacion y progresso de la Provincia di Castilla de la Orden del bienavventurado P. S. Francisco, Matriti 1612 in f.

139. Sibrandus Leo Leovardiae in Frisia natus c. 1525 O. Praem. concionator insignis, propter fidem in exsilium pulsus extra patriam obiit 22. Jan. 1588. Collegit[2]) *vitas et res gestas abbatum* in Lidlum (ubi annos aliquot degerat), ab a. 1132—1575: et *vitas et res gestas abbatum Horti d. Virginis*

[1]) Cf. Ossinger p. 772 ss.; Nicol. Antonius Bibl. h. n. II, 600. Alius autem est ab Hier. Roman de Higuera S. J., de quo infra agemus.

[1]) Cognatus ejus fuit Vincentius Maria Cimarelli O. Praed. († 1660), cujus exstat: *Istorie dello stato d'Urbino*, Brixiae 1642, opus absque judicio critico conscriptum.

[2]) Cf. Goovaerts Ecriv. de l'ordre de Prém. II, 177 s.

(Mariengaarde), utrumque apud Ant. Matthaeum in Analectis, qui ea primum edidit t. VI. a. 1704, et ed. 2. III, 537—588 et V, 241—266; et in C. L. Hugo sacr. antiq. mon. t. II. — Aegidius Leondelicatus O. Carm. Siculus in nonnullis coenobiis prior († 1597) reliquit opus posthumum *Giardino Carmelitano* pp. 4, nel quale si contengono l'Historia dell Origine, continuatione e moltiplicatione della sacra ed antichissima religione carmelitana, Panormi 1600 in 4. — Josephus Falcone O. carm. Placentinus (fl. 1592) reliquit *Chronicon O. Carm.*, Placentiae 1593. — Ad historiam Societatis Jesu spectant *Literae annuae* a. 1586 et 1587, quas Romae 1589 edidit Franciscus Benci S. J. celebris Antonii Mureti discipulus, in literis humanioribus cultissimus, quas diu professus est Senis, Perusii et Romae († 6. Maj. 1594); *Annuae literae* a. 1588, ib. 1590; *Annuae literae* a. 1589, ib. 1591; a. 1590 et 1591, ib. 1594. Alia ejusdem opera ad literas humaniores spectantia cf. apud Sommervogel I, 1285—92. — *Literas* a. 1594 et 1595 edidit Sebastianus Beretrai S. J. Florentinus. — De *missione* in Japonia multa habentur in literis Ludovici Froës S. J. Lusitani ex Pacensi urbe (Beja) n. 1528, qui P. Barzeum comitatus est in Indiam (1548), inde transiit in Japoniam (1563), ubi spatio 34 a. laetissimos retulit fructus († 1597). Labores et fructus describit resque Japoniae in suis epistolis lusitana lingua exaratis et alias in linguas translatis. Eae reperiuntur in variis literarum ex missionibus collectionibus, quas recenset Sommervogel III, 1029—1038. — Plura pariter colliguntur ex *literis* Casparis Coëllo sodalis et per a. 18 missionarii in Japonia († 7. Maj. 1590), de quibus cf. Sommervogel II, 1266 s., et ex literis annuis e Japonia ab a. 1593—94, quas edidit Petrus Gomez S. J. ibi quondam (1590) provincialis († 1. Febr. 1600), Romae 1597 in 8.

140. De *sanctis* bene meruerunt praesertim duo, Petrus Galesini († 1590) et Joannes Molanus seu Vermeulen († 1585). Is natus est Insulis (Lille 1533), theologiae operam dedit Lovanii, ibique etiam post promeritam doctoratus lauream theologicas disciplinas publice tradidit. Constitutus est a Philippo II. librorum censor, factus canonicus, professor et regii Seminarii praeses. Suae diligentiae et eruditionis testes sunt plura opera, inter quae eminent: *Usuardi martyrologium* doctissimis uberissimisque annotationibus ilustratum, adjectis tractatu de martyrologiis, chronico cunctorum Flandriae sanctorum et calendario ecclesiastico, Lovanii 1568 et saepius deinceps. Prima tamen editio est optima. Tractatum illum Baronius luculentum appellat piumque valde ac eruditum; quantique ipse Molanum fecerit, liquet ex suis ad Henricum Gravium literis, in quibus testatur[1]), „se tanti viri de Ecclesia Dei et veritate catholica optime meriti nec brevem schedulam deperire aequanimiter pati, cui (dicam ingenue) isthaec omnia hac ex parte accepta fero, quod in densissimam silvam primus ipse ingressus mihi aliisque aditum fecit: quo etiam nomine cum ego tum eruditi omnes plurimum ei debere lubenter agnoscimus et confitemur.“ Aliud ejusdem opus est: *De picturis et imaginibus sacris* l. unus[2]) tractans de vitandis circa eas

---

[1]) Cf. Baronium in praef. ad martyrol. rom. c. 9. Etiam Dupin de eo scribit (16, 133): „Tout ce qu'a fait Molanus est curieux et recherché. Il est le premier, qui ait entrepris de faire des Notes critiques sur le Martyrologe et l'on peut dire qu'il a très-bien réussi.“ Ipsius editionem multum laudat etiam J. B. Sollerius S. J. in sua editione, quam habes in t. VI. Junii Act. SS. Cf. A. Wauter Biogr. nat. XV, 48—55.

[2]) Die Schrift von Molanus ist so berühmt, daß sie überall bekannt ist; daß sie auch heute noch ihren Dienst thut, brauchen wir nicht erst zu bemerken. (Katholik 1865 p. 1 pag. 463).

abusibus et de earum significationibus; adnexa est responsio ad tres quaestiones: utrum usus ss. imaginum legitimus sit; an liceat orare pro iis, qui nunc martyres moriuntur; an damnato ad mortem liceat negare eucharistiam, Lovanii 1570; dein titulo immutato *historia ss. imaginum et picturarum* pro vero earum usu contra abusus ll. 4, ib. 1594; Duaci 1617; aucta annotationibus, correctionibus et supplementis cura Paquot, Lovanii 1771; etiam in *thesauro* Zaccaria IX, 402 et *cursu theologiae* ed. Migne XXVII, 1 ss. *Natales sanctorum Belgii* cum chronologica recapitulatione, Antverpiae 1595; auctum a Raissio[1]) canonico duaceno, Duaci 1616; *Indiculus alphabeticus sanctorum Belgii,* Lovanii 1573; *Medicorum ecclesiasticum diarium* seu de medicis sanctis, Antverpiae 1595 in 8; *de piis testamentis et quacunque alia ultima voluntatis dispositione,* Coloniae 1585; *theologiae practicae compendium* per conclusiones in 5 tractatus distinctum, ib. 1585; 1590; Lovanii 1625; Antverpiae 1626; *de canonicis* ll. 3, Coloniae 1587; Lovanii 1670; opus eruditum res scitu dignas complectens; *bibliotheca materiarum* quae et a quibus auctoribus cum antiquioribus cum recentioribus sunt pertractatae p. 1; accedunt catalogi duo: 1. catholicorum s. Scripturae interpretum biblicorum librorum ordine; 2. scholasticorum theologorum in Thomae Aq. Summam auctore A. Schotto, Coloniae 1618 in 4.; pars altera non videtur prodiisse; *de fide haereticis et rebellibus servanda,* de fide et juramento, quae a tyranno exiguntur ll. 5, Coloniae 1584. Juvit etiam Surium in colligendis sanctorum vitis, praefuitque post mortem Thomae Gozaei theologiae in studio lovaniensi professoris († 8. Mart. 1571) editioni operum s. Augustini, quae prodiit Antwerpiae 1577 v. 11 in f. et novies fuit recusa. Demum ex ejus schedis edidit de Ram *Historiae Lovaniensium ll. XIV,* Bruxellis 1851 t. 2 in 4. — Alter est, ut diximus, Petrus Galesini Anconitanus, protonotarius apostolicus, in linguarum et antiquitatum ecclesiasticarum studio versatissimus, s. Carolo Borromaeo in restaurando ritu ambrosiano et reparanda ecclesiae disciplina administer acceptus, qui edidit *Martyrologium romanum* annotationibus historicis illustratum, Mediolani 1567; Venetiis 1578, romanis tamen censoribus non probatum[1]). Vertit quoque Gregorii Nisseni hom. VIII *de beata vita* et l. *de virginitate;* hom. V *de oratione dominica,* latine cum ejusdem *vita* e veteribus auctoribus collecta, Romae 1563; composuitque Commentarium brevem et dilucidum *de bibliis graecis interpretum LXXII,* Romae 1587; Mediolani 1587; *Commentarium in Pentateuchum,* ib. 1587. Quaedam annotavit in tres posteriores Salviani de providentia ll., duosque posteriores ll. qui omnino perturbati erant in ordinem reduxit, simulque edidit *homilias s. Maximi taur., Paciani opuscula, Sulpicii Severi* historiae ll. 2; Eucherii ep. lugd. *opera* a mendis expurgata; Haymonis halberstad. s. historiae epi-

[1]) Arnoldus Raissius patria Duacensis, ibidemque canonicus († 6. Sept. 1644) plura alia edidit, inter quae *Belgicam christianam* seu de episcopis provinciae belgicae, Duaci 1634 in 4. Cf. Foppens I, 101.

[1]) „Opus romanorum censorum judicio, affirmat Mich. a s. Joseph Bibliogr. crit. 3, 275, minime accuratum, imo valde negligenter conscriptum, nimiaque sua prolixitate prorsus ineptum. Certe in eo haud raro personae locaque confunduntur ac nonnunquam fidelitas in citationibus desideratur. Idem Galesinii martyrologium jussu ejusdem pontificis a Baronio recognitum et in multis emendatum prodiit Romae 1584.“ Andres dell' origine etc. d'ogni Letteratura p. 6. l. 4. c. 2: „Tentò il Galesini di ridurlo (martyrologium) a maggiore correzione, ma non fece che accrescere il guasto.“ Cf. Tiraboschi P. VII l. 2. c. 1 n. 55; Argellati bibl. script. med. II, 2113, qui ejus opera (65) edita et inedita diligenter recenset.

tomen etc.. omnia simul Romae 1564; s. Bonaventurae *vita,* ib. 1588, et inter op. s. Doctoris; *acta ecclesiae mediol.* sub s. Carolo literis mandata et edita, Mediolani 1581 in f. Plurima opera inchoata vel jam parata reliquit inedita.

141. Inter hagiographos refer praeterea Mauritium Chauncy O. Carth. priorem in carthusia anglicana brugensi († 2. Jul. 1582), qui testis oculatus describit certamen praeclarum 18 sodalium sub Henrico VIII. Prodiit haec *Historia aliquot nostri seculi martyrum* Moguntiae 1550; Monachi 1573; Mediolani 1606; Gandavi et Coloniae 1608, et juxta aliam recensionem in Analectis bolland. VI (1887), 35—51. — Thomam Bouchier (Bourchier, latine Lanius, Lanio, italice Beccaro) O. Min. reg. Obs. Anglum, doctorem sorbonicum, qui longo tempore propter fidem catholicam vixit in exsilio factusque est poenitentiarius lateranensis († 1586). Narrat historiam *de martyrio fratrum O. S. Franc.* dictorum de Obs., qui partim in Anglia sub Henrico VIII., partim in Belgio sub principe Auriaco, partim in Hibernia tempore Elisabethae reginae (ab a. 1536—1582) passi sunt, Ingolstadii 1583; Parisiis 1586. *Censuram orientalis ecclesiae* de praecipuis haereticorum dogmatibus ed. a Stanislao Socolovio recognovit, a mendis expurgavit ac notis marginum illustravit, Parisiis 1584 in 4. — Gabrielem Fiamma (Flamma), episcopum clodiensem (Chiozza 23. Jan. 1584—7. Jul. 1585), cujus *vitae sanctorum* prodierunt Venetiis 1602. — Valerius Maschetta (Muscheta) O. Praed. Patavinus (fl. 1591) reliquit plures vitas, e quibus saltem *Vita b. Joannis Vicentini O. Praed.* (sec. XIII) prodiit in Act. SS. 2. Jul. I, 467—485. — Florentius van Oyen O. Min. Germaniae inferioris provincialis (1570), dein guardianus mechlinensis et commissarius generalis (1580; † 1595), juxta relationem testium oculatorum narrat [1]) *Historiam passionis* novorum in Germaniae inferioris provincia martyrum O. S. Fr. de Observantia, Neapoli 1581, ed. valde mendosa; Ingolstadii 1582. — Horatius Tursellinus (Torsellino) S. J. Romae n. 1545, seminarii romani, collegii florentini et lauretani rector († 6. Apr. 1599), a literis classicis, in quibus excelluit et egregios habuit discipulos, maximam adeptus est nominis celebritatem. Praeter opera, quae ad has spectant, composuit *Epitomen historiarum* ab origine mundi usque ad a. 1598, Romae 1598, admodum tenuem saepe editam, continuatam, hinc vulgatissimam et in alias versam linguas. *De vita Francisci Xaverii,* Romae 1594, ed. valde mendosa: hinc novam curavit ed. auctam et in sex distributam ll., ib. 1596, cui accesserunt ejusdem Xaverii *epistolarum ll. 4,* deinde saepius recusa, adhuc Bononiae 1797 in 8. *Lauretanae historiae* [2]) *ll. V,* Romae 1598 in 4; saepius editi, adhuc Laureti 1837, etiam in alias linguas versi. — Henricus Fabricius O. quondam Carth. quem tamen ob affectam valetudinem relinquere est coactus, parochus, dein episcopus auxiliaris spirensis (1574—1585), concinnavit *Auszug bewerter Historien* der fürnemsten Heiligen Gottes aus den 6 t. L. Surii, Cöln 1583; 1592; 1599; et 1606 cur. Val. Leucht (de quo infra). — Fulvius Cardulus S. J. Narnensis, Romae poeseos et rhetoricae magister († 1591) SS. martyrum Abundii presbyteri, Abundantii diaconi, Marciani et Joannis ejus filii *passionem* ex tribus codd. deprompsit annotationibusque illustravit, Romae 1581 et (contractam) in Act. SS. Sept. V, 300. *Passio* ss. MM. Getulii, Amantii, Cerealis, Pri-

[1]) Cf. Biogr. nat. de Belg. XVI, 430.

[2]) Victor Briganti, qui eodem tempore vixit, reliquit Istoria *della Traslazione della s. Casa della Madonna* a Loreto, già scritta a Clemente VII. P. M. da G. Cesare Galeotti d'Assisi, additis aliquot miraculis, Macerata 1599; Camerino 1606; Venetiis 1611.

mitivi, Symphorosae ac septem filiorum notis et digressionibus illustrata, Romae 1588.

142. Ad historiam *literariam*[1]) referri possunt: Arnoldus Wion O. S. Ben. Duacenus, qui ob haereticorum turbas solum vertere coactus est: hinc in Italiam secessit seque congregationi casinensi adjunxit. Composuit *Lignum vitae*, ornamentum et decus Ecclesiae ll. 5, Venetiis 1595 in 4., quo opere continentur elogia virorum sui ordinis virtutis vel doctrinae fama clarorum, unde H. Menard suum compilavit *Menologium benedictinum*. — Placidus junior Romanus, monachus et diaconus casinensis OSB. († c. 1587 a. aetatis 37) adjecit Petri diaconi pariter casinensis l. de viris ill. *supplementum*, quod cum illo saepius prodiit (cf. supra II 52). — Antonius Riccoboni patria Rhodiginus (Rovigno), professor eloquentiae in academia patavina, vir in literis humanioribus excultus, ut testantur ejus de hisce opera († 1597), reliquit *de gymnasio patavino* ll. VI, opus minoris pretii literarii, cum juxta Padapopoli[1]) potius sua quam aliorum professorum celebret merita. — Majoris jam pretii est opus Guidonis Panciroli *de claris legum interpretibus* ll. 4. Natus est G. Panciroli Rhegii in Aemilia a. 1523. Juris studio se inprimis impendit; ideo celebriores adiit juris interpretes et Patavii haerens, etsi adhuc discipulus ab illius academiae senatu selectus est professor institutionum (1547). Inde evocatus ab Emmanuele Philiberto Sabaudiae duce ad illustrandam academiam taurinensem (1570): ob aeris intemperiem coactus est redire Patavium. Gregorius XIV. et Clemens VIII. Romam eum invitarunt, sed maluit quietis gratia manere Patavii, ubi decessit[2]) 17. Maj. 1599. Opus illud primum prodiit 1637 cura ejus nepotis Octavii Panciroli, qui aliquot notitias adjecit, quae tamen additamenta facile dignoscuntur a textu originali. Opus est admodum eruditum, etsi auctor fama populari seductus plura referat veritati historicae minus consona. Aliud ejus opus *Thesaurus variarum lectionum* utriusque juris ll. 3 prodiit cura alterius nepotis Hectoris P. 1616; Lugduni 1617, et in Muratori Thes. inscript. vet. IV, 2125; *Consilia*, Venetiis 1578 in f. Delectabatur et studio antiquitatis, cujus fructus sunt *Notitia dignitatum* cum Orientis tum Occidentis ultra Arcadii Honoriique tempora et in eam commentarium,

[1]) Praetermittimus Andream Thevet (Thebith) Engolismensem prius O. Min., qui tamen ex indulto sedis apostolicae factus est clericus secularis. Honoratus fuit titulo cosmographi regii et sub auspiciis Henrici II, cunctas fere mundi peragravit regiones circumactisque a. 23 fructum peregrinationis sermone patrio exhibuit in *Cosmographie de Levant*, Lugduni 1554; 1556 etc. Compilavit *Histoire des hommes illustres*, Parisiis 1584 in f.; 1671 t. 8 in 12., opus juxta Feller absque judicio critico confectum, plenum ineptiis et erroribus. Obiit auctor 1590 a. aetatis 88. — Ad historiam literariam etiam theologiae haud parum contulit Georgius Willerus bibliopola augustanus, de quo scribit Aub. Miraeus Script. sec. XVI n. 127: „Cum singulis nundinis francofurtensibus magna librorum novorum copia adveheretur, exstitit primus auctor conscribendorum catalogorum ab a. 1554. Cumque omnibus institutum hoc valde probaretur et catalogorum exemplaria avide expeterentur ac per omnes provincias longe lateque distraherentur, id Willeri auspiciis et typographico labore Nicolai Bassaei Francofurtensis continuatum fuit usque ad a. 1592. Visum autem viris aliquot curiosis operae pretium, si omnes editi Bassaei typis catalogi in unum corpus alphabetico ordine colligerentur (quod factum est a Georgio Draudio): quod institutum et absolutum et in 3 t. distributum fuit. In 1. hebraice, graece et latine scripta continentur, diversarum materiarum, in certas tamen classes distributarum. In alterum t. germanici ll. digesti. 3. complectitur hispanice, gallice et italice scripta promiscue notata, neque eadem materiarum serie velut in prioribus tomis. Obiit Willerus 1593—94.

[1]) Hist. gymnasii patav. II, 226.

[2]) Cf. Tiraboschi VII p. 2. pag. 171; Rotermund V, 1480.

Venetiis 1593; 1602; Lugduni 1608; Genevae 1623; cum eo op. conjungitur diss. *de magistratibus municipalibus* et corporibus artificum, libellus de XIV regionibus urbis Romae earundemque aedificiis tam publicis quam privatis; Rerum memorabilium ll. 2; quorum prior deperditarum, posterior noviter inventarum est, prius italice, dein latine reddita ab Henr. Salmuth, Edimburgae 1599—1607 t. 2 in 8; Venetiis 1612; Lugduni 1617; Francofurti 1617; 1631; 1660; Lipsiae 1707; *Stimuli virtutum* adolescentiae christianae dicati ex italico Guil. Baldesani latine facti, Coloniae 1594. In Tertulliani opera *commentaria* prolixa composuit vol. 6 in f., quae asservabantur in bibliotheca rhegiensi et commodata fuere editoribus Maurinis: ubi nunc sint, nescitur. Ea quae sunt in l. *de oratione* edidit Muratori in Anecdotis Patavii 1713.

VI. Theologia practica.

143. Plures hac periodo occurrunt *pontifices,* quorum tamen aliqui brevissimo tantum tempore sedem tenuerunt apostolicam. Immortalis memoriae est Gregorius XIII. Ante suam electionem vocabatur Hugo Buon Compagno atque Bononiae 7. Jan. 1502 natus est. Juris studio se dedit, quod et docuit octennio magna nominis fama. Romam se contulit, ubi ad altiores gradatim conscendens dignitates, a Pio IV. creatus est cardinalis (1564) et legatus missus in Hispaniam. Defuncto Pio V. post conclave sex horarum electus est magno cardinalium consensu pontifex 13. Maj. 1572. Ingentia sunt ejus merita de ecclesia: nam in ejus bonum, restaurationem, dilatationem variis in locis pro aliis atque aliis gentibus ad 23 seminaria condidit vel ampliavit, inter quae eminet seminarium romanum et germanicum, cui Germania et Austria fere debent conservationem et augmentum fidei catholicae. Laetissimos zelus ejus retulit fructus: Japones enim missa nobili legatione gratias egerunt pro fidei nunciis. Calendarium demum post tot vota et conatus solide reformavit[1]): Gratiani decretum et corpus juris canonici emendatum edidit[1]). Martyrologii emendationi operam dedit[2]). Studiorum erat Maecenas innumerosque bonae spei juvenes effusa sustentavit liberalitate. Turbas Baji erroribus Lovanii excitatas misso celebri Toleto composuit; Urbem templis et operibus magnificentissimis exornavit, egenos omni qua poterat ope juvit: hinc senatus populusque romanus statuam ei adhuc vivo in Capitolio erexit. Principes christianos adversus Turcas conjungere est adnisus, sed, quod dolendum, nullo exitu. Dum alia magna moliretur opera, morte subita abreptus decessit[3]) venerandus 83 a.

---

[1]) De hac reformatione, quae forte celeberrimum est tanti pontificis opus, fuse et accurate disserit J. Schmid hist. Jahrb. III (1882) 388—415; 543—49; Kaltenbrunner Beiträge zur Gesch. der Gregorianischen Kalenderreform, Wien 1880.

[1]) In hac emendatione usus est opera in primis Hieronymi Parisetti Rhegii in Aemilia nati 1520, Romae in Sapientia diu professoris primum juris civilis, dein et canonici. Is strenue defendit Moronii (p. 104) innocentiam sub Paulo IV. eumque secutus est ad concilium tridentinum et in variis legationibus. Liberalissimus erat in pauperes et sacerdotes hibernos propter fidem Romae exsules. Ipso a. 1600 moriente opera manuscripta furto fuere ablata.

[2]) Cf. Laemmer De martyrologio rom. Parergon hist.-criticon, Ratisbonae 1878; Ild. Veith OSB. hist.-pol. Bl. CXVII (1896), 469—82.

[3]) Cf. Ciappi Comp. delle attioni e santa vita di Gregorio XIII, Roma 1591; Bom-

senex 10. Apr. 1585. — De ejus successore Sixto V. († 1590) jam supra p. 287 egimus. — Hunc excepit Urbanus VII. (15. Sept. 1590) ante Joannes Castagna dictus, patria Genuensis, qui tamen mox eodem adhuc mense morte fuit abreptus (26. Sept. 1590). Ei substitutus fuit 5. Dec. 1590 Nicolaus Sfondrato patria Mediolanensis vir candidissimis moribus, qui voluit dici Gregorius XIV: sed ne per unum quidem annum cathedram tenuit romanam: decessit enim jam 15. Oct. 1591. — Mox 29. Oct. 1591 electus est Joannes Antonius Fachinetto vulgo cardinalis Santiquattro ab ecclesia titulari appellatus, qui dictus est Innocentius IX. Natus is est Bononiae et juris studio absoluto adeptus est doctoris in hac facultate lauream. Ab Alex. Farnese, cardinali Pauli III. nepote, in familiam adscitus missus est Avenionem, qui vice sua hanc regeret ecclesiam. A Pio IV. factus est episcopus et missus legatus Venetias, ubi strenue promovit coalitionem adversus Turcas. A Gregorio XIII. purpura fuit donatus atque in gravissimis negotiis, sicut etiam ab ejus successoribus adhibitus. Ob ejus mores candidos, dexteritatem et prudentiam in gerendis negotiis electus est in pontificem bonorum omnium laetitia, quae tamen brevi post conversa est in moerorem, nam eodem adhuc a. post duorum tantum mensium pontificatum obiit 30. Dec. 1591.

144. Monumenta in *jure canonico* authentica collegerunt[1]) Caesar Mazutelli Italus, cujus cura prodiit Romae 1579 *Collectio diversarum constitutionum et literarum* (723) rom. pontificum a Gregorio VII. ad ss. D. N. Gregorium XIII. — Garzias de Loaysa Giron Talaverensis, Philippi principis studiis praepositus, pro serenissimo Alberto austriaco toletano archipraesule vices gerens ac tandem hujus nobilissimae Ecclesiae archiepiscopus (1597, sed † 22. Febr. 1599), quem viri eruditi ut Thuanus, Ger. Joannes Vossius, Baluzius[1]), Nicolaus Antonius[2]) etc. diligentiae et industriae nomine laudant in sacrae historiae veritate indaganda. Ejus est: *Collectio conciliorum Hispaniae* cum notis et emendationibus, Matriti 1593 in f. Praemittuntur: Ordo et chronologia gothorum regum et suevorum; chronologia toletanorum praesulum, item concilicrum. – Antonius Contius (vulgo le Conte) Noviomensis, qui in bituricensi et aurelianensi academia, aliquamdiu etiam in parisiensi, jurisprudentiam magna cum laude professus est. Tanti illum fecit Cujacius, ut nunquam se non doctiorem ab eo discessisse professus sit († 1586; juxta Schulte 16. Sept. 1577). Ejus scripta ad jus civile dilucidandum maxima ex parte pertinent: illustrando tamen pontificio non minimam dedit operam. Nam praeter *Kalendarium* Ecclesiae latinae et graecae et *Chronologiam* tripartitam ex Nicephoro episcopo constantinopolitano ad fidem anastasiani exemplaris emendatam et notis illustratam, id quoque curavit, ut nova et emendatior juris canonici editio, docta praefatione et notis aucta prodiret, et prodiit quidem Antwerpiae 1569—71 t. Majorem habuit partem in edendo *Decreto Gratiano* emendato et notationibus illustrato jussu Gregorii XIII, Venetiis 1584. Disseruit et *de causis* in s. officio cognoscendis.

plani S. J. Historia P. Gr. XIII, Dilingae 1685; Maffei Annales Gregorii XIII, Romae 1742; Brischar KL. V, 1142—45 etc.

[1]) Huc pertinent et Antonius Caraffa, de quo supra egimus p. 261, et Branden canonicus augustanus, qui collegit super concordatis inter s. sedem ap. et inclitam nationem Germaniae *collectanea*, Coloniae 1600. — Paulus Constabilis O. Pr. Ferrariensis, Magister s. Palatii et Magister ordinis (1580), qui cum Lombardiam lustraret, Venetiis 17. Sept. 1582 decessit.

[1]) In praefat. ad Reginonis l. de Eccles. disciplinis.

[2]) In bibl. H. N. I, 514 s.

4 in 8., sed secundum antwerpiensis censoris judicium mutilata praefatione, amputatis dedicatoriis epistolis etc., qua de re idem Contius conqueritur[1]). Plures ipse Gratiani errores annotat, qua in censura ei jam Antonius Demochares[2]) (de quo egimus supra p. 13) in prima Decreti editione c. a. 1540 praeiverat; imo saepe aperte profitetur Contius Gratianum suae collectioni admiscuisse plurima apocrypha et commentitia. *Decretum Gratiani* ediderat jam Parisiis 1556; opera omnia prodierunt Parisiis 1616 in 4; Neapoli 1725 in f.

145. Jus canonicum excoluerunt vel illustrarunt e *Belgis:* Petrus van Beck (Peck) Zeelandus n. 1529, quadraginta fere annis Lovanii juris canonici professor et tribunalis supremi assessor, qui ad regulas juris canonici *commentaria* scripsit valde prolixa, Lovanii 1564; Duaci 1574 in 4. etc. — Joannes Capetius canonicus lovaniensis († 12. Maj. 1599), qui scripsit *de origine canonicorum et eorum officio,* Antverpiae 1592. — Joannes Wamesius Leodiensis (n. 1524, † 21. Jun. 1590), qui in utroque jure admodum peritus magna accuratione et diligentia annos 16 Lovanii jus civile, dein 20 jus canonicum docuit. Haud spernuntur[1]) ejus *Responsorum* sive *consiliorum de jure pontificio* t. 2 in f., Lovanii 1605; 1618; 1643; *Responsiones ad tit. decretalium de appellationibus,* ib. 1604 in 4. — Boëtius Epo Rordahusae in Frisia parentibus catholicis natus 1529, aliquamdiu ad Calvinianos defecerat, sed iterum ad fidem avitam rediit et in nova duacena academia per a. 37 in docendo, consulendo, tractandis rebus publicis egregie versatus, titulo comitis palatini donatus ac juris pontificii primarius antecessor dictus est († 15. Nov. 1599). Plura scripsit[2]) ad utrumque jus spectantia, ut *Antiquitatum ecclesiasticarum syntagmata,* Duaci 1578; *heroicarum et ecclesiasticarum quaestionum ll.* 6, ib. 1588; *de jure sacro* vel principiorum juris pontificii ll. 3, ex quo op. plura in bibl. pontificiam recepit Roccaberti V, 761—835. — Gerardus Rudolphus († 1594), canonicus leodiensis auctor est l. *de literis canonicis,* videlicet formatis, pacificis, commendatitiis, dimissoriis, Coloniae 1582.

146. E *gallis* mentione digni sunt: Petrus Gregorius Tolosanus n. 1540, utriusque juris et omnium scientiarum

---

1) Cf. plura in Doujat praenot. canonic. l. 4. c. 13; l. 5. c. 8.

2) Lectionum subsec. 1. Andres (Dell' Origine etc. p. 6. l. 3. c. 2): Antonio Democare . . . con savia ed opportuna erudizione ebbe il coraggio di notarvi qua e la parecchi errori. Ma chi puo veramente dirsi *il primo* emendatore di Graziano è il dotto giurisperito Antonio Conzio, illustratore della civile giurisprudenza, venerato dallo stesso Cujacio, e che nel lavorare una nuova più diligente e critica edizione del decreto di Graziano in praefazioni, in nòte et in varie guise ne scoprì gli errori, e ne propose alle volte le correzioni, e ciò che torna a gran lode dell' avvedutezza della sua critica, s'accorse della falsità di vari monumenti da Graziano citati, e particolarmente su le decretali isidoriane si distese ad addurre gli argomenti di dubitarne, che sono realmente i medesimi, che vennero poi proferiti dagli altri critici. Non produsse nondimeno questa fatica del Conzio l'effetto, che se ne poteva sperare. Il censore d'Anversa . . . la tenne soffocata per alcuni anni, ne le permise di vedere la publica luce, se non che mutilate et tronche le prefazioni, in cui particolarmente dimostrava la falsità delle decretali, benchè lasciò stampare le note, dove gli stessi dubbi s'accennano."

1) Nam, ut scribit Doujat., l. 5. c. 8., „ingenium ei promptum et facile, judicium acre, memoria jurisconsulto vere digna, labor indefessus, eminens in utroque jure doctrina, rerum etiam forensium usus singularis, reipublicae non minus quam scholae idoneus."

2) Cf. Doujat l. c.; Schulte Geschichte der Quellen u. Literatur des can. Rechtes III, 685, et Rocaberti l. c. p. 761.

peritia magnus[1]), vir etiam pius, qui omnia sua opera Deo dicabat. Publice cum laude jura interpretatus est Tolosae, Cadurci (1570-80), dein Mussiponti, ubi decessit a. 1597. Ejus opera ad jus pontificium spectantia continentur t. 2 (Lugduni 1612; Francofurti 1623), quorum prior complectitur *Partitiones* totius *juris canonici* sive pontificii, in 5 ll. digestas scholiis et annotationibus illustratas, instar syntagmatis totius juris ecclesiastici (Lugduni 1594 in f., Aureliani 1623 etc.); cujus compendium exhibent *paratitla* juris canonici, Lugduni 1595; alter vero comprehendit: *Commentaria et annotationes* in decretalium proëmium; ad tit. de summa Trinitate et fide catholica; de constitutionibus, de rescriptis, de electione in re beneficiaria clara ac lucida enarratio. *Institutiones breves ac novae rei beneficiariae* s. tr. de beneficiis ecclesiasticis, Lugduni 1592 etc.; *de usuris* ll. 3, Lugduni 1592 in f.; Francofurti 1598 etc.; *de appellationibus* ll. 8, Ursellis 1599 tr. posthumus; *Réponse* au conseil donné par C. du Moulin sur la dissuasion de la publication du Concile de Trente en France[2]), Lugduni 1584 in 12, quo illius promulgationem commendat; in Molinaeum *pro pontifice M.*, cardinalibus, episcopis totoque ordine sacro *defensio,* Parisiis 1553, utrumque sub nomine Remundi Rufi. Ad jus quoque canonicum ex parte refertur *Syntagma juris universi* atque legum pene omnium gentium et rerum publicarum praecipuarum in 3 pp. digestum et in ll. 50 distributum, in quo divini et humani juris totius materia naturali ac nova methodo explicatur, Lugduni 1582 in f. etc. — Celebrior est Jacobus Cujacius (Cujas, Cujans), pariter Tolosanus, qui humili genere natus a. 1520 non parentum nec magistrorum ope, sed

1) Ita Bona in not. auctorum; KL. V, 1178.
2) Cf. Werner Gesch. der apolog. Liter. t. IV. § 691.

ingenii proprii viribus et improbo labore ad summam omnis literaturae ac praesertim juris (in primis civilis) peritiam pervenit[1]). Omnia fere doctorum ac interpretum juris volumina evolverat, cujus postea laboris eum poenituit: novam e graecis fontibus interpretandi rationem hausit, quam bonorum utriusque linguae auctorum atque historiae veteris ac romanae praesertim luminibus ad culmen perduxit[2]). Docuit per annos ferme 40 variis in academiis, ut Cadurci, Biturgiis, Valentiae, Augustae Taurinorum, Parisiis, indefesso labore, continuas sex septemve horas singulis lectionibus meditandis ac digerendis impendere solitus: ac si qua re non satis liqueret, comperendinare ac recitationem in alium diem differre non dubitabat. Neque ex scripto dictabat, sed continua pauloque lentiore oratione jura exponebat. Ingens erat auditorum ad ejus praelectiones concursus; illorum numerabantur Biturgiis mille. Eos ut pater fovebat, consilio, libris, pecunia liberaliter juvabat. Fertur etiam humi jacens pronus in ventrem libris circa se dispositis studuisse († 4. Oct. 1590). Ejus *opera* saepius collecta prodierunt; ed. optima Parisiis prodiit 1658. v. 10 in f., magis commoda et utilis propter egre-

1) Cf. Doujat, op. cit. V, 8.
2) Hinc Rosshirt Kirchenlex. II[1], 933 ss. inter alia de eo scribit: Er gilt gewöhnlich für den größten Civilisten unserer Wissenschaft ... Er begann eine neue Methode in der Erklärung des römischen Rechtes und theils durch das nachjustinianische Recht, durch wahre Philologie und echtes Eindringen in die lateinische und griechische Sprache, Benützung aller Antiquitäten und wahrer Einsicht des Römerthumes — also auf sicherer Unterlage mit ungeheurem Fleiße, stellte er das Verhältnis des corpus juris civilis her. Et Feller III, 149: Cujas est celui de tous les jurisconsultes modernes, qui a pénétré les plus avant dans les mistères des lois et du droit romain. Cf. vitam auctore Pap. Massono in F. J. Leickher coll. vit. cl. Ictorum Lipsiae. 1686 p. 264; operum elenchum apud Niceron VIII, 185 ss.

gium indicem est illa, quae prodiit Neapoli 1762; alia prodiit Venetiis et Mutinae 1758—83 t. 13 in f. Inter ejus opera nonnulla ad jus canonicum spectant, ut *Recitationes* ad ll. secundum, tertium et quartum decretalium Gregorii IX., Francofurti 1595, ad quas enarrandas nonnisi provecta jam aetate accessit[1]). Verum in hac disciplina minoris est auctoritatis et famae.

147. Ex *Italis* juri canonico operam dederunt Joannes Paulus Lancelottus Perusinus n. 1522, juris professor in academia patria († 23. Sept. 1590), qui *institutiones juris canonici* ad modum institutionum Justiniani hortatu Pauli IV. conscripsit, quibus tamen nihil adjecit ex jure novo per concilium tridentinum statuto. Eae pari cum Cucchianis minoribus (cf. supra p. 127) instituto, nec multum dispari forma, paulo forte minus elegantiae, sed paulo plus perspicuitatis habent. Ordo non multum diversus, uterque vix ultra decretalium et minorum collectionum metas excurrit, quarum verbis pressius inhaeret Lancelottus. Saepissime prodierunt, primum Perusiae 1563 in 4; Venetiis 1564, editio rara; cum ipsius annotationibus, Perusiae 1567; editionem cum annotationibus aliorum curavit Doujat Parisiis 1684 t. 2 in 12; imo receptae saepe fuere in editiones corporis juris canonici. Vel ipsi protestantes eas magni fecerunt, saepius ediderunt et commentariis illustrarunt[2]). Ipse jam 1560 ediderat Perusiae *institutionum juris canonici commentarium*, quo complectitur operis sui veluti historiam; *de comparatione juris pontificii ac caesarei* (Lugduni 1584 cum institutionibus) et utriusque interpretandi ratione, ib. 1588; 1613; *regularum ex universo pontificio jure* ll. 3, Perusiae 1587 cum adnotationibus P. Signorelli. Composuit quoque rerum indicem corporis juris canonici, quod sub auspiciis Gregorii XIII. Romae 1580 prodiit. — Post Lancelottum Franciscus Graziani de Garzadoro canonicus vicetinus († 1588) elaboravit *compendium juris canonici* omissis duplicibus et evacuatis constitutionibus rom. pontificum, Venetiis 1580 in f. — Marcus Mantova Benavides Patavinus, juris oraculum, vir eruditus et poeta, antiquarius et orator, qui in urbe patria cathedram rexit ab a. 1517—1572, claros habuit discipulos, inter quos Pium IV. († 2. Apr. 1582 a. aetatis 93), praeter dialogum *de concilio* (in apparatu coll. lab. t. I). Venetiis 1541, reliquit[1]) accuratos *commentarios juris pontificii* in omnes quatuor decretalium partes ordinarias, Patavii 1563 pp. 2 in f., quibus bene illustrat duos priores decretalium ll. Concinnavit quoque *Epitomen virorum illustrium* (in jure), quam edidit Hoffmann cum op. Panciroli *de claris legum interpretibus* Lipsiae 1723 in 4. — Evangelista a Canobio (quod est oppidum ditionis mediolanensis) O. Cap. concilio

[1]) Cf. Doujat l. c. Teste tamen Rosshirt l. c. jam Alexander Scotus, Cujacii discipulus, harum *recitationum* authentiam negavit. Auch das kanonische Recht behandelt er streng doctrinär, sucht die bestehende Ordnung durch Rückgriffe in vergangene Zeiten und Zustände zu verbessern und legte der disciplina vigens und der Tradition den geschriebenen Quellen gegenüber kein Gewicht bei. Ita Kaulen KL. III², 1214.

[2]) Tiraboschi VII l. 2 c. 4. n. 32: „Benche ei non avesse la sorte di vedere mai la sua opera solennemente approvata da' romani pontefici, potè nondimeno esser pago al vedere, che se ne fecero presto replicate edizioni, e ch'ella fu creduta degna da aggiugnersi al corpo del diritto canonico, come si è fatto ancora nelle piu recenti edizioni di esso. Inanzi a quello del 1606 si premettono le testimonianze all'opera stessa sommamente onorevoli di molti giurisconsulti etc.“ Cf. Vermiglirosi biografia degli Scrittori perugini II, 40—48; Schulte III, 451, quem de plerisque sequentibus conferre poteris.

[1]) Cf. opera, quae prae primis jus civile spectant sub n. 39, apud Vedova Biogr. degli Scritt. Padov. I, 564—79.

interfuit tridentino ab ejusdem patribus magni factus. Sodalium voto concordi electus est in ministrum generalem a. 1564. Gregorio XIII. erat admodum acceptus († 1595 a. aetatis 84). Reliquit *annotationes in ll. Decretalium,* Mediolani 1591.

148. Quam plures egerunt de singularibus argumentis. Rudolphus Cupers[1]) a terra plebis s. Stephani egit *de sacrosancta universali Ecclesia,* ejus sacramentis, principatu, senatu, conciliis, magistratibus et ministris jure divino institutis, prostratis impiorum rationibus h. e. dilucida commentaria ad c. ‚Oportebat‘ dist. LXXIX, Venetiis 1588, etiam in Roccaberti bibl. pont. XIX, 1—224, quo in tractatu plane egregio primatum solide tuetur. — Laelius Jordanus Sirleti et Palaeoti discipulus, juris civilis quondam Romae professor (1563), dein episcopus acernensis, demum archiepiscopus rosanensis († 1583), scripsit: *De romanae sedis origine et auctoritate,* Venetiis 1572; 1584; *de majoribus* rerumque capitalium episcoporum *causis ad papam deferendis,* ib. 1567; 1572; etiam in Rocaberti bibl. XV, 145—190. — Hieronymus Albanus Bergomas (n. 1504, † 25. Apr. 1591) a Pio V. cardinalis creatus (1570) »vir fuit excelsi animi, profundi judicii, reconditae sapientiae, eruditionis maximae et eloquentiae singularis: in voto dando immutabilis maximeque liber ac in salibus edendis facetus, temperatus minimeque mordax et in sententia dicenda gravis.« Militari prius vitae se dederat multisque in bellis reipublicae venetae munera perhonorifica obierat: hinc Pius V. de bello turcis inferendo cogitans, ejus maxime opera usus est, eumque ad principes christianos pro ineundo foedere legatum et suasorem misit. Exstant nonnulla praeclara hujus cardinalis doctrinae et jurisprudentiae monumenta a doctis aestimata, ut *de potestate papae et concilii,* Venetiis 1544; 1561 etc., opus rarum; *de ecclesiarum immunitate et de personis ad eas confugientibus,* Romae 1563; Venetiis 1584; *de donatione Constantini* facta Ecclesiae, Coloniae 1535; Romae 1547: *de cardinalatu,* ib. 1541, quae opera reperiuntur quoque in tract. univ. juris t. XIII. et XV; *disputationes ac consilia,* Romae 1553; Lugduni 1563; *lucubrationes* in Bartoli *lecturas,* Venetiis 1559; 1561; 1571 t. 2 in f. — Hannibal Grassi (de Grassis) Bononiensis (alius a concive Caesare G. jurisconsulto † 1580) n. 1537, post varia munera in curia romana fideliter obita episcopus faventinus (1575) et prolegatus per Romandiolam, demum nuncius apostolicus ad aulam hispanam († 24. Jun. 1590), disputavit *de jurisdictione universali* summi pontificis in temporalibus, quae diss. reperitur in Rocaberti bibl. pont. t. IV, 21—40. — Quintilianus Mandosi Romanus, narniensis et beneventanus gubernator, auditor s. palatii (n. 1514, † 1593) plura suo tempore utilia, quae referuntur in primis ad curiam romanam, reliquit, et inter haec etiam commentaria *in regulas cancellariae apostolicae* Julii III., Venetiis 1554 in 4; *Praxis signaturae gratiae,* Venetiis 1581 in 4. — Hieronymus Manfredi Bononiensis (n. 1510, † 14. Maji 1598) praeter alia scripsit *de cardinalibus* S. R. E., Bononiae 1564 in f.; *super attentatis* appellatione pendente ll. 2, ib. 1561; 1663 t. 2 in f. — Inter opera multa juridica[1]) Sebastiani Medices protonotarii apostolici, qui hoc tempore Florentiae vivebat, quaedam ad jus cano-

[1]) Alius ab eo est Laurentius Cuypers (Cuperus) O. Carm. per Belgium praepositus provincialis († 29. Mart. 1594), qui *b. Annae genealogiam et vitam* ex patribus concinnavit, Antverpiae 1592, et *quatuor hominis Novissima* concionibus XXIV explicavit, Coloniae 1583.

[1]) Horum catalogum cf. apud Zedler, Universallex. XX, 85 s.

nicum spectant; ejus quoque sunt: *Summa peccatorum capitalium* secundum communem opinionem doctorum, Florentiae 1579; tr. *de mirabilibus operibus Dei*, Maceratae 1590; *Summa omnium haeresum* et catalogus schismaticorum, haereticorum et infidelium, Florentiae 1581, opus rarum, non inutile pro historia reformationis in Italia, Gallia et Hispania.

149. Albertus Bolognetti Bononiensis n. 28. Aug. 1538, Paleotti, de quo mox, propinquus et discipulus, juris interpres, sed mox in legationibus adhibitus renunciatus est episcopus Massae et Populoniae et a Gregorio XIII. sacro senatui adscriptus. E legatione polonica ad conclave properans Villachii obiit 1585. Disputavit *de lege, jure et aequitate,* quibus insigniora nonnulla explicantur, quae iis de rebus juris peritus ignorare nullo modo debeat, Romae 1570. — Gabriel Paleottus Bononiae e familia illustri natus 4. Oct. 1522, literis apprime instructus moribusque angelicis in adolescentia refulsit, quam incorruptae innocentiae laudem ac famam toto vitae cursu integerrime servavit. Juris utriusque laurea adepta (1546) publice docuit (1546—56) jurisprudentiam magno omnium applausu et accursu, ut diceretur Alciati junior. Inter suos discipulos fuit quoque Hippolytus Aldobrandinus, postea summus pontifex Clemens VIII. Paulus IV., qui Ecclesiae tum reformationi totus intentus viros eidem procurandae aptos undique venabatur, pervulgata Paleotti fama commotus Romam evocatum s. Rotae auditorem constituit, maximisque negotiis pro sedis apostolicae honore et totius Ecclesiae utilitate transigendis doctorem adhibuit. Pius IV. illum ad concilium tridentinum misit, in quo haec ejus partes erant: concilii decreta digerere literisque mandare: legatos apostolicos et principum oratores adire, eorum consilia ultro citroque referre; si quid esset controversiae, de jure respondere: antistitum opiniones pro constituendis decretis conscribere etc. Qua in re tanta sapientiae, sedulitatis, fidei et integritatis documenta praebuit, ut patres moti dignum judicarint, quem ob merita publicis literis apud pontificem laudarent eundemque suae sanctitati ad gratiam enixissime commendarent. Igitur Pius non tam patrum precibus quam Paleotti virtutibus impulsus eum, quo reduce a concilio multum cum aliis viris gravissimis ad promulganda illius synodi decreta utebatur, anno 1565 in cardinalium album retulit et a. sequenti episcopum bononiensem dixit. A s. Carolo B. in episcopum fuit consecratus. Omnibus boni pastoris virtutibus refulsit, quotannis synodum dioecesanam habuit, totusque in eo fuit, ut universam dioecesim secundum decreta tridentina reformaret. Cum Gregorius XIII. bononiensem ecclesiam in metropolitanam erigeret (1582), ipse primus illius archiepiscopus synodum quoque provincialem celebravit (1586). Scholas et seminarium pro clericis aperuit, pias instituit sodalitates, pauperum egit curam. Quod s. Carolus Mediolani fuit, Bononiae esse ipse studuit. Domus ejus erat seminarium virorum illustrium. Studia impense et liberaliter aluit et fovit. In comitiis post Sixti V. mortem habitis unum tantum suffragium pro consequenda Petri cathedra illi defuit. S. Carolus Borromaeus „in primis G. Paleottum (in consilium) adhibebat, quem virum ob doctrinam, pietatem et ecclesiasticae administrationis insignem usum plurimi semper fecit[1]).“ Decessit 22. Julii 1597. Scri-

[1]) Ita Basilica Petri in vita s. Caroli l. 1 c. 7. Cf. plura de eodem ap. Eggs, Purpura docta l. 5. n. 12; Fantuzzi Notizie degli Scrittori bolognesi VI, 242—59; Ledesma de vita et rebus gestis G. Paleotti, Bononiae 1647 in 4.; Aug. Bruni ejus familiarem in Vet. scr. ampl. coll. VI, 1385—1438; et Merkle, qui fuse describit Kard. G. Paleotti's. lit. Nachlaß in Röm. Qtlschr. XI, (1897), 333—429. — Alius ab

psit Paleottus diatribam *de nothis et spuriis,* Bononiae 1550 in f. Venetiis 1572 in f.; Francofurti 1612 etc.; a doctis valde probatam; *de sacris et profanis imaginibus* ll. 5 laudatissimos magnaeque eruditionis, quibus multiplex abusus juxta ss. concilii tridentini decreta detegitur, Bononiae 1582 italice; latine Ingolstadii 1594 in 4; *Episcopale* bononiensis civitatis, Bononiae 1580 in 8; *Archiepiscopale* bononiensis civitatis, Romae 1594 in f., opus insigne omnium summam continens, quae ad rectam cujuscunque dioecesis gubernationem pertinent; *de sacris consistorii consultationibus,* Ingolstadii 1594; Romae 1596 opus rarum; *acta* concilii tridentini a. 1562. 1563, edita primum a Mendham Londini 1842; a Theiner inter acta Conc. trid. ab a. 1562—1563. II, 523—680, a quibus distingue *diarium* ejusdem uberrimum pro historia concilii fontem, quod Seb. Merkle edendum promittit. — Felicianus Ninguarda (Niguarda) O. Praed. Comensis, vicarius generalis ordinis per Germaniam et Viennae theologiae lector, archiepiscopi salisburgensis in conc. tridentino procurator (1560), visitator apostolicus omnium per Germaniam[1]) regularium, episcopus scalensis (1576), inde (1583) ad sedem s. Agathae, demum (1588) Comum translatus († 5. Jan. 1595), praeter alia composuit *Assertionem fidei catholicae* adversus articulos utriusque confessionis fidei Annae Burgensis etc., Venetiis 1563; *Enchiridion* de censuris, irregularitate et privilegiatis curam gerentibus et rerum ecclesiasticarum judicibus utile, Ingolstadii 1583; *Manuale visitatorum* 2 ll. complectens quae ad visitationem pertinent ac diversos visitandi modos omnibus, qui eo munere funguntur, commodum, Romae 1589; italice: *Atti della visita pastorale dioecesana* di F. Ninguarda ordinati e annotati dal S. Monti, Como 1899 t. 2; et pro dioecesi salisburgensi *Manuale parochorum* et aliorum curam animarum habentium complectens omnium sacramentorum rationem, naturam et administrationem cum instructione praesentibus temporibus conveniente, Ingolstadii 1582. — Praetermissis Antonio Scappi Bononiensi, in curia romana aliquamdiu advocato, et Laurentio Belo piceno, episcopo Capitis aqui (Cappacio, † 1586), cujus sunt Tr. *de mortuis* coemeterio restituendis, Brixiae 1562; *Enchiridion vitae J. Christi,* Neapoli 1568 — *de visitatione* et regimine ecclesiarum disseruit Paulus Fusco episcopus sarnensis († 27. Apr. 1583), Romae 1581; 1616 in 4; dedit insuper *Singularia* in jure caesareo atque pontificio, Venetiis 1574; cum Lud. Gomezii Leonii *centuria* decisionum et conclusionum 1600, et sub inscriptione *de jure statuum,* Francofurti 1620. — Simon Majoli Astensis, qui munere episcopali ob provectam aetatem se abdicavit (1597), disseruit *de irregularitatibus* et aliis canonicis impedimentis, quibus ecclesiasticos ordines suscipere

---

eo est Alphonsus Paleotti ejus nepos, ejus (1591) episcopus auxiliaris, dein 1597 successor († 18. Oct. 1597), cujus praeter alia est *Instruzioni per li Predicatori*, Bononiae 1598. Cf. Fantuzzi VI, 229—34.

[1]) De ejus sollicitudine, studio et prudentia, quaregiones superioris Germaniae visitavit refert J. Schlecht in diss. F. Niguardo und s. Visitationsthätigkeit im Eichstättischen Röm. Qtlschr. V (1891), 62—81; 124—150; fusius R. Schellhass in Quellen u. Forsch. aus ital. Archiven und Biblioth. I (1898), 39—108; 204—60; V (1903), 35—39. Ille (Schlecht) de eo pronunciat: Der Bischof von Scala gehört zu jenen Männern, deren Namen kein Geschichtsbuch nennt, und denen doch das deutsche Vaterland stete Dankespflicht schuldet. Reichenberger in röm. Qtlschr. XIV (1900) 356—376 aliud ejus scriptum de ecclesia ratisbonensi exhibet. Br. Albers OSB. describit ejus Visitationsthätigkeit in den österr. Kronlanden von Ende Sept. 1572 bis März 1576 in Stud. und Mitth. aus dem Ben. O. XXX (1902), 126-154.

et susceptos administrare quisque prohibetur, ll. 5, Romae 1576; 1619 in 4. etc. — Josephus Mascardi Serezanensis, episcopus auxiliaris adjaciensis († 1588), agit pro suo tempore admodum practice *de probationibus*, Francofurti 1593—95; 1607 t. 3 in f. etc. — Petrus Perusio *de mutatione status ecclesiarum,* Venetiis 1584; *de mutatione status personarum ecclesiasticarum* aliisque argumentis, quae reperiuntur etiam in tract. univ. juris t. XIV. et XV. — Jacobus Anellus de Bottis Neapolitanus et regi a consilio ad opera celeberrimi canonistae Nicolai Tedeschi († 1445 cf. II, 858), quae prodierunt Venetiis t. 9 in 4., *additiones* adjunxit, ib. 1591 in f., sicut etiam ad libros decretalium, ib. 1588 in 4. — Marcus Antonius Columna (Colonna) ex nobilissima Columniorum stirpe prognatus, in literis et virtute bene excultus a Pio IV. electus est archiepiscopus tarentinus et mox creatus cardinalis. Post obita varia honorifica munera magna cum prudentia factus est episcopus cardinalis praenestinus et a Clemente VIII. ob praestantem literarum cognitionem bibliothecae vaticanae praefectus. Benignum se praestitit virorum doctorum Maecenatem, et ob perspectas virtutes in variis comitiis a collegis dignus judicatus est pontificatu († 14. Maj. 1597). Scripsit Commentarium *de ecclesiasticorum redituum origine ac jure,* Venetiis 1576; 1585 in 4.

150. Inter *Hispanos*[1]) mentione dignus est Didacus de Simancas Cordubensis vir omnium aequalium consensu doctissimus, divini humanique juris peritissimus, juris civilis professor (1540). Fuit primum civitatensis, dein ferme per decennium pacensis, ad ultimum zamorensis ecclesiae antistes. A rege Romam missus fuit ad urgendam B. Carranzae causam, imo et proregis neapolitanorum munere functus est († 16. Oct. 1583). Praecipua ejusdem opera sunt: *de dignitate episcoporum,* Venetiis 1568; Antverpiae 1573 cum *enchiridio* judicum violatae religionis seu praxi haereseon; *de episcopis jurisperitis,* ib. 1574; *institutiones catholicae,* quibus tractatur quidquid ad praecavendas et exstirpandas haereses necessarium est, Vallisoleti 1552 in f., Romae 1575, opus rarum. Ejus opera collecta prodierunt Ferrariae 1692 in f. — Verum inter juris peritos inclitae illius nationis eminet par nobilissimum eodem anno (1586) defunctorum, Martinus Azpilcueta a patria communiter Navarrus dictus, et Antonius Augustinus. Illum „Navarra a. 1493 protulit, Castella autem nova educavit, Gallia virum fecit, Castella vetus Salmanticae sublimi loco posuit, Lusitania ornavit, decoravit ac tandem Roma summis quos privata fortuna capit, honoribus virum auxit, ejusdemque diem suum obeuntis cum magnificentissima pompa funus duxit.“ Ita de eo bibliotheca hispana, quibus adde, eum s. Francisci Xaverii fuisse avunculum, cum hujus sancti mater fuerit Martini soror. Tolosae prius, dein quatuordecim annos jus canonicum docuit Salmanticae, sexdecim Conimbricae, quo enixis precibus eum vocavit Joannes III. ad hujus academiae florem fa-

[1]) Huc referri quoque posset Ludovicus de Paramo, archidiaconus et canonicus ecclesiae legionensis, deinde apud Siculos fidei causarum apostolicus inquisitor, qui inter alia scripsit: *De origine et progressu officii s. Inquisitionis* ejusque dignitate et utilitate, necnon et rom. pontificis potestate et delegata inquisitorum, edicto fidei et ordine judiciario s. officii, Matriti 1598; Antwerpiae 1614 in f. „Plenum scil. opus, inquit bibliotheca hisp. nova 2, 57, varia eruditione ac doctrina, quod scribendi stilus et latinae eloquentiae facultas non mediocriter ornant.“ — Dionysius Paulus Llopis Valentinus utriusque juris doctor disseruit *de vera quatuor patriarchalium sedium dignitate* atque earundem proprie inter se aequalitate, Romae 1600 in 4.

mamque augendam. Bartholomaeum de Carranza archiepiscopum tolosanum (cf. supra p. 122), magna industria defendit prius Pinciae, dein Romae, quo octogenarius properavit. In hac urbe tribus pontificibus fuit eximie carus Pio V., Gregorio XIII. et Sixto V., ut eo in primis consultore uterentur in iis dijudicandis, quibus conscientia constricti tenemur. Ac Gregorius XIII. tantum homini honorem habuit, ut cum per urbem iter habens ante ejus aedes obequitaret, continuo juberet eum evocari foras et integram fere horam in via detineret[1]. Indefesso labore usque in extremam senectutem studio incubuit, illudque dies ante suum e vita discessum non amplius quinque intermisit, tantique ab omnibus aestimabatur ejus eruditio et prudentia, ut responsa ipsius oraculorum instar haberentur, et quilibet, qui in aliqua facultate excelleret, alter Navarrus appellaretur. Cum tanta eruditione solidarum virtutum conjunxit culturam. Cathedram nunquam conscendit, quin b. Virginis recitasset rosarium[2]; Tolosae ac Salamanticae qui mane conspectus fuerat in magna auditorum corona jus pontificium interpretari, vespere deprehendebatur in nosocomiis infimae sortis aegrotis praecinctus linteolo lectos sternere, sordes detergere, cibum in os inserere, nullum officii in eos genus quantumvis illiberale vel sordidum a se alienum ducere: jejunia nonagenarius senex servabat; mire semper misericordiae virtutem excoluit, adeo ut equus, quo vehebatur, sponte sua ad cujusvis pauperis occursum consisteret: ad excipienda quaevis reipublicae tam ecclesiasticae quam seculi munera ubique erat plane inexorabilis. Eum tandem meritis repudiatis quam gestis honoribus potiorem atque illustriorem

[1] J. Nicius Erythraeus in Pinac. I, 1.

[2] Er hat 60 Jahre lang den Katheder nicht bestiegen, ohne vorher den Rosenkranz zu beten. Historisch-polit. Blätter LXIV (1869), 443.

oppressit mors (21. Jun.), dum annum ageret 94. Navarri laudibus plena sunt aequalium et eo inferiorum commentaria, quoties mentio ejus incidit, passimque doctorum juris canonici sua aetate facile princeps salutatur[1], et etiam Buddeus protestans fatetur[2]: „Inter interpretes juris canonici, qui sec. XVI. floruerunt, maximam prae reliquis celebritatem consecuti sunt Didacus Covarruvias (cf. supra p. 120) et Martinus Azpilcueta.“ Etiam in theologia morali merito auctoribus classicis accensetur, et judice Gury inter antiquiores casuistas est ipse eminens.

151. Navarri *opera,* quae omnium manibus versantur, non sine ipsius laude et legentium fructu[3]) prodierunt Ro-

[1] Cf. encomia in bibl. hisp. nova l. c. Cf. de ipsius vita etiam plura in ejus ep ist. apologetica ad D. Gabr. de Cueva in ed. rom. t. 2.

[2] Isag. hist. theol. l. 2 c. 5 § 7.

[3] Cf. verba synodi mechlinensis a. 1607, quibus ejus manuale commendat supra p. 255. Ceterum in hac periodo plures floruerunt auctores in theologia morali classici, ut patet ex his s. Alphonsi Ligorii verbis (dissert. scholastica morali Neap. 1755): „Sedulo semper advertendum, quod auctoritas scriptorum non ex multitudine, sed ex eorum gravitate aestimari debet: ita ut paucorum vel etiam unius doctoris speciali scientia ac pietate praediti auctoritas aliis pluribus aliquando praeferenda sit. Non enim eodem modo inniti possumus auctoritate aliquorum auctorum, puta Caramuelis, Zanardi, Joannis Sancii, Leandri, Martini a s. Joseph, Dianae, Antonii a Spiritu s., Tamburini, Pasqualigi et aliorum, qui licet docti et probi ac bono fine ducti fuerint (non enim mala fide tradidisse ea, quae scripserunt, fas est suspicari), tamen incauti in pluribus opinionibus nimis benignitati indulserunt: sicut innitimur auctoritati Suarii, Soti, Azorii, Cani, Silvii, Cajetani, Bannez, *Navarri*, Paludani, *Toleti*, Sylvestri, Lessii, Angeli, Vasquez, Armillae, Valentiae, Laymanni, *Molinae*, de Lugo, Castropalai, Bonacinae, *Em. Sa*, Pontii, Cabassutii, continuatoris Tournely Roncagliae, Salmanticensium, Petrocorensis, Abelly, Cardenae, Coninck, Gamachaei, Isamberti et aliorum, quorum sci-

mae 1590 v. 3; Lugduni 1589—91 t. 3 in f.; ib. 1594—95 t. 5; aliis aucta Venetiis 1602 v. 5; 1750 v. 3 in f., e quibus notanda: *Manuale* sive Enchiridion confessariorum et poenitentium (prius hispanice Salmanticae 1557; auctum Pinciae 1569; latine Romae 1588 et saepius alibi), liber utilissimus, quem alii vel in compendium contraxerunt, vel annotationibus additionibusque auxerunt, ut Simon Magnus Ramlotaeus, leodiensis ecclesiae ad s. Petrum canonicus, Parisiis 1587, Franciscus de Sese juris consultus Venetiis 1573, Andreas Victorellus etc. *De horis canonicis et oratione* [1]), olim hispane ed. Caesaraugustae 1560; latine Lugduni 1580; Romae 1586; *Commentarium in cap. Inter verba XI. q. 3.*, in quo de gloria, honore, laude ac bona fama, deque ingloria, vituperio, infamia et detractione etc. tractatur, Conimbricae 1544 in f., Pinciae 1572 (hispane); Romae 1584 in 4; *de regularibus* commentarii tres, ib. 1576, quos postea recognovit; commentarium resolutivum *de usuris*, Pinciae 1569 hispane, Romae 1585 latine; *de anno jobelaeo* et indulgentiis omnibus, ib. 1576 ed. aucta; *de alienatione rerum ecclesiasticarum* ac de spoliis clericorum commentarium in principium et gloss. Summae XII. q. 2. de spoliis clericorum, super cap. ‚Non liceat Papae‘ eadem causa et quaestione, Romae 1573, quem recognovit postea et locupletavit; *de reditibus beneficiorum ecclesiasticorum*, quo docetur, quibus usibus sint impendendi et quibus personis dandi aut relinquendi, super cap. ‚Quoniam quidquid‘ XVI q. 1, Pinciae 1566 (hispane), Romae 1568; 1574 (latine); in quo opere contendit ecclesiasticos non ex praescripto misericordiae, sed ex lege ac praecepto justitiae obstrictos esse, ut bona ecclesiastica in pauperum sustentationem, exceptis tantum sibi pro statu suo necessariis, erogent. Cui cum opposuisset Franciscus Sarmiento [1]) Rotae tunc judex librum suum *de reditibus ecclesiasticis*, in quo illam sententiam asperitatis ac nimii rigoris plenam esse persuadere nititur, defendit se Navarrus *Apologetico* pro l. de reditibus ecclesiasticis, Romae 1570 (vel 1571), Antverpiae 1575: cui ille *defensionem* l. etc., Antverpiae 1616 in f. oppqsuit. Commentaria in 7 distinctiones *de poenitentia*, Conimbricae 1542 Lugduni 1569 etc.; et *relectiones* in diversa juris canonici capita; *Consiliorum seu responsorum* ll. 5 juxta ordinem decretalium dispositi, Lugduni 1591 v. 2 in 4; 1594 ed. 2; Brixiae 1597 etc. Compendium omnium operum Navarri elaboravit Jacobus Castellanus tarvisinus, s. theologiae doctor, Venetiis 1598 in 4; 1602; 1605.

152. Non minoris celebritatis est Antonius Augustinus, qui patriam habuit Caesaraugustam (25. Febr. 1516, secundum alios 1517). Novennium in-

---

entia quanta sit, undique perspecta est, praeter d. Thomam, d. Bonaventuram, d. Antoninum et Scotum, quorum auctoritas aliis equidem praeponi debet.“

[1]) *De tempore horarum canonicarum* pp. 3 disseruit cum laude Marcellinus Francolini Romae 1581, Venetiis 1605, addito ejusdem tr. *de matrimonio spadonis*.

[1]) Ortus est Fr. Sarmiento de Mendoza Burgis, tantoque profectu juris studio operam dedit, ut juvenis 21 annorum ex propria cathedra jus pontificium publice doceret non sine pecularii quadam sui laude inter ceteros professores. Romam translatus inter pontificios rotae auditores adlectus est, asturicensis dein episcopus factus (1574) ad ampliorem ecclesiam giennensem transiit. Obiit 1595 exactissimum christiani pastoris exemplar. Praeter opera laudata reliquit inter alia *Selectarum interpretationum* ll. 8, Romae 1571; Burgis 1575; Antverpiae 1616; opera ejus collecta prodierunt t. 3, Burgis 1573 et 1575 t. 1. et 2; Asturicae 1577 t. 3., simul Antverpiae 1616. De ejus cum Navarro controversia cf. Michael a s. Joseph bibl. crit. IV, 112 s.

sumpsit in juris studium partim Compluti, partim Salmanticae; nec eo contentus celebriores Italiae academias, patavinam et bononiensem, invisit. Florentiam deinde venit, ubi nondum viginti et sex annos natus edito libello *Emendationum et opinionum juris civilis ll. 4* (Venetiis 1543 etc.) eruditorum animos in se convertit; exemplum enim Andreae Alciati sequens ad interpretationem juris nova utebatur methodo, in subsidium vocans archaeologiam et philologiam. Romam adveniens postulante Caesare, a Paulo III. inter 12 viros litium totius orbis christiani judicandarum sive sacri et apostolici palatii (seu Rotae) auditores allectus, implevit omnes numeros integerrimi et prudentissimi judicis (1544). Julius III. eum in Britanniam destinavit, quo tempore inter Mariam reginam et Philippum Hispaniae principem pactum fuit „praesertim ut in componendis rebus, quae sacerdotibus sacrorumque ministris dicatae erant, tamquam jurisconsultus legato adesset"[1]). Romam redux a Paulo IV. praesul Alifanus dicitur et ad Ferdinandum imperatorem mittitur (1557): a Pio IV. rogatu Philippi II. in cathedram ilerdensem transfertur. Concilio tridentino interfuit et postquam ecclesiae ilerdensi 16 praefuit annos, archiepiscopus tarraconensis a Gregorio XIII. est renunciatus (1576), decessitque post decennium 31. Maj. 1586 pastor egregius. Laudantur in eo integritas ac temperantia, comitas gravitati conjuncta, animi aequabilitas, ut per viginti annos nunquam videretur iratus, castitatis cura, ac tanta in pauperes beneficentia, ut vasa sacra pignori dare et libros etiam quovis thesauro sibi pretiosiores in rebus arctis annonaeque caritate divendere non gravaretur. Eruditorum encomia paucis ejus encomiastes Schottus ita complectitur: „Maxima in illo cognitio antiquitatis, summa scientia juris antiqui legumque romanarum et familiarum; multae in eo, ut Romae natus videretur, literae et elegantia sermonis latini[1]). Ciceronem etiam senex legebat assidue ut eloquentiae principem; juris vero tanta in eo accuratio, ut veterum aliquis praestantissimorumque prudentum, Paulus, Ulpianus aut Papinianus ab inferis exstitisse ac revixisse vel animam ex Pythagorae sententia recepisse illorum videretur. Quanta porro historiarum antiquarumque rerum Graeciae et Italiae explicata cognitio! Jus pontificium et civile ita illustravit[2]), hoc adolescens, senex illud, ut principem illum jurisconsultorum nostrique aevi florem delibatum uno ore gentes omnes praedicent[3])." Et recenter a Döllinger *Magni* cognomine prae ceteris fuit cohonestatus[4]). Ipse unus e primis primorum pontificum epistolas decretales tamdiu pro genuinis habitas suppositas esse ostendit.

[1]) Ita Latinius in ep. ad Masium d. 10. Febr. 1555.

153. Praeter opera[5]) quamplurima, quibus Augustinus humaniora studia et jus civile illustravit, doctis lucubrationibus jus canonicum et res sacras exornavit. Exstant ejus generis: *Antiquae collectiones*[6]) *decretalium* (IV) cum

[1]) Cf. Bibl. hisp. nova 1, 97 ss.

[2]) Ita Du Pin de A. Augustino XVI, 135: Cet Auteur a pratiqué ce qu'il enseigne lui-même, qu'il faut joindre la pureté du langage à la science du droit.

[3]) Hinc. Aub. Miraeus in biblioth. eccles. eum dicit „juris civilis et pontificii instauratorem."

[4]) Rede auf der Gelehrtenversammlung 1863.

[5]) Horum elenchum cf. in bibl. hisp. nova 1, 100 ss., ap. A. Schottum in ejus orat. funebri, Baluzium in edit. operis de emendatione Gratiani a. 1672; Niceron 9, 70 ss. etc.

[6]) Andres l. infra c.: „Mentre queste sconosciute collezioni canoniche produceva alla luce, attendeva parimente alla correzione della conosciutissima di Graziano; ed egli solo ha dati piu lumi di tutti gli altri corretori per l'emendazione del famoso decreto."

admodum eruditis notis, Ileridae 1576 in f., Romae 1583; Barcinone 1592; Parisiis 1609; 1621; *Canones poenitentiales* seu sic dictum Poenitentiale romanum, cum notis, Tarracone, 1581; Venetiis 1584; et in edit. parisiensi epitomes juris pontificii; *de emendatione Gratiani* dialogorum (40) ll. 2, quod opus jam ab a. 1543 coeperat, sed occasione adornatae mandato Gregorii XIII. editionis auxit indicatis hujus edit. erroribus: illud omnigena eruditione est refertum, prodiit post ejus mortem Tarraconae 1587 in 4; Parisiis 1607; et cum opus rarum jam esset, iterum ib. curante Baluzio 1672 in 8; quam ed. cum aliis notis Mastrichtii recudit Viennae 1764 J. A. de Riegger; *Notae* in canones 72 ab Hadriano papa adversus falsos accusatores et oppressores episcoporum et pontificum in gratiam Ingelrammi Mediomatricum episcopi Romae tunc degentis collectos et communicatos a. 785 (in t. 5. coll. conc. Binii p. 567 ss.); *Constitutionum provincialium tarraconensium ll. 5,* Tarracone 1580 in 4; *Epitome juris pontificii veteris* (usque ad Innocentium III.) in 3 pp. divisa: de personis, de rebus, de judiciis, quarum prima prodiit ib. 1587 in f.; apud Rocaberti IV, 161—227; alteri parti adjectum est: De quibusdam veteribus canonum ecclesiasticorum collectoribus judicium ac censura, diss. vel nostra adhuc aetate pretiosa. Alia editio prodiit Romae 1611-17 auspiciis Pauli V., et Parisiis 1641. curante cognomine A. Augustino S. J. v. 2 in f., quae editiones complectuntur duas reliquas partes diu desideratas. „Duo sunt, inquit Doujat[1]), quibus hoc opus per se eximium, minus tamen utile redditur. Alterum quod dubiae fidei canones certis saepe admiscuerit, quo nomine Gratianum ipse in primis reprehendebat: alterum quod dum ordini ac distinctioni materiarum nimis anxie studet, in tot titulos suum opus distraxi, ut vix memoria comprehendi ac retineri possint.“ *Repertorium decisionum Rotae* ll. 3, inter ejus op. t. VI; *de synodis et pseudosynodis* commentarii op. t. V. Ejus opera collecta prodierunt Lucae 1765—74 t. 8 in f. cum praefationibus J. Rochii; t. II, 1—121 legitur ejusdem vita.

154. Praeter hos[1]), qui theologiam etiam moralem et pastoralem excolue-

---

[1]) Praen. can. V, 8. Insigne plane encomium operum Augustini cf. apud Andres, Dell' origine etc. d' ogni Letteratura p. 6. l. 3. c. 2. Laudat eruditionem, qua omnibus lucem affert, artem criticam, methodum etc. et de hoc ipso opere scribit: E certamente l' epitome del vecchio diritto pontificio dell' Agostino dovra dirsi senza contrasto la più ricca, più sicura e più utile collezione, che siasi fatta di tale diritto ed una dell' opere più interessanti e preziose della canonica giurisprudenza. Dove siasi lecito di ricordare con ben meritata lode l'editore Francesco d'Aduarte, che alla fatica d'ordinare que'libri, a cui non avea potuto dare l'autore l' ultima mano, aggiunse l' illustrazione delle sue erudite note, che danno dei lumi per l' intelligenza non solo di quest' opera, ma di tutto il diritto canonico. Ita vero absolvit: Professiamo dunque del celebrato Agostino la dovuta riconoscenza per tanti vantaggi recati al diritto canonico, e riguardiamolo come il gran promotore ed illustratore, come il maestro e l' oracolo dell'ecclesiastica giurisprudenza. Cf. etiam Schulte l. c. pag. 723—29, qui hoc in primis in eo laudat: Er ging auf die Quellen zurück; indem er aber diese selbst kritisch prüft, ist er der eigentliche Begründer der äußeren Geschichte des canonischen Rechts geworden.

[1]) Petrus Schneuwly Friburgi in Helvetia c. 1540 natus strenue promovit rem catholicam in patria sua. Factus est 1577 praepositus ad s. Nicolaum et vicarius generalis. Obiit victima caritatis in obsequio infirmorum peste correptorum a. 1597. Proposuit scripto *Grund und Ursachen*, warumb geistliche und weltliche Oberkeit von einander abgesondert und unterscheyden sin sollent, quod typis dignum primum edidit Car. Holder in Archiv für kath. Kirchenrecht LXXIX (1899), 291—306; 425-440; LXXX (1900), 18—34.

runt[1]), occurrunt praeterea ex *Hispanis* Ludovicus de Beja sive de Berestrello O. S. Aug. Lusitanus, Bononiae per 16 annos primarius professor publicus et in ecclesia metropolitana casuum conscientiae magister, Paleotti card. theologus, cujus est tractatus quadruplici partitione distinctus *responsa casuum conscientiae* continens, Bononiae 1587, 1613, Coloniae 1629 t. 2 in 4, auctus duplici alio tractatu saepius editus. — Petrus Aragon Salmanticensis, ejus sodalis in amplissima patriae urbis academia doctrinae scoticae professor, auctor in theologia morali gravis, qui *commentaria* vulgavit in 2. 2. s. Thomae *de fide, spe et caritate,* Salmanticae 1584 in f.; *in* 2, 2. s. Thomae *de justitia et jure,* Venetiis 1585; 1608; Lugduni 1596. — Petrus de Navarra Toletanus conscripsit „quod per manus omnium it[2]), opus: *de ablatorum restitutione* in foro conscientiae ll. 5, duobus tamen vol. Lugduni 1594;“ Brixiae 1606. — Ludovicus Lopez O. Praed. Matriti natus († 1595 vel 1596) edidit: *Instructorium conscientiae* 2 contentum pp., ubi ad instructionem conscientiae pene innumerae continentur traduntarque materiae, quae ex egregiis quibuslibet doctoribus tam antiquis quam modernis veluti ex floribus pro mellificio conficiendo sunt resolutiones casuum selectae tum theologiae et utriusque facultatis juris canonici et civilis tironibus pernecessariae, Salmanticae 1585; 1592; 1594; Lugduni a Petro Matthaeo J. C. locupletatum 1588; tractatus *de contractibus et negotiationibus* sive instructorium negotiantium, Salmanticae 1592 in f; Lugduni 1593 in 4. locupletatum a Petro Matthaeo, Brixiae 1596. „In casibus conscientiae decidendis laxior a viris eruditis censetur[3])“, aliis auctor est gravis. — Didacus de Avellaneda S. J. Granatensis († 1598) auctor est tr. *utrum in confessione sacramentali criminis consors nominari debeat,* quem Petrus Vicecomes O. Praed. auctoris nomine praeterito Cremonae 1594 edidit (fl. 1601). — Ferdinandus de Zurila collegit *theologicarum de Indis quaestionum enchiridion* (primum), Matriti 1586.

155. His addantur ex aliis nationibus[1]) Emericus de Bonis S. J. Italus († 1595), cujus sunt plura opuscula admodum practica. — Petrus ab oppido patrio Binsfeld dictus (n. c. 1540), quem Briedel abbas himmerodensis pecoribus pascendis destinatum ob emicans ingenium ad studia promovit. Romam missus in collegio germanico egregie fuit institutus. Post reditum in patriam selectus est ab electore trevirensi ut celebrem abbatiam prumiensem reformaret ejusque ditionem ad veram reduceret fidem, quod mira prudentia et solertia feliciter effecit. Ab eodem archiepiscopo Jacobo de Eltz electus est in episcopum auxiliarem (1580), quo in munere omnibus exemplo praeluxit impenseque bonum promovit dioecesis. Ex visitatione infirmi pestem contraxit eique succubuit 24. Nov. 1598. Plura edidit opera[2]), cujusmodi sunt: *Commentarius* in titulum juris canonici *de injuriis et damno dato,* Treviris 1597 in 12; *de simonia* per quaestiones et conclusiones, ib. 1614 in 12; *de usuris,* ib. 1597; 1609; *de tentationibus* et earum reme-

[1]) Cf. annot. ex Alph. Ligorio p. 346.
[2]) Biblioth. hisp. nova II, 220.
[3]) Echard Script. O. Praed. II, 316.

[1]) *Catechismum* pro civitate et dioecesi neapolitana concinnavit Joannes Baptista Antoniucci (Antonicius) O. S. Aug. Eugubinus, socius magistri generalis in visitatione ordinis, qui prodiit Neapoli 1573; 1577 etc. — Ita et Conradus Distel parochus wormatiensis (fl. 1584) speciem catechismi Moguntiae 1580, et *postillam* in Evangelia domenicalia pp. 4, Moguntiae 1582 lingua patria edidit. Cf. Roth hist.-pol. Bl. CXIV (1894), 376—379.
[2]) Cf. Neyen, Biogr. luxem. p. 72 s.; Kessel KL. II, 846; Steinhuber Gesch. des Coll. Germ. Hung. I, 211 ss.

diis, ib. 1611; *Liber receptarum in theologia sententiarum et conclusionum* cum brevibus necessariisque fundamentis, ib. 1593; 1595; 1612; Tractatus *de confessionibus maleficorum et sagarum,* an et quando iis fides habenda sit, ib. 1589; 1591; 1599, in quo tamen nimis credulum se exhibet; *Enchiridion theologiae pastoralis,* quo animarum curatoribus non contemnendo labore consuluit[1]), ib. 1591; cum additionibus Silvii et Fr. Borgiae *rhetorica concionandi,* Antwerpiae 1647 in 12; 1679. Ejus opera collecta prodierunt Coloniae 1611 t. 5 in 8. — Joannes Michel Gallus scripsit praeter alia *Du Zèle de Dieu* ou le chien de berger, Paris 1564. Decessit exeunte sec. XVI a. aetatis 90. — Petro de Bullo, qui eodem floruit tempore, asseritur *L'Oeconomie canonique des ministres de l'Eglise catholique* et de la conservation de l' ancienne discipline avec les preuves du sacrifice évangélique Lugduni 1588. — Plurimas conciones et instructiones reliquit Joannes Cotereè (Cotreau, Cotereus) Remensis, doctor parisiensis, professor duacenus, canonicus et archidiaconus tornacensis († p. 1588), de quo cf. Feret II, 204 s. — Dissertationes quasdam academicas edidit Matthias Bossemius[2]) Amstelodamensis vir piissimus (n. 1527; † 4. Febr. 1599) professor et academiae duacenae cancellarius, inter quas ex. gr. *de clericorum cohabitatione* cum feminis licitane sit an non, Duaci 1586. — Sed prae ceteris gratissima memoria hic dignus est s. Carolus Borromaeus Mediolani illustri natus familia 2. Oct. 1538 divinitus praedestinatus ad ecclesiasticae disciplinae restaurationem tristibus illis temporibus. A nativitate divinis praeventus benedictionibus sanctissimam duxit jam juvenis vitam exercitiis pietatis et studiis deditam. A Pio IV. avunculo suo a. vix 22 natus ad summos provectus est honores, purpura scil. ornatus et archiepiscopus mediolanensis dictus: qui nepotismus hac saltem vice laetissimos pro universa Ecclesia tulit fructus. Ejus praesertim consiliis optimus regebatur pontifex: studiose enim incubuit bono Ecclesiae: hinc iterum convocavit concilium tridentinum tristi fato tamdiu interruptum atque demum ad optatum perduxit finem. Absoluto concilio sollicitissimus fuit de exsequendis decretis. Curavit ut componeretur catechismus tridentinus, reformaretur breviarium et missale romanum. Ut vero et in sua archidioecesi restauraret disciplinam ecclesiasticam et spiritum catholicum, veniam demum impetravit, invitis pontificibus Pio IV. et Pio V., qui ejus consilio et industria utebantur, adeundi suam ecclesiam. Incredibili ardore et studio illius reformationem curavit coactis pluribus synodis dioecesanis et septem provincialibus, apertis scholis, conditis seminariis puerorum et clericorum, quaquaversus habitis missionibus, institutis accuratis visitationibus in loca horrida et remota atque exemplo sanctissimae et apostolicae vitae, adhibito etiam, si opus erat, salutari rigore. Maxime vero eluxit zelus ejus apostolicus et inexhausta caritas tempore validissimae famis et pestis cruentae. Spreto omni vitae periculo astitit moribundis. Obiit bonus ovium pastor et pientissimus miserorum pater ingenti omnium ordinum luctu 3. Nov. 1584. A Paulo V. inter sanctos fuit relatus 1. Nov. 1612. Opera[1]) ejus,

---

[1]) Magni hoc *enchiridion* fecit synodus mechlinensis a. 1607. ut patet ex verbis supra p. 255 allatis.

[2]) Cf. Bouquillon in Revue des sciences eccl. XLII (1880), 238—260.

[1]) Operum (editorum atque ineditorum) elenchum exhibet Argelati I, 2, 192-196. Cf. de ipso s. praesule praeter tot alios Ar. Sala Documenti circa la vita e le gesta di s. Carlo B., Milano 1857—61 t. 3: cum Ant. Sala Biografia di S. C. B. ib. 1858; Locatelli Memorie e documenti riguardanti s. C. B., e i sinodi diocesani, Milano 1903; Cantono Un grande Riformatore del sec. XVI., Firenze 1904; Barth. Paesmans (Pasmans) Belga, theologiae doc-

instructiones scil. *sermones* et *epistolae* collecta prodierunt curis J. A. Saxii Mediolani 1747 t. 5 in f. editio splendida. Inter haec eminent *Acta ecclesiae mediolanensis*, Mediolani 1582 ed. princeps; 1599 ed. egregia et maxime plena; Brixiae 1603 t. 3 in f.; Lugduni 1683; Patavii 1754; Mediolani 1843—1846 t. 2 in 4. et recenter in collectione A. Ratti *Acta ecclesiae med.* ab ejus initiis usque ad nostram aetatem, ib. 1892 ss. Non obstantibus negotiis ecclesiasticis, quibus cardinalis obruebatur, delectabatur conversatione cum viris doctis, hinc academiam veluti literariam aperuit in suis aedibus, unde enatae sunt *Noctes vaticanae,* quas Saxius publicae dedit luci Mediolani 1748. Ceterum in re morali et disciplina christiana doctor est omnibus probatissimus. Ex ejus scriptis integra fere theologia pastoralis hauriri potest. Hinc clerus gallicanus suis expensis ejus *instructiones pro confessariis* saepe alioquin editas recudit adjecto decreto de iis legendis servandisque; itemque *instructiones* ad concionandum confessionisque et eucharistiae sacramenta ministranda prodierunt Augustae 1758; 1762; Oeniponti 1846; *pastorum instructiones*, Augustae V. 1762; Monasterii 1846 etc.

156. De sacra *liturgia* meruerunt [1]): Melchior Hittorp Coloniensis n. c. 1525, canonicus b. M. V. ad gradus et decanus ecclesiae collegiatae s. Cuniberti († 1584). Accensus zelo catholicae fidei et officiorum ecclesiasticorum tuendorum contra novaturientium haereticorum latratus, impellente Jacobo Pamelio cum aliis collegit catholicos vetustissimos scriptores, qui de officiis ecclesiasticis scripserunt, ediditque hoc titulo: *De catholicae Ecclesiae divinis officis ac ministeriis* varii vetustorum fere omnium Ecclesiae patrum ac scriptorum libri [1]), Coloniae 1568 in f., quae editio complectitur ordinem romanum vulgatum, Isidori hisp. de eccl. officiis ll. 2; Albini Flacci Alcuini de officiis div. (qui l. ipsius putabatur); Amalarii metensis de div. officiis ll. 4, et de ordine antiphonarii; Rab. Mauri de institutione clericorum ll. 3; Walafr. Strabonis de exordiis et incrementis rerum ecclesiasticarum; Bernonis Aug. de quibusdam rebus ad missam pertinentibus; Micrologus de eccl. observationibus; Ivonis carn. serm. 21 de eccl. sacramentis etc.; Hildeberti de mysterio missae carmen; Radulphi de Rivo de observantia canonum; Missae expositionem ex cod. transcriptam. Novam ed. curavit Georgius Ferrarius Romae 1591 auctam Petri Damiani tr. de Dominus vobiscum; Petri clun. expos. missae; Honorii augustodunensis gemma animae (ex parte, scil. tantum usque ad l. 1. c. 72); Ruperti tuitiensis de div. officiis ll. 13. Ea quoque ita aucta recepta fuit in *bibliothecam PP.,* Parisiis 1610. — Notior est Joannes Stephanus Duranti, advocatus, parlamenti tolosani praeses, in tumultu interfectus 11. Febr. 1589, hic quidem nominandus, quod suae eruditionis pariter ac religionis certissimum dederit testimonium editis tribus libris *de Ecclesiae catholicae ritibus,* quod quidem opus firmandis orthodoxorum partibus utilissimum Sixto V. adeo acceptum fuit, ut et illud Ro-

tor et professor Lovanii librorumque censor († 1690) *Testimonia* a quibusdam recentioribus collecta, quibus doctrina s. Caroli B. de remittendis et retinendis peccatis a singularitatis nota vindicatur, Mechliniae 1675 in 12. De pluribus ejusdem epistolis cf. Ed. Wymann der h. Karl Bor. und die schweizerische Eidgenossenschaft. Korrespondenzen aus den J. 1576-84 etc. Stanz 1903.

[1]) Praetermittimus Jacobum Burlaeum (1524—1587), Sorbonae socium et doctorem, cujus est *La Messe de s. Denys*... tout pris et tourné en françois du 3. chap. de la Hierarchie eccl. de ce grand et admirable Areopagite, Parisiis 1557. Cf. Feret II, 55—58. — Joannem Mariam Albini ferrariensem († 1592), qui edidit Ferrariae 1580 *Dichiarazione delle Ceremoniae della s. Messa.*

[1]) Cf. Thalhofer-Ebner I² § 7 pag. 104.

mae suis expensis excudi jusserit 1591 in f., et ejus auctorem singulari benevolentia sit prosecutus[1]). Prodiit dein saepius Coloniae, Parisiis, Lugduni 1606 ed. 5. — Marcus Antonius Columna Marsilius, Bononiensis, omni doctrinarum, virtutum ac linguarum genere peritiaque erat ornatissimus, theologiae et juris utriusque doctor, regi hispano a consiliis et archiepiscopus salernitanus (1574). Corpus s. Gregorii VII. fere incorruptum reperit († 24. Apr. 1589). Ejus est doctissima raraque[2]): *Hydragiologia* sive de aqua benedicta, Romae 1586, etiam inscripta de fonte lustrali, ib. 1605; *de ecclesiasticorum redituum origine ac jure*, Venetiis 1575, diss. bona et erudita. — Michael Timotheus edidit *In divinum officium* qq. 300, Venetiis 1581, opus rarum; *de sacrificio missae,* 1584; *in hymnos ecclesiasticos dilucidatio,* Romae 1602 ed. 2; *institutio* ad episcopos de sacrosanctis Dei ecclesiis visitandis compendiosa, qua juxta conc. tridentini decreta dioecesim visitare possint, ib. 1581 in 4. — Jacobus Myller compilavit opus latine et germanice inscriptum: *Ornatus ecclesiasticus* h. e. compendium praecipuarum rerum, quibus rite decenterque compositae ecclesiae exornari et redimiri debent, Monachii 1591 in 4. cum multis delineationibus, opus valde rarum (m. 66). — Aymarus Hennequin episcopus rhedonensis († 13. Jan. 1596) reliquit *interpretationem caeremoniarum missae,* Parisiis 1578; 1579. — Gabriel Alessandri O. Pr. Bergomas theses de universa p. 1. s. Thomae tanto cum plausu defendisse legitur, ut magisterii lauream exinde reportaverit. Factus est episcopus galesinus (1566). A Madruccio cardinali adlectus est episcopus auxiliaris ecclesiae tridentinae († 1595). Disputavit *de candelarum aliarumque rerum sensu carentium benedictionibus* . . . adversus haereticos, Mediolani 1588; *de Domini resurrectione,* ib., et quaedam s. Maximi *opuscula* latine reddidit, ib. 1588. — Joannnes Leisentrit de Juliusberg Olomucensis n. 1527 absolutis studiis aliquandiu degit in aula caesarea ad instituendos pueros nobiles: qua relicta factus est sacerdos, dein canonicus et decanus budissinensis (1559). Post defectionem episcopi misniensis ad protestantes constitutus est ipse vicarius seu commissarius in spiritualibus per Lusatiam († 25. Nov. 1586). Adnisus est pro viribus coercere iis in regionibus protestantismi invasionem et catholicorum tueri jura: sed illo praevalente visus est nonnullis nimis indulgens adversus novatores. Ipse primus videtur induxisse in sua *Forma germanico idiomate baptizandi infantes* pro utriusque Lusatiae misniensis dioeceseos parochis, Budissinae 1564; 1566; Coloniae 1585, usum linguae patriae in sacramentorum administratione. Huc spectat et *Forma* vernacula lingua *copulandi desponsatos* et proclamatos, Budissinae 1568. Reliquit alia ascetica practica[1]), l. *Via recta,* bona, antiqua, in qua ambulaverunt majores et patres nostri et omnes catholici, 1559. Maxime vero innotuit sua collectione cantionum ecclesiasticarum lingua vernacula (Gesangbuch), ib. 1567. — Augustinus Molarius Fivizanus O. S. Aug. Gregorio XIII. et Clementi VIII. a confessionibus, ordinis sui tertium vicarius generalis, apostolicae capellae sacrista († 30. Jan. 1595), edidit splendide Summam Aug. Triumphi *de potestate ecclesiastica* cum ejus vita Romae 1582, et disseruit *de ritu crucis rom. pontifici praeferendae,* Romae 1592.

---

[1]) Ita Doujat, praenot. canon. l. 5. c. 8. Nonnulli hoc opus doctum adscribunt Petro Danes episcopo vauriensi, qui conc. tridentino interfuerat ibidemque prolixam elegantemque orationem habuerat († 1577), qua de re cf. Baluze in annot. ad s. Cypriani l. de opere et eleem. c. 15.

[2]) Cf. Ughelli Italia sacra VII, 632 s.

[1]) Cf. Kerker KL. VII, 1701—1705; Schnorr v. Carolsfeld Allg. d. Bi. XVIII, 221.

157. Ad theologiam *mysticam* praeter tot alios insignes ascetas referri possunt: S. Joannes a Cruce O. Carm. restaurator[1]) natus Fontiberi in Hispania (1543, † 14. Dec. 1591), cujus opera hispanice conscripta prodierunt Barcinone 1619; Matriti 1629 in 4; Pampelonae 1774 optima editio; quaedam alia gallice versa subjiciuntur ejus vitae auctore Dosithaeo a s. Alexio Parisiis 1727; latine Coloniae 1710 in 4. — Ven. Bartholomaeus a Martyribus O. Praed. Lusitanus, cujus jam supra p 75 meminimus, vir apostolici plane pectoris (1514), viginti annis in regio collegio olisiponensi theologiae lector, bracharensis provinciae suae definitor, bracharensis archiepiscopus dictus est (1558), quam dignitatem nonnisi invitus et praecepto adactus acceptavit. Interfuit concilio tridentino strenueque in eo egit reformationis ecclesiasticae negotium et post reditum zelo apostolico totus incubuit, ut dioecesim suam ad illius normam restauraret. Hinc 1566 celebre habuit *concilium provinciale bracarense I V*(Bracarae 1567). Verum ut unice contemplatoni rerum divinarum insistere posset, archiepiscopatu se abdicavit 20. Febr. 1582 et post octennium piissime in Domino obiit[2]) 16. Jul. 1590, a Gregorio XVI decreto a. 1845 »Venerabilis« dictus. Collegit *compendium doctrinae spiritualis* magna ex parte ex variis ss. patrum sententiis, Olisipone 1582 in 8; Matriti 1598; Parisiis 1601; et inter op. Lud. Granatensis; inscriptum etiam *compendium mysticae doctrinae* et auctum cura Ildephonsi Manrique, Venetiis 1711, variis additionibus, liber rarus; *Stimulus pastorum* ex gravissimis ss. PP. sententiis concinnatus, in quo agitur de vita et moribus episcoporum aliorumque praelatorum, Romae 1564 cura s. Caroli Borromaei et saepius alibi, recenter propter suam utilitatem a doctissimo Fessler iterum editus Einsiedeln ed. 1863. 1864. Annotationes *in Davidicos psalmos* (opp. II, 5—170); *catechismi* sive doctrinae christianae ll. 2; *Opera omnia* prodierunt cura M. D'Inguimbert Romae 1734. 1735 pp. 2 in 1 v., praemissa ejusdem vita, ed. sat rara (m. 70), — Celeberrimus in ascesi est Ludovicus a patria dictus Granatensis. Natus is est a. 1504, secundum seculum infimae sortis. Ordinem Praed. est ingressus a. 1525, absolutisque cum laude studiis oratorem sacrum egit magno plausu. Post obitum provincialatus munus monasterio olisiponensi se abdidit, ut orationi, componendis libris, animarum saluti totus vacaret, quamobrem etiam infulas sibi oblatas recusabat († 31. Dec. 1588 a aetatis 84). Reliquit[1]) quam plurima opera, in primis ascetica, quae notissima et in quamplurimas linguas versa fuere, inter quae eminet *La guia de pecadores,* quo innumeri ad veram perducti sunt conversionem; *El Memorial* de la vida christiana. Accedunt biographiae, conciones etc.; praeterea *rhetoricae ecclesiasticae* sive de ratione concionandi ll. 6, Olisipone 1576 in 4; Venetiis 1578 una cum Aug. Valerii *rhetorica ecclesiastica* ad clericos ll. 3, et alibi saepe; *de officiis et moribus episcoporum,* Olisipone 1565 in 16., una cum simili tr. Barth. de Martyribus, Parisiis 1583 in 8. Prodierunt ejus opera collecta et in linguam latinam versa cura Andr. Schotti S. J. et Mich. ab Isselt Coloniae 1626—1629 t. 3 in

[1]) Cf. Josephus a Jesu Maria in historia vitae ejus latine reddita ab Adriano a s. Maria, Coloniae 1663 in 4; Jocham KL. VI, 1702—9.

[2]) Ejus vitam narrat Lud. de Granada inter sua op. ed. Madriti 1782 VIII p. 2 pag. 239—320. Quam plurimos auctores, qui de eo agunt, citat Fr. de Tessen-Wesierski in Jahrb. für Phil. u. spec. Theol. VII (1893), 412 ss.

[1]) Cf. Echard II, 285—91; Lud. Muñoz *Vida y virtudes* del ven. varon el P. M. Fray Luis de Granada de S. Domingo, Matriti 1639 in 4; Zingerle KL. VII, 248—50.

f., quae collectio est rarissima (m. 175). Alia operum spiritualium lingua hispana scriptorum ed. cum ejusdem vita prodiit cura Dyon. Sanchez Moreno (accurata et integra) Matriti 1679 t. 3 in f.; pleniores sunt editiones Matriti 1788—1800 t. 7 in f. et ib. 1786—1789 t. 19, quorum ultimus complectitur ejus vitam. Stilo hispano utitur classico et inter eloquentissimos numeratur concionatores. — Etiam s. Andreae Avellini illustris O. Theat. ornamenti apud Castrum novum Lucaniae pagum nati (1521, † 10. Nov. 1608) *epistolae*, Neapoli 1731 t. 2, aliaque opera ascetica ib. 1733. 1734 t. 5 plurimum laudantur. Ordinem suum multum propagavit, laboriosissimus erat praeco et zelosus atque morum reformationem in clero et populo strenue promovit [1]). — Antonius Pagani [2]) patria Venetus O. Min. reg. obs. (†1589) reliquit plura opuscula ascetica lingua itala conscripta, quae diligenter recenset Sbaralea p. 87. Solet autem suam doctrinam illustrare et confirmare dictis s. Bonaventurae, cujus opuscula correcta edidit socius laboris sui ministri generalis Franc. Zamorae, sub cujus nomine prodiit haec ed. Venetiis 1564. Habuit prolixam orationem ad patres synodi tridentinae pro reformatione Ecclesiae, Venetiis 1570; apud Le Plat 1, 719—743. — Didacus Perez de Valdivia Beaciensis Joannis Avilae dignus erat discipulus propter zelum divinae legis Baeticorum dictus apostolus. In beaciana academia erat s. Scripturae interpres et giennensis ecclesiae archidiaconus. Ardentissimus adversus omnis generis vitia concionibus multos sibi peperit hostes, a quibus delatus tamquam religionem vitiasset, aliquot annorum intervallo in custodia fidei Cordubae latuit. Demonstrata sua innocentia se curandae infidelium saluti totum consecrare cogitavit, quem in finem Barcinonem ut navigio proficisci posset, se contulit, sed ibidem haesit, ecclesiasten agens atque ss. librorum professorem. Decessit vir vere apostolicus virtutum omnium ornamentis dives 28. Febr. 1589. Reliquit plura opera ascetica [1]), inter quae *Summam institutionis christianae,* Coloniae 1568 et l. *de sacra concionandi ratione,* Barcinone 1588; Antverpiae 1598. — Hieronymus Platus (Piatti) S. J. Mediolanensis Claudio Aquavivae praeposito generali a secretis († 14. Aug. 1591) egregie plane disseruit *de bono status religiosi* ll. 3, Romae 1580; Augustae Trevirorum 1593 ed. aucta, Coloniae 1628 etc. opus aureum saepe editum et in alias versum linguas; *de cardinalis dignitate* et officio, Romae 1592 opus posthumum; 1602; 1746 ed. 4; 1836 et alibi.

---

[1]) Cf. O. Schmidt KL. 1, 828—30.

[2]) Confundi hic non debet, ut a nonnullis est factum, cum Marco Antonio Pagani O. Conv. patria toroliviensi, qui non literis, sed regiminibus inclaruit († 1585), de quo cf. Sbaralea p. 512. — De Quirino II. Rest tirolensi abbate tegernseensi (n. 1514; † 18. Jun. 1594), qui in suo monasterio instituit typographiam, cf. Pirm. Lindner die Äbte u. Mönche der Benedictiner-Abtei Tegernsee p. 115 ss. — De Adamo de Winorze grato b. Edmundi Campiani discipulo, cujus supersunt opuscula spiritualia, cf. Balbinus in Boh. docta II, 164. Floruit exeunte sec. XVI. — De Mauritio Hylaret (Hilaretus) Engolismensi O. Min. theologo et concionatore (1539—91) cf. Feret II, 239-44, quem cf. ib p. 332—42 de Mauritio Poncet O. S. B. Melodunensi († 23. Nov. 1586), qui concionator suo tempore clarus habebatur; et p. 380—383 de Petro Courtin (Curtinus) O. Carm. doctore parisiensi († 1599).

[1]) Cf. N. Antonius Bibl. H. N. I, 307.

III.

Theologi annorum 1601—1620.

I. Theologia scholastica.

158. Incipit seculum XVII., theologiae *scholasticae* VI., fortasse prae ceteris florentissimum, tum ob illustrium auctorum copiam, tum ob operum praestantiam et innumerabilem multitudinem, ob acumen, inventionem, nitorem, quae in illis elucent, tum ob scholarum fere ubique gentium, maxime in Hispania, florentium splendorem[1]). Hac vero periodo (1601—1620) sicut praecedenti fere omnes et quidem summi, qui theologiam scholasticam illustrarunt, fuerunt *Hispani,* nonnulli *Itali*, cum aliarum nationum theologi aliis potius incumberent disciplinis hac tamen non penitus neglecta[2]). *Itali* sunt: Joannes Baptista Arrighi O. S. Aug., Florentinus († 1605), qui scripsit ll. 4 *de elementis s. theologiae*, Florentiae 1569; ll. 3 *de beatudine hominis,* ib. 1575. — Lucas Pinelli S. J. Melfitanus[1]), theologiae professor Ingol-

---

[1]) Cf. Gener theol. dogmat. scholast. t. 1. prodr. 1. c. 1. n. 31.

[2]) Huc referri debet etiam Guilelmus Estius, de quo plura dicemus infra. Ex *Germanis* Jacobus Hacker reliquit *commentaria theologica* ad mentem doctoris angelici 1619—21 t. 2 in 4., in quibus disputat de Trinitate, de angelis, beatitudine, actibus humanis, de legibus, gratia. — Ex Gallis mentione dignus est Eustachius a s. Paulo, cujus praeter *Summam philosophiae* exstat *Summa theologiae tripartita*, Parisiis 1613 t. 2, in qua disputat de Deo, rebus divinis ac supernaturalibus, necnon de Deo homine, opus rarum (m. 30). — De Aristotele meruit Propertius Resta O. Min. Conv. vir omnium liberalium artium virtutumque studio ornatus, s. theologiae doctor et provinciae suae minister atque ordinis in Urbe procurator, quem Sixtus V. dixit 1586 episcopum geruntinum et cariatensem in Calabria. Clemens VIII. eum Romam accivit, qui celebri de auxiliis gratiae consessui praeesset († 1602). Alexandri de Alexandria *commentaria in XII ll. Metaphysicorum* Aristotelis castigavit, notis margineis et indicibus illustravit, Patavii 1572.

[1]) Alius est ab eo Dominicus Pinelli Genuensis in jurisprudentia adeo versatus, ut Gregorius XIII. de eo diceret: „Pinelli opera romanam curiam ita indigere, ut citra reipublicae detrimentum loco abesse non posset.“ Episcopus firmanus declaratus (1577) ita se gessit, ut passim „Pater desolatorum“ audiret. A Sixto creatus est cardinalis. Inter cardinales annumeratus est, qui praeessent compilationi l. VII. Decretalium († 9. Aug. 1611). Cf. de ejus praeclare gestis Eggs l. V § 37.

stadii et Mussiponte († 24. Aug. 1606), disputavit *de statu animarum* in altero seculo, Ingolstadii 1581 in 4., unde prodiit opus *de altera vita* et animarum in eo statu ll. 2, in quibus animarum a corporibus separatarum et reunitarum status explicatur atque de mundi conflagratione tractatur, Coloniae 1605; 1610; prius italice, Venetiis 1604. — Ludovicus Borojo a Gavatio ditionis tridentinae O. Min. († 10. Nov. 1609) disseruit *de divina civium civitatis Dei praedestinatione* deque civium civitatis satanae praescientia seu reprobatione tr. in 3 ll. digestus, Venetiis 1607; Veronae 1610 ed. aucta. — Augustinus Gothutius O. S. Franc., Ligur, praeter alia, quae ad doctoris subtilis doctrinam illustrandam referuntur[1]), edidit: *Gymnasium speculativum* ex variis tum philosophicis tum theologicis concinnatum et in quinque classes distributum, quarum prima logicorum est, secunda physicorum, tertia metaphysicorum et mathematicorum, quarta formalistarum, quinta theologorum, Parisiis 1605 in f. — Joannes Dominicus Montagniuoli O. Praed., patria Senensis, vitae sanctitate illustris et doctrinae s. Thomae acerrimus propugnator[2]), edidit: *Defensiones theologicae ac thomisticae* a recentioribus theologis universam theologiae d. Thomae Summam complectentes, in quibus mira ac eleganti methodo rationes contra auream doctrinam doctoris angelici usque modo ab eisdem modernis theologis adductae facile ac doctissime dissolvuntur, Neapoli 1610 in f. — Victorinus Manso O. S. Bened. e congregatione casinensi, in pluribus coenobiis s. theologiam magno cum plausu annos 20 docuit, et varias quoque abbatias administravit. Clemens VIII. eum primo Stabiensium seu Castri Maris (1599) et post aliquot annos Arianensium episcopum renunciavit († 1611). Ejus sunt[1]): *Harmonia theologica patrum et scholasticorum,* in qua singula quaeque theologiae sacrae capita tum erudite tum eleganter tractantur, doctoresque ad consensionem revocantur. Tomus primus (et forte unicus) exactissime dispositus et in 25 ll. distinctus prodiit Neapoli 1594 in 4. (m. 60). *De ecclesiasticis magistratibus,* Romae 1608 in 4. *Institutio modi procedendi in causis regularium omnium,* multis et allegationibus et exemplis aucta et illustrata (per D. Timotheum), Venetiis 1595. — Alius ejusdem ordinis, Fortunatus, cujus ignoratur cognomen Patavinus, mirum edidit opus, cui titulus: *Decas elementorum mysticae geometriae,* quibus praecipua divinitatis arcana, nempe divina attributa, natura, unitas, relationes, redemptio, proposito theosophico symbolo, mathematicis rationibus explicantur et confirmantur, Patavii 1617 in 4. — Raphael Riva (Ripa) O. Praed. Venetus, qui egregiis suis dotibus ordinem et patriam illustravit, orator, philosophus, theologus, ecclesiastes ubique praestantissimus. Cum profunditate doctrinae orationis puritatem conjungebat. Paulus V. eum ad sedem cursolensem (Corcyrae) 1605 promovit, dein ad clodiensem (Chiozza) 1610 transtulit, verum jam a. sequenti, aetatis 42. immatura morte raptus est d. 9. Julii. Reliquit[2]): Ad s. Thomae Aq. totam 1. p. *quaestiones et dubitationes scholasticae,* quibus ejusdem angelici doctoris litera universa brevissimo primum epilogo concluditur, mox explanatur ac firmatur: demum una cum iis, quae ejus causa scripsit Cajetanus card. ab omnibus, cum vero praecipue recentioribus, qui ad hanc usque diem sunt ei aversati, integra usquequaque defenditur, Venetiis 1609 in f. — Grego-

---

[1]) Cf. Joan. a s. Antonio I, 147.
[2]) Echard II, 373.

[1]) Alia cf. ap. Ughelli Italia sacra VI, 813; Zedler Universallexicon XIX, 1087.
[2]) Echard II, 378.

rius Falconius O. S. Aug. »vir undecunque doctus ac omnium literarum eruditione eximius, praesertim magnus theologus, reliquit egregium sui ingenii monumentum[1]): *Reconciliatio* 100 *locorum controversorum* inter d. Thomam doctorem angelicum et Aegidium Columnium, Rimini 1612.« — Ejusdem ordinis est Paulinus Berti Lucensis, qui edidit Aegidii Romani opera, Venetiis 1617; *quaestiones in 4 ll. sententiarum* et quodlibeticas Scoti cum tabula generali rerum scibilium sive mare magnum speculationum scoticarum (quod ex universis sententiarum voluminibus doctoris subtilis hausit Antonius de Fantis, ipse reformavit), ib. 1617 t. 6 in 8. Tribuunt ipsi sodales *theatrum omnium scientiarum artiumque* collectum ex operibus Alberti M., Venetiis 1613 in f., verum alii adscribunt illud cognomini P. Berti O. Praed., quem et Barzium dici in actis cap. gen. ord. Romae 1612 habiti censent. — Alexander Pesantius Romanus, s. theologiae et utriusque juris doctor, scripsit *Brevia commentaria et disputationes* in d. Thomae universam tam scholasticam quam moralem theologiam, Venetiis 1606; Coloniae 1617; tractatum *de immunitate ecclesiastica et de potestate rom. pontificis,* Romae 1606.

159. Prae ceteris tamen Italis illustris est et de s. Thoma bene meritus Seraphinus Capponi, a natali solo prope Bononiam a Porrecta dictus, O. Praed., natus 1536. Sic erat optimis a natura comparatus moribus eaque praeditus indole, ut etiam aetate puer ignorasse puerilia videretur, et a cunis in virum statim evasisse. Adolescens a. 16 Bononiae 15. Oct. 1552 Dominicanum induit, novumque accepit cum veste nomen Seraphini, qui prius dicebatur Hannibal. Reliquum aetatis post studiorum expletum curriculum in docendis ordinis tironibus variis in Italiae urbibus exegit. Non citra sanctitatis famam obiit[1]) Bononiae 2. Jan. 1614. Potiora ejusdem opera sunt: *Elucidationes formales* in Summam theologicam s. Thomae de Aquino, Venetiis 1588 v. 5 in 4; iterum eodem a. in f. et 1596; rursus pluribus alienis per editores adjectis 1612 in f. hoc titulo: *Summa totius theologiae d. Thomae* . . . cum elucidationibus formalibus, in quibus ultra egregiam textus enodationem innumeras pene haereses erroresque recensendo ac e vestigio sui ipsius et div. Scripturarum vel summorum pontificum aut conciliorum ss. auctoritate invictissima ipsas interimendo, quam plena fideque manu angelicus ille doctor (velut apis argumentosa) Ecclesiae catholicae inserviat, singillatim ostenditur. Accessere porro luculentissima subtilissimaque *commentaria* R. D. Thomae de Vio Cajetani card. . . . cum s. Thomae concordantiis . . . Ad singulos fere articulos suprapositae sunt ipsis correspondentes (quas invenire licuit) citationes magnorum theologorum s. Bonaventurae, b. Alberti M. etc. Tomo primo continentur: 1. p. Summae s. Thomae; de altitudine doctrinae thomisticae proloquium; regulae ad lectorem. His methodum in opere a se servatam declarat quae ea est, ut cuilibet articulo adjungat synopsim et veluti schema ad formam dialecticam rigide exactum cum multis (scripturae) compendiis; item singula ad objecta responsiones: tum cuilibet articulo appendicem subjicit, qua haereses in eo confutatae indicantur, additis conciliorum canonibus et auctoritatibus patrum, postea commentaria Cajetani. — Indices quinque; primus qq. et aa. s. Thomae; 2. principalium sententiarum 1. p.; 3. singularium commentariorum; 4. praedicabilium totius anni; 5. hae-

[1]) Ossinger, biblioth. august.

[1]) Cf. Echard l. c. 392 ss.; G. Michele Piò, Vita e morte del ven. P. Mr. Fra S. della Porreta etc., Bononiae 1615.

resum et errorum in hoc opere condemnatorum. Huic t. adjecerunt editores etiam *Expositionem* F. Chrysostomi Javelli († 1538) O. Praed. in 1. p. s. Thomae; et tr. ejusdem Javelli *de praedestinatione* (de quo cf. supra II³, 1210). Praeterea addiderunt tr. *de praescientia et praedestinatione* falso s. Thomae adscriptum. Adjectus est in hac editione t. 6., quo continentur s. Thomae *qq. quodlibetales 12:* opuscula omnia card. Cajetani in t. 3 distributa. Nova hujus op. adeo utilis editio prodiit Patavii 1698; Romae 1773 t. 10 in f., ed. rara (l. 300). — *Veritates aureae supra totam legem veterem* tum literales tum mysticae, per modum conclusionum e s. textu mirabiliter exsculptae. Hae et genuinis rationibus, annotationibus, appendicibus et appositis qq. solutionibus, digressionibus et altis verborum textualium pensitationibus, promptis expositonibus, utriusque T. consensu magnifico subinde permixto dexterrime coordinantur. His ceu quadam praxi christiana ad virtutes theologas, cardineas, intellectuales, morales, ad opera bona, ad dona, non sine hujus divinae legis praevia comprobatione paratur iter pro diversorum statu commodum, pulchrum, pacificum, honestum, suave, stabile, tutum. Hic fere totus venerabilis sacrosanctae Ecclesiae catholicae ordo totumque detestabile infidelium chaos velut in idea a summo Deo jam olim ad vivum picta in litera cernuntur, maximorum praeterea pontificum, spectatorum conciliorum sanctorumque doctorum frequenter a nobis addito penicillo sequente, ut inde cautus simul et sapiens redditus homo facillime sciat reprobare malum et eligere bonum, Venetiis 1590 in f. Praeclarissima *ss. evangeliorum commentaria,* veritates catholicas super totam legem novam conclusionum instar continentia cum annotationibus textualibus, Venetiis (in Matthaeum tantum) 1602 in 4. (et si Lipenio fides iterum 1611; 1617). *Commentaria seu catholicae veritates in Ev. secundum Joannem* ad normam conclusionum, quae maxima fidelium utilitas est, mirabiliter ex ipso evangelico textu exsculptae, redactae et probatae. His connectuntur singulae annotationes, in quibus ab ipsis intacti quorundam textuum sensus intimiores examinantur et gravissima ss. Scripturarum, patrum, doctorum conciliorum, ss. pontificum attestatione ponderantur atque probantur. Praeterea in praemissarum tractatu pro ss. textuum exigentia occurrenti egregiae admodum disputationes inseruntur et declarationes de plurimis haeresibus a Christo praevisis ac damnatis, de sacramentis praecipuis, baptismo, poenitentia, eucharistia, de primatu Petri ab eo solemniter instituto, de regulis multis pro intelligentia ss. Scripturarum, ac de pluribus aliis ad varios errores profligandos unice facientibus, Venetiis 1604 in 4. Quae commentaria tum in Matthaeum tum in Joannem lectu dignissima dicit Echard, ceu saniorem et puriorem ubique doctrinam redolentia. Commentaria in Marcum et Lucam licet ms. nunquam videntur prodiisse. *Scholia* super compendium theologicae veritatis Alberti M., Venetiis 1588; 1590; *tota theologia* s. Thomae Aquinatis *in compendium redacta,* ib. 1597 in 12; commentarii *in psalterium davidicum,* Bononiae 1692 t. unus; 1736 t. 4 in f.; 1745; *Sacerdos in aeternum* dichiarazione della s. Messa, ceremonie, vestimenti ed altre cose sue mirabili, Venetiis 1588 in 12. ed. aucta.

160. *Magistrum sententiarum* commentati sunt[1]): Joannes Paulus Pal-

[1]) Inter hos referendi sunt Jacobus Tavanthius O. Serv. B. M. V. Florentinus, a Gregorio XIII. per apostolicas literas ordinis sui generalis (36.) declaratus 1576, ac ob immortalia sua merita a senatu populoque pisano civitati et nobilitati pisanae aggregatus: primariam enim cathedram s. theologiae per annos 47 rexit († 8. Aug. 1607). Posteritati plurima sui ingenii monimenta reliquit, ex quibus

lantieri e Castro bononiensi O. Min. Conv. philosophiae et theologiae lector, et demum 1602 episcopus Laquedoniae in regno neapolitano († 26. Oct. 1606), qui edidit: *Lectiones aureae in ll. magistri sententiarum,* Rhegii 1593; Venetiis 1594 t. 2; 1599 t. 4 in 4; *in totum psalterium davidicum,* Brixiae 1600 t. 2; Venetiis 1617. — Daniel Malloni O. S. Hieron. Brixianus, qui „adeo perfectus evasit, ut nemo eo acrior, neque pugnacior in disputando inveniretur[1])", auctor est operum: *Scholastica bibliotheca* in 2. l. sententiarum, 1616; *Elucidationes in stigmata D. N. I. Christi,* Venetiis 1606, in quo opere singularis eruditio, mira etiam pietas ac religio elucet. — Christophorus Silvestranus O. Carm. Veronensis, egregius theologiae professor († 1608) praeter lectiones in omnes Pauli ep. (italice), Veronae 1596, elaboravit *examen theologicum* in 2. l. sent., ib. 1598 in f.; in 4. l., ib. 1594 in f.; *in 4 ll. sententiarum,* ib. 1591-98 t. 2 in f., ed. rara. — Archangelus de Rubeis congr. can. reg. later. Cremonensis, s. theologiae multis annis professor, edidit: *Super 4 ll. sententiarum lucidissimae distinctiones,* Venetiis 1621. Opus utile iis praesertim, qui nimio labori in theologica facultate discenda parcere voluerint, quandoquidem in dictis commentariis flores resolutionum et distinctionum theologicarum ex aliis auctoribus decerptos in unum collegit[1]). Obiit Cariaulae episcopus 1618. — Franciscus de Pitigianis de Aretio (hinc Aretinus dictus) O. Min. Observ., magnus sui temporis theologus, philosophus atque facundus per Italiam orator, praeter alia edidit: *Summa theologiae speculativae et moralis* ac commentaria scholastica in 3. et 4. p. sent. l. Joannis Duns Scoti pp. 4, quae prodierunt Venetiis 1583; 1613; 1616; 1618; opus, in quo resolvuntur et enucleantur quam plurimae qq. et dubitationes non solum scholasticam theologiam concernentes, verum etiam ad ss. canonum conciliorum et casuum conscientiae perfectam cognitionem valde utile et necessarium. *Expositio* in formalitates Ant. Sirecti, qua difficultates quam plurimae et controversiae, quae inter scotistas versantur facillime resolutissimeque explicantur, ib. 1606 in 4; *Criminale canonicum,* seu practica criminalis, quae auctior et castigatior secundo prodiit 1621; commentaria literaria *in Genesim* scholastica methodo, Venetiis 1615, in quo egregio opere quaestiones 596 proponit. Obiit Mantuae 1616. a. aetatis 63. — Guido Barthólucci O. Conv. Asisias, diu theologiae lector

---

haec indicabimus: *In 4 ll. sententiarum; Catalogus omnium auctorum, qui super magistrum sententiarum scripserunt;* Tractatus *de horis canonicis; de sepeliendi ritibus; Resolutiones* variorum casuum sibi propositorum; *Commentaria* in ep. ad Romanos, in Psalmos, in epistolam d. Jacobi; *de sacrificio missae; Regulae* ex ss. patribus ad intelligendas Scripturas et plura alia, quae tamen non videntur prodiisse. Cf. Markel Speculum virtutis et scientiae O. Serv. b. M. V. pag. 169. — Joannes Bapt. d'Asti O. S. Aug., Genuensis, ob profundissimam rerum theologicarum peritiam in Italia *phoenix theologorum* appellatus; sed nobis non constat, num ejus *commentaria in ll. 4 sententiarum* prodierint. Erat ipse praepositus generalis ordinis 1608, ac 1620 praepositus sacrarii apostolici et episcopus tagastinus, sed eodem anno obiit.

1) Erythraeus in Pinacoth. 1, 76. Alius ab eo est Petrus Malon de Chaide OSA. Hispanus, in universitate caesaraugustana cathedraticus, insignis poeta, qui scripsit pede libero ligatoque eleganter *De la Conversion de la Magdalena,* en que se ponen los tres estados que tuvo, de pecadora, de penitente y de gracia, Compluti 1596; 1603.

1) Cf. Celsum de Rosinis in Lyceo lateran. illustrium script. s. apost. ord. cler. can. reg. Salv. lateranensis l. 1, qui hanc editionem paucis adjectis curavit, postquam jam prodierant *distinctiones* in 1. Sent., Venetiis 1601; in 2. 1603; in 4. 1609. Ceterum ipse alius est a Joanne Rubeus O. S. Ben. congr. Angliae, cujus est *Bonifatius VIII.* vita, res gestae, defensio 2 pp. in 1 v., 1651 in 4.

(† c. 1610) edidit opusculum *de ducentis quadraginta tribus contradictionibus,* quae in Scoti operibus apparere videntur, solutionem, Venetiis 1589, et ad calcem op. Scoti editorum Lugduni 1639. *Reportata Scoti* in 4 sententiarum ll. olim a Joanne Majore Parisiis evulgata recudi curavit Venetiis 1597 in f. etc. — Christophorus Marasca O. Carm., Cremonensis, prelo iterum subjecit: *Quaestiones Baconii* in 4 ll. sententiarum et *Quodlibetica,* adjectis conciliationibus „in quibus, teste Miraeo, elegantiam ingenii et doctrinae suae illustri dexteritate notam fecit," Cremonae 1618 in f.; Matriti 1754 3 v. in f., opus rarum.

161. Quibus addantur Petrus Bonaventura O. Min., qui elaboravit *annotationes* in commentaria et quodlibeta Petri Tartareti, Venetiis 1607 t. 2 in f. — Franciscus Albertini Catanzariensis, abbas quondam divitis abbatiae, postmodum jesuita († 15. Jun. 1619), qui sollicitus de harmonia inter philosophiam et theologiam scripsit: *Corollariorum seu qq. theologicarum ex principiis philosophicis deductarum t. 1.*, continens corollaria deducta ex principiis philosophicis complexis praecipue in 1. et 3. p. Summae s. Thomae; Neapoli 1608 in f.; t. 2. continens corollaria seu qq. theologicas de Trinitate, incarnatione Verbi et de eucharistia ex principiis philosophicis incomplexis seu praedicamentis substantiae, quantitatis ubi et ad aliquid, Lugduni 1616; iterum uterque 1629 in f. — Prosper Urbanus O. Conv., Urbinas († 1609), vir acri judicio, qui summam Alexandri in ordinem et compendium redegit in *Summula resolutionum Halensis,* Urbini 1603, quae ad illud opus intelligendum perutilis est. Reliquit etiam *in symbolum s. Athanasii* uberes commentarios, ib. 1604 in 4. — *De peccato originali,* Florentiae 1579 et *de praedestinatione,* Florentiae 1577, disputavit Laelius Baglioni (Balleonius) O. Serv. b. M. V. Florentinus, diu theologiae lector et sui ordinis praepositus generalis († 20. Apr. 1620), quem sodales magni fecerunt. De eodem argumento disseruit Jacobus Hacker Germanus, Ehinganus, in l. *de praedestinationis causa,* Friburgi 1609, in quo tuetur praedestinationem post praevisa merita gratiae. Eum impugnavit Andreas Urciano sub nomine Danielis Neidinger. Ejusdem quoque sunt *commentationes theologicae* ad mentem d. Thomae, ib. 1619. 1621 t. 2 in 4.

162. Ad *Hispanos* transeuntes, ab illis sumamus initium, quorum nomina tamdiu resonabunt celebritatisque clarescent fama, quamdiu florebit theologia. Sunt vero in primis tres: Franciscus Suarez[1]), Gabriel Vasquez et Dominicus Bannez. Natus est Franciscus Suarez maximus forte theologorum S. J., Granatae nobilibus parentibus d. 5. Jan. 1548. Annum agens 17. aetatis Deo se sacravit[2]) in socie-

[1]) *Suarez* nomen admodum est vulgatum in Hispania. Nonnullorum infra redibit mentio. A nostro alter Franciscus Suarez S. J. distingui debet, de quo ad a. 1659; de Joanne Suarez O. S. Aug. egimus p. 75; Emman. Laur. Suarez mox occurret mentio; Jacobus (seu Didacus) Suarez a s. Maria O. S. Franc. Olisiponensis vehemens fuit in Gallia protestantium flagellum, Henrico IV. a consiliis et a concionibus, postea episcopus sagiensis in Normannia († 1614); reliquit praeter *conciones* commentaria in 2 priora *cc. Genesis,* Nannetis 1585 in 4. Ejus l. *de missa parochiali* improbaverat facultas theologica parisiensis (cf. D'Argentre coll. jud. II, 1, 545—46), quia tuetur fideles non teneri diebus dominicis et festis adesse missae parochiali. — Notior est Jos. Mar a Suarez, de quo ad a. 1677.

[2]) Pauca tantum hic delibare possumus de ejus vita, plura reperies apud ejus biographos, quos recenset Backer, Bibliothèque des Ecrivains de la Comp. de J. III, 972 ss.; in ejus vita, quae reperitur in t. *de angelis* Lugduni 1621; et *de gratia,* quae adscribitur Joanni Freire S. J.; praeprimis cf. Werner: Franz Suarez, in

tate Jesu 16. Junii 1564, receptus a provinciali contra examinatorum suffragia. Cum in philosophiae cursu ne mediocris quidem ingenii limites transiret, ipse sui pertaesus pigensque profectus exigui enixe flagitavit, ut ab ejusmodi studiis, ne operam perderet, abdicaretur. Verum Martinus Guterius, ejus superior, singularis admodum pietatis vir, bono eum jussit esse animo et studia persequi non citra quandam successus futuri praesensionem. Nam exinde mirum, quantum in omni disciplinarum genere profecerit, adeo ut praeceptores non renuerint sui discipuli uti scriptis. Philosophiam primum docuit Segoviae (1572), memor semper in ea docenda theologiae illam ancillari oportere. Nec ita docendi vacabat muneri, quin diebus dominicis et festis rus decurrens totum se animarum saluti impenderet. Theologiam professus est a. 42 Abulae, Segoviae (1575), Vallisoleti (1576), ubi mira sua modestia, quam etiam, dum disputationibus praesideret, prae se ferebat, Ludovicum de Ponte discipulum suum, ut societatem Jesu ingrederetur, permovit. Romam accitus (1578) magno plausu a frequenti discipulorum corona, inter quos et Lessius, audiebatur[1]). Cum vero aër romanus ejus obesset valetudini, septennio expleto in Hispaniam rediit, primumque Compluti cathedram conscendit: atque altero expleto septennio Salamancam fuit translatus, ubi tanto exceptus est honore, ut omnis universitas in civitatis porta adventanti occurreret. Demum Philippi II. accitu primam cathedram Conimbricae jussus est occupare, academia eum gratiae loco a rege postulante (1597). Viginti circiter annos doctrinae suae splendore academiam illam ornavit. Semel tamen (1611) atque iterum (1613), ut a docendi removeretur munere, petiit, sed nonnisi tertio exauditus Olisiponam secessit totum se scriptioni pietatisque tradens exercitiis, donec die 25. Sept. 1617 a. aetatis fere 70. piissime in Domino obdormivit parum ante asseverans: „Non putabam tam suave esse, tam dulce mori."

163. A multis vocatum in dubium est, doctiorne esset Suarez, an sanctior. In tanto literarum famaeque fastigio adeo sibi nihil arrogabat, ut se infra omnes demitteret, et ad suas laudes oculos pudibundus deprimeret. Vitabat hominum congressus, ne in suas laudes, quod aliter vitare non poterat, impingeret: saepe discipulos ipsos consulebat, libros iis commentariosque suos tradebat recognoscendos, et si quid in iis censura dignum animadverterent, mutare summa facilitate solitus. Sui contemptor honoris servantissimus erat alieni. Nullius ingenium famamque deprimere, imo eos etiam laudibus solebat extollere, qui minus videbantur aliorum opinione laudabiles. Nulla verborum illi inter disputandum acrimonia, nullus aculeus, nullum contemptus signum, malens, ut ipse ajebat, confundi quam confundere[1]). Mira fuit ejus in cibo potuque abstinentia, virtutum comes ac sapientiae. Ter per hebdomadam rigide jejunabat; quotidie flagris aereo filo intextis in se saeviebat; lecto utebatur ad somnum solito duriore. Novem per diem horas studio, orationi dabat quinque affirmare solitus, malle se quaesitae tot annorum labore scientiae quam quotidianae meditationis facere jacturam[2]).

---

quo ejus vitam describit, opera recenset, doctrinam exponit. Cf. quoque quae scripsimus Katholik, 1865 v. 13. p. 556 ss.

[1]) Fertur primae Suarii quam Romae habuit praelectioni Gregorium XIII. interfuisse. Cf. Histor. S. J. P. 6. l. 2. n. 121.

[1]) Cf. Histor. S. J. P. 6. l. 2. n. 121. Plura specimina rarae modestiae refert Werner l. c. p. 75 s. Haec modestia ita quoque elucet ex ejus operibus, ut nonnemo de quorundam Suaresii operum genuinitate dubitaverit, quod minor in illis vigeret modestia.

[2]) Hist. S. J. l. c.

Interdiu si quis incidisset nodus in studiis, confugium habebat orationis ad Deum; Deiparam quoque Virginem, quam ardentissimi amoris colebat affectu, fidenti consulebat animo. Quacunque temporis particula diligenter utebatur atque religiose, hinc colloquia defugiebat inutilia, quae ‚pretiosissimi temporis depraedatores' dicebat: hinc vel in itineribus orare aut de quaestionibus theologicis meditari solebat, meditationisque fructum vespere in hospitio quamvis fessus consignabat literis. Animi puritatem toto vitae tempore tenuit illibatam.

Superfluum plane est[1]), encomia, quae largissime omnis aetatis, conditionis, nationis viri eruditi de eo pronunciarunt, hic referre: notissimum siquidem est, Suarez principis instar inter recentioris scholae theologos eminere. Merito in ejus operibus laudant profunditatem ingenii, qua omnia fere tangit, quae in unaquaque materia apte dici possunt, claritatem plane insignem[1]), eruditionem immensam, qua omnes in qualibet quaestione cujusvis aetatis sententias dilucide refert cum argumentis, quae modeste dein omnes in partes expendit. Neque solum versatissimus est in operibus theologorum scholae, verum etiam in operibus patrum, in scriptis haereticorum omnis aetatis et in operibus aequalium suorum, licet in regionibus dissitis prodierint[2]). Hinc quorundam ejus operum vel penes protestantes haud minima erat auctoritas[3]).

164. Opera Suarii[4]) prodierunt collecta Lugduni et Coloniae 1594—1655

---

[1]) Laudum specimina quaedam hic dabimus. „Cum Franc. S u a r e z, ita Richardus Lincaeus apud Mich. a S. Joseph Bibl. crit. 2, 307, se totum ad veterum scholasticorum lectionem contulisset, mihi videtur effinxisse *majestatem* Thomae, *gravitatem* Alberti, *claritatem* Durandi, *subtilitatem* Scoti, *copiam* Halensis, *soliditatem* Bonaventurae, *inventionem* Ockami, *acumen* Gregorii, *distinctionem* Gabrielis, *vim* Baconii, *profunditatem* Henrici, in summa quidquid in unoquoque praestantissimum eluxit". In uno ex collegii conimbricensis epitaphiis appellatur „Europae atque adeo orbis universi magister: A r i s t o t e l e s in naturalibus scientiis: T h o m a s angelicus in divinis: H i e r o n y m u s in scriptione: A m b r o s i u s in cathedra: A u g u s t i n u s in polemicis: A t h a n a s i u s in fidei explicatione: B e r n a r d u s in melliflua pietate: G r e g o r i u s in traductione bibliorum ac verbo: oculus populi christiani, sed suo solius judicio nihil." Quibus relatis scite subdit W e r n e r l. c. p. 90: „So überschwenglich dieses Lob auch klingen mag, so gewiß ist es andererseits, daß sich in der allgemeinen Meinung die sichere Überzeugung festsetzte, Suarez sei, wenn nicht der erste Theologe seines Zeitalters, unbestritten unter die Ersten seiner Zeit zu zählen, ein Urtheil, welchem einfach zuzustimmen ist." Hinc vel Grotius ep. 154 Jo. Cordesio inscripta affirmat eum tantae fuisse subtilitatis theologum ac philosophum, ut vix quemquam habeat parem.

[1]) Werner l. c. „Man übertreibt nicht, wenn man sagt, Suarez sei der klarste Kopf unter den theoretisch Gebildeten seiner Zeit gewesen. Neben der Klarheit fehlt es auch nicht an Tiefe, und diese beiden Eigenschaften zusammen, geben im Bunde mit der Umsicht eines gründlichen Fleisses seinen theologischen Arbeiten ein Maß und eine Rundung, durch welche sie sich den klassischen Hervorbringungen ersten Ranges würdig zur Seite stellen."

[2]) Hinc vere dixit Bossuet apud Feller VIII. 101: Suarez loquente universam recentiorem scholam audimus.

[3]) Guhrauer in op. Joachim Jungius und s. Zeitalter, Stuttgart 1850. p. 12. ita scribit: „Die Lehrbücher des spanischen Jesuiten Suarez setzten sich auf protestantischen Universitäten in dem Ansehen fest, welches sonst Melanchton einnahm, und das zieht sich bis in die Zeit hinab, als Leibnitz auf der Universität seiner Vaterstadt Philosophie studirte." Cf. Ritter die christl. Philos. II, 65 s.

[4]) Singulorum editiones cf. ap. Sommervogel; de singulorum doctrina et ordine chronologico Werner l. c.; de ineditis cf. accuratam diss. de Scorraile in Etudes relig. LXIV (1895), 151-76. Tomos tres posthumos Suarii (III. IV. IX) edidit Balthasar A l v a r e z S. J. philosophiae et theologiae professor († 12. Dec. 1630.) Ejus sunt tr. *de anima separata* in com-

t. 23 in 22 v.; Venetiis 1740—1757 v. 23 in f., quorum t. I. complectitur commentaria ac disputationes in 1. p. d. Thomae *de Deo uno et trino;* II. in 1. p. d. Thomae *de Deo effectore omnium creaturarum* (de angelis); III. *de opere sex dierum ac de anima;* IV. tractatus 5 ad 1, 2. d. Thomae *de ultimo fine hominis ac beatitudine,* de voluntario et involuntario, de humanorum actuum bonitate et malitia, de passionibus et habitibus, de vitiis atque peccatis; V. tractatus *de legibus ac Deo legislatore;* VI. *de divina gratia* p. 1, quae continet prolegomena sex et duos priores ll. de necessitate divinae gratiae ad honesta opera; VII. operis *de divina gratia* p. 2, quae continet ll. 3, 4, 5. nimirum de auxiliis gratiae in generali, de auxilio sufficienti et de auxilio efficaci gratiae Dei; VIII. *de divina gratia* p. postrema, quae continet posteriores ll. 7 de habituali gratia, sanctificatione hominis ac merito; IX. tractatus theologicus *de vera intelligentia auxilii efficacis* ejusque concordia cum libero arbitrio, opus posthumum ad stabiliendas definitiones fidei a S. D. N. Innocentio X. c. Jansenium ejusque partiarios editas accommodatum; ed. primum a Theoph. Raynaud Lugduni 1655; adjecta est (a p. 225—260): A. S. C.[1]) dissertatio pro Francisco Suare *de gratia aegro oppresso collata* per absolutionem a sacerdote praesente impensam praevia peccatorum expositione epistolari. Exceptio contra exceptionem; X. *varia opuscula theologica:* 1. de concursu, motione et auxilio Dei ll. 3; 2. de scientia Dei futurorum contingentium ll. 2; 3. de auxilio Dei efficaci brevis resolutio; 4. de libertate divinae voluntatis relectio prior; 5. de reviviscentia meritorum relectio altera; 6. de justitia Dei; XI. opus *de triplici virtute theologica,* fide, spe ac caritate; XII.—XV. *de virtute et statu religionis*[1]); XVI. *de incarnatione* p. 1. (in 3. p. qq. 1—26); XVII. *de incarnatione* p. 2. (mysteria vitae Christi et egregia disp. de b. Maria V.); XVIII. *de sacramentis* p. 1. disputationes de sacramentis in genere, de baptismo, de confirmatione, de eucharistia et missae sacrificio; XIX. *de sacramentis* p. 2. disputationes de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis, de purgatorio, suffragiis et indulgentiis; XX. *de censuris* in communi, excommunicatione, suspensione et interdicto, itemque de irregularitate disputationes[2]): XXI. *defensio fidei catholicae et apostolicae* adversus anglicanae sectae errores cum responsione ad apologiam pro juramento fidelitatis et praefationem monitoriam serenissimi Jacobi magnae Britanniae regis etc. Suscepit hoc opus hortante Paulo V., qui ipsi etiam, postquam illud in lucem prodierat, literis ad eum datis gratulatus est[3]): probabatur quoque haec defensio Philippo II. atque generatim catholicis, ut patet ex repetitis editionibus, quibus per Europam diffundebatur. Quo

mentariis collegii conimbricensis S. J. de anima ed. colon. a. 1617 p. 562-670; et *Index auctorum damnatae memoriae,* tum etiam ll. qui vel simpliciter vel ad expurgationem usque prohibentur vel denique expurgati permittuntur, Ulyssipone 1624 in f.

[1]) Haec dissertatio est Theoph. Raynaudi.

[1]) Ex hoc opere seorsim prodiit tr. *de religione Soc. Jesu* cum introductione, annotationibus et appendicibus Pauli Guéau de Reverseaux S. J. carnotensis (n. 1805, † 23. Jan. 1842), Bruxellis 1857 in f.

[2]) Editio veneta a. 1606 hujus tomi olim prohibita fuit a congregatione Indicis, quod editor marte proprio quaedam omiserit spectantia ad jura pontificis ob tunc gliscentem acrem controversiam inter Paulum V. et rempublicam venetam.

[3]) In hujus operis approbatione appellat episcopus conimbricensis Suaresium „propter eximiam sapientiam tot monumentis approbatam communem hujus aetatis magistrum et Augustinum alterum.“ Frustra ut haec verba delerentur, petiit humilis auctor asseverans „indignum se esse, qui inter Augustini discipulos numeraretur.“ „Quod scripsi, scripsi, reposuit episcopus addens, velle se hac una in re Pilato videri similem.“

magis vero his placuit, eo magis displicuit regi Angliae, qui illam flammis tradidit lectionemque rigidis sub poenis vetuit. Parlamentum quoque parisinum illud addixit igni (1614), verum urgente Paulo V. Ludovicus XIII. decreti promulgationem inhibuit[1]). T. XXII. *metaphysicarum disputationum,* in quibus et universa theologia naturalis ordinate traditur et qq. ad omnes 12 Aristotelis ll. pertinentes accurate disputantur, p. 1; t. XXIII. *metaphysicarum disputationum etc.* p. 2. Tanti aestimabatur hoc opus, ut haud multorum annorum spatio duodecies vel saepius prodiret in Gallia, Germania, Belgio et Italia. Assidue illud lectitabat Fabius Chigi (postea Alexander VII.), hinc in praefatione thesium, quas pro obtinenda doctoratus laurea publice defendit, ita de Suarez loquitur: „Qui mihi praeceptoris voce destituto unus praesto fuit suis in lucem editis libris Franciscus Suarez theologorum hujus aetatis facile princeps: quem cum philosophiae operam darem, scriptorem novi acutissimum amavique, ideo ipsum in theologia doctorem sane perspicuum optimumque sum expertus.“ Prodierunt iterum *opera Suarez* collecta Parisiis 1856 ss. v. 28 in 4; quibus adjecit ex ineditis aliud cl. Malou volumen, cui titulus: R. P. Fr. Suaresii etc. *opuscula sex inedita,* nunc primum ex codd. romanis, lugdunensibus ac propriis edidit et praefationibus instruxit etc., Bruxellis 1859. Hoc volumine continentur: 1. commentarius in decretum Clementis VIII. circa confessionem et absolutionem in absentia datas[2]) et in capitulum *Multiplex* de poenitentia sumptum ex s. Leonis ep. 89. cum concordia eorundem canonum; 2. tractatus de confessione peccatorum ab ipso poenitente facienda cum annotationibus incerti auctoris S. J.; 3. epistola ad Clementem VIII. P. M. et responsio ad propositiones de auxiliis gratiae notatas a Dominico Bannez; 4. dissertatio utrum b. Virgo fuerit santificata in primo instanti conceptionis atque adeo ab originali peccato praeservata; 5. liber secundus et tertius (primus exceptis brevibus fragmentis periit) de immunitate ecclesiastica a Venetis violata et pontifice juste ac prudentissime defensa. Hortante Paulo V. de hac quaestione scripsit; sed cum interim haec controversia fuerit composita, Suaresii opus in lucem non prodiit, tamen a Paulo V. hoc encomio laudari promeruit: „Multum in eo diligentiae ac doctrinae nec minus ardoris asserendae catholicae veritatis et divinae b. Petri tuendae auctoritatis elucet usque adeo, ut opus universum theologum *eximium*[1]) exprimat ac pium“. 6. De virginibus anglis e patria profugis et communem vivendi formam ac religiosae vitae proximam amplexis. Judicium P. Fr. Suaresii de illarum instituto. Sequuntur dein nonnullae (3) Suaresii epistolae a. 1617 occasione interdicti olisiponensis scriptae. — Opera

---

[1]) Cf. de hac prohibitione J. A. Rance in Revue des questions historiques 1885 fasc. Apr.; Feret III, 94 s.

[2]) Damnaverat Clemens VIII., „re mature ac diligenter considerata hanc propositionem, scil. ‚licere per literas seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere‘, ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam.“ Jam vero censuerat Suarez, hanc propositionem damnatam esse sensu complexivo, si utrumque per internuncium seu per literas fieret, non vero sensu diviso, si alterutrum tantum ita fieret. Displicuit admodum Romae haec opinio, imo improbata fuit declaratumque, Clementis VIII. decretum esse intelligendum de propositione etiam in sensu diviso accepta, proinde ex ejus commentario de poenitentia opinionem illam esse delendam (14. Jul. 1605). Cui judicio prompte se doctissimus subjecit auctor, Romamque properavit sincerissimam erga hanc sententiam observantiam professurus, ubi etiam benignissime a pontifice fuit exceptus.

[1]) Hoc apposito illum quoque ornat Benedictus XIV. de syn. dioec. II. c. 6 n. 4.

Suarii in utile compendium redegit Franciscus Noel S. J. († 1729), quodque hoc titulo prodiit: *Theologiae* R. P. Francisci Suarez e S. J. *summa* seu compendium . . . in duas pp. divisum duobusque tractatibus adauctum: primo *de justitia et jure*, qui est compendium operum Lessii de justitia et jure); secundo *de matrimonio* (qui est compendium operis P. Sanchez de matrimonio), Coloniae 1732 v. 2 in f.; Venetiis 1733; recusum Migne Parisiis 1859. *Epitomen* dilucidam, brevem et resolutam *disputationum theologicarum* (e t. XVIII—XX) tantum) P. Suarez alphabetico ordine digestam confecit Emmanuel Laurentius Suarez[1]) Olisipone 1626 in 4; auctiorem Valenciae 1627; Lugduni 1627; Coloniae 1628.

165. Alterum theologiae scholasticae clarissimum et famosissimum lumen, Suarezii quodam sensu aemulum, est Gabriel Vasquez[2]) S. J., quem nonnulli propter ingenii acumen et profunditatem *hispanum Augustinum* dixerunt[1]). Natis is est Bellomonte a. 1551. Juvenis adhuc, nondum enim numerabat 25 annos, d. Thomae Aq. theologiam professus est Compluti, Romae (1585) Suarii successor et iterum Compluti maxima auditorum admiratione et fructu: in qua quidem praeclara functione 29 et amplius annos contrivit, donec 23. Sept. 1604 a. aetatis 55. vivere cessavit. Magnis encomiis tam aequales qaam posteri eum prosequuntur. Sed non solum propter ingenii subtilitatem et sagacitatem, doctrinae profunditatem, disputandi soliditatem, eruditionis singularis copiam, verum etiam laude dignus est propter insignes, quae eruditionem ornabant, virtutes[2]). Inter has eminebat humilitas sincera, qua munera domus vel vilissima libenter obibat; cathedram cum vita abscondita viri apostolici in remotissima India inter barbaros rudissimos commutare optabat. Hinc frequenter verba *nihil sum* in ore gerebat ac secum ruminabat. Cum quondam ad publicam invitatus disputationem ab hujus laudaretur praeside, rubore suffusus illico discessit. Alteri ejus extollenti eruditionem reposuit: Quid haec proderunt mortuis, cum vivos tam parum juvent? Absit ut labores veros magnosque pro tenui falsaque gloriola capiamus. Cum simplicibus et illiteratis libenter conversabatur, ut eorum exemplo proficeret in humilitate. Speciali cultu prosequebatur s. Augustinum tamquam humilitatis exemplar, ejusque sequens vestigia desiderabat corrigi paratus, si quid minus recte dixisset, illud retrac-

---

1) Edidit hic quoque: *Principios e difiniçoes de toda a Theologia moral*, Olisipone 1642 in 8.

2) Praeter G. Vasquez notandi sunt: Didacus V. Matamoros, quem Arias Montanus suum appellat magistrum, et cujus dissertatio *de Hierosolymae situ* in Apparatu regiae Bibliae antwerp. reperitur. — Joannes Vasquez, theologiae professor, cujus est: *Quaestio theologica*, an haec propositio vera sit et catholica: Deus operatur omnia opera nostra bona ita, ut in eis totum efficiat, ut nos fere nihil agamus, Granatae 1613. — Joannes V. Jurado scripsit *de Residentia parochorum*, Matriti 1629. — Dionysius Vasquez O. S. Aug. († 1539) eloquens sui temporis orator, quem Leo X. *alterum* vocavit *Eliam* imperatori literis eum commendans, et cujus quondam concione audita, „Putabam, inquit, Dionysium in coelis esse et hodie inter homines vidi." Cf. II³, 1307 a. — Marsilius V. O. Carthus. († 1611) praeter *commentaria* t. IX in opera philosophica Aristotelis, scripsit quoque *l. de auxiliis*. — Michael V. S. J. († 1624) reliquit sermonem seu tractatum *de augustissimo sacrosanctae Trinitatis mysterio*, Lugduni 1617 in 8.

1) Norisius in vindiciis August. c. 3. § 5. argumentum quoddam Vasquez refellens, „Miror, inquit, Vasquez, virum in Augustini doctrina adeo versatum, ut sodales complutenses ‚Augustinum alterum,' vel saltem ‚mentem ac linguam Augustini' eundem nuncupaverint, miror, inquam etc.

2) Cf. Historiae S. J. auctore Juvenico P. 5. l. 23. § 42.

tare. Cum nescio qua de causa ejusdem opera biennio tardius prodirent in lucem, non aegre id tulit, imo aequo mansisset animo, etiamsi non prodiissent. Quo magis vere suum declinabat honorem, eo magis rationem habebat famae atque exsistimationis aliorum, etiam adversariorum. Neque minus paupertatis erat amans. Omnia vitae commoda fugiebat, ipse vestes usu detritas lacerasque resarciebat; eodem usus est 30 annos pallio, diutius forte pileo eodem. Hoc ornatum vidit quondam eum episcoqus seguntinus. „Emeritum petasum habes, mi pater, ajebat praesul: missionem et rudem petit". „Sic humana sunt, respondit Vasquez; sed ea quanto fiunt senio deteriora, tanto nos annis procedentibus vegetiores et ad virtutem colendam alacriores esse decet". Dona omnia virorum etiam nobilium repudiabat verbis utens Apostoli: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus* (1. Tim. 6, 8). Pauperes quantum poterat auctoritate et gratia, qua apud divites pollebat, sublevabat. Studii licet esset amantissimus, quoties tamen obedientia ad aliud eum vocabat, promptissime illud deserebat. In suis praelectionibus non erat diffusus, sed verbis potius pressus, ita ut ejus oratio ‚plurimum substantiae, perparum accidentium' habere vulgo diceretur. Prodierunt ejus commentarii in s. Thomam 10 t. in 9 v. in f. Lugduni 1631, quorum I. complectitur *commentarius et disputationes* in 1. p. Summae s. Thomae qq. 1—26. de Deo, de praedestinatione etc.; II. in qq. 27—44. de Trinitate, de angelis; III. in 1, 2. p. qq. 1—20. de actibus humanis; IV. in qq. reliquas, de legibus, de merito, de gratia etc.; V. posthumus, sicut et tomi sequentes, opuscula moralia, quae ad 2. 2. s. Thomae spectant, nempe de eleemosyna, de scandalo, de restitutione, de pignoribus hypotheticis, de testamentis, de beneficiis, de redditibus ecclesiasticis. Hinc cum Vasquez fuse egerit de iis quoque, quae ad theologiam spectant morum, factum est, ut ejus nomen etiam in hac saepe occurrat. Imo Poncius de Leon[1]) eum dicit „theologorum hujus aetatis facile principem, qui sibi in rebus praesertim moralibus, sit unus pro mille:" et Diana[2]) „doctissimum atque sapientissimum aetatis nostrae theologum," quem unum post recitatos aliquos doctores ait apud se esse instar omnium. T. VI. complectitur *commentarios et disputationes* in 3 p. per qq. 26 priores de incarnatione; VII. a. q. 26. usque ad 71. de vita Christi, Mariologia, de sacramentis in genere, de baptismo; VIII. a. q. 73—83. de eucharistia, de sacrificio, de sacramento ordinis; IX. a. q. 84—93. de poenitentia, de matrimonio et sponsalibus, de excommunicatione, quae disputationes non sunt satis elaboratae; X. paraphrasin et compendiariam explicationem ad 8 epistolas d. Pauli, nempe ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses I et II, ad Hebraeos. Exstant praeterea collectae ex ipsius operibus ab aliquo doctrinae ejus studioso et typis editae: *Metaphysicae disputationes,* Antwerpiae 1618 in 8. Prodit se tamen hisce in operibus quaedam opinandi singularitas et a communi tritaque scholae doctrina dissentiendi libertas, qua nonnunquam abreptus sententias minus tutas vel etiam erroneas tuetur[3]). Suarii

---

[1]) L. 4. de matrim. c. 25. n. 9; l. 5 c. 7. n. 6.

[2]) Resol. moral. p. 1. tr. 3. resol. 3; p. 3. tr. 5. resol. 79. 80.

[3]) Praecipue ingenii subtilitatem omnes in eo laudant. Praetermissis aliorum scriptorum encomiis sufficiant, quae scribit Andres, Dell' origine, progresso e stato d' ogni letteratura t. 6. l. 1. c. 5: „D' ingegno sottilissimo ed acutissimo il Vasquez sembrava nato per le scolastiche dispute, e si guadagnò in esse singolar fama in Alcalá ed in Roma; e sebbenne la stessa sua vivacità e sottigliezza lo portasse talvolta ad opinioni più nuove ed originali che ben maturate e sicure, i suoi scritti verranno sempre guardati con riverenza da' teologi, si polemici che scolastici." Cf. Kneller KL. XII, 634 s.

sententias saepe crisi subjicit, quin tamen eum nominet; hinc juxta Scheeben kath. Dogm. I, 451, ita fere se habet ad Suarium ut Duns Scotus ad s. Thomam.

166. Idem annus (21. Oct. 1604) aliud theologiae scholasticae ornamentum eripuit, Dominicum Bannez[1]) O. S. Dom. Mondragonensem vel Balmasedanum, nam de ejus patria non satis constat, n. 28. Febr. 1528. In theologia magistros habuit celebrem Melchiorem Cano et utrumque Soto, condiscipulum Bartholomaeum Medina. Postquam diu variis in locis Summam s. Thomae sodalibus est interpretatus, Salmanticam veniens cathedram, quam vocant Durandi, in universitatis gymnasio publico communi electorum suffragio sibi delatam regere adorsus est a. 1579: at non diu illic stetit. Vacante enim paulo post per mortem Barth. de Medina primaria et publico certamini exposita, eam in concursu theologorum primi nominis cum excessu 14 votorum tota plaudente academia reportavit (1581), quam deinceps ad annum usque 1599 moderatus est. Illud in hoc viro illustre, quod etsi in scholis continuo versatus, vitae spiritualis vias reconditiores perspectas haberet omnes, nec mysticae theologiae minus quam scholasticae peritus esset. Unde cum Abulis ageret, s. Theresia confessarium eum sibi delegit et directorem, seque illi spirituali quodam incantamento ita devinctam professa est, ut se nihil suscipere posse diceret, nisi a Bañez antea probatum[2]). Notissimus autem est Bañez ob suam cum Molina controversiam. Cum primum enim hic suam gratiae cum libero abitrio concordiam typis edidisset (Conimbricae 1588), mox Bañez apud hispanum s. Officii tribunal intercessit, ne hujus operis exempla in Hispania distrahi permitterentur, pluresque ejusdem libri propositiones ceu pelagianas ad idem tribunal denunciavit. Vicissim Molina Bannesii doctrinam ceu calvinianam detulit, et hinc originem duxerunt famosae illae controversiae de gratiae auxiliis[1]). Praeter commentaria *in ll. Aristotelis* aliaque scripta[2]) edidit Bañez *Scholastica commentaria* in 1. p. angelici doctoris t. 2, Salmanticae 1584—1588; in 2. 2. quibus quae ad fidem, spem et caritatam spectant, explicantur (usque ad q. 46), Salmanticae 1584; a q. 57—78 de jure

[1]) Alius est Michael Bannez, qui a. 1656. Matriti edidit: *Immunidad de nuestra Sennora en el primer instante de su ser.*

[2]) Duae adhuc hujus scnctae supersunt epistolae ad Bañez (23. et 25. in versione et editione, quam curavit Gallus Schwab 1853), in quarum altera (1584) scribit: „Man soll sich mehr darüber verwundern, was die Liebe zu Gott Alles vermag, da die Liebe des P. Dominikus so viel Gewalt hat, daß Alles was ihm gut scheint, auch mir so vorkommt; was er will, das will auch ich, und ich weiß nicht, was aus dieser Magie noch werden wird.“

[1]) Ceterum prima hujus controversiae origo assignari debet a. 1581, quo Prudentius Montemajor S. J. praeside Michaele Marcos praedeterminationem physicam, cujus Bañez acerrimus erat defensor, fautor et promotor, thesibus pro disputatione publica propositis impugnavit propugnavitque scientiam mediam. Sexdecim enim ex hac disputatione propositiones detulit Bañez ad inquisitionis tribunal tamquam haereticas atque erroneas. Sed incassum, negatum siquidem fuit, propositiones delatas a Prud. Montemajor fuisse defensas. Impetravit tamen ab inquisitionis tribunali Castiliae, ut 13 propositiones, quas tamquam summam doctrinae adversariorum et omnium turbarum occasionem detulerat, ad tempus prohiberentur. Molinae de concordia libro opposuerunt Bannez cum collegis *Apologia FF. Praedicatorum* in prov. Hispana s. theologiae professorum adversus novas quasdam assertiones cujusdam doctoris, Ludovici Molinae nuncupati, theologi de S. J., quas defendit in suo l. de concordia etc. et adversus alios ejusdem novae doctrinae sectatores et defensores de eadem societate, Matriti 20. Nov. 1595, cui dein subscripserunt alii 22 professores O. Praed. Plura hac de re cf. ap. Eleutherium (Livinum Meyer) Hist. controv. de divinae gratiae auxiliis L. 2. c. 1.

[2]) Cf. Echard II, 352 s.; Morgott KL. I, 1948—65; Ehrle Katholik 1875 I, 415-24.

et justitia decisiones, ib. 1594. Prodierunt hi 4 t. etiam Venetiis 1585; 1591; 1595; 1602 et 1604; Duaci 1614 et 1615; relectio *de merito et augmento charitatis,* Salmanticae 1590, in qua singularem nonnihil tuetur sententiam.

167. Eundem *Thomam* commentariis illustrarunt[1]) ex *ordine Praedicatorum* Petrus de Ledesma Salmanticae natus, vir eruditus multarumque virtutum laude conspicuus. Sacras ille docuit literas annos 40 omnium plausu, tum Salmanticam evocatus cathedram Durandi obtinuit a. 1604 et a. 1608 s. Thomae vespertinam, ubi demum et docere et vivere[2]) desiit 9. Sept. 1616. Edidit: Tractatus *de divina perfectione, infinitate et magnitudine* in illa verba: *Ego sum, qui sum* (Ex. 3, 15) a. q. 3. p. l. s. Thomae ad q. 14, cui annectitur tr. *de perfectione actus essendi creati,* Salmanticae 1596 in f.; tr. *de divinae auxiliis gratiae* circa illa verba Is. 26, 12: *Omnia opera nostra operatur es in nobis Domine,,* et circa doctrinam s. Thomae multis in locis, praecipue 1. p. q. 19. a 8; q. 23. et 1, 2. q. 111, ibid. 1611 in f.; *de magno matrimonii sacramento* super doctrina s. Thomae in aliquibus qq. additiones ad 3. p., ib. 1592 in f. Lingua hispana edidit *Summam de sacramentis* v. 2 in f., ib. 1598; 1615; Olisipone 1617; pars prior latine versa per Raimundum de Ladesou O. Pr. prodiit Duaci 1630; altera Coloniae 1618. In theologia morali propositionem statuit ab Innocentio XI. (2. Mart. 1679 n. 2) reprobatam. „Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.“ — Didacus Nunno Cabezudo vir acris judicii et magni nominis, sancti doctoris angelici mirum addictus placitis, annos 30 in docenda theologia trivit († 1614), unusque ex primis fuit, qui Molinae doctrinam impugnaret a. 1594. Reliquit *Commentarios et disputationes* in 3. p. Summae theologicae d. Thomae Aq. (in qq. 60—84; 84—90. et in Suppl. qq. 1—40), Pinciae 1601; 1609 v. 2 in f.; iterum Venetiis 1612; Coloniae 1630, cui editioni accesserunt alii 4 ejusdem tractatus: 1. de auctoritate summi pontificis et conciliorum; 2. de indulgentiis; 3. de auxiliis divinae gratiae; 4. de bulla cruciatae dicta; *tractatio* in 3. p. Summae theologicae d. Thomae nunc primum in lucem edita, sed accurate recognita, a mendis expurgata, veris ac legitimis indicibus auctorum restitutis ornata, innumeris patrum, conciliorum, Scripturarum testimoniis ad materias controversas pertinentibus locupletata etc., opus posthumum cura et studio F. Antonii Cloche O. Praed., Romae 1692 t. 2 in f. (in qq. 1—12—26). In re morali censeri potest auctor gravis et probabilista, ut ajunt. — In 1. 2. et in 3. p. *commentaria* edidisse Mexici Ferdinandus Bacan refertur.

168. Ex *ordine Cisterciensium* Petrus de Lorca Bellomontanus, diu inter Complutenses doctor theologus primariaeque Scoti cathedrae moderator, principem doctrinae atque eruditionis locum tenuit. Denatus est annos natus 52 a. 1606. Doctissima elucubravit *Commentaria et disputationes* in universam 1. 2. s. Thomae, Compluti 1609 v. 2 in f.; in 2. 2., Matriti 1614 in f., in quo v. agit de fide, spe et caritate; priori sectioni adjunctus est: *de locis catholicis* scholasticarum disputationum l. primus, qui solus prodiit ex sex ll., in quos auctor opus distribuere cogitavit. Agit is porro de s. Scriptura; secundo, quem *de divinis traditionibus* appellabat, immortuus est. In 3. p. d. Thomae *de incarnatione,* Compluti 1616 in f.; *de notis Ecclesiae.* Haec tria posteriora opera edidit ejus sodalis Dio-

[1]) His adde illos, quos infra inter eos recensebimus, qui theologiae practicae operam dederunt.
[2]) Echard Script. O. Praed. II, 404.

nysius Cuchus, addens t. de incarnatione auctoris *vitam* et promittens se alia ejusdem tria volumina publicaturum[1]): num prodierint nos latet. — Ex *ordine B. M. V. de Mercede* nominandus est Franciscus Zumel Palentiae, ut creditur, natus illustris theologiae (morum) professor, sui ordinis praepositus generalis 32., qui „vixit ad a. 1607 in magna omnium, qui literas morumque gravitatem amant, existimatione et pretio, sive judicium viri purgatissimum doctrinamque excellentem accepissent fama sive consultationibus, quod frequenter deque magni momenti rebus contingebat, experti fuissent[2]).“ Bene meritus est de posteritate hisce operibus: In 1. s. Thomae p. *commentaria* v. 2 in f. (in qq. 1—43 —114), Venetiis 1597; 1601; Lugduni 1609; in 1. 2. *commentaria,* Salmanticae 1595 v. 2 in f.; *variarum disputationum* t. 3 in 1 v., ib. 1608. Horum primus est in 1. p. s. Thomae, de praescientia Dei circa futura contingentia; secundus in 1. 2. de libero arbitrio; ipsius cum gratia Dei convenientia et assensu ac praedestinatione; in tertia novas et abstrusiores inductas quaestiones enodare, dirimere et verissimis rationibus terminare nititur. Ceterum Zumel pugnacissime physicam omnium praederminationem defendit.

169. *E societate Jesu* Petrus Arrubal doctrina et virtute aeque conspicuus Compluti, Salmanticae, Romae sacram theologiam summa cum laude explicuit, et sententiam societatis Jesu de auxiliis divinae gratiae doctissime coram summo pontifice propugnavit († 22. Sept. 1608). Reliquit *Commentariorum ac disputationum* in 1. p. d. Thomae, Matriti 1619, 1622 t. 2. Coloniae 1630. Ejus *de auxiliis divinae gratiae* disputationes ob universalem prohibitionem de non imprimendis libris de hoc argumento agentibus bono pacis, manserunt ineditae, sed cf. Liv. de Mayer in Hist. controv. de gratiae aux. — Franciscus de Cuniga seu Zuniga Cantaber († 22. Jul. 1614 a. aetatis 34), scripsit: Tr. *de Trinitate* in 1. p. s. Thomae a q. 27—43, Lugduni 1623 in 4. Ex *ordine Carmelitarum* Petrus Cornejo de Pedrosa Salmanticensis in urbe patria philosophiam morum Aristotelis et s. Thomam magna usus stili claritate explicuit, tanti a discipulis factus, ut regem exorarent, ne unquam illum dignitate episcopali honoraret, qua ab opere, quod tam utiliter faciebat, abduceretur. Undique illum viri docti et vel ipse rex super difficilibus et gravibus rebus consulebant oraculi instar. Paulus V. ejus eruditionem admirans ‚vere dignum Ecclesiae Dei doctorem‘ illum appellavit[1]). Thomistarum nullus, scribit Davila episcopus placentinus, clarius, operosius et verius angelicum doctorem percucurrit et aperuit, ita ut in eum eundem spiritum commigrasse diceres. Ceterum scholae baconianae si non institutor, saltem promotor est. Morte nimis immatura, annos enim tantum 48 numerabat, abreptus est 31. Martii 1618. Reliquit: *diversarum materiarum* ab ipso Salmanticae praelectarum t. prior, Vallissoleti 1628. scil. in 1. p. et 1. 2. s. Thomae; t. alter continet *commentaria* in 3. p., 1629, quod opus prodiit et Bambergae 1671 inscriptum *Theologia scholastica et moralis*, quae diversas materias secundum tres partes d. Thomae Aq. et ad mentem ejusdem auctoris angelici elaboratas continet. Academia salmanticensis in amoris pignus hoc eum elogio post obitum ornavit: „Incompara-

---

[1]) Cf. Nic. Antonius bibl. h. n. II, 209 s.

[2]) Nicol. Antonius l. c. I, 500. Ibi reperies reliqua ejusdem opera, quae hic praetermittimus.

[1]) Refertur hoc in ejus *vita* a Davila episcopo placent. conscripta et theologiae scholasticae Bambergae 1671 editae praefixa.

bili viro RR. P. Magistro suo Petro Cornejo Carmel. felice omine nato, sed immani Atropos infelicius non sine ingenti jactura intempeste exstincto, vitiorum hosti acerrimo, virtutum perpetuo custodi, angelicae puritatis imitatori, vero literarum fulmini, salmanticensis academiae splendifero jubari, inclyta mater aeternum vale, ut felix perenni vivat felicitate, supernum Jovam precatur.« — Ex *ordine s. Hieronymi* Petrus de Cabrera Cordubensis reliquit in 2. p. d. Thomae *commentarios et disputationes* (in qq. 1—16) t. 2 in f. Cordubae 1602 (m. 45); *de sacramentis in genere, de auxilio praevio et de baptismo* in 3. p. d. Thomae (in qq. 60—71) commentarios et disputationes, Matriti 1611 in f. — Quibus addendus est Johannes Alphonsus Curiel Palentiolae in dioecesi burgensi natus, „quem salmanticensis academia ut theologorum suorum principem veneratur et observat[1]).« Omnes ab imo usque ad summum scholae gradus tenuit, plusquam 30 annorum intervallo doctrinae, eruditionis atque innocentiae commendatione principatum gerens in opere theologico[2]). Multa quidem scripsit, multa dictavit, in re praesertim scholastica; sed quod de se ipso et laboribus suis modestissime judicaret, nihil eorum prodire in publicum vivus permisit. Exierunt utique post ipsius mortem (28. Sept. 1609): *Lecturae* seu quaestiones in d. Thomae Aq. l. 2, Duaci 1618; Antwerpiae 1621 in f.; controversiae *in diversa loca s. Scripturae* ll. 2, quorum prior est in aliquot Proverbiorum et Sapientiae, posterior in quaedam Pauli et Petri apost. ex epistolis loca, Salmanticae 1611 in f.

170. Sequuntur illi, qui in exponendis *Sententiarum libris* praesertim secundum Scoti mentem operam utiliter navarunt. Omnes sunt ex ordine s. Francisci: Joannes de Ovando Cacarensis, qui postquam annis multis praelegit Salmanticae theologiam, scripsit[1]) *Commentarios* in 3. l. Sententiarum, Valentiae 1597 in f. — Joannes ab Incarnatione, Lusitanus, dearticulavit l. primum Scoti *in Sententias*, praemissa ejusdem Scoti vita cum annotationibus, Conimbriciae 1609. — Gregorius Ruitz[2]), Pincianus, emisit: *Controversiae theologicae* in 4. l. sententiarum Scoti usque ad 50. dist., praemissa ejusdem doctoris subtilis vita, Vallisoleti 1613 in f. et 1643. — Joannes (olim Franciscus) de Rada, Aragonensis, usque adeo celeber theologiae professor, ut a Clemente VIII. Romam evocatus sit et adscriptus inter consultores praecipuos delectos pro gravissima illa de gratiae auxiliis controversia. Exstitit enim illi ejusque successori Paulo V. gratus valde doctrinae, subtilis admodum ingenii, modestiae et gravitatis nomine[3]). Electus fuit 1605 archiepiscopus tranensis; 1606 episcopus pactensis in Sicilia; obiit 1608. Edidit *Controversias theologicas* inter s. Thomam et Scotum super 4 ll. Sententiarum, Salmanticae t. 2 in f.; Venetiis 1599; 1617 v. 4 in 4. (fr. 80), quae ed. dicitur sola completa eaque est rara; Romae 1614; Coloniae 1620 et alibi, in quibus pugnantes sententiae sobrie et pacate referuntur, potiores difficultates elucidantur et responsiones ad Scoti argumenta rejiciuntur. — Denique Joannes de Carthagena prius S. J., dein O. Min. reg. obs. († 1617), Romae publice theologiam magno discipulorum profectu praelegit; Paulo V. quoque summe carus propter gravia et erudita in rebus theologicis responsa[4]). Praelo

[1]) Dechamps de haeresi jansen. l. 2. disp. 6. c. 8. n. 5.
[2]) Nic. Antonius bibl. h. n. I, 631.

[1]) Alia ejusdem opera cf. in bibl. franc. Jo. a s. Antonio II, 197.
[2]) Alius est a Francisco Ruiz, de quo cf. II[3], 1478.
[3]) Nicol. Antonius I, 765.
[4]) Cf. Joan. a s. Antonio II, 143. Distingui Joannes debet a Bartholomaeo

commisit inter alia: *De sacramentis in genere* seu in 4. l. Sententiarum, Romae 1609 in 4; tr. *de praedestinatione et reprobatione* angelorum et hominum (juxta N. Antonium Bibl. H. N. I, 407, cujusdam Francisci de Carth.) ib. 1581 in 8; *disputationes in universa religionis christianae arcana,* ib. 1609 in 4. *Propugnaculum catholicum* de jure belli rom. pontificis adversus Ecclesiae jura violantes ll. 4, Romae 1609; *Homiliae* sacrae catholicae, Lutetiae P. 1618 t. 3 in f.; *pro ecclesiastica libertate* tuenda adversus injustas leges Venetorum, Romae 1607.

171. Praeter hos, quos hucusque recensuimus, mentione adhuc digni sunt: Joannes Gaa de la Camara O. S. Franc. Complutensis, cujus exstat opus egregium: *Quaestiones selectae et theoremata* theologicarum veritatum, necnon et apologeticus sermo pro hujus veritatis defensione, quod Paulus V. et quilibet a cardinalibus S. R. E. electus in papam et nobis traditus et in cathedra Petri sedens de fide et de jure divino Christi vicarius ac Petri successor verusque papa est, Compluti 1607 in f. — Christophorus Gillius[1]) vel Aegidius S. J. Lusitanus, theologiae professor in academia conimbricensi et eborensi, destinatus fuerat magni Suarii in cathedra successor. Eam tamen non conscendit morte immatura prius e vita abreptus 7. Jan. 1608. Vir fuit tanta vitae innocentia, ut acceptum semel in sacri fontis lavacro divinae gratiae donum creditus sit ad extremum usque vitae spiritum sancte illibateque servasse: ingenio perspicaci promptoque, judicio peratri, omnigena doctrina instructus, multis rebus magnus et sui demissione maximus. Idiotam putares, si hominem non nosses. Humilium familiaritate delectabatur, et aliquando Conimbricae cum theologiam doceret, sui deprimendi gratia mendicis se pulla in veste inseruit, cum iis stipem ad januam accepit, comedit, bibit. Aliena opera plurimi, sua nihil faciebat; quae ut ederet non prius, quam pro imperio cogeretur, in animum induxit. Morti proximus ardenter expediit, ut quae ejus supererant opera, darentur flammis[1]). Quanti eum aestimaret Suarez, conjicere licet ex iis, quae occasione cujusdam disputationis, cujus praeses erat Suarez, legimus[2]): „P. Chrystophorus Gillius tanta vi contorsit argumenta, ut Suarius in ipso cognoverit praestantissimum ingenium et magistrum, dixeritque nescire, cur se ex alia natione vocaverint ad moderandam cathedram conimbricensem, cum tantus vir, quantus erat Gillius, Lusitaniam incoleret.“ Prodierunt ipsius Commentationum theologicarum *de sacra doctrina et essentia atque unitate Dei* ll. 2, Lugduni 1610 in f.; Coloniae 1610; 1619; 1641. — Franciscus de Avila O. Praed. Abulensis († 1604) interfuit congregationi de auxiliis sub Clemente VIII. librumque edidit: *De gratia et libero arbitrio* sive de auxiliis divinae gratiae, Romae 1599 in 4; insuper et dissertationem *de confessione per literas sive per internuncium,* ib. 1599 et Duaci 1623 in 8. — Caspar Ram Balbestrensis, archipresbyter darocensis diu primarium docendi ss. literas munus gessit, et tr. edidit *de divinis praemotionibus* seu de efficacia divinae causalitatis, Oscae 1511 in 4. Promisit alteram p. et duo propugnacula adversus Suarez et Lessium, quae tamen non videntur prodiisse. — Andreas

---

Carthagen, cujus *expositio titulorum juris canonici* exiit in lucem Lugduni a. 1624.

[1]) Alius ab eo est Petrus Gil S. J. Tarraconensis, a. 20 theologiae professor Barcinone († 15. Sept. 1622), cujus est *Modo d'aiudar a ben morir* ais qui per malatia ò por Justicia moren, Barcinone 1907.

---

[1]) Sotwellus Script. Soc. J.

[2]) In synopsi annal. S. J. in Lusitania ab a. 1540—1725, Augustae et Graecii 1726 p. 166.

Henriquez de Villegas primarius theologiae apud Complutenses professor atque in rebus fidei censor scripsit Controversias *de Deo uno* i. e. de Dei scientia et ideis ac voluntate: de praedestinatione item ac reprobatione hominum, Compluti 1618 in f. — Dionysius Zarate O. S. Aug. Mexicanus, universitatis decanus praelo tradidit tr. *de incarnationis ineffabili mysterio,* 1601. — Laurentius de Zamora O. Cist. singulare decus et ornamentum, opus composuit multiplex, sapientia totiusque literaturae divitiis refertum[1]), nempe: *Monarquia mystica de la Iglesia* hecha de Geroglyphicos sacados de humanas y divinas letras, septem constans partibus, quarum aliquae non uno volumine continentur, Matriti 1595—1614 et alibi. In eo agit de Ecclesiae proprietatibus, humani generis ruina, de b. Mariae V. praerogativis, de mediis Ecclesiae ad sui conservationem divinitus concessis, hinc de sacramentis, de membris maxime illustribus Ecclesiae etc.

172. De *b. Maria V.* scripserunt: Stephanus Mendez O. Pr., qui edidit: *Doze libros de la dignidad de la Virgen madre de Dios,* Barcinone 1606 t. 2 in f. — Franciscus Sosa O. S. Franc. Toletanus, vir nobilis et doctus, per annos multos s. theologiam Salmanticae professus, tandem creatus est totius ordinis minister generalis, mox episcopus canariensis (1607), deinde oxomensis, demum segoviensis, designatus a Philippo III. Hispaniarum rege ad Paulum V. regius orator, ut controversiam circa puritatem conceptionis Virginis Mariae tandem dirimeret; sed morte praeventus (1618) ea non potuit legatione fungi, in qua substitutus est ei Antonius a Trejo ejusdem instituti. Scripsit praeter alia varios tractatus praesertim *de conceptione immaculata* b. M. V. (4) et quidem doctos, lingua vernacula, qui prodierunt Salmanticae 1523 in 4. — Petrus Morales S. J. († 1603) e dioecesi toletana, qui prius diu in academia salmanticensi et in regiis senatibus utriusque juris decisionibus vacavit, edidit: In c. 1. Matthaei *de Christo, ss. V. Deipara Maria veroque ejus dulcissimo sponso Josepho ll. 5,* Lugduni 1614 in f., quo in opere suum in Deiparam ejusque sponsum affectum latissime explicat, eo etiam libentius laetiusque quod, ut ipse ait, in extrema aetatis meta, jubente obedientia, id aggrederetur. — Franciscus Moreno O. S. Franc. disputavit *de conceptione b. V. Mariae,* Hispali 1617 t. 2. — Gundisalvus Sanchez Lucero, Hispalensis, in granatensi ecclesia magistralis canonicus atque in hujus urbis gymnasio theologiae primarius professor, in vulgus dedit: *Dos discursos theologicos* in defensa de la immaculata Concepcion de N. Senora, Hispali 1617 in 4. — Quibus ex *Italis* adhuc adde Petrum Antonium Spinelli S. J., Neapolitanum († 1615) praecipuis ordinis muneribus functum sanctitatisque fama insignem[1]), qui ardentissimae suae in b. Virginem devotionis argumentum dedit opere: *Maria Deipara thronus Dei,* de Virginis bb. Mariae laudibus praeclarissimis, sub typo divini throni in Apoc. 4. adumbratae: deque pietate ac devotione, qua eadem Deipara a nobis colenda est; opus ex ss. literis, ss. patribus ac rationibus theologicis depromtum, Neapoli 1613 in f.; Coloniae 1619; 1663. — Ex *Gallis* Joannes Brouet, qui *purisimam Dei genitricis conceptionem* jure divino, canonico, civili, humano probavit, Parisiis 1612 in 8; disseruit quoque *de affinitate* ecclesiasticae et regiae jurisdictionis, ib. 1605 in 8. et *statuta synodalia* commentariis illustravit, ib. 1595 in 8.

[1]) Bibl. hisp. nova II, 11 ubi singularum partium tituli referuntur. Reliquit et plura sermonum volumina.

[1]) De hac cf. Sotwellum in Bibl. Script. S. J.

II. Theologia positiva et polemica.

173. Pauciores sunt ex *Hispanis*, qui huc referri possint[1]). Unus multorum instar est, isque in theologia quoque scholastica fundatissimus, nimirum Gregorius de Valentia S. J., limatissimi judicii theologus, nullique sui temporis secundus. Natus est Methymnae Campi a. 1551, Romam a. s. Francisco Borgia adscitus (1571) admodum juvenis philosophiam docuit; a provincialibus tum Franciae tum Germaniae propter insignes ingenii dotes expetitus in Germaniam fuit missus (1575); ubi Dilingae per annos circiter 23, tum Ingolstadii strenue promovit rem catholicam praelectionibus, disputationibus, scriptis. Pro consilio circa controversias a Guilelmo Bavariae duce motas de legibus carolinis ad usuram spectantibus Romam vocatus est (1580) a Gregorio XIII., qui sententiam dixit secundum ipsius doctrinam[2]). Maximi eum fecit Bavariae dux; hinc cum iterum Romam acciretur (1598), omnibus illum ad iter peragendum necessariis liberaliter instruxit comitemque addidit. Romae theologiam docere ac dein in celebri congregatione de auxiliis coram Clemente VIII. doctrinam societatis jussus est defendere, quod magna ingenii subtilitate, claritate et eruditionis apparatu praestitit, adeo ut illum pontifex ‚doctorum doctorem‘ vocasse feratur[3]) ac disputantem coram se sedere permitteret; cumque laboribus jam confectus aegrotaret, voluit pontifex ut congregationes intermitterentur, ne privaretur voluptate, quam ex tanti theologi hauriebat disputationibus. E medicorum consilio salutis restituendae gratia Neapolim secessit. Verum frustra, decessit[1]) enim ibidem 25. Apr. 1603. Plurima sunt ejusdem opera[2]), in quibus omnes egregii theologi dotes reperies, sive materiam sive formam spectes; versatus siquidem erat in patrum scriptis et in theologia scholae, atque Scripturas interpretandi scientia peritus: lucent illa claritate, excellunt profunditate, ingenii subtilitatem testantur. Hinc vel a Morhofio dicitur[3]) ‚ille inter heroes scholasticos, cujus celebratissimum nomen tum apud pontificios, tum apud nostros est.‘ Inter haec opera eminent: *Commentariorum theologicorum* t. 4, in quibus omnes materiae, quae continentur in Summa theologica d. Thomae Aq., ac suis etiam

[1]) Franciscus de Tolosa O. Min. hispanice scripsit *demonstrationes catholicas*, Juliobrigae 1612 in f.

[2]) Cf. Zech S. J. Rigor moderatus doctrinae pontificiae circa usuras, diss. 3 § 258 s.; Mederer annal. acad. ingolst. p. 2. ad a. 1598.

[3]) Contzen Polit. l. 5 c. 1.

[1]) Necessarium non erit pluribus refellere fabulas de occasione morbi et mortis Gregorii de Valentia, cum nimis aperte mendacii prae se ferant notas. Cf. Liv. Meyer histor. controv. de auxil. l. 5. c. 12; et histor. controv. vindic. l. 3. c. 15. Ei in controversiis de auxiliis successit Petrus Arrubal (cf. p. 393), deinde Ferdinandus Bastida acutissimus si qui theologus, cujus disputationes, quas exhibet L. Meyer op. cit., in materia de gratia sunt graves, solidae, nitidae ideoque lectu dignissimae summaeque utilitatis. Postea agnita invaliditate suae professionis religiosae ob impedimentum in ingressu in societatem ignoratum, eam reliquit factusque est professor et canonicus vallisoletanus et universitatis cancellarius. Improbabilis autem est fabella, Bastidam post suum e societate Jesu egressum illam doctrinam esse amplexum, quam in congregationibus de auxiliis impugnaverat. Cf. Frius Zeitschr. f. kath. Theol. XX (1896) 651 annot.

[2]) Horum catalogum cf. ap. Sommervogel VIII, 388—400.

[3]) Polyhist. p. 2. l. 1. c. 14 § 45.

locis controversiae omnes fidei explicantur, Ingolstadii 1591; 1597 ed. rara (m. 150); 1603; Venetiis 1600; Lugduni 1600; 1603; 1609; 1619. Disserendi subtilitatem et argutias, quibus valebat plurimum in disputando, a suis abesse commentariis de industria voluit, quo lucem illis majorem necnon legentibus facilitatem afferret. Austeritatem vero scientiae reconditioris scribendi elegantia, nitore et brevitate condivit[1]). Eorum *epitome* prodiit Coloniae 1662 in 8. Lugduni prodierunt 1591 (et dein Parisiis 1610) plurima ejusdem opuscula (28) *de fidei controversiis,* quorum potiora sunt: *Analysis fidei catholicae,* hoc est, ratio methodica eam in universum fidem ex certis principiis probandi, quam s. romana Ecclesia adversus multiplices sectariorum errores profitetur ll. 8 comprehensa, in quibus simul de Ecclesia, de romano pontifice, de Scriptura, de traditionibus, de conciliis suis locis disputatur[2]), Ingolstadii 1585, opus egregium, etiam apud Rocaberti XIII, 43—174; *de ss. Trinitate* ll. 5, ib. 1586, quod plurimos nactum est impugnatores; *de vera Christi majestate et praesentia* contra lutheranos ubiquistas ll. 4[3]), ib. 1582; 1583; 1584; *de numero sacramentorum N. L.; de reali Christi praesentia in eucharistia et de transsubstantiatione* ll. 3, ib. 1587; *de sacrosancto missae sacrificio* ll. 2. ib. 1580; 1581; *de idololatria* ll. 5, in quibus cultus s. eucharistiae et sanctorum et ss. imaginum ac reliquiarum adversus sectariorum contumelias defenditur, utrumque adversus Herbrandum, ib. 1580; 1581; *de praedestinatione et reprobatione,* ib. 1574; *Examen et refutatio praecipui mysterii* doctrinae Calvinistarum de re eucharistica, ib. 1589, cujus occasione adversariorum plurimi arripuerunt calamum, ut ei responderent[1]).

174. Reliqui minoris longe sunt celebritatis. Gregorius Nuñez Coronel, Lusitanus, O. Erem. S. Aug. diu Romae theologiae scholasticae lector, Clementi VIII. a confessionibus (†1620), cujus exstant: *De vera Christi Ecclesia* ll. 10, Romae 1594 in 4; *de sacris apostolicis traditionibus* l. 1, ib. 1597; ll. 6 in totidem t. divisi *de optimo reipublicae statu,* ib. 1597. Inter illos fuit Gregorius ob doctrinae meritum. quibus Clemens VIII. dijudicandam inter Jesuitas et Dominicanos de auxiliis divinae gratiae controversiam commisit, ipsiusque congregationis fuit secretarius. Multa adversus Molinam scripsit vel ab aliis scripta collegit, quae tamen non prodierunt[2]). — Hieronymus Torres (Torrensis) S. J., Romae Aristotelem interpretatus est, dein Ingolstadii (1567—1575) theologiam publice exposuit. Ut se opponeret novatoribus, qui semper ad Augustinum provocabant quasi secum sentientem, simulque refelleret eorum confessionem augustanam, composuit *Confessionem augustinianum,* ex d. Aur. Augustini operibus compilatam, in qua theologiae capita controversa et in disputationem superioribus seculis ab haereticis vocata, nunc a novatoribus revocata secundum

---

[1]) Historia Soc. Jes. l. 24. p. 5. § 42.

[2]) Reperitur quoque magna saltem ex parte in t. 3. commentar. d. 1. q. 1. p. 7.

[3]) Ad hos respicit Petavius, cum theol. dogm. de incarn. l. 10. c. 7. § 3. scribit: „Hic (Valentia) praesertim uberrima atque accuratissima librorum aliquot disputatione omnia complexus est, quae ad illorum (ubiquistarum) tum explicandam haeresim tum refellendam et evertendam utilia sunt homini theologo."

[1]) Cf. Werner, Franz Suarez 1, 49; aliqua opuscula adversus ipsum recenset Roskovány de rom. pont. II, 427 s. Porro refert Hurtado (de fide, disp. 76. § 307) Valentiam, quam primum audivisset, quendam protestantium librum mox proditurum esse in lucem publicam, nulli pepercisse labori, ut plagulas typis vix expressas adipisceretur, quo una cum veneno antidotum seu illius refutatio prodiret.

[2]) Cf. Keller KL. III, 1104.

veteris Ecclesiae catholicae consensum ex ipsis Augustini operibus decisa proponuntur, Dilingae 1567 in 4; auctior atque emendatior 1569; Parisiis 1569; Coloniae 1670; locupletior et copiosis illustrata scholiis Viennae 1717. 1718 v. 2. In hoc opere non solum probat dogmata catholica refellitque haereticorum errores ex Augustini operibus, verum etiam locos ipsos Augustini vel male intellectos vel malitiose detortos atque depravatos ad amussim revocat et sincere interpretatur, quod egregie praestat, unde meruit vel a Goldasto dici[1]) „acerrimus operum Augustini et conspicuus propugnator." Ejus exemplum secuti ediderunt alii simili methodo confessionem *cyprianam, hieronymianam, ambrosianam.* Decessit Hieronymus Monachii 9. Jan. 1611 vir non eruditione[2]) magis, quam integritate vitae, pietate, humilitate conspicuus.

175. Omnium celeberrimum hujus epochae dogmatum catholicorum propugnatorem protulit *Gallia,* Jacobum Davy Du Perron. Ex nobili Normaniae familia ortus primam lucem aspexit d. 24. (sec. alios 25) Nov. 1556 Bernae, quo ejus parentes calviniana lue infecti profugere cogebantur. Diligentissime a patre, medico admodum perito, institutus, insigni mentis acumine, judicii acrimonia, excellenti memoriae felicitate praeditus tales in literis progressus fecit, ut vix 12 annos natus latinum graecumque calleret idioma, orationes atque carmina conscriberet, in mathesi et ipsa philosophia excelleret. Linguam quoque hebraicam didicit adeo perfecte, ut absque punctis legere posset. Adultior factus totum se ss. patrum et praecipue d. Augustini et Thomae Aq. lectioni sacrabat, eorumque doctrinis sectae suae falsitatem erroresque tam solide confutatos deprehendit, ut ad catholicorum castra reversus (1577 vel 1578) fidem catholicam publice defenderet, pluresque aberrantes oviculas ad Christi ovile reduceret[1]), ex quibus haud postremi erant Nic. Harl. de Sancy et Henr. Spondanus postea apamiensis episcopus (de quo infra). Gratia valuit apud Henricum III. lectoris munere fungens, et post hujus mortem apud Henricum IV., cujus conversionis haud ultimus exstitit auctor atque promotor. Romam a rege una cum cardinale Ossato ablegatus Clementem VIII. ad impertiendam illi absolutionem ab haeresi movit, a rege interim ebroicensi episcopatu necnon eleemosynarii munere auctus (1595), qua occasione Clemens VIII. detractum de suo digito pontificalem annulum digito neoelecti Perronii inseruit verbis illis utens: ‚Inveni virum secundum cor meum.' Roma in Galliam reversus mox suam adiit dioecesim, in qua strenue rem catholicam promovit, multosque ad veram fidem reduxit. Gravissimum etiam haeresi calvinianae inflixit vulnus et quam plurimis attulit salutem gloriosa disputatione contra Plesseo-Mornaeum, Calvinistarum in Gallia caput, Fontisbellaquei habita (1600), in qua ipsum multorum corruptionis textuum ex operibus ss. patrum convicit e sententia judicum partim catholicorum, partim Calvinianorum, longe plurium (500) eum convicturus, nisi Mornaeus morbi praetextu insalutato rege, discessisset[2]). Tanta victoria

---

[1]) In praef. ad s. Valeriani cimeliensis epist. de bono disciplinae s., Genevae 1601.

[2]) Alia op. cf. ap. Sommervogel VIII, 126—129.

[1]) Cf. Raess, die Convertiten seit der Reformation, II, 266 ss.

[2]) Plura de hoc colloquio, cujus historiam Mornaeus depravaverat, invenies in actis ejusdem authenticis, quae approbante rege prodierunt Ebroicis 1601 hoc titulo: *Actes de la Conférence* tenue entre le sieur Evêque d'Evreux et le sieur du Plessis en présence du Roi à Fontainebleau le 4. de Mai 1600, publiés par permission et autorité de Sa Majesté, avec la Réfutation du faux discours de la même conférence, par Messire Jacques Davy Evêque

aucta est Perronii gloria, aucti et honores, nam archiepiscopus senonensis et magnus eleemosynarius renunciatus fuit a rege (1606) et a pontifice ornatus purpura (1603). Negotiorum causa Romam saepe contendit, maximi enim tam a rege quam a pontificibus fiebat. Paulo V. auctor fuisse memoratur, ut solemnis disputatio de auxiliis gratiae efficacis, de libero arbitrio, de praedestinatione silentio involveretur. Ejus quoque praecipue opera inter Venetos et Paulum V., quae diu viguerant, lites compositae. Adeo gratia voluisse Perronius apud hunc pontificem fertur, ut is quondam cardinalibus dixerit: Deum rogemus, Perronium ut illustret, par enim est, omnes nos in suam trahere sententiam. Verum non Calvinianos tantum ore et calamo impugnavit, sed et summi pontificis jura adversus Richerii commenta tutatus est. In concilio enim suae provinciae Parisiis habito (1612) hujus librum *de ecclesiastica et politica potestate* tamquam ‚erroneum, schismaticum et haereticum' condemnavit, atque etiam Bellarmini librum de potestate summi pontificis in rebus temporalibus adversus parlamenti vindicavit censuram. Ut quietius literis incumbere posset, Bagnoletum, qui vicus suburbanus prope Lutetiam est, concessit. Dum vero ad Angliae regem responsum seu apologiam pro fide catholica concinnabat, in morbum incidit, quo acerbissime per quatuordecim dies cruciatus, identidem has s. Augustini voces ingeminans: „Domine, agnosce quod tuum est; ignosce quod meum est," Parisiis 5. Sept. 1618 aetatis a. 63. obiit. Fuit sane Perronius eximiis animi praerogativis ornatus, elegantis ingenii et peracuti, firmissimi judicii, indefessi studii ac vastissimae eruditionis miraeque ad convincendos haereticos potentiae, adeo ut cum de his a devio tramite revocandis ageretur, id dicto usurperet: Hos si convinci cupitis, ad me perducite; at si conversos avetis, dirigite ad Franciscum de Sales genevensem episcopum [1]).

176. Solebat hic cardinalis, antequam opus aliquod publicam in lucem ederet, illud jam typis expressum legendum dare amicis suis, eorumque auditis consiliis, animadversionibus etc. secundis curis retractatum prelo iterum committere [2]). Prodierunt ejus opera in tres distributa tomos cura Jacobi Davy Du Perron, ejus nepotis (episcopi angulomensis † 1649) Parisiis 1620, et iterum 1622. Horum primus com-

---

d'Evreux etc. in 12. Reperiuntur quoque in op. Perronii t. 3. (epitomen habes apud Dupin, Nouvelle Bibliothèque des Auteurs ecclés. 17, 31—36; Raess l. c. 268—294). Durch diese Widerlegung, inquit Raess l. c., hat du Perron ganz vorzüglich seine dialektische, theologische und polemische Meisterschaft bewiesen. Narrat Feller VI, 475: Henri IV. dit à cette occasion au duc de Sully: „Le pape des protestants a été terrassé". „Sire, répondit le duc, c'est avec grande raison que vous appellez Mornay pape, car il fera Du Perron cardinal."

[1]) Cf. Continuat. hist. eccles. Fleurii l. 191 § 49. Bellum est elogium, quod refert Feller l. c. On a dit, scribit ille, de ce cardinal, par allusion à ses grands talents et aux défauts de sa constitution: „Qu'il ressemblait à la statue de Nabuchodonosor, dont la tête d'or et la poitrine d'airain étaient portées sur des pieds d'argile." Cf. G. Grente, Quae fuerit card. D. du Perron vis oratoria, Paris 1903.

[2]) Feller l. c. Moliebatur quoque novam Bibliorum polyglottorum editionem, teste Jac. Augusto Thuano, qui ita scribit (ad Sebast. Tegnagelium d. 4. Maji 1613 in l. 1. comment. Lambecci de Biblioth. vindobon. p. 150): „Librarii nostri novam Bibliorum editionem parant, cui post hispanam et ultimam antwerpianam meliorem paraphrasim chaldaicam sive syriacam et arabicam versionem in V. et N. T. addent cum interpretatione latina peculiari. Illustrissimus cardinalis Perronius opus urget et vicaria opera nostra ad eam rem utitur." Cf. plura in Le Long, Bibliotheca s. c. 1. Verum mors cardinalis editioni moram attulit. Lucem ea aspexit nonnisi a. 1628—1645.

plectitur: *Traité du s. Sacrament de l'Eucharistie* contra Plessium Mornaeum, ubi hoc argumentum solidissime pertractans, haereticorum praecipue illorum, qui in sui erroris defensionem s. Augustini testimonia allegant objectis respondet[1]). Alter tomus complectitur *Réplique au roi de la grande Bretagne* (Jacobus I). Hunc Perronius tamquam principem omnibus numeris absolutum commendabat, nihilque praeter catholici praerogativam eidem deesse asserebat. Cum ergo rex se hoc titulo haud privandum censeret, eo quod cuncta ad salutem necessaria juxta veterum morem crederet, Perronius datis ad Casaubonum literis declaravit, quod nomen *catholici* non cujuscunque fidei sed communionis signum sit illiusque fidei, quae praeter necessaria etiam utilia ad salutem et generaliter omnia per Ecclesiam definita et tradita credit: ad hoc tamen ut patres circa quendam fidei articulum unanime suffragium tulisse dicantur, asserebat haud necesse esse, ut singuli eundem stabiliant, sed sufficere, ut ex cujusque nationis praecipui illum tradant, quin erroris fuerint accusati, vel illum proponant tamquam doctrinam ab universa Ecclesia in fide receptam. Ex his inferebat Perronius sectarios non credere ea, quae omnes antiqui patres universam et unanimiter tenuerint et tamquam necessaria crediderint. Ad has Perronii literas Casaubonus Jacobi regis nomine respondit cardinali, qui tamen per 6 libros[2]) solidissime diluendo cuncta, quae adversarius excipiebat, ostendit, ss. patres Ecclesiae nomine non intellixisse coetum omnium sectarum et christianarum societatum, sed societatem distinctam, semper visibilem et ceteris omnibus eminentem, quae ab apostolorum aevo nunquam nec in fide, nec in communione aut visibilitate fuerit interrupta. Quoniam vero rex per Casaubonum loquens Ecclesiam romanam a veteri dissensisse reposuit, eo quo nunc illa 1. in Ecclesiae officio idiomate incognito utatur et sacrae Scripturae lectionem prohibeat; 2. non permittat usum calicis; 3. missae privatae in ea celebrentur et 4. imagines sanctorum colantur; ad duo priora respondet Perronius, morte praeventus in responsione ad posteriora. Tertius t. complectitur praeter alia *acta colloquii cum Mornaeo,* de quo supra egimus. Dicta illa acuta, faceta, critica etc., quae sub nomine *Perroniana* circumferuntur et saepius edita fuere, magna ex parte cardinali Perronio adscribi nequeunt, cum ut rite notat Feller, vix credibile sit, virum tam eruditum et doctum dicta adeo puerilia et inepta protulisse. Laudat in Perronii operibus Dupin[1]) praeter illa, quae supra laudavimus, stili puritatem et eloquentiam logicam invictam, conceptuum sublimitatem, usum admodum aptum ss. patrum, conciliorum et, quam accuratissime noverat, historiae ecclesiasticae adversus sectarios; censet vero ea nonnunquam nimis esse diffusa atque nonnihil aberrare argumento. Neque ex protestantibus desunt, qui Perronium laudent. Magnus ille et curiosus antiquitatis indagator dicitur a Dallaeo[2]), cujus nomine nullum fere est apud adversarios illustrius, qui auc-

---

[1]) Aliam editionem curavit Nic. de Coeffetau Ebroicis 1620 v. 2 in 8.

[2]) Cf. horum analysim apud Dupin l. c. p. 28—31. Complectitur autem hoc opus, quo nullum inter adversarios magis elaboratum reperit Petrus Molinaeus (in praef. l. Novitas papismi contra Perronium scripti), omnes fere controversias, quae inter catholicos et Anglicanos vigebant.

[1]) L. c, ubi etiam refert: „Il étoit très-fort dans la dispute de vive voix, et tellement redoutable, que les plus habiles Ministres n'osoient entrer en lice avec lui, et qu'il a toujours confundu ceux, qui ont été assez hardis pour le faire.“ Fatetur tamen nonnunquam desiderari hanc disserendi subtilitatem et rigorem in ejus scriptis. Minus honorifice de eo censet Huëtius in Pensées divers.

[2]) De vero usu patrum p. 155; de pseudepigr. apost. I, 1.

toritate erat primus inter suos, et ingenii atque doctrinae fama apud omnes[1]).

177. Praeter Perronium alios quoque Ecclesiae pugiles, quamvis minoris celebritatis, aluit Gallia. Praetermissis Petro Charron († 1603)[2]), Jacobo d'Illaire[3]), Joanne Fonian O. S. Fr., Renato Benoist (1608) andegavensi, doctore sorbonnico et decano facultatis theologicae, de quo infra; Claudio Boucart, cujus *Déclaration de la profession de foi* de Pierre Gilette avec les raisons qui l'ont rappelé à l'Eglise romaine, Tunonii 1608 egregiam continet apologiam fidei catholicae et auctoritatis rom. Ecclesiae: Jacobo Forgemont theologiae doctore († 1620), cujus inter alia est *Les decouvertes des fausses consequences* des ministres de la religion pretendue reformée . . . avec une methode de conferer à l'amiable avec les ministres, Paris 1619 — mentione dignus est Petrus Victor Palma Cayet (Cahier, Caier, Caïet, Cajetanus) n. 1525 in oppido Montrichard, quem Perronius iterum Ecclesiae catholicae, a qua Petri Rami opera defecerat, lucratus est (1595). Sui reditus rationem reddidit in libello rarissimo: *Copie d'une lettre* . . . contenant les causes et raisons de sa conversion à l'Eglise catholique, Parisiis 1595 in 8; 1596. Hinc Calviniani, in quorum coetu pastoris functus erat munere, librum hunc nisi sunt impugnare, imo coacta synodo senten-

---

1) Casaubonus ep. 710. Vitam Perronii scripsit Burigny (Paris 1768 in 12), cui tamen non tantopere est fidendum, nimium cum esset addictus Ecclesiae catholicae inimicis; melius Feret Le Card. du Perron . . ., Etude hist. et crit., Paris 1877; 1879 ed. 2; Raess II, 266 ss.; 441 ss.; Seidl KL. IV, 26-30 etc.

2) Edidit: *Les trois vérités* contre les Athées, Idolâtres, Juifs, Mahométans, Hérétiques et Schismatiques en trois livres, Bordeaux 1594 in 8, opus rarum. „Les catholiques, inquit Feller 2, 514, applaudirent à cet ouvrage, et les protestants l'attaquèrent vainement: aucun de leurs écrivains d'alors n'avait ni la force de style ni l'esprit méthodique de Charron." Illud impugnare nisi sunt Mornay et Fr. Junius. Notior forte est alio opere: *Traité de la Sagesse* (Bordeaux 1601; et saepe alibi, Elzévir 1646), propter quod penes plures male audiit, imo et atheismi notam incurrit: profitetur enim opiniones philosophicas Montaignei: hinc illud et Sorbonae et parlamento minime arrisit, imo et a congregatione Indicis a. 1605 prohibitum fuit. Favet enim naturalismo et scepticismo et animae immaterialitatem laedit. Ceterum ipse a pluribus episcopis, qui ejus usi sunt opera, magni factus est. Fuit reginae Margaritae a concionibus, canonicus et vicarius generalis. Parisiis via publica nomen ab eo accepit 1879. Cf. Dippel KL. III, 91: Feret III, 384—387, qui aliquot exhibet propositiones, quas corrigere debuit.

3) Hujus exstat l. inscriptus: *L'heureuse conversion de Huguenots,* qui ont cogneu l'abus de la prétendue religion, où est respondu à tous les articles de la confession de foy des ministres de France avec la saincte messe en français pour faire voir la vérité catholique, Lugduni 1609. — Juverit quorundam hic meminisse calvinistarum, qui suae conversionis rationem reddiderunt libellis plane egregiis. Ita Jacobus Guibert pastor quondam rupellensis, qui post accuratum studium fidem amplexus est catholicam (12. Dec. 1610), in op. *Déclaration des Circonstances et principaux Motifs,* qui ont esmeu noble-homme J. Guibert... à se ranger en l'Eglise Cath., Apost. et Romaine: par laquelle est monstré que l'Eglise Cath. . . . est la vraye et seule Eglise, vers laquelle tous doivent venir pour obtenir salut et vie éternelle et hors laquelle il n'y a que damnation et mort, Parisiis 1613 in 8, opusculum rarissimum, quod germanice exhibet Raess IV, 146-80. — Jacobus Vidouze pariter quondam praeco in Vasconia, conversus a. 1611, cujus sunt: *Trois arguments invincibles* contre la doctrine des Ministres de la Religion prétendue réformée, ib. 1611 in 8, de quo l. cf. Raess IV, 181—4. — De Joannis Duperche praeconis calviniani ad fidem catholicam conversi (1617) rarissima *Déclaration,* Lugduni 1618, cf. ib. 405—10, sicut et de altera collegae ipsius et ejusdem gratiae participis Danielis Bourguignon *Déclaration* . . . avec 45 brieves Propositions découvrantes partie des abus, faussetés, contradictions de la doctrine huguenote par ses propres maximes, Parisiis 1617, ib. IV, 431—47.

tiam in eum tulerunt[1]). Propter insignem in linguis hebraica, chaldaica, syriaca et arabica peritiam horum idiomatum cathedra a rege donatus fuit, et nisi doctoratus laurea in theologia caruisset, rector magnificus renunciatus fuisset universitatis parisiensis. Anno 1600 sacerdos fuit ordinatus lauream que in theologia promeruit; obiit vero 10. Martii (secundum alios 22. Julii) 1610 relictis 35 scriptis partim polemicis, partim irenicis[2]), ut ex. gr. *Antitheses* et Contrarietez de J. Hus et de Luther ensemble de Zwingli et de Calvin sur les poincts de religion qui sont en controverse, recueillies fidellement de leurs oeuvres et mises en lumiere, Paris 1596; *Vraye Intelligence* salutaire du sacrifice de la messe, ib. 1597; *Le Purgatoire* prouvé par la parole de Dieu, ib. 1600; *La condemnation de Calvin par lui même* recueillie de ses écrits, Paris 1597; *la discipline des Ministres de la Religion P. Réformée,* ib. 1600; *le vray Orthodoxe* de la foy catholique du Sacrament de l'Autel, ib. 1596; *la vraie Eglise,* ib. 1597. Ejus tamen *chronologie septennaire* (1598—1604), censuram incurrit Sorbonae, quae censuit in ea deprehendi „plures propositiones erroneas, scandalosas, schismaticas et ad haeresim accedentes". Auctor nonnulla correxit in ed. a. 1607, sed non obstante hac correctione prohibita adhuc legitur in Indice romano. Scripsit dein *Chronologie novennaire* contenant l'histoire de la guerre sous le regne d'Henry IV (1589—98), Paris 1608.

[1]) Synodi nomine edidit Montigny: *Avertissement sur la déposition du sieur Cajet* du Saint-Ministère et sur sa révolte, 1595.

[2]) Cf. Raess, die Convertiten III, 278, qui aliqua ejusdem refert scripta, et etiam advertit: „Wie in seinem Leben, so wurde er auch nach seinem Hintritte in ganz widersprechendem Sinne beurtheilt; aber meistens auf eine sehr ungünstige Weise, weil die wider ihn ausgestreuten Verleumdungen ohne Unterschied fortwährend nachgeschrieben wurden. Selbst Feller hat, ohne aus lautern Quellen zu schöpfen, diesen Verleumdungen Glauben geschenkt etc." Cf. Discours funèbre sur la mort de feu M. Cahier, Parisiis 1610. Feret, qui La fac. de Théol. de Paris, ep. moderne II, 153—82 diligenter ejus recenset scripta, ita de ipso judicat: P. Cayet fut un fécond écrivain, mais parfois. même pour l'époque un écrivain assez peu correct. Il a exercé sa plume sur toutes sortes de matières . . . Orientaliste distingué, controversiste d'un certain mérite, mauvais poète, P. Cayet comme historien ou plutôt comme chroniqueur a inscrit son nom dans des oeuvres durables.

178. In primis vero Calvinianos acriter insectatus est Franciscus Feuardentius[1]) O. S. Franc. Constantiae neustriacae natus (1539), Sorbonae doctor (1576) diu Parisiis e cathedra docuit, e rostris vero assidue concionabatur. Inde ad praecipuas Galliarum urbes profectus, ubique dogmatice contra exsurgentes et adolescentes haereses praedicavit. Decessit 7. Jan. 1610 plurimis relictis operibus[2]). Scripsit enim: *In l. Ruth commentarii,* Parisiis 1582; 1588; Antwerpiae 1585 in 8, in quibus copiose traditur quidquid ad historiam fideique christianae ac morum rationem pertinet; *in l. Esther commentarii,* praecipue concionatoribus accommodati, Parisiis 1585; Coloniae 1594; 1595 in 8; *in Jonam prophetam commentarii* ex veterum patrum hebraeorum, graecorum ac latinorum scriptis collecti et christianis mysteriis ac concionibus aptati, Coloniae 1595 in 8; *in ep. ad Romanos,* Parisiis 1599 in 8; *in ep. d. Pauli Ap. ad Philippenses,* ib. 1587; *Epistola prima Petri Ap. principis* summa fidei christianae mysteria breviter et absolute complectens *commentariis tractata,* ib. 1600 in 8; *Epistola secunda* etc.; ib. 1601; *in d. Ja-*

[1]) „Il écrivit, inquit Dupin l. c. p. 45, plusieurs Ouvrages contre les Hérétiques, et disputa contre eux d'une manière qui a beaucoup de rapport à son nom (*Feuardent*)".

[2]) Cf. illorum indicem ap. Joan. a s. Antonio I, 384 ss.; Weinand Kirchenl. IV, 1464; Feret II, 244—254.

cobi ep., ib. 1599; *in d. Judae ep.*, Coloniae 1595 in 8, in quo commentario veterum et recentiorum haeresiarcharum mores scite describuntur, etc. Edidit praeterea una cum Joanne Dradraeo et Jacobo Cuilly, parisiensibus doctoribus *Biblia s. cum glossa ordinaria ... et postilla* Nicolai Lyrani, praemissa praefatione de ss. Bibliorum auctoritate, veritate, utilitate, obscuritate et interpretandi ratione, additis ad marginem auctoribus et locis, e quibus sententiae fuerunt decerptae, Parisiis 1590 t. 6 in f., Lugduni, Venetiis et alibi. *Opera s. Irenaei,* »qui per eum, ut ait Wadding, quasi revixit, certe est plurimum illustratus,« adjecit enim vitam s. patris et eruditas sed prolixas notas et 5 cc. hactenus inedita. »Quin pro tempore eruditae sint, scribit de illis Massuetus[1]), virque pius ac doctus de Irenaeo totaque Ecclesiae catholica optime meritus fuerit, nemo absque injuria negabit;« tamen de illa editione hanc profert censuram: »At ut prioribus perfectior, nec ipsa tamen numeris omnibus absoluta, nec paucis nec levibus vitiis laborat Feuardentiana haec editio. Ut enim nihil de notis dicatur, eruditis quidem, ut ea aetas ferebat, sed prolixioribus et a proposito longius excurrentibus nihilque, aut parum ad textus elucidationem conducentibus, eum in locis bene multis nec feliciter restituit, infelicius explicavit, in pluribus ne quidem quid posset, expertus est: ita ut post Feuardentii curas sexcenta superessent, quibus medicam manum admoveri necesse erat etc.« Carpit quoque Massuetus stili, quo in Calvinianos invehitur, acerbitatem. Excusari tamen potest, quod Calviniani ipsi nulli non parcerent injuriae in catholicos. Prodiit haec editio Parisiis 1576; Coloniae 1596 retractata et aucta adjecto *Arnobii junioris et Serapionis conflictu de Deo trino et uno* etc., quem libellum ipse primus e tenebris eruit; 1639; 1675. Edidit quoque s. Ildephonsi toletani archiep. *de virginitate Mariae l.*[1]) cum aliis Ildephonso non ita recte adjudicatis, Parisiis 1576; in t. IX. bibl. patrum a Marg. Bigne adornatae, ad quam simul cum Dradraeo et Gilberto operam contulit, Parisiis 1589. In Mich. Pselli dialogum de energia et operatione daemonum latine versum a P. Morel scripsit praefationem, in qua recentiorum haereticorum cum cacodaemonibus et magis convenientiam describit, ib. 1577; aliquot opuscula s. Ephraemi Syri et Cyrilli alex. gallice vertit, ib. 1579; Hieremiae patriarchae CP. *censura orientalis ecclesiae* de praecipuis nostri seculi haereticorum dogmatibus, ib. 1584. Addidit *appendicem* ad ll. 14 Alphonsi a Castro contra haereses *in 3 ll. distributam*, quibus 40 haereses ab eodem Alphonso vel praetermissae vel post illius mortem natae ac deprehensae refelluntur, Parisiis 1578. — Praecipuum tamen Feuardentii opus est: *Theomachia calvinistica 16 ll. profligata,* quibus 1400 hujus sectae novissimae errores, quorum magna pars nunc e suis latebris eruitur, diligenter excutiuntur et refelluntur[2]). In his confes-

[1]) In praef. suae ed. Migne PG. VII, 11.

[1]) Hunc eundem l. parum antea jam ediderat Michael Alphonsus de Carranza Hispanus grande O. Carm. ornamentum († 1607 octogenario majori adjugens de suo: Selecta tum b. P. Ildephonsi, tum etiam aliorum sanctorum pronunciata *de perpetua virginitate s. Dei Matris* ad quendam neophytum veritatis studiosum, praemissa ejusdem sancti *vita,* Valentiae 1556 in 8. Reliquit et *Catecismo*, cujus tamen tantum p. 1. (ex 3) in f. prodiit ib. 1605; et *Camino del Cielo*, ib. 1601.

[2]) Epitome hujus operis exhibet Werner Geschichte der apolog. und polemischen Literatur IV, 653 ss. hoc de illo judicium proferens: Durch diese (dialogische) Behandlungsweise, so wie durch die reichlichen Anführungen aus den Schriften einer großen Zahl calvinistischer Theologen, wird Feuardent's Werk für den Leser sehr instruktiv und kann bei seinem bedeutenden Umfange mit Recht als eine Fundgrube von Aufschlüssen über die

sio fidei hugenoticae et chatechismus calvinianus divinis, ecclesiasticis ac ipsorummet haeresiarcharum scriptis reprehenduntur et confutantur, Parisiis 1604 in f. Huic praeierunt: *Semaine première des dialogues*, quibus 174 Calvinistarum errores gravissimi perspicue refelluntur et solide confutantur, Parisiis 1585; 1589, latine Coloniae 1594, qua in versione ducentos errores refellit. *Seconde semaine,* quibus examinantur 465 Calvinistarum errores, Parisiis 1598 etc.; *Entremangeries et guerres ministrales*; c' est à dire haines, contradictions, accusations ... des Ministres de ce siècle ib. 1601; 1604 ed. 3. aucta, aliaque ejusmodi adversus Calvinianos opera acri stilo conscripta; *homilias*, Parisiis 1605. 1606, et plura inedita.

179. Leonardus Coquaeus (Coqueau) O. Erem. s. Aug. Aurelianensis, qui linguas graecam, hebraicam, syriacam et chaldaeam eadem, qua vernaculam, felicitate loquebatur († 1615), scripsit *Antimornaeum* id est Confutationem mysterii iniquitatis sive historiae papatus Philippi Mornaei, in qua elucidata historiae veritate rom. pontifices vindicantur ab adversarii calumniis, eorumque auctoritas sacra ac fides orthodoxa asseritur, Parisiis 1613; Mediolani 1616 t. 2 in f.; in Rocaberti bibl. max. XV, 268—379. Alia ejusdem opera sunt: *Apologia pro summis pontificibus,* in qua eorum auctoritas a b. Petro usque ad Paulum V. sine ulla interruptione continuata successione demonstratur, ib. 1619 in f.; *examen praefationis monitoriae Jacobi I.* magnae Britanniae regis praemissae apologiae suae pro juramento fidelitatis etc., Friburgi Brisgoviae 1611 in f., opus rarum; *commentarii in ll. de civitate Dei* s. P. Augustini, Parisiis 1636 in f. — Sebastianus Michaelis O. Praed. n. 1543 in oppido, quod vulgo La sainte Baume vocant, in dioecesi massiliensi, „vir revera fuit, scribit Echard II, 410 fusius ejus merita de regularis disciplinae reformatione prosequens, excelsi infractique animi seu vitae sanctimonia, seu concionum aestibus ac vehementia, seu scholasticae polemicaeque atque etiam affectivae theologiae praestantia sublimioribus sui aevi doctoribus conspicuus heterodoxisque formidandus, qui et ne suae deesset congregationi, oblatas sibi Arausicae et Forojulii in Septimania detrectavit infulas." Recenset ejusdem scripta, inter quae sunt nonnulla adversus Joannem Gigord, pastorem montepesulanum († 5. Maji 1618 a. aetatis 74). — Valentinus Gerard S. J. theologiae professor († 3. Nov. 1616) scripsit *le triomphe de la glorieuse V. Marie* contre les calomnies du M. Simeon Codur, Lugduni 1607. — Guilelmus Baile (Baillius) S. J. Monstrolii apud Velaunos (Montreal) natus, strenuus per varias Galliae regiones concionator († 1620), cum omni haereticorum genere tanta felicitate concurrit, ut cum nemine conferret, quem non ad Ecclesiam adduceret, eorumque quamplurimos ad veram reduxit fidem, pro qua tuenda composuit *catéchisme et abrégé des controverses* de nostre temps touchant la Religion, Burdigalae 1608 in 12; Trecis 1617 ed. aucta; Salmurii 1615 inscriptus *Sommaire* de toutes les controverses. — Ejus sodalis Joannes Bordes Burdigalensis eodem decessit a. (2. Apr. 1620). Erat is omnium artium peritia instructus virtutumque etiam decore ornatus, qui apostolico zelo animarum salutem atque Calvinistarum multorum conversionem promovit. Tanta fuit ad nuncium ejus mortis populi concursatio, ut occludi fores oportuerit ob vim multitudinis. Scripsit praeter alia *Les vrays abus* des prétendus abus de la Messe adversus de Loque praeconem calvinianum, Burdigalae 1598 in 8. — Silvester Lavallensis (de la Val) O.

———

Lehrmeinungen der damaligen Calviner und über den Stand der Controverse mit ihnen bezeichnet werden."

Cap., philosophiae et theologiae lector, dein strenuus missionarius, plures Calvinianos ad veram fidem reduxit, veneno ipsi propterea oblato ad praemia evolavit a. 1616, relictis aliquot libellis adversus haereticos. — Bernardus Verger O. Min. Recoll. scripsit adversus Rivetum. — Adversus Petrum Molinaeum aliosque ministros haereticos Franciscus Pradiel O. Min. Ludovico XIII. et XIV. a concionibus (fl. 1620).

180. E *Belgis*, qui prae ceteris floruerint, videntur esse[1]): Petrus de Backere O. Praed. (Backerius, Bacherius † 1601 annos n. 84) Gandavensis, qui annos 60 variis in civitatibus theologiam docuit, orator ardens ingentem auditorum coronam coëgit magnaque sollicitudine oves ab Ecclesia aberrantes reducere in Christi sategit ovile, unde etiam Geusis invisus fuit. Plura reliquit opera, inter quae: *In Misoliturgos* h. e. missae osores libelli duo, quorum 1. de Judaeorum paganorumque sacrificiis generatim; alter de catholicorum unico sacrificio late tractat, Gandavi 1556 in 8; *Apologeticus pro defunctis* h. e. pro his, qui communi mortalium sorti erepti sibi ipsis contra malignos obtrectatores patrocinari nequeunt, Antwerpiae 1587, l. rarus. — Jacobus Zittardus[1]) ejus sodalis scripsit *opus polemicum* seu controversiarum de omnibus articulis fidei, Moguntiae 1602. — Petrus Simons († 1605), secundus episcopus Iprensis, hunc honorem promeruit insigni suae scientia et virtute: illius testes sunt opera, quae adversus Calvinianos composuit et collecta prodierunt cura Joannis David S. J. (de quo mox), Antwerpiae 1609 in f.[2]), inter quae praecipuum est *de veritate* ll. 6. Monumentum magnificum ipsi in gratitudinis amorisque pignus a grege suo fuit erectum. — Henricus Cuyck Culenpurgensis († 1609) philosophiae et theologiae doctor et professor in academia lovaniensi, ubi 18 annos partim ethicam, partim theologiam (1585) docuit, demum episcopus ruremondanus, praeter varia opera, orationes et epistolas de controversiis et de moribus[3]), edidit *S. Cassiani opera*, Antwerpiae 1578 in 8. adjectis notis partim castigatoriis, partim censoriis, quas veluti antidota et amuleta quaedam contra obscuriora aliquot loca et

---

[1]) Praetermittimus Aegidium van de Walle Brugensem, theologiae professorem in universitate Lovanii († 28. Oct. 1603), cujus exstat *paraenesis antiquitatis contra* novorum dogmatum sectatores, Lovanii 1595 — Guilelmum Taelboom pariter Brugensem n. circa a. 1540, qui propter zelum, quem adversus Calvinianos verbis scriptisque prodidit, urbe coactus est secedere. Se contulit Audomaropolim, ubi decessit canonicus et archidiaconus 21. Sept. 1608 — Olorinum Cygnaeum (Arnoldum Swaens), cujus opuscula recenset Rotermund V, 1692 — Cornelium Columbanum Vraucx O. S. Ben., de quo cf. Foppens I, 195; Bibl. belg. fasc. CXXV seu V, 261—313. — Segerum (Zegerum) Pauli (Pauwels) O. Carm., cujus libellos in populi utilitatem recenset Biogr. nat. de Belg. XVI, 713. — Oliverium Hattemium Ultrajectinum, qui post 14 a. ministerii rediit ad Ecclesiam catholicam cum uxore et novem liberis († 1616), cujus conversionis reddidit rationem in *justificatione* solida (lingua patria scripta) cur a Calvinistis defecerit deque notis catholicorum ac novorum evangelicorum, Lovanii 1610.

[1]) Alius ab eo est Matthias Z. O. Praed., de quo supra egimus pag. 26, et cujus praeterea est: *Auslegung der 1. ep. s. Johannis*, Coloniae 1571 in f. seu sermones 27 in eam ep. — De Conrado Z. infra agemus.

[2]) Cf. Feller VIII, 40, qui alterius S. cognomine Francisci mentionem facit, cujus sit: *de fraudibus haereticorum* ad orthodoxos tractatio, Moguntiae 1678 in 8. Niceron tamen nomen hoc esse confictum censet.

[3]) Feller III, 158: „Les plus curieuses sont celles qui regardent la tonsure cléricale (*de renovando usu pristinae rasurae clericalis*, Coloniae 1601), les devoirs des chanoines etc.“ Plura de eo cf. ap. Arn. Havensium de erect. novorum in Belgio episcopat. l. 3. c. 1 ss.; Foppens p. 441 s.

errores tam in 13., quam in aliis collationibus obvia esse voluit, quaeque digressionum instar plenius de singulis tractant. Edidit et s. Bernardi *de consideratione ll. V.* — Joannes Busaeus[1]) (Buys) S. J. Noviomagensis († Moguntiae 30. Maji 1611 a. aetatis 64), s. Scripturam, theologiam scholasticam et quaestiones de moribus annos fere 22 Moguntiae professus est, innocentiae, prudentiae virtutumque religiosarum et insignis doctrinae opinione clarus. Plurium veterum scriptorum edidit opera: *Petri Blessensis*, bathoniensis quondam in Anglia archidiaconi et apud cantuariensem archiep. cancellarii *opera* nunc primum in lucem producta[2]), variisque lectionibus, notis et praefationibus illustrata, Moguntiae 1600 in 4. (recepta quoque in *SS. PP.* bibliothecam coloniensem XII p. 2 et lugdunensem XXIV, 911—1463); Anastasii S. R. E. bibliothecarii historiae *de vitis SS. Pontificum* usque ad Nicolaum I. adjectis duabus aliis vitis ex Guilielmo bibliothecario cum variis lectionibus mss. codicum; accessit Luidtprandi, ticinensis diaconi, opusculum de vitis rom. pontificum; item Albonis floriacensis epitome de vitis pontificum ex Anastasii historia excerpta, Moguntiae 1602 in 4; Hincmari rhemensis archiepiscopi *epistolae* ex ms. cod. bibliothecae ecclesiae spirensis descriptae; accessere haec coaetaneorum scripta: Theodulphi aurelianensis episcopi *epistolae; constitutiones* Caroli M.; *vita* s. Wigberti, socii s. Bonifacii archiep. moguntini, et *vita* s. Ruperti Bingiorum ducis, auctore s. Hildegarde, ib. 1602 in 4; Joannis Trithemii ab. *opera pia et spiritualia* quotquot reperiri potuerunt, ib. 1604 in f.; *Paralipomena opusculorum* Petri Blessensis, Joan. Trithemii, Hincmari aliorumque, ib. 1605 in 8. et Coloniae Agrippinae 1624. Quosdam libros e lingua itala vertit in latinam; alios ipse composuit partim asceticos, qui magni fiunt et inter quos maxime commendatur ejus *Enchiridion piarum meditationum*, saepissime editum, partim polemicos, ut: Disputatio theologica *de jejunio et delectu ciborum* adversus Chemnitium et ceteros novatores, Moguntiae 1583 in 4; disputatio theologica *de persona Christi adversus* ubiquetarios, ib. 1583 in 4., cum *apologetico* adversus Gerlach, quod prodiit ib. 1588, quae editio dicitur a nonnemine rarissima; et *refutatione cavillationum* ejusdem, 1591, 1594; cum priori 1609; disputatio *de descensu Christi ad inferos* adversus decretum l. Concordiae Lutheranorum, Coloniae 1586 in 4; *de baptismi necessitate,* et nominatim de Constantino M. an in fine vitae fuerit baptizatus, 1689 in 4; *de statibus hominis,* Moguntiae 1613, opus rarum[1]) etc. Opuscula ejus polemica spiritum spirant mansuetudinis et caritatis. — Ejus sodalis Joannes David Cortracensis ante suum in societatem ingressum patriae civitatis parochus, ter ab haereticis in exsilium pulsus est. Vilissimo et durissimo strato utebatur, penes quod jacebat loculus sepulchralis mortis monitor. Gandavi suis concionibus effecit, ut imagines sanctorum passim per urbem ab iconomachis deturbatae publico privatoque aere reponerentur. Sancte defunctus est Antwerpiae 9. vel 4. Augusti 1613 a. aetatis 67. relictis quam plurimis (30) de controversia opusculis vel asceticis in lingua belgica[2]). — Jacobus Bajus (du

[1]) Distingui hic debet a suis fratribus Gerhardo († 1581), qui etiam quaedam scripta adversus protestantes edidit, et Petro S. J. († 1587), qui *summam doctrinae christianae b. Petri Canisii* Scripturae testimoniis patrumque sententiis illustravit. Prodiit hoc *opus catechisticum* Coloniae 1569 in 4; auctius et correctius 1577 in f.

[2]) Deceptus est Busaeus, ea enim opera jam ediderat Jacobus Merlinus, Parisiis 1579.

[1]) Cf. alia ejusdem opera apud Sommervogel II, 416—39.

[2]) Cf. Sotvellum, Biblioth. Script. S. J.; Sommervogel II, 1544—53.

Bay) ab Atho Michaelis Baji de fratre nepos patrui exemplo ad summos in theologia et academia lovaniensi pervenit gradus admissus a. 1586 ad legendum et regendum in facultate s. theologiae († 9. Oct. 1614). Scripsit *Institutionum christianae religionis ll. 4; de venerabili Eucharistiae sacramento* et de sacrificio missae ll. 3, Lovanii 1605. — Antonius van Kerebeeck O. S. Aug., commissarius generalis in provinciis bohemica, bavarica et rhenosuevica († 5. Febr. 1619 vel 1629), scripsit praeter alia[1]) tractatum *de sacramentis V. et N. L.*, Moguntiae 1600 in 4; 1609.

182. His omnibus potior est Franciscus Coster[2]) S. J. Mechlinensis. Juvenis Coloniam missus Genesim ad academicos in schola theologica et coelorum cursus ex astronomica disciplina explicare exorsus auditorium maximum non voluptate solum, sed etiam admiratione complevit. Cum ita tradendis philosophicis theologicisque disciplinis inclaresceret, sacri doctoratus insignia in ea universitate suscepit (10. Dec. 1564). Maximo zelo, verbo et calamo proximorum promovit salutem multisque Hollandorum millibus oculos scriptis suis aperuit confirmans nutantes, devios reducens ad Ecclesiam. Diligenter servabat tria sibi a s. Ignatio tradita, ut referebat, praecepta, ut nimirum animi demissionem, obedientiam, mentis jugi laetitiam cordi haberet. Nunquam auditus est vel minimi defectus narratione alicujus obscurare famam. Multum temporis orationi impendit aque cultui b. Mariae V. semper fuit addictus. Vitam suam omnem ita proximorum bono sacram habuit, ut non scriptione dumtaxat aliisque vocationis suae ministeriis illis commodaret, verum periculo pestis objiceret, ipse lue afflatorum obsequio sua se sponte addixerit. Ter provinciam rexit, variis collegiis rector praefuit. Denique vitam his laudibus ornatam cum ad magnum senium provexisset sanus semper, licet creberrimis flagris atque cilicio corpus suum attereret, atque nunquam ultra horam consuetam extraheret somnum, aetati magis et necessitati naturae, quam morbo succubuit. Dum ultimis sacramentis imbueretur, exclamabat identidem: „O quanta consolatio!“ Rogatus an lubens moreretur, illis s. Ambrosii verbis respondit[1]): „Ita vixi, ut me vixisse non pudeat; mori autem non timeo, quia bonum Dominum habeo.“ Cum sanctitatis odore piissime in Domino obdormivit Bruxellis d. 6. Decembris 1619 a. aetatis 88. Scriptorum ejus catalogus sat longus est[2]): plura sunt *ascetica*, alia *polemica* (etiam belgica lingua conscripta), propter quae „malleus haereticorum“ est dictus. Potiora accipe: *Enchiridion controversiarum praecipuarum* nostri temporis de religione, Coloniae Agrippinae 1585 in 12; 1587; 1589; 1593; aliquot locis ac bona controversiarum parte locupletatum atque emendatum 1596; 1605; 1608 etc. et alibi; in varias quoque linguas versum. Contra hunc librum plures e protestantibus calamum strinxerunt, ut Phil. Marbach, Franciscus Gomar etc., quibus tamen Costerus strenue respondit. Liber *de Ecclesia* contra Franciscum Gomarum Agrippinae 1604 in 8; *Apologia* adversus Lucae Osiandri haeretici lutherani refutationem octo propositionum catholicarum, ib. 1606, cum responsione adversus eundem; *Evangelium Reformatum* d. i. kurtze und in ein lüstigs Gespräch verfasste Beschreibung des unversöhnlichen Kriegs und unchristlichen

[1]) Cf. Revista August. 1884. II, 335; Bibl. nat. de Belg. X, 629.

[2]) Alius est a Christophoro Coster, cujus exstat *in Jeremiae prophetias et Baruch commentarius*, Moguntiae 1619 in f.

[1]) Vitae a Paulino scriptae n. 45.

[2]) Cf. Sommervogel II, 1510—33, qui sub n. 41 n. recenset opera; Sotvellum; Roskovány II, 516.

Lebens der genannten Evangelischen, Reformirten und Brüder in Christo, germanice redditum ab J. Münch O. S. Ben., Monasterii 1617, rarum. Belgice edidit: *Annotationes in N. T. et in praecipua loca, quae rapi possent in controversiam*, Antwerpiae 1614 in f. — Costerum pari fato eodem a. (1619) secutus est Joachim Backius (Baecx) Ultrajectensis, concionator intrepidus, qui prudentia et eruditione clarus plura eaque docta opuscula contra novatores edidit, ex quibus praecipue celebrantur: *Scopa conscientiae* (gallice conscripta); *interpres* seu advocatus omnium sincerorum catholicorum: *bannum haereticorum; catholicorum pravorum Tò quare* etc.[1]). — Obiter saltem mentionem meret Justus Lipsius (Lips), cujus celebritas est non tam a scriptis theologicis quam a literis classicis, in quibus excelluit. Juvenis a recta deflexit via, ac diu inter Lutheranos et Calvinianos degens unus poterat videri ex illis. Adultior factus ad meliorem rediit frugem et pro avita stetit fide, ut merito de ejus liceat conversione loqui, cujus seria vestigia comparent in celebri opere *Politicorum* sive civilis doctrinae ll. VI, qui ad principatum maxime spectant, Antverpiae 1589; 1590. Acriter fuit hoc opus impugnatum a. Th. Koornhert, cui opposuit Adversus dialogistam l. *de una religione*, in quo 3 cc. l. 4 Politicorum explicantur, Lugduni B. 1590. Occasione hujus responsionis magis confirmabatur in verae fidei agnitione. Epitomen ejus germanice redditam habes apud Raess die Convertiten III, 168—194. Renunciata propterea cathedra in universitate Lugduni B. factus est professor linguae latinae et historiae Lovanii 1592 († 24. Ap. 1606). Scripsit[2]) *de b. M. V.*, et *de cruce* ll. III ad sacram profanamque historiam utiles, Antverpiae 1593; *Manuductionis* ad stoicam philosophiam ll. III, ib. 1604 etc. In primis vero laudantur ejus *epistolae*, quarum Chilias prodiit 1609. Aliae secutae sunt 1621; Amstelodami 1726 etc.

[1]) Cf. Contin. HE. Fleurii l. 192 § 42.

[2]) Cf. Streber KL. VII, 2085—89; Bibliographie Lipsienne Gand 1886—88 t. 3; hist. pol. Bl. CXXXVII (1906), 599—607.

182. In *Germania* plures, praesertim e societate Jssu[1]), fidem catholicam propugnarunt impugnaruntque protestantium placita. Ita praetermisso Joanne Magiro Confluentino († 1609) Petrus Thyraeus[2]) patria Novesiensis n. 1546 in dioecesi coloniensi, in academiis trevirensi, moguntina et herbipolensi per 27 annos professor et concionator († 3. Dec. 1601 aetatis a. 55), reliquit plurimos (22) libellos in forma thesium seu disputationum[3]), inter quas etiam *de potestate ecclesiastica* pp. 3, Moguntiae 1586 in 4; *de jure vocationis et missionis,* quod penes verbi ministros in evangelicorum ecclesiis esse dicitur, Moguntiae 1587, quod pluribus impugnationibus et responsionibus occasionem praebuit[4]); *de variis tam spirituum quam vivorum hominum prodigiosis apparitionibus et nocturnis infestationibus* ll. 3, Coloniae Agrippinae 1593; *de daemoniacis* l. unus, in quo daemonum obsidentium conditio, obsessorum hominum status: rationes et modi, quibus ab obsessis daemones exiguntur: causae tum difficilis exitus ipsorum, tum signorum, quae exituri relinquunt: loca denique, quo egressi tendunt et his similia dis-

[1]) „Facile crediderim, inquit Buddeus Isagoge II. 7 § 9, unam istam societatem Jesu plures protulisse scriptores polemicos, quam reliquos ordines religiosos omnes."

[2]) Ejus frater Hermann S. J. († 1591) edidit l. *de religionis libertate* et *confessionem augustanam* cum notis, Dilingae 1567 in 4.

[3]) Cf. Sommervogel VII, 11—17; Ruland series et vitae professorum s. theol., qui Wirceburgi a fundata academia docuerunt, Wirceburgi 1835 p. 25—30.

[4]) Cf. Roskovány II, 404.

cutiuntur et explicantur, ib. 1594, editio correctior (prior enim mendis scatet), auctior et exemplis facta illustrior, ib. 1598; *Loca infesta* h. e. de infestis ob molestantes daemoniorum et defunctorum hominum spiritus locis, l. unus, in quo spirituum infestantium genera, conditio, vires, discrimina, opera, mala, quae viventibus afferunt; rationes item, quibus partim proscribuntur, modi denique, quibus loca ab ipsorum molestia liberantur, hisque similia discutiuntur; adjectus est libellus *de terriculamentis nocturnis*, quae hominum mortem solent portendere, ib. 1598; 1604; 1627; Lugduni 1599; *de apparitionibus spirituum* tractatus duo, quorum prior agit *de apparitionibus omnis generis spirituum*, Dei, angelorum daemonum et animarum humanarum, l. uno cum duplici appendice de spirituum imaginibus et cultu deque purgatorii veritate; posterior continet *divinarum seu Dei in V. T. apparitionum* et locutionum tam externarum quam internarum ll. 4 nunc primum editos, Coloniae Agrippinae 1600; 1605. Hinc videntur desumptae illae *de ss. Trinitatis imagine theses,* quas multum laudat Possevinus[1]) atque in suam bibliothecam selectam recepit; *Divinarum N. T.* sive Christi Filii Dei N. T. Mediatoris *apparitionum* ll. 3, quorum primus illam, qua in particulari judicio omnibus dicitur apparere; alter sacramentales, quibus peregrinis speciebus aliquando conspicitur; tertius impersonales, in quibus sub alienis personis exhibetur, explicat, ib. 1603 in 4., opus posthumum; cui addendum *apparitionum* l. unus gloriosam describens tam judiciariam, qua in extremo judicio est conspiciendus, quam thaborinam, qua seipsum apostolis suis exhibuit, ib. 1602, quem pene moribundus scripsit; utrumque opus simul junctum videtur prodiisse ib. 1625 in 4. Haec opuscula magno quoque usui erant Calmet et Lenglet Dufresnoy ad suos de apparationibus lucubrationes[1]): ea etiam commendat Weissenbach in suis transactionibus diabolicis.

1) Bibl. selecta l. 8. c. 15. hanc rationem reddens: „Neque enim nos illo melius haec digerere in ordinem, aut ad captum cujusque proponere sciremus."

183. Eodem anno (1601) obiit Thyraei sodalis Wenceslaus Sturm (Sturem, Sturmius), qui primus calamum strinxit adversus Valdenses et Bosleslavienses seu Picardos in Bohemia[2]) relictis pluribus libellis. — Magni nominis, zeli, virtutis atque eruditionis vir fuit Georgius Scherer Tirolensis natus Schwatzii (c. 1540), qui per 40 annos summa cum laude nec minore fructu concionatus est, Lincii praesertim[3]), ubi ex mandato Matthiae archiducis diu degebat magno tam catholicorum quam protestantium bono tutans urbem illam adversus sectarios, quorum multos ad veram fidem reduxit,

1) Feller VIII, 199. Hac occasione mentio etiam fieri potest Vincentii Pons O. Praed. Lusitani, cujus praeter opus apologeticum (lingua gallica conscriptum) pro Ecclesia romana (Aquis Sextis 1608 in 8.) exstat quoque *de potentia et scientia daemonum* quaestio theologica: an diabolus pater mendacii semper loquatur mendacium? an ipsius verbis fides adhibenda sit, ib. 1612 in 8.

2) Ejus opera lingua bohema conscripta plurimum laudat Possevinus l. c. l. 7. c. 15. atque excerpit in examine hujus sectae, quod ibidem instituit. Cf. Sommervogel VII, 1464 s.

3) De ejus concionibus Viennae habitis haec legimus ap. Seb. Mitterdorffer, conspectus hist. universitatis viennensis ad a. 1581: „Hoc anno iisdem finem imposuit tanto inde fructu consecuto, ut e nobilitate aeque ac plebe centum aliquot dimidii anni spatio confessionem eam (augustanam) ejurarent;" et ad a. 1605: „Quadraginta et quinque fere annis Austriam sacris concionibus seu in aula, seu ad d. Stephanum, seu aliis cathedris, editis praeterea in lucem adversus acatholicorum dogmata scriptis ita excoluit, ut magnam partem Austriae se catholicam esse Scherero debeat."

ibique apoplexia tactus 30. Nov. 1605 exstinctus est. Plurima ejusdem opuscula (34), postquam singillatim prodierant[1]), collecta edita sunt in monasterio Bruckensi ord. Praem. in Moravia prope Znoymam 1599 v. 2 in f., Monachii 1614. Scripta sunt lingua patria, in qua pro sua aetate egregio utebatur stilo; impugnat vero in primis professores tübingenses, qui unionem inire nitebantur cum ecclesia graeca schismatica, hinc etiam censuram ecclesiae orientalis a Jeremia patriarcha constantinopolitano conscriptam, qua protestantium placita damnantur, vertit. Impugnavit praeterea Osiandrum, Heerbrandum etc. Egregia, solida, admodum practica et ad populi captum accommodata disputatio *de Ecclesiae notis* continetur ejus concionibus, quibus hic titulus: *29 Predigen von notis, Merk und Kenn-Zeichen der wahren und falschen Kirchen.* Praeclara quoque est ejus concio *de parabola seminantis* (Luc. 8) habita dominica sexagesimae a. 1586, qua populariter admodum et perlimpide rationes duodecim evolvit, quibus Hauseckenses permoti fidem amplexi sunt catholicam[2]). Scripsit quoque: *Bericht ob der Papst zu Rom der Antichrist sei,* Ingolstadii 1585; *Ob es wahr sei, dass auf eine Zeit ein Papst zu Rom schwanger gewesen und ein Kind geboren habe,* Viennae 1584 etc. — Christophorus **Marianus**, ante Daniel **Mattsperger** dictus, Augustanus, praeconis lutherani filius, qui amplexus est fidem catholicam et societatem Jesu ingressus (1578), Ingolstadii docuit ethicam; relicta societate prius parochum egit, dein vocatus Wirceburgum theologiam professus est moralem; obiit 27. Aug. 1607 canonicus novi Monasterii. Inter alia composuit *convivium evangelicum,* in quo diversarum partium ministri evangelici cum augustana confessione hilariter accumbunt et evangelice philosophantur, Monasterii 1602 in 4; Moguntiae 1603 in 4. — Anno sequenti (1608) decessit Paulus **Hoffaeus** Monasteriensis dioecesis moguntinae unus ex primis collegii germanici alumnis, cui post suum in societatem Jesu ingressum (1554) religio catholica et societas Jesu per Germaniam plurimum debent[1]). Causam catholicam per Austriam, Bohemiam, Bavariam non tam scriptis, quam indefessa opera quammaxime promovit. Quare belle Albertus V. Bavariae dux antiphonam Canisio et ipsi applicare solebat: »Petrus Canisius et Paulus Hoffaeus ipsi nos docuerunt legem tuam.« Vertit germanice catechismum tridentinum, quae versio prodiit Dillingae 1568 et dein saepius. Alia quaedam reliquit opuscula.

184. Contra **Pareum** Calvinistam edidit quaedam[2]) Joannes **Spitznaes**,

---

[1]) Cf. Sommervogel VII, 746—765 sub n. 45.

[2]) Hanc concionem reperies apud **Raess**, die Convertiten II, 451—487, de qua eruditissimus episcopus ita judicat: „Diese Schrift zeichnet sich aus durch Gründlichkeit und Popularität; und was dem gemeinen Manne, an den sie gerichtet ist, unwidersprechlich einleuchtet und im Kreise seiner Begriffs- und Auffassungsweise liegt, wurde darin aufgenommen und auseinandergesetzt: daher ist denn auch nicht zu verwundern, daß die Zuhörer in Masse die Augen geöffnet und der hinreissenden Kraft der schlichten und ungekünstelten Wahrheit sich gefangen gegeben. Diese Schrift ist übrigens mit folgender Approbation versehen: Causas has conversionis hauseckensis tam graves judico, ut contra causari nemo quidquam recte possit, et ideo tam dignas, quae typis excusae a quam plurimis legantur. Albertus Bungerus, professor theologus, procancellarius et pro tempore facultatis theologicae decanus in academia ingolstadiensi.“ Prodiit Ingolstadii 1586.

[1]) Cf. accuratum elogium in Ztschr. für kath. Theol. XXIII (1899), 605—631 auctore B. Duhr; Wagner Pastor bonus XVII, 124—128; Steinhuber I, 37 s.; Sommervogel IV, 422.

[2]) Cf. Sommervogel V, 389—91. Ea laudat **Gretserus** in disput. Unde certo et

ab urbe patria Mühlhusinus dictus († 1609), a parentibus protestantibus ortus et in horum erroribus institutus. — In Polonia plures de controversiis fidei libellos [1]) in lingua germanica vulgavit Joannes Huber (Über) Herbipolensis († 1612), inter quos potiores sunt[2]): *Bemänglung der zu Braunsberg herausgegebenen Bibel,* Brunsbergae 1604 in 4; *Theoria et Praxis von siebenzehn Abendmahlen,* sieben Lutherischen u. zehen Calvinischen, Monasterii 1609 in 8; *Apologia* u. gründliche Vertheidigung eines kleines Büchlein so unter diesem Titel ausgegangen (ipso auctore): *Die Bibel ist nicht ganz,* daraus folget, dass diejenigen so allein der Bibel anhangen nicht können selig werden. In welcher augenscheinlich u. handgreiflich offenbaret wird, dass der reformierten Wortdiener Glaubensfundament, darauff ihre gantze Religion gebauet, gar nichts ist, weil sie es in Gottes Wort weder finden noch weisen können. Gegen das unchristliche Buch Daniels Krameriietc., Brunsbergae 1606; Coloniae 1607 in 4. — Neque infimae notae theologus polemicus est Sebastianus Heissius Augustanus, imo vir singulari ingenio, doctrina eximia nec his dotibus impari virtute. Vix ullum scriptorum genus erat, quod non diligenter volvisset: si quid non meminisset, id omnino non legerat. Errores sui temporis luculentis disputationibus editis exagitavit eruditorum approbatione singulari († Ingolstadii 20. Jun. 1614 a. aetatis 43). Prostant praeter plures *theses* et *disputationes* de argumentis tunc temporis controversis Dialogi VI *de augustissimo corporis et sanguinis sacramento ac sacrificio missae,* in quibus breviter et amice praecipue de hoc argumento controversiae discutiuntur, Monachii 1605 in 8; *volumen acatholicorum XX art. conf. augustanae* editum a Jac. Heilbronner . . . Lavingae 1606 compendio recognitum et *castigatum,* Dilingae 1608 in 4; *tres quaestiones* breviter discussae et ceu faculae ad internoscendam Christi in terris Ecclesiam praelatae; item lutheranum animarum purgatorium, Ingolstadii 1610 etc. — Jacobus Crusius Bambergensis († 20. Febr. 1617 a. aetatis 69.), qui multa in vulgus sparsit apta schediasmata typis expressa[2]), inter quae sunt: *Fax ad veram fidem praelucens,* sive instructio hominis ad fidem orthodoxam, Graecii 1597 in 12; *de veritate corporis Christi in Eucharistia,* ib. 1599; *de corruptione s. Scripturae* facta a Luthero in rebus dogmaticis, ib. 1602 etc. — Emmeranus Welser Stulfeldensis dioecesis salisburgensis, qui in bohemica silva saepius missiones instituit, varios scripsit tractatulos germanice impressos Monachii, opportunos firmandis catholicis, deviis a fide revocandis († 16. Apr. 1618). — Conradus Dosch disputavit cum Barth. Ruhlich de quaestione: *Ob man bei der Lehre der augsburgischen Confession selig leben und sterben könne,* de qua plura prodierunt libelli. — Joannes Hammer Goslariensis (n. 1547, † 30. Maj. 1606) auctor est libelli, qui posthumus prodiit: *Predicanten Latein* d. i. drey Fragen allen genannten Evangelischen Prädicanten von vielen Catholischen offtermals aufgegeben, aber nie bishero gründlich beantwortet, jetzo auf's Neue in Reimen verfasset: 1. Ob es wahr sei, dass der Papst von Gotteswort abgefallen und dasselbe unterdrückt habe; 2. Ob die genannten Evangelischen katholisch seien; 3. Ob jemals einer durchs neue

infallibiliter constet: *Scripturam esse canonicam* (op. t. 8. p. 962); nam hoc argumentum illustrat Mühlhusinus adversus Pareum.

[1]) Cf. Veith bibl. august. 1, 117; Ruland p. 36.

[2]) Cf. Sommervogel IV, 494 s.

[1]) Cf. Sommervogel IV, 209—32; Mederer, annales acad. ingolstadiensis ad a. 1614.

[2]) Sotvellus in Bibl. script. S. J.; Sommervogel II, 1705.

Evangelium selig geworden, 1607, sub nomine Hermanni Josemann; cui saepius et plures ex protestantibus respondere conati sunt[1]). — Hagel theologiae dogmaticae et moralis in academiis dillingana et ingolstadiana professor († 1616), scripsit germanice sub nomine Danielis Paradini adversus protestantes. Et hi omnes erant e societate Jesu.

185. Ex aliis religiosorum ordinibus nominandus est Leonardus Rubenus O. S. B. Abdinkofensis prope Paderbornam abbas et s. congregationis bursfeldensis praeses principalis[2]). Natus est Essendiae haud procul Duisburgo ad Rhenum sub a. 1550, priusque amplexus societatem Jesu: nonnullo tempore versatus in Livonia, Lithuania et Transilvania pro dilatanda fide catholica († 15. Oct. 1609). Praeter alia edidit opusculum sat acre, dignum Possevino judice, quod legatur, cui titulus: *Liber de falsis prophetis et lupis rapacibus*, Coloniae 1597; Paderbornae 1608, in quo praefulgente Scripturarum, patrum factorumque luce verum haereticorum depingit ingenium; *de idolatria ll. 3*, Coloniae 1597 in 8., ed. aucta, in quibus tuetur doctrinam catholicam de sanctorum cultu.

186. Sed non solum religiosi, verum plures alii debitam in hoc certamine laudem merent. Huc in primis spectant plures, qui relictis adversariorum castris reliquum vitae rei catholicae consecrarunt, ut Justus Calvinus (germanice Kahl), Baronius a cognomine cardinali, qui eum ad sacramentum confirmationis deduxit, postea dictus. Erat is Xanthi in cliviensi ducatu (c. 1570) parentibus haud catholicis ortus. In academia heidelbergensi studiis sub Franc. Junio vacavit. Lectione operum ss. patrum, Augustini praesertim et Cypriani necnon librorum recentiorum polemicorum Bellarmini et Baronii, veram agnovit fidem[1]). Romam dein petiit (1602), ubi ab ipso pontifice confirmationis sacramentum accepit. In reditu Senis solemniter juris utriusque doctor est creatus. Moguntiae receptus est ab archiepiscopo inter consiliarios ecclesiasticos. Suae conversionis egregiam plane apologiam composuit hoc titulo: J. Calvini veterocastrensis *pro sacrosancta catholica romana Ecclesia* proque sua ad eam transmigratione *apologia,* ex s. literis, veneranda antiquitate atque ipsis sectariorum principiis adornata, ut facilem lectori viam ad veritatem muniat. Accessit epistolarum catholicarum ejusdem volumen unum: necnon ex s. Augustino ep. 48. ad Vincentium et ep. 50. ad Bonifacium de latitudine Ecclesiae Dei et moderata coercitione haereticorum, Moguntiae 1601, Heidel-

---

[1]) Cf. Sommervogel IV, 61; Roskovány 2, 534.

[2]) Ziegelbauer Hist. rei liter. O. S. B. p. 3. c. 4. § 1; Schmid allg. d. Biogr. XXIX, 428. Alius est a Philippo Rubenio coloniensi J. C. Lipsii discipulo, senatui antverpiensi a secretis († 1611), qui s. Asterii episc. amaseni *homilias* graece edidit latinasque fecit, Antverpiae 1615 in 4.

[1]) Ita ipse profitetur in sua ad Baronium ep. Ceterum plura de eo cf. ap. Raess, Die Convertiten III, 536 ss., qui etiam ejus apologiam infra cit. germanice versam exhibet. Buschbell hist. Jahrb. XXII (1901), 298—316, qui tres *epistolas* ejusdem ad Bellarminum exhibet. — Alius est a Joanne C. alias Kahl, Wetterano († 1614, de quo cf. Fabricium hist. bibl. fabric. VI, 423), qui praeter plura alia ad jus civile spectantia edidit l. *Themis hebraeoromana*, Hannoviae 1605 i. e. Jurisprudentia mosaica et juris tum canonici tum civilis romana invicem collata et methodice digesta. Obiter alicubi asperguntur Aegyptiorum, Graecorum et aliorum leges atque ad calcem adjiciuntur quaestiones miscellae et utilissimae et jucundissimae. In praefatione autem discutitur quaestio: An leges mosaicae et quaenam et cur et quatenus hodie christianos homines obligent; *Lexicon juridicum* juris caesarei simul et canonici, feudalis item, civilis etc., 1600, sed prohibitum 9. Dec. 1659.

bergae 1756. Aliud ejusdem doctum atque utile opus est: *Praescriptionum adversus haereticos perpetuarum* ex ss. orthodoxis potissimum patribus *tractatus IV*, praesentium temporum novatoribus oppositi atque ad retegendas eorum fraudes, mirificamque cum priscis haereticis similitudinem ostendendam argumentis, notis atque analysi ita illustrati, ut catholicae romanae Ecclesiae veritas atque inconcussa insuperabilisque ad finem usque mundi soliditas perspicue omnium retro seculorum testimonio asseratur, Moguntiae 1602; vindiciis adversus Jo. Rainoldum anglocalvinianum aucti, cum ss. Cypriani et Augustini de unitate Ecclesiae opusculis, ib. 1605; Heidelbergae 1757. 1758. *Pseudo-Jubilaeum Wittenbergense* adversus Hunnium et Lutherum etc. tecto nomine. Quando obierit nos latet, sed mortuo jam cardinali Baronio (1607) vita superstitem fuisse testatur ejus epistola de dicti cardinalis obitu ad Nicolaum Serarium scripta, quae habetur Annalium Baronii tomo 1. praefixa. — Alius est Joannes Zehentner (Zehender Decumanus), Jacobo marchioni badensi a concionibus, qui fidem catholicam nondum publice professus, eam palam tamen in colloquio cum Pappo, theologo argentoratensi, Emmendingae habito[1]) defendit, et cum marchio postmodum ad Ecclesiam esset reversus catholicam, eum ducem est secutus (1590). Post hujus mortem adiit Andream de Austria episcopum constantiensem, qui eum sacerdotem ordinavit (1591) atque instituendum Romam in collegium germanicum misit. Studiis theologicis quadriennio absolutis societatem Jesu in Austria est ingressus. Plurimum jam laboravit zelo ingenti pro firmanda dilatandaque re catholica, plurimos ad veram reduxit Ecclesiam. Lincii, Cassoviae et Viennae rectoris munere fungebatur. Moribundos et carceres libenter invisit et ex visitatione infirmorum morbo contagioso infectorum mortis germen attraxit obiitque 25. Sept. 1618. Edidit in utilitatem populi christiani scripta in dialogorum forma ad populi captum egregie accommodata[1]). Relationem quoque scripsit solidam quidem sed acrem *de colloquio ratisbonensi a. 1601* cum asseclis confessionis augustanae habito.

[1]) Collegam in hoc colloquio habuit Gregorium Haenlin (a Werner vocatur Helin), qui edidit *Parallela* confessionis augustinae et augustanae opposita parallelis Jo. Pappi, cum duabus Jo. Pistorii epistolis ad Pappum, Friburgi 1592 in 4.

187. Tertius his est celebrior, Joannes nimirum Pistorius, Nidae (unde ejus cognomen Nidanus) in Hassia a. 1546 a patre ortus, qui a fide catholica defecerat primusque ibidem factus fuerat superintendens. Diligentissime incubuit studio medicinae, dein juris disciplinae, non seclusa theologia. Ernesto Friderico marchioni Bado-Durlacensi a consiliis erat, cui etiam auctor exstitit, ut ad Calvinianos transiret. Postea factus Jacobi marchionis badensis archiatrus, cum hoc ad Ecclesiam catholicam rediit (1590, juxta Gass a. d. Biogr. XXVI. 199 jam 1586, juxta alios 1588). Marchione defuncto Constantiam secessit, sacrosque suscepit ordines. Rudolpho II. a consiliis fuit, protonotarius apostolicus, vicarius generalis constantiensis ac wratislaviensis ecclesiae praepositus renunciatus; tandem vero Friburgi, secundum alios

[1]) Plura cf. ap. Raess l. c. III, 1—91, qui etiam exhibet ejus dialogum, cui titulus: *Ein freundliches Gespräch von der in etlichen Ländern vorgenommenen und Vielen sachbeschwerlichen Religionsformation* (Ingolstadt 1601 in 4.), de quo ita Raess l. c. p. 5: „Dieses Dreigespräch ist ein wahres Meisterstück in logischer, theologischer und sprachlicher Hinsicht, und hat im höchsten Grade alle Eigenschaften eines Dialogs." In eo rationes evolvit suae conversionis. Cf. Steinhuber Gesch. des Coll. Germanicum, Freiburg 1895, I, 338 s.

Fuldae meritis plenus a. 1608 pie in Domino decessit. Edidit germano idiomate relationem conversionis Jacobi, badensis marchionis, expositis quinque motivis, quibus ille ad conversionem permotus fuit[1]), Coloniae 1591, adjecto (in posterioribus editionibus) sexto, quo ipse fuit inductus[2]); praeterea *de praecipuis quibusdam controversis christianae doctrinae capitibus,* Ingolstadii 1590; *Anatomia Lutheri* d. i. Auß den Siben bösen Geistern des vil Seelen verlustigen und also tewren Mannes D. M. Lutheris die drey erste Geister: 1. Der Fleischlich geist; 2. der Lester geist; 3. der Kotter geist. Darinnen wie auch in den übrigen vier Geistern der Luther aus seinen eigenen Worten dermassen lebendig abgemahlt wird, daß meniglich Ihn also bald kennen und ob er ein Prophet Gottes oder etwas anders gewesen; ohnfehlbar greifen und spüren kann. Cöln 1595. p. 1; p. 2. ib. 1598. *Ein Stück aus dem lauter Wort Gottes* oder der deutschen Theologia: das ist von 14 in der Religion zwischen den Katholiken eines und Lutherischen und Calvinischen andern Theils streitigen Punkten etc., ib. 1596 in 4; *Acten der zu Zürich* zwischen weiland H. Cardinal von Oesterreich, Bischof zu Constanz etc. und einem ehrsamen, wohlweisen Rath von Zürich wegen der Religion *angestellten Disputation,* Friburgi in Brisgovia 1603 pp. 3 in 4., opus rarum. Parte priori ostendit errare Tigurinos, inhaerere dum se putant fidei professioni a Damaso a. 380 statutae ac generatim fidei priorum quatuor Ecclesiae christianae seculorum; p. 2. crisi subjicit Tigurinorum placita de s. Scriptura, traditione et Ecclesia, quaestionesque huc spectantes expendit; in 3. p. proponit ultra 2000 dicta vel testimonia ex Calvini operibus aliisque Calvinistarum libris collecta, quae plus minusve erronea et malesonantia sunt[1]). *Wegweisser vor alle verführte Christen,* d. i. Kurtzer doch gründlicher, wahrhafter, auss H. Schrift genommener Bericht von 14 fürnembsten zwischen den catholischen und den Newglaubigen in der Religion strittig gemachten Artikeln etc., Monasterii 1599; Ingolstadii 1600; *Thesium* J. Herbrandi *de visibili Christi in terris Ecclesia analysis;* propositiones 50 ex s. Augustino de reliquiis; epistolae Pistorii ad amicos de Ecclesia, Ingolstadii 1589; *öffentliche Beweisung* daß die Lutherischen im colloquio zu Regensburg 1601 mit ihrem armseligen Glaubensgrund und Argument sich u. ihr Sect in höchste Schand und Spott gesetzt, Friburgi 1607 in 4; *Merkzeichen des alten und neuen Glaubens* d. i. Ursach warumb die röm. kath. Kirche und ir Glaub allein die rechte Kirch und der Glaub Christi, und alle ander lutherische, calvinische, wiedertaufferische etc. falsche und unrechte Kirchen und Glauben seien, Monasterii 1609, l. rarus; theorema *de fidei christianae definita mensura* et an haec sit sola Scriptura canonica, cum epitegmate de sacramentis contra Grynaeum, Coloniae

[1]) Exstat haec ap. Raess l. c. III, 94 ss.

[2]) Reperies hoc penes Raess l. c. II. 496 ss., qui plura de eo refert. Mentione quoque dignae sunt Jo. Pistorii *epistolae tres ad Jo. Pappum,* Coloniae 1594 in 4. In 1. hortatur Pappum ad studiosius servandum suum jusjurandum Emmendingae factum, cum se ostensurum promitteret s. Augustinum cum omnibus augustanae confessionis articulis consentire; in 2. refutat parallela Pappi et in primis praefationem in illa ipsa; in 3. demonstrat, neminem mortalium per sec. 15 catholicum vel orthodoxum, virum vel feminam, senem vel juvenem sensisse de fide Christi ac credidisse aeque ac Lutherum. Quibus adduntur parallela nova de Husi et Lutheri in omnibus controversiis dissensione. Cf. Fabricium in hist. fabr. IV, 209; Rotermund VI, 296; Roth Kleine Beiträge zur deutschen Sprach- Geschichts- und Ortsforschung 1850 fasc. 7 p. 62. 74.

[1]) Cf. Werner, Geschichte der apologetischen und polem. Literatur IV, 632; Janssen Gesch. d. deutschen Volkes t. V. passim.

1594 in 4. Pugnavit praeterea contra Osiandrum. *Artis cabalisticae* h. e. reconditae theologiae et philosophiae scriptorum t. unus, Basileae 1587 in f. (m. 30), quo continentur Pauli Ricae *Coelestis agricultura;* Rabbi Josephi *Porta lucis;* Leonis Hebraei *de amore;* Jo. Reuchlini *de arte cabalistica;* et *de verbo mirifico;* Archangeli Burgenovensis interpretatio in dogmata cabalistarum; Abrahami *de creatione et cabalistinis* (Sepher Jezira). *Rerum germanicarum veteres* jam primum publicati scriptores[1]) aliquot insignes medii aevi ad Carolum V., Francofurti 1583—1607, t. 3 in f.; Hanoviae 1613 t. 1. et 2. ed. 2; Ratisbonae 1726 t. 3 in f. recogniti cum notis et indice a Struvio, ed. accurata et aestimata; *Polonicae historiae corpus* i. e. polonicarum rerum latini veteres et recentiores scriptores quotquot exstant, Basileae 1582 t. 3 in f. Negari nequit Pistorium fuisse theologum polemicum admodum operosum, doctum, sed etiam vehementem acremque, propter ingenii aciem disserendique subtilitatem adversariis maxime invisum[2]).

188. Non minus celeber est Caspar Ulenberg Lippiae natus parentibus lutheranis a. 1549. Susati (Soest) literis egregie operam dedit, linguamque graecam adeo calluit, ut elegantissime carmina funderet in paucis et calamo et lingua cunctis palmam praeriperet. Inter varios heterodoxos professores in primis Flacii Illyrici dogmata secutus erat adeo ferventer, ut audito Roderum cognatum suum fidem catholicam esse amplexum, Coloniam statim profectus sit et nondum satis in fide catholica fundatum pristino errore infecerit, qui tamen eodem Ulenbergio auctore ad catholicam iterum fidem rediit. Wittenbergae studiis operam dedit, sed lectione librorum Lutheri et dissidiis inter Lutheranos ortis prima ei dubia de veritate suae confessionis sunt oborta. Accessit conversatio cum Nopelio et Gervinio Calenio viris egregiis et popularibus, qua motus sectae suae agnovit falsitatem, fidemque lutheranam ejuravit a. 1572[1]). Hinc sibi odium insectationesque conscivit sectariorum, meritis vero suis ad honorifica munera evectus est. Artium et philosophiae magisterii laurea coronatus, gymnasii laurentiani professor publicus renunciatur 1575 et sacerdotio initiatur anno eodem. Crescente in dies fama doctrinae et eloquentiae a Nopelio decano Caesaris Insulani (Kaiserswerth) collegii evocatur canonicus et pastor civitatis futurus: a. 1585 eligitur Coloniae a capitulo cunibertino canonicus et pastor communi suffragio ob perspectum apostolicum viri zelum in regendis et pascendis Christi fidelibus. Urbem totam eloquentia sua ducebat e sacra cathedra, terrorem et fugam Ecclesiae adversariis injiciebat, secreto et publice cum iisdem congressus semper victor. Interea ab herbipolensi episcopo postulatur, suffraganeam operam ut navet dioecesi; offertur eidem decanatus ecclesiae collegiatae susatensium s. Patrocli, quae omnia invicta modestia declinavit et a se depulit. Anno 1593 ad gymnasii laurentiani regimen eligitur, cui a. 22

———

[1]) Feller VII, 16: „Recueil curieux et assez rare, mais qui aurait pu être mieux digéré.“ Commendatur haec collectio etiam a Morhofio, Polyhist. III, 109.

[2]) Cf. plures qui contra eum scripserunt ejusque responsiones apud Roskovány II. 407; 426 s. et 514: Werner Gesch. der apol. u. pol. Lit. IV. 581; 593; Buddeum Isagoge hist. theolog. II, 7 § 9 p. 1254. A calumnia vindicavit Gretserus in libello (op. XI, 925—938): *Dormitorium apostatarum* nuper ab ignoto Dormitantio laudandae cl. v. D. Joan. Pistorii et aliorum quorundam etiam principum existimationi et famae exstructum at nunc funditus destructum. Cf. etiam Mirbt Realenc. XV, 418—21.

———

[1]) Quem a. ipse Ulenberg hoc chronogrammate designavit: *DogMata LVtherana noVa et pVgnantIa fVgI.* Cf. Raess die Convertiten II, 550—70.

praefuit immortali laude, integritate summa, catholicae et literariae rei incremento. Rector magnificus ab universitate coloniensi eligitur 20. Dec. a. 1610. Ex mandato serenissimi Ferdinandi archiepiscopi manum admovit interpretationi bibliorum germanicae, quam summa fide, accuratione et diligentia perfecit [1]), eaque prodiit Coloniae 1630. Ad meliorem transiit vitam d. 16. Febr. 1617 a. aetatis 68. Inter ejus scripta eminent: *Zweiundzwanzig Beweggründe für den alten katholischen Glauben*, Coloniae 1589, ibidemque eodem auctore latine: *Causae graves et justae*, cur catholicis in communione veteris ejusque veri christianismi constanter usque ad finem vitae permanendum: cur item omnibus, qui se evangelicos vocant, relictis erroribus ad ejusdem christianismi consortium vel postliminio redeundum sit; qui liber plane aureus et solidus etiam recentiori aetate Moguntiae 1825; 1833; 1840 iterum prodiit [2]). *Historia de vita, moribus, rebus gestis ac denique morte praedicantium lutheranorum*, doct. M. Lutheri, Ph. Melanchtonis, Matthiae Flacii Illyrici, Georgii Majoris et A. Osiandri et Andreae, Coloniae 1622 t. 2, germanice Moguntiae 1836. Vita Zwinglii ms. teste Meshovio servabatur in bibliotheca gymnasii laurentiani [1]).

[1]) Varias hujus versionis editiones, quae auctoritate Joan. Phil. Schoenborn archiep. ab idiomate westphalico per theologos moguntinos 1662. purgata fuit, cf. in bibl. coloniensi, ubi reperies alios hujus auctoris libros. Cf. Le Long Biblioth. s. c. 5. sect. 2; Schneller Instit. theol. posit. n. 331; Kleffner KL. XII, 185—188; et fusius in fasc. der kath. Seelsorger XI (1899), 215—223; 257—265; Reusch allg. d. Biogr. XXXIX, 181—83.

[2]) „Dieses Buch, scribit cl. Raess II, 555, ist mit einer solchen Ruhe, Gelehrsamkeit, Logik und Überzeugungskraft geschrieben, daß man kaum begreift, wie es Jemanden einfallen könne, öffentlich dagegen aufzutreten ... Seine 22 Beweggründe sind ein vortreffliches und zeitgemässes Compendium eines dogmatischen Unterrichtsbuches, bündig, faßlich und eindringlich gedacht und geschrieben. Huic operi geminum addere licet Sixti Sartorii Miltenberger Ansbacensis, juris utriusque doctoris (qui post suam conversionem factus est sacerdos et canonicus passaviensis) inscriptum: *Causae motivae*, ob quos S. Sart. M ... deserta lutherana (in qua natus et educatus fuit) secta, catholicam ss. Scripturis vere fundatam et a ss. orthodoxis PP. traditam religionem amplexus est et profitetur, Ingolstadii 1602 in 4. Eodem spectant ejus *epistolae V*, ib. 1605 in 8., quae scripta logicam disserendi rationem et eruditionem praeseferunt. Cf. Raess III, 453—73.

189. His addendi sunt: Georgius Gaugler Lagingensis — Gregorius Pomerius [2]) — Georgius Lauter Ehinganus, Alberto duci Bavariae a concionibus, praepositus demum (1577) capituli monacensis († 1610), qui disputavit *de sacrificio missae*, Monachii 1565. — Matthaeus Tympe (Timpe) feracissimus scriptor [3]), aliquamdiu Coloniae philosophiae et eloquentiae professor, rector dein scholae cathedralis Paderbonae, demum rector collegii monasterii, cui a Detten nomen, qui plura aliorum opuscula germanice reddidit, quaedam polemica composuit et catalogum episcoporum monasteriensium concinnavit (in Ant. Matthaei veteris aevi Analectis V², 167—191). — Melchior Zanger praepositus et concionator echinganus († 4. Jan. 1603) nominandus praeprimis est propter opus inscriptum *Examen versionis Lutheri* in Biblia d. i. Wahrhaftige und Augenscheinliche Erweisung, welcher gestalt M. Luther die h. Schrifft beeder dess A. u. N. T., den Hauptsprachen und der gantzen Cath. Kirchen Theolo-

[1]) Plura de Ulenberg cf. in l. Arnoldi Meshovii lippiensis († 1667): *De vita, moribus et obitu C. Ulenberg*, Coloniae 1638, cujus compendium praemittitur editioni op.: *Zweiundzwanzig Beweggründe* etc., Moguntiae 1833 etc.

[2]) Cf. Rotermund VI, 569, qui eum non recte Jesuitam dicit.

[3]) Cf. P. Bahlmann Allg. d. Bi. XXXIX, 53—55.

gischen Verstandt zuwider, an verschiedenen Ortern ungleich verdollmetscht, mit newen Zusätzen, unförmlichen Glossen, Untertruckung gantzer Bücher, Versickeln und Wörtern etc. gefehrlich verfälscht und verkehrt: dadurch dann unser hochgeehrt liebes Vaterlandt Teutscher Nation biß anhero jämmerlich verführet und betrogen worden u. s. w. post ejus mortem, a cognato Georgio Zanger canonico Moguntiae 1605 editum in f. Ediderat dum viveret[1]) praeter *conciones* (XI) passionis dominicae, Coloniae 1581, adversus Heerbrandum Simplicis atque adeo prudentis *catholicorum orthodoxiae cum novatorum sectariorumque nostri exulcerati seculi idolomania collatio catholica*, ib. 1580. — Abraham Schaedlin, clerici Augustae sodalitii Corporis Christi, est *Urtheilsprecher* d. i. ein unpartheische Richter über alle diejenigen, welche das Lutherthum verlassen sich der alten kath. Kirche begeben, welche kath. röm. Kirche nunmehr in die 1600. J. unaufhörlich glaubt und bekennt, auch vermöge der Zusage Christi des Herren bis zum Ende der Welt und in Zukunft des Antichrists beständiglich glauben und bekennen wird Alles, was Christus etc., Monachii 1606; cujus operis alteram p. inscripsit: *Eröffnung d. Zeugenaussage* durch ordentlichen Richter d. i. gründliche Beweisung aus den Schriften Luthers u. seiner Nachkommen, dass alle diejenigen, welche das Lutherthum verlassen und zu der alten kath. röm. Kirche sich begeben, christlich, wohl und recht haben, ib. 1606. — Albertus Hunger theologiae doctor et professor academiae ingolstadiensis per 24 annos, procancellarius, canonicus eystetensis et passaviensis necnon praepositus habacensis. Natus erat Kelhemii in Bavaria a. 1545. Posteaquam a. aetatis 17. Ingolstadii philosophiam absolverat atque ex eadem doctoris dignitatem erat consecutus, Romam abiit, atque in collegio germanico ultra triennium commoratus theologiam didicit professore Turriano. A. 1567 vixdum 21. aetatis a. egressus philosophiam profiteri eximia cum laude coepit, a. 1570 theologiam, unacum Martino Eisengrein a. sequenti theologiae doctor renunciatus. Hunc secutus est (1578) in procancellarii et inspectoris munere, quod ad annum mortis suae (1604) digne sustinuit. In elogio in schola theologica ejus memoriae inscripto celebratur tamquam „vir singulari doctrina, prudentia, suavi morum gravitate, perpetua vitae innocentia, in pauperes liberalitate clarissimus[1]).“ Plura reliquit opera philosophica et polemica adversus Lutherum, ut *de peccato* 1573; *de originis peccato* 1578; *de veritate transubstantiationis* in sanctissima eucharistia 1577; *de fide s. Athanasii* et consensu theologiae Lutheri cum philosophia Epicuri 1582 etc. — Valentinus Leucht Hollstadii dioecesis wirceburgensis natus parochus erat ad s. Severinum Erfordiae (1582) theologiae doctor. Factus est protonotarius, comes palatinus nec non commissarius caesareus, consiliarius fuldensis, scholasticus, ecclesiastes ecclesiae principis francofordiensis († 1619). Reliquit *conciones*, opera polemica, inter quae: *Dialogus mysticus.* Ein newes geistliches Gespräch, zwischen einem Engel und fünf Personen: Nemblich einem catholischen, Lutheranen, Hussiten, Calvinisten und einem gemeinen Leyhen u. s. w. In welchem klärlich erwiesen und grindtlich angezeiget wurde, wo die aynige ware Kirchen Gottes ... wol zu finden, Moguntiae 1583. Similis argumenti est: Gründlicher Bericht *von der waren Kirche Gottes,* wo und bey welchen sie zu dieser gefährlichen zeit eigentlich zu finden und bestendig zu behalten sey,

[1]) Cf. Lauchert Allg. d. Bi. XLIV, 685 s.

[1]) Cf. Mederer, Annales acad. ingolstad. ad a. 1604, ubi reperies catalogum ejusdem operum.

ib. 1585. *Vita d. Mariae V.*, Friburgi 1596 (germanice); hagiologica ut *vitam SS.* scil. versionem germanicam compendii, quod ex Lipomano et Surio confecerat Haraeus S. J. (de quo infra), Coloniae 1593, et simile compendium (germanice) confectum ab Henr. Fabricio iterum auctum edidit ib. 1606 (cf. supra p. 113). Confecit et *epitomen Annalium Baronii* (germanice), Moguntiae 1599—1602 ll. III; ascetica, ut *Viridarium regium* illustrium miraculorum et historiarum, Moguntiae 1614 ll. VIII in f., quo opere complectitur miracula, quae jam alias seorsim ediderat.[1])

190. Collegii germanici alumnus plane strenuus erat Vitus Miletus Gamundianus, wratislaviensis canonicus, demum Moguntiae praepositus ad s. Mauritium et decanus s. Mariae ad gradus († 1615). Praeter alia[2]) exstat ejusdem l. *de sacramentis,* mille sexcenti errores, vaniloquia et cavillationes eorum, qui hoc tempore ab Ecclesia secesserunt catholica (praesertim Chemnitii), cum brevi eorundem. confutatione, Moguntiae 1593 in 4. Magna fuere ejus merita de fide catholica, praesertim in ditione erfordiana — Joannes Nopelius Lipstadiensis (n. 1548) quondam (1694—1598.) academiae coloniensis rector, demum episcopus cyrenensis et auxiliaris archiepiscopi coloniensis († 1605), edidit *Confessionem ambrosianam* in ll. 4 digestam, Coloniae 1580 in 8., ad normam confessionis augustinianae ab Hieronymo Torres (cf. p. 404) editae, in qua quaerit, quid de iis dogmatibus, quae hodie in controversiam vocantur, s. Ambrosius senserit. — Joannes Baptista Fickler Baknangae in regno wirtembergico 24. Maj. 1533 natus variis functus est muneribus honorificis: fuit enim archiepiscopo salisburgensi a secretis, legationi ad concilium tridentinum (1562) adjunctus; dein archiepiscopo a consiliis ejusdemque cancellarius. A Guilelmo duce Ingolstadium fuit adscitus (1588), qui Maximilianum principem hereditarium institueret in jure civili, historia et literis classicis, a quo deinceps magni aestimabatur. Vir erat admodum eruditus, etiam in re numismatica et archaelogia, multorumque operum (c. 20) auctor[1]), inter quae *Diarium* concilio trid., quod legitur apud Le Plat Coll. monum. VII, 2, 257—400, sed in alia forma ab ea, qua fuit conscriptum; *Spongia contra praedicantium wirttenbergensium aspergines,* qui patriarchae CP. judicium super capita augustanae confessiones expetiverunt, Ingolstadii 1585; etiam germanice, Monachii 1589, cui adjecit: ***historische Erzehlung*** einer gemeiner Kirchengefährlicher That etlicher wirtenberg. Theologen, so dem Patriarchen zu C. P. die Augspurgische Confession unn seim Gutachten zugeschickt und was sie für Bescheid erlanget, ib 1592; ***theologia juridica*** seu jus civile theologicum, in qua ostenditur vel ex jure civili seu ex legibus imperatorum, Constantini in primis, Ecclesiam romanam non defecisse, sed protestantes errare, Dilingae 1575. *Novus malleus maleficarum* Barth. de Spina, Coloniae 1581; *Rettung der Concilien,* kath. Glaubens und Anrufung Mariae wider J. Heylbrunner, Ingolstadii 1590 in 4. etc. — Justus seu Jodocus Lorich[2]), theologiae professor friburgensis (1574—1604), octies rectoris munus obiit et decies septies decanum ea in academia. Condidit ibidem domum seu collegium pacis. Factus est postmodum Carthusianus (1611; † 1613.) Praeter alia reliquit instar

[1]) Cf. accuratam notitiam in Katholik 1903 II, 216—244 auctore Falk, qui ejus opera sub n. 26 diligenter recenset.

[2]) Cf. Steinhuber passim t. 1. praesertim p. 201 ss.; opera in Schunk Beitr. zur Mainzergeschichte III, 176.

[1]) Cf. Föringer allg. d. Biogr. VI, 775.

[2]) Cf. Ehses Jod. Lorichius in Festschr. zum elfhundertjährigen Jubiläum des deutschen Campo sancto in Rom, Freiburg 1897 p. 242—55.

lexici *Thesaurum utriusque theologiae,* theoricae et practicae, Friburgi 1609 in f.; *Catenula praecipuorum articulorum fidei,* Coloniae 1576, species catechismi; *de adoratione* ejusque speciebus, Friburgi 1577 cum duplici apologia adversus J. Herbrand; *de vera et falsa libertate credendi,* Ingolstadii 1577; *Evangelium* h. e. de vi, natura et scopo evangelii Jesu Christi, Ingolstadii 1580 in 8; *De ecclesiastico coelibatu* adversus sacrilegos nuptiatores et infames concubinatores Friburgi 1583; *de traditionibus ecclesiasticis et voluntario Dei cultu in genere,* Ingolstadii 1579; *Flagellum* contra modernas haereses, Friburgi 1688; *Kurtzer Begriff* der rechten, unfälbaren Eigenschaften u. Wahrzeichen der Kirchen Gottes, ib. 1589; *triumphus b. Mariae V.*, ejus laudes, vita, privilegia, epitheta, ib. 1610. Aliquot opuscula ascetici vel practici argumenti scripsit lingua patria. Edidit et germanice piisimum l. *Pugna spiritualis* seu Semita paradisi et pugna spiritualis[1]), Friburgi 1599; Coloniae 1606 etc. Denique praetermitti non debet ejus *Fortalitium christianae fidei* ac religionis adversus haereses horum temporum (178) alphabetice dispositum, Friburgi 1606; 1608.

191. Opus laboriosum composuit Jodocus Coccius[2]) Bileveldiae natus († 21. Dec. 1619), cui titulum fecit: *Thesaurus catholicus,* in quo controversiae fidei jam olim nostraque memoria excitatae ss. Scripturarum, conciliorum et ss. tam graecorum quam latinorum patrum testimoniis a temporibus apostolorum ad nostram usque aetatem successione consensus perpetuus instar catenae connexus proponitur, Coloniae 1619. 1620 v. 2 in f. »Thesaurus hic, scribit Wiest[1]), infinitae lectionis opus est et eidem conscribendo 24 a. auctor impendit veritatem catholicam ex traditionis fonte amplissimis argumentis deducens; dolendum vero est quod ex defectu artis criticae spurias saepe merces afferat ex scriptis suppositititiis: hoc tamen non obstat, quominus utilissimum praestantissimumque opus dicatur.« Plures in hoc opere componendo adjutores habuit, ut Laurentium Fabritium ep. auxiliarem, Joannem Nopelium, Jacobum Hutterum, Theodorum Ripham, Gualterum Xylandrum, Cornelium Schulting, Arnoldum Saelvium Hardervicanum, Casparum Ulenberg etc. Ceterum ipse Coccius Lutheri errores puer paedagogorum institutione imprudens imbiberat, quibus etiam tenacius sese addixerat missus ad varias extra patriam scholas. Tandem cum placuit ei, qui Jodocum ab utero matris secrevit et per gratiam suam vocavit, Coloniam appulsus tum ipso crebro conspectu majestatis in sanctissimis catholicae Ecclesiae officiis ac liturgia celebranda relucentis, auditis insuper celeberrimae universitatis concertationibus academicis movebatur, ut diligentius in religionis catholicae inquireret fundamenta, quibus accurate expensis haud cunctatus est illam etiam profiteri[2]). — Joannes Paulus Windeck, canonicus markdorfiensis edidit *theologiam jurisconsultorum* ll. 2, Coloniae 1604 in 4; controversias inter Catholicos et Calvinistas *de efficacia mortis Christi* hoc

[1]) Ignoravit Lorichius egregii hujus tr. auctorem, quem putavit esse italum. Ab aliis tribuebatur (sed immerito) Jo. Castanizae O. S. Ben. in ordine concionatoris generalis titulo honorato et Philippi II. ecclesiasti, qui illum dicitur hispana lingua edidisse, ac sub ejus nomine latine prodiit Duaci 1625. Posteriores editiones illum magno consensu tribuerunt auctori italo anonymo: postea L. Scupoli, ut infra dicemus. Porro Castaniza obiit 1598 relictis aliis operibus, quae recenset N. Antonius Bibl. H. n. II, 674. Inter ea est et *Historia de s. Romualdo* Padre y Fundador del orden Camaldulense, Matriti 1597.

[2]) Alius hic est a Jod. Coccio S. J. († 1622), de quo infra agemus.

[1]) Institut. theolog. t. 3. § 49.

[2]) Cf. Hartzheim, Bibl. col. p. 210.

tempore disputatas ib. 1603 in 4; notior tamen est propter opus singulare, cui titulum fecit *Prognosticon futuri status Ecclesiae* oppositum insulsi cujusdam per Sueviam Lutherologi libro de signis ruituri papatus, Coloniae 1603 in 4., in quo 42 rationibus demonstrare nititur lutheranam, calvinianam aliasque sectas brevi esse perituras, Ecclesiam vero romano-catholicam stabili constantia permansuram: cur illarum asseclae ad eam redire, catholici in ea permanere debeant, assignatque remedia, quibus a catholicorum provinciis sectarii arceri aut evelli queant. — Anabaptistas acriter impugnavit Christophorus Andreas **Fischer** parochus feldspergensis pluribus libris, ut *Von der Wiedertauffer verfluchten Ursprung,* gottlosen Lehren und derselben gründliche Widerlegung, nach welcher gefragt wird, ob die Wiedertauffer im Landt zu leyden seind oder nicht? Bruck an der Theya 1603. Alio in opusculo (Ingolstadii 1607) 54 rationibus ostendit illos in regno non esse tolerandos. *Der hutterischen Wiedertauffer Taubenkobel,* in welchem all ihr Wüst, Mist, Kott u. Unflat d. i. ihre falsche . . . Lehrn, was sie nemblich von Gott, von Christo, von den h. Sacramenten u. andern Artikeln des christl. Glaubens halten, werden erzählet, alle kürzlich u. treulich auss ihren eygenen Bücher sowohl getruckten als geschribenen . . . Auch des grossen Taubers des Jac. **Hutters** Leben, von welchem sich die Wiedertauffer hutterisch nennen, angehenkt, ib. 1607. — Petrus Linteo **Litomerziczkya** Plsenburg, Bohemus, parochus antiquae Plsnae, demum decanus wissenrhadensis († 1615), edidit *signa verae Ecclesiae,* Litomisslii 1593, librum doctum et eruditum, quo haereticos signis illis carere ostendit. — Alii Bohemi erant Joannes **Peit** archidiaconus bilinensis, qui praeclaram operam navavit in catholica religione adversus haereses tuenda libris utilissimis lingua patria editis — et Joannes **Colens** S. J. concionator insignis († 1. Aug. 1623). — *Hungarus* erat Stephanus Szántó (Arator) Jaurini (Raab) n. 1541, collegii germanici alumnus, primus hujus nationis qui societatem Jesu est ingressus (1561). Sollicitus de sua patria omnem movit lapidem, dum Romae dogeret munere poenitentiarii apostolici praeditus pro Hungaris occasione Jubilaei, ut Gregorius XIII collegium conderet et pro Hungaris. Cogitavit quidem pontifex serio de eo condendo, sed consilium nimias incidit difficultates: eatenus vero effectum habuit, quatenus adjunctum fuit collegio germanico. Redux in patriam ardenti zelo convertendis deviis a vera fide per Hungariam et Transilvaniam incubuit non sine fructu, sed etiam non sine periculo vitae[1]). Decessit intrepidus missionarius in exsilio a. 1612. Elaboraverat versionem hungaricam V. T., quae tamen non prodiit: pauca tantum, quae scripsit, typis fuere vulgata, inter quae epistolae, apologetica (rarissima).

192. Acre de fidei controversiis certamen exarsit in *Polonia,* ubi patres praesertim societatis Jesu strenui sub duce Christo milites praelia praeliabantur Domini, non solum adversus protestantes, sed etiam adversus novos Arianos i. e. Socinianos et Graecos schismaticos. Inter hos eminet Petrus **Skarga** *polonus Chrysostomus* dictus, nomine familiae Paneski, ex oppido Masoviae Grojec (n. 1536), ante ingressum in societatem Jesu (1568), praepositus ecclesiae rohatinensis et canonicus leopoliensis. Totum se impendit animarum saluti plurimosque etiam ex prima nobilitate a fide aberrantes partim concionibus, partim editis libris ad veritatis reduxit agnitionem. Sigsmundo III. regi carissimus per totos 24 annos ei

[1]) Cf. plura de eo apud Steinhuber I, 127 ss.; Jo. Kandler KL. XI, 1155—58; W. Fraknói in Kath. Szemle, Budapest 1887 pag. 385 ss. (hungarice).

a concionibus fuit, vixque parum ante mortem missionem impetravit. Eum egregie juvenem direxerat et imbuerat maximo fidei amore. Meritis plenus vivendi finem fecit 27. Sept. 1612 a. aetatis 77. Elatus est magno nobilitatis ceterorumque ordinum concursu ac moerore, ambientibus primariis quibusque feretrum subire humeris [1]). Multa (c. 40 opera etc.) scripsit Petrus Skarga tum latine tum polonice [2]), quae seorsim prius edita, demum Wilnae 1610 t. 4 comprehensa prodierunt, quorum 1. selectas sanctorum *vitas* in singulos anni dies digestas complectitur, additis documentis ad mores formandos idoneis, qui tomus auctore superstite octies recusus fuit. Alter continet *Annalium* Baronii *compendium*; 3. et 4. *conciones* et alia opuscula minora. Et haec fere polonice scripsit. Latine vero seorsum prodiere: *Contradictiones et antilogiae scholae calvinisticae,* Vilnae 1576 in 4; Brunsbergae 1707; *pro sacratissima eucharistia* contra haeresim zwinglianam ad Andream Volanum praesentiam corporis D. N. J. Christi in eodem sacramento auferentem ll. 3, Vilnae 1576 in 8; Brunsbergae 1707; *Artes 12 sacramentariorum* seu Zwinglo-calvinistarum, quibus oppugnant, et totidem arma catholicorum, quibus propugnant praesentiam realem corporis D. N. J. Christi in eucharistia contra A. Volanum, Vilnae 1582 in 4; Cracoviae 1610; Brunsbergae 1700: 1707; *Septem columnae*, quibus innititur catholica doctrina de ss. sacramento altaris, erectae contra doctrinam zwinglio-calvinisticam Andreae Volani etc., Vilnae 1582; 1584; Cracoviae 1610 etc. Vere meritissimus fuit Petrus Skarga de religione catholica, quam in patria sua defendit, confirmavit, promovit; hinc multorum odium, calumnias atque etiam persecutiones est perpessus; meritus fuit et de patria, de societate, de literis polonicis, linguam enim patriam multum excoluit. Magnus fuit undequaque vir intemerati characteris.

193. Commilitones Petri nostri fuere: Fabianus Quadrantinus [1]), qui parentibus haereticis natus ad sinum Ecclesiae rediit, alumnus Collegii germanici († 6. Mart. 1605), cujus opusculum rarissimum *Palinodiae* sive revocationes (VII) F. Q., cum factus esset ex Lutherano catholicus, Coloniae 1571, germanice redditum exhibet Raess II, 131—174. scriptum est plane egregium, eruditum, nitidum. Scripsit vitam Annae piissimae conjugis Sigismundi III., cui erat a confessionibus in *speculo pietatis*, Brunsbergae 1605. — Hieronymus Steffanowsky, vir virtute et doctrina clarissimus [2]), cujus opera prodierunt sub nomine Martini Michalowiczi Zagieli († 1606). — Hadrianus Junghe in oppido Blonsko Masoviae provinciae natus, qui concionibus per 22 annos pluribusque scriptis [3]) partim latine partim polonice exaratis de re christiana in Polonia meruit († 26. Aug. 1607 a. aetatis 57). Inter ea etiam est *Synopsis novi Evangelii* seu de doctrina, moribus, fructibus, characteribus et horrendis atque implacabilibus in religione dissidiis sectariorum hujus temporis ll. 3,

---

[1]) Plura cf. in historia soc. J. p. 5. l. 25. § 17; in Sotvelli bibl. scriptorum S. J. ubi etiam legimus: „Vetus erat illi consuetudo contentionem animi, quam orando, legendo, scribendo adhibebat, interposito corporis aut manuum labore aliquo temperare. Sociis candelas, atramentum, fibulas librarias, thecas scriptorias parare, strophiola etiam et indusia sibi aliisque consuere. Ergo paucis ante obitum diebus album conflavit cereum, quem b. Virgini czestochoviensi donum mitteret. Is missus illico accensus est, et quando ille ardendi, pater vivendi finem fecit." Rosentreter KL. XI, 386-95. Stimmen aus Maria Laach X (1876), 417 ss.

[2]) Prolixum catalogum cf. apud Sommervogel VII, 1265—87, qui illa sub n. 52 recenset.

[1]) Cf. Steinhuber I, 79. 1322.

[2]) Cf. Sommervogel VII, 1524.

[3]) Cf. Sommervogel IV, 881—883.

Posnaniae 1595 in 4. — Fridericus Barscius (Barthsch, Barszcz) Braunsbergensis, Sigmundo III. et regni primatibus propter eximias virtutes excellentemque doctrinam acceptissimus ipsisque haereticis gratus, quos vitae integritate morumque comitate sibi devinxit († 21. Nov. 1609 a. aetatis 60), reliquit *concionum controversarum* t. 2 Cracoviae 1607, et contra A. Volanum scripsit[1]). — Albertus Theobolcius in oppido Wiadz Poloniae minoris natus, Viennae sesquiannum s. Stanislai magister († 1611 a. aetatis 76), disputavit cum neoarianis. — Justus Rab Cracoviensis secutus est aliquamdiu Lutheranorum errores, sed scholam frequentans Maldonati Parisiis, illos ejuravit, collegium germanicum agente eodem Maldonato et postea societatem Jesu Romae est ingressus (1569). Post reditum in patriam 20 a. theologiae professorem egit plurimumque promovit causam catholicam per Walachiam, Moldaviam et in Suecia Sigismundo III. fuit a concionibus et confessionibus († 1. Apr. 1612). Multas callebat linguas et quidem adeo bene, ut prout res ferebat iis loqueretur[2]). — Stanislaus Grodzicki (Grodicus) Posnaniensis[3]) propter ingentem pro religione catholica zelo, quem concionando, docendo, scribendo prodidit, Lithuaniae apostolus est dictus († 4. Martii 1613 a. aetatis 72). Opera polemica[4]) lingua patria prodierunt, *conciones* latine Ingolstadii 1609—14 t. 8. — Martinus Lascius (Laszcz), Calissiensis, fidei catholicae adversarios dicendo, scribendo omnique alio modo insectatus est[5]); senatum cracoviensem universum ad Ecclesiam traduxit, et pestilentia grassante moribundis assistens discrimini caput objecit, unde apud ipsos etiam sectarios viri sancti opinionem obtinuit et venerationem († 23. Maji 1618?). — Martinus Smiglecius (Smiglecki) Leopolitanus zelum, judicium atque eruditionem patefecit tot scriptis latine et polonice praesertim adversus Socinianos editis[1]), qui vicissim ut Valentinus Schmalz, Petrus Statorius, Wolfgang Schlichting, Jo. Volkel, Hier. Moscorovius etc. eum refellere nitebantur. Obiit 26. Jul. 1618 a. aetatis 56. Ex ejus adversus Socinianos operibus haec tantum nominamus: *Nova monstra novi Arianismi* seu absurdae haereses a novis Arianis in Poloniam importatae… refutatae, Nissae 1612 in 4; *de erroribus novorum Arianorum* ll. 2, Cracoviae 1615 in 4. adversus Smalcium; *Verbum caro factum* seu de divina Verbi incarnati natura ex l. s. Joannis c. adversus novorum Arianorum errores disputatio, Cracoviae 1613 in 4; *de Christo vero et naturali Dei Filio,* ejusdemque pro peccatis nostris satisfactione ll. 2 adversus impia dogmata Val. Smalcii etc., ib. 1615 in 4. etc. — Adalbertus Rosciszewski († 7. Jan. 1619) et Casparus Sawicki[2]) Vilnensis, vir insignis virtutis et zeli, sub nomine Joannis Golubski nonnulla opuscula polemica lingua polona edidit († 19. Jan. 1620 a. aetatis 68).

194. Ex *ordine Praedicatorum* laudatur Severinus Lubomlius, natione Roxolanus, genere Hebraeus. Erat vir,

---

[1]) Cf. Sommervogel I, 957.
[2]) Cf. Sommervogel VI, 1361.
[3]) Cf. Sommervogel III, 1844.
[4]) Cf. Sommervogel IV, 1547—49.
[5]) Cf. Sommervogel III, 1844—48.

[1]) Cf. Sommervogel VII, 1320—27; Werner, Franz Suarez 1, 59. Maxime protestantes pupugit hic liber: *Nodus Gordius sive de vocatione ministrorum disputatio,* in qua decem demonstrationibus ostenditur ministros evangelicos non esse veros verbi Dei et sacramentorum ministros, Cracoviae 1600; Ingolstadii 1613; Coloniae 1622; contra quem plures scripserunt, quibus tamen Smiglecius strenue respondit, ut in l. *Via sine viribus* via ministrorum evangelicorum, Coloniae 1611; *de notis ministrorum* ll. 2, Cracoviae 1617 in 4; adversus Zaborowium etc. Cf. Roskovány II, 561.
[2]) Cf. Sommervogel VII, 679—82.

inquit Starovolscius[1]), omni fere literatura imbutus, ut vix parem aetas nostra tulerit, in disciplinis potissime theologicis: qui aetate provectus licet annisque gravis, vivax tamen et robustus in partibus Sarmatiae septentrionalibus praematura morte sublatus est.« Quo vero anno obierit non indicat: floruit vero ineunte hoc seculo. Praeter alia[2]) haec edidit: *Theatrum seu potius officina concionatorum* praedicatoribus et theologis in scientia speculativa s. Thomae haud mediocriter versatis ad profectum animarum et destructionem omnium haeresum et fidei catholicae quoquomodo adversantium permaxime utilis et necessaria, Venetiis 1597 in f.; *Quaesita s. Scripturae theologorumque summorum circa dogmata,* cujus operis, quod in 12 distribuerat tomos, primus tantum tomus morte auctoris interveniente Cracoviae 1606; Lugduni 1607 in f. prodiit, cui titulum indidit: *Introductorium generale* ad subsequentem tractationem; opus integrum Monatesseron evangelicum distinctiones 36.000 complectens dici volebat. — Invisum se protestantibus reddidit Stanislaus Socolovius (vel Solicovius, Szokolowski, Sokolowski) canonicus cracoviensis[3]) et Stephano regi a concionibus. († 1619), editione *censurae orientalis ecclesiae* de praecipuis nostri seculi haereticorum dogmatibus Hieremiae const. patriarchae judicii et mutuae communionis causa ab orthodoxae doctrinae adversariis non ita pridem oblatis, ab eodem patriarcha const. ad germanos graece conscriptae, e graeco in latinum conversae ac quibusdam annotationibus ad proprias Graecorum opiniones respondentibus illustratae, Cracoviae 1582; Dilingae 1582; Parisiis 1584 in f. Cum propterea wittenbergenses theologi in eum inveherentur, *Responsionem* ad illorum invectivam scripsit, Ingolstadii 1585 in 4; *Sententiam definitivam* Jeremiae patriarchae CP. de doctrina et religione wittembergensium theologorum, una cum antidoto ultimae responsionis eorundem, Augustae Trevirorum 1586. Alia praeterea edidit[1]) ut: *De verae et falsae Ecclesiae discrimine* ex s. Scripturae et vetustissimorum patrum sententiis ll. 3, Cracoviae 1583 ed. rara; Ingolstadii 1584; 1586; *Notae in Matthaeum, Marcum et Lucam* ejus op. t. 2; *partitiones ecclesiasticae* ad Petrum Costeam episc. culmensem, ib. 1589 in 4; *de consecratione episcopi,* Romae 1602 in 4., opus rarum, in quo ritus, vetustas, mysteria, usus consecrationis episcopi. functio item et dignitas episcopalis explicantur. Opera ejus collecta prodierunt Cracoviae 1591 in f. — Valentinus Vidavius ab aliis Laurentius dictus, theologiae professor, academiae cracoviensis rector et praepositus capituli († 12. Nov. 1601) edidit[2]) controversiam generalem *de indulgentiis,* Cracoviae 1593 in f. (m. 18).

195. Ex *Anglis* ceteris celebrior est et merito quidem Robertus Perso-

[1]) In Ἑξάτοντα Elog. 86. p. 194.

[2]) Echard II, 411.

[3]) Quam insignis fuerit concionator, liquet ex verbis Bolognetti nuncii apostolici ad aulam polonam scribentis: „Tria vidi mirabilia in Polonia: Stephanum regem sapientissimum. Zamojscium cancellarium prudentissimum et Socolovium concionatorem prope divinum.“ Wurzbach Biogr. Lexikon des Kaiserth. Österreich 42, 241.

[1]) Cf. Zedler, Universallex. XXXVIII, 274.

[2]) Paulus Joseph rabbi antea posnaniensis, post suam ad fidem catholicam conversionem scripsit l.: *Scala vera Jerusalem,* Viennae 1612. in 8; 1626, in qua ex V. et N. T., praecipue autem ex revelatione Joannis et Danielis monastratur V. T. esse sublatum et quomodo vera fides christiana sit cognoscenda. Speciatim tractatur de Messia, Ecclesia Dei, Mahommede, antichristo Dan. 8., Apocalypsi, revelatione l. 4. Esdrae, divinitate Christi, divinitate Spiritus s. et Trinitate. Cf. Fabricium hist. bibl. fabric. IV, 195.

nius[1]) (Parsons, Persons) S. J. patria Somersetensis, martyris filius, vir non magis doctrina quam prudentia et integritate vitae laudabilis, qui in Anglia multos a catholicae fidei veritate aberrantes ad viam salutis reduxit; plurimos catholicos confirmavit, incredibiles labores pertulit, vitae discrimina saepenumero adivit. Perquisitus ad necem et omnibus indiciis atque indagine exploratus, vestigiis deprehensus, fraudibus circumventus ac pene ab haereticis captus divinae protectionis beneficio saepe liberatus est, ut non semel tantum, sed per totam vitam quodammodo martyr fieret multorumque martyrum pater, collabantem tota Anglia religionem catholicam fulciret et suis quodammodo humeris sustineret. Seminaria catholicorum adolescentum anglorum Romae ac Rhemis prius instituta, ne vel hostium fidei impetu atque insidiis labefactata conciderent vel rerum inopia tabescerent, multum laboravit, et alia seminaria Hispali et Pinciae in Hispania, et apud s. Audomarum Philippi II. Hispaniarum regis catholici liberalitate excitari curavit. Ad haec autem omnibus animi, ingenii corporisque dotibus instructus erat adeo, ut vir ad ejusmodi bella sacra eo melior animo et cogitatione fingi vix potuerit. Ad finem usque vitae (15. Apr. 1616) totum se impendit atque superimpendit saluti patriae suae, nullis parcens laboribus, itineribus, periculis: nec solum opere sed et calamo, unde merito de eo affirmavit cardinalis Alanus: „P. Roberti Personii industria, prudentia, zelus, in scribendo et agendo dexteritas omnem superat fidem.“ Ejus merita et virtutes recensentur in epitaphio, quod ejus monumento in Anglorum collegio Romae erecto inscriptum legimus, in quo inter alia haec habentur: „Magnis laboribus instituit juventutem Hispali, Vallisoleti, Gadibus, Olisipone, Duaci, Audomari, Romae... quo vindice et patrono veritatis hostium passim exagitata temeritas, libris scriptis sermonibusque, literis, exemplis defensa religio, recreata sanctitas, cum inter haec ipse nullam caperet partem concessae quietis, nullum a suo capite recusaret discrimen honestissimae defensionis, semper paratus, semper erectus, semper mediam flammam periculosissimae concertationis irrumpens, animae magnae prodigus omnino vir etc.[1]).“ Plurima (ultra 40) sunt ejusdem opuscula occasione controversiarum in dies occurrentium vel impugnationum vel calumniarum diffusarum partim anglice conscripta[2]), ex quibus nominasse sufficiat: *De persecutione anglicana* l., quo explicantur afflictiones, calamitates, cruciatus et acerbissima martyria, quae Angli catholici nunc ob fidem patiuntur, Romae 1582 in 8; *Quaestiones duae*, quarum 1. est, an liceat catholicis anglicanis rebus sic se habentibus et magistratu publico sub gravissimis poenis id exigente protestantium ecclesias vel preces adire; 2. utrum non si precibus, utrum concionibus saltem haereticis ad easdem vitandas poenas licite possint interesse easque audire: in utraque quaestione pars negativa multis argumentis asseritur, Audomari 1607., de quo argumento disseruit quoque anglice. *The Book of Resolution or Christian Directory,* Rotomagi 1583, saepissime variisque in locis editum et in varias linguas translatum; *A treatise of three conversiones of England from paganisme to Christian Religion* (scil. Apostolorum tempore, dein sub Lucio rege et Eleutherio ro-

[1]) Distingui ipse debet a doctissimo Joanne Pearsonio (Personio) episcopo anglicano cestriensi († 1686).

[1]) Plura de ejus vita apostolica cf. ap. Juvencium Hist. Soc. J. p. 5. l. 13. § 80 ss.: Tanner, Societas Jes. apostolorum imitatrix p. 399 ss. etc.

[2]) Cf. Sommervogel VI, 292—319 sub n. 49; Roskovány II, 530; Gillow V, 273-287.

mano pontifice et sub Gregorio M.) v. 3 a. 1603—1604 in 8; italice Romae 1750-3 t. 3. — Richardus († 1608) et Michael Walpole (1620) fratres carne et spiritu, cum uterque ingressus sit societatem Jesu, utilem operam collocarunt in juventute anglicana instituenda regendisque per Angliam missionariis[1]). — Benjaminus Carrier pastoris anglicani filius, Jacobo I. a concionibus, in Germaniam profectus amplexus est fidem catholicam, qui edito tractatu regi inscripto suae conversionis rationem reddidit, quo tamen illius provocavit iram († 1614). Post ejus mortem prodiit *A Letter of the miserable Ends of such as impugn the Catholic Faith*, 1615 in 4. — Joannes Fenn sub Elisabetha docendi munere ob fidem catholicam fuit privatus. Relicta Anglia in Italiam secessit atque sacerdos ordinatus quadraginta fere annis Lovanii confessarium egit monialium anglicanarum O. S. Aug., tempus subsicivum scribendis vertendisque libris impendens († 27. Dec. 1615). — Richard. Franciscus Britton, martyris ut videtur filius, praeter alia, quae suppresso nomine edidit, scripsit *Manuductions to the Palace of Truth*, Mechliniae 1616. — Jonas Meredith al. Farmer Bristolensis propter fidem ter in carcerem conjectus et quater in exsilium est pulsus, in quo et obiit, de quo cf. Gillow IV, 565 s., quem cf. IV, 2 de Thoma Kemeis, qui conversus est 1599 ad veram fidem.

196. Neque Scotiae defuere qui catholicam fidem adversus novatorum placita tuerentur, ut Joannes Hajus (Hay) S. J. Scotus[2]), patria Dalgatiensis acer disputator, in omnibus ferme disciplinis apprime versatus, qui tamen extra suam patriam in Polonia, Belgio et Gallia morabatur († 21. Maji 1607 vel 1608). Edidit varia opuscula polemica[1]) praesertim de Ecclesiae auctoritate et de romano pontifice; *Certain Demandes* concerning the Christian Religion and Discipline proposed to the Ministers of the new pretended Kirk of Scotlande, Parisiis 1580 in 8., cum *Apologia*, Lugduni 1586; *l'Antimoine* aux responses que Th. de Beze faict a 37 demandes de 206 proposées etc., Tournon 1588; *de rebus japonicis, indicis, peruanis* etc. epistolae in l. unum coacervatae, Antwerpiae 1605. Prolixa *epistola* ad Ev. Mercurianum *de rebus scoticis* anglice apud Forbes-Leith S. J. in Narratives of Scottish Catholics, London 1889 p. 141—165. Novis curis edidit quoque *Sixti senensis bibliothecam sanctam* plurimis in locis a mendis expurgatam atque scholiis illustratam, Lugduni 1591 in f.; Parisiis 1610 etc. Adjecit notitias de 80 circiter scriptoribus a Sixto vel omissis vel eo posterioribus; editio saepe recusa, quam rigidae crisi subjecit Thomas Milante in sua sane accuratiori a. 1742. — Franciscus Hamilton O. S. Ben. ex illustrissima familia natus (1550, † 1617), Herbipoli in Scotorum monasterio abbas, scripsit disputationem theologicam *de legitimo sanctorum cultu per sacras imagines* et eorum imaginum multiplici usu, fructu, cultu, benedictione, emolumentis, Herbipoli 1586; 1597 in 4. — Jacobus Gordon Huntlaeus[2]) S. J. perillustri sanguine et qui regium Scotiae attigit ortus, per annos prope 50 docuit philosophiam, theologiam scholasticam, moralem, cujus fuit peritissimus, controversam et expositivam, jus canonicum[3]), linguam quoque sanctam magna

[1]) Cf. Sotvellus, Sommervogel VIII, 973.
[2]) Confundi hic non debet cum ejus sodali Joan. Haye (Hajus), neque cum celebriori Joan. de la Haye O. S. Franc. († 1661), de quibus infra.

[1]) Cf. Sommervogel IV, 167—71; Roskovány II, 418—20.
[2]) Distinguendus ab alio Jac. Gordon pariter Scoto, de quo ad a. 1641.
[3]) Zaccaria t. 44. coll. Calogerae p. 494 quoddam hujus patris Ms. laudat: „Per i canonisti è eccellente la manoscritta spie-

semper laude Mussiponti, Lutetiae et Burdigalae. Nuncium apostolicum egit in Hibernia, Christi confessorem in Anglia et Scotia, ubi carceres et vincula perpessus regia cognatione impunitatem virtuti largiente evasit. Daniam quoque et Germaniam ac reliquam fere Europam plerumque pedes homo id aetatis, nobilitatis, virtutis peragravit, ut rem catholicam praesertim in Scotia, cui missioni diu praefuit, promoveret. Obiit Parisiis 16. Apr. 1620 anno aetatis 79. Edidit: *Controversiarum christianae fidei adversus hujus temporis haereticos epitome*, Coloniae 1620 t. 3 in 8. ed. 2. — Guilelmus Patrisonius (Paterson) O. S. Aug., Scotus, typis dedit *The Protestants Theologie* containing the True Solutions and Grounds of Religion this day mainteyned and intrincated betwixt the Protestants and Catholicks (Mechliniae) 1620. — Hibernus erat Richardus Stanihurst († 1618).

197. Quosdam etiam *Italia* submisit; horum tres fuere ex ordine Praedicatorum: Paulus Grysaldus, patria Perusinus, quem Echard (II, 369) magnae et laboriosae lectionis fuisse testatur, sed non ita absoluti criterii († 1609). Prostant ejus *Decisiones fidei catholicae et apostolicae* ex ss. Scripturarum, bb. rom. pontificum diplomatum, ss. conciliorum fontibus ac sanctorum gestis deductae et in uno alphabetico ordine collectae, quibus infidelium et mohammedanae sectae errores, Judaeorum perfidia et haereses, quae ab orbe condito in Christi Ecclesiam sunt grassatae, confutantur, atque a falsis imposturis inimicorum Ecclesiae fides vindicatur et propugnatur, Venetiis 1582 in 4; 1587; ei operi insertus est *malleus* contra Graecos. — Sebastianus Cattaneus Mediolanensis, propter prudentiam et gubernandi dexteritatem ordinis provinciae per Hungariam praepositus, quem archiepiscopus salisburgensis Wolfgangus Theodoricus tanti fecit, ut eum prius theologum sibi selegerit ac pastoralis sollicitudinis administrum et adjutorem, demum ad episcopatum chiemensem promoverit (1589), unde a Clemente VIII. ad eccleciam viglevanensem[1]) translatus est († 28. Apr. 1609 a. aetatis 64). Edidit praeter alia: *Enchiridion* de sacramentis N. L., censuris ecclesiasticis deque primis christianae religionis rudimentis; accedit brevis doctrina catholica super erroribus moderni temporis, Patavii 1584, cujus alia auctaque editio videtur l. inscriptus: *Enchiridion eorum, quae in controversiam vocantur,* Ingolstadii 1589 in 8; *Explicatio* in catechismum romanum, ib. 1590; *Summula casuum conscientiae,* in qua breviter ac plane dubia ad certa capita ordine alphabetico revocat atque resolvit, Tridenti 1592 in 8; 1600; 1603; Brixiae 1609. Auctor *quoque* dicitur *catalogi episcoporum chiemensium*. qui reperitur in Mezger historia salisburgensi. — Seraphinus Razzi (latine Ractius) Florentinus (1531—c. 1613) vir evasit[2]), inquit Echard (II, 386), »omnium partium, orator et poeta utraque lingua latina et etrusca elegans, philosophus, mathematicarum etiam peritus, theologus in nodis qua speculativis qua moralibus solvendis clarus et expeditus, ecclesiastes tota Italia nominatus, historicus diligens et antiquitatum curiosissimus scrutator, pietate morumque integritate spectabilis, disciplinae regularis studiosissimus, non morosus tamen nec

gazione del Decreto di Graziano, che abbiamo in s. Fedele, dettatura del nostro P. Jac. Gordon Huntleo Scozese in Pont-à-Mousson negli anni 1580, 81, 82, 83. che vi fu lettore.“

[1]) Hanc translationem, cujus meminit Echard II, 369, videtur ignorasse Mezger in sua hist. salisburg. l. 5. c. 10., qui nonnihil aenigmatice de hoc Cattanei discessu loquitur.

[2]) Ejus frater senior Silvanus fuit O. Camald. abbas, scriptor et biographus pariter diligens.

molestus, sed jucundissimae cum omnibus convictionis.« Plurima reliquit omnis generis scripta, sed pleraque inedita, e quibus ad rem nostram sunt: *De locis theologicis praelectiones,* quibus r. D. Melchioris Cano O. P. de eisdem eruditio omnis compressius tamen ac magis arcte colligitur atque explicatur, cum vindicatione quorundam gravissimorum patrum, qui ab ipso D. canariensi episcopo passim in suo alioqui eruditissimo opere sugillantur atque reprehenduntur, Perusiae 1603 in 4.

198. Praetermissis Paulo Fabulotti O. Barn. Romano, aliquot congregationum membro, cujus solida et egregia disputatio *de potestate papae supra concilium,* Venetiis 1613, saepius edita, recepta quoque fuit a Roccaberti in suam bibl. pontif. XVIII, 1—45. — Alexio Porro O. Carm. Mantuano († 1609), cujus praeter alia prostat (italice): *Vas veritatis,* quo 12 dubia solvuntur de origine, nativitate, vita, operibus, morte antichristi, Venetiis 1597 — Alphonso Bovosio can. reg. lat., cujus exstant *controversiae miscellaneae* universam theologiam complectentes omnesque philosophicas opiniones enucleantes, Venetiis 1589 in 4; *disputationes catholicae,* in quibus praecipuae Graecorum quorundam opiniones rejiciuntur, Bononiae 1607 — Isidoro Mosconio Perusino, archiepiscopi bononiensis vicario generali, qui disseruit *de majestate militantis Ecclesiae* ll. 2, in quibus Ecclesiae majestatem ex religione christiana demonstrat, atque de ipsius religionis statu quove modo in officiis, dignitatibus, gradibus, ordinibus tam ecclesiasticis quam secularibus splendescat, Venetiis 1602; *vitam b. Clarae* de Cruce seu de Montefalco V. († 1308) in Actis SS. 18. Aug. III, 676—688. — Romualdo Taurinensi O. Cap. missionario strenuo in regionibus et vallibus subalpinis († 1616), cujus *Manuale praecipuarum controversiarum* catholicae fidei in usum missionariorum prodiit Vercellis 1616. — Alexandro de Angelis S. J. Spoletano († 1620), cujus *in astrologos conjectores* ll. 5, Romae 1615 in 4. saepius prodierunt — et Aurelio Menochio O. Serv. B. M. V. Bononiensi, qui bis in generalem sui ordinis electus fuit (1582 et 1585), et in universitate romana theologiam, in bononiensi cum laude ss. literas docuit[1]), cujus laudatur opus (ut videtur mscr.): *de apostolicis institutionibus,* quae in N. T. non habentur († 20. Sept. 1615 a. aetatis 78): tres adhuc mentione digni sunt. Prior est Thomas Bozio congr. oratorii Eugubinus n. 1548, qui aliquamdiu Romae advocatum egit: sed s. Philippi Nerii conversatione illectus factus est ejusdem fidelissimus alumnus, qui pro amore pauperum, libros vel carissimos divendidit (10. Dec. 1610). Recusaverat pro sua modestia munera honorifica et cathedras episcopales. Hortante s. Philippo scripsit opus praeclarum *de signis Ecclesiae* ll. 24, Romae 1591 et 1592 t. 2; Coloniae 1593; 1602; 1624; 1626 etc., in quo opere centum recenset expenditque Ecclesiae signa methodo nonnihil singulari. Machiavellium quoque strenue impugnavit[2]) duplici op.: *De imperio virtutis* h. e. imperium pendere a veris non a simulatis virtutibus, Romae 1593 in 4; 1596 etc.; *de antiquo et novo Italiae statu* ll. 4, Coloniae 1595; 1691 in 8; *de jure status* seu de jure naturali et divino ecclesiasticae libertatis et potestatis ll. 6, Coloniae 1594; 1599; Romae 1600 etc.; *de ruinis gentium et*

---

[1]) Refert Merkel (Speculum Virtutis et scientiae seu viri illustres O. serv. B. M. V.) eum Bononiae s. Scripturam tanta doctrina, tanta patrum auctoritate, tanta perspicacia, tanto denique verborum lepore et elegantia fuisse interpretatum, ut ad ipsum audiendum certatim omnes accurrerent, quin eis capiendis spatium gymnasii, ceteroqui amplissimum, aliquando par esset. Cf. Fantuzzi VI, 11—13.

[2]) Cf. Neubauer, tractatus de relig. diss. 9. s. 3. § 2.

regnorum ll. 8 adversus impios politicos, ib. 1596; Coloniae 1598. Cogitabat praeterea magnae molis opus: *Annales antiquitatum;* verum ex 10, in quos illud distribuerat, tomis 1. tantum (ab orbe condito usque ad a. 2024) prodiit cura fratris sui[1]), qui praemisit Thomae vitam, Romae 1637. Plurima opera et opuscula, quorum manuscripta servata fuere in bibliotheca vallicellana, manserunt inedita. — Alter est Joannes Gonterius S. J. Taurinensis, qui tamen fere totam vitam transegit in Gallia, cujus praecipuas civitates concionibus suis excoluit, magno catholicorum emolumento, non minori novatorum damno. Formidabant Calvinistae, quos ore et scriptis arcte premebat, ejus eloquentiam dicendique vim, ut jam vulgo haereticorum malleus appellaretur. Vitae mortali valedixit 11. Nov. 1616. Plurima (22) sunt ejusdem opuscula[2]), inter quae eminent: *La vraye procédure pour terminer le différent en matière de religion,* Cadomi 1607, a Joanne Mocquetio S. J. latine reddita hoc titulo: *Methodus Gonteriana* sive modus et ratio cum haereticis ex solo Dei verbo disputandi, Ingolstadii 1618 in 4; *du juge des Controverses,* Parisiis 1616 in 8; *la Pierre de touche;* ou la vraye methode pour desabuser les esprits trompez soubs couleur de Reformation, Burdigalae 1614. 1615 t. 3; *Exposition de subtilitez* qui se font dans les disputes sur la foy lorsqu' on ne peut donner aucune solide raison, Parisiis 1613; *Réfutation complète* des erreurs de ce siècle, Carolopoli 1613 *in 8; la ruine entière* de la Confession de Foy des ministres, Cadomi 1616. In primis vero acriter insecutus est Molinaeum editis pluribus adversus eum libellis.

199. Ultimo loco *italorum* omnium doctissimum ponimus Antonium Possevinum S. J. patria Mantuanum, n. 1534 parentibus nobilibus, cui a prima aetate tantus sciendi ardor inhaeserat, ut cum ad quietem se noctu componeret, tibiam ad columnellam alligaret, ut ubi primum se ab sopore primo commisisset, eo velut monitore excitatus ad studia surgeret. Ex qua puerili solertia utilis, quam ad ultimum usque tenuit, consuetudo coorta est, ut interrupta noctu quiete horas aliquot curis gravissimis daret. Omni disciplinarum genere excultus, innocentia morum modestiaque spectatus ac suavi eloquentia, quam grata oris decorabat majestas, nonnisi ad magna natus videbatur[1]), quod et eventus comprobavit. Non solum in Sabaudia (1560), sed etiam in Gallia concionando, disputando, scribendo adeo adversus fidei hostes egit, ut non una vice capitis incurrerit discrimen. Decennium totum versatus ibidem Parisiis, Avenione, Bajonae, Rothomagi, Dieppae atque alibi magna nominis celebritate nec fructu minore concionatus est, nam sectariorum centena ad veram reduxit fidem. Concionaturus saepe secum afferebat ss. patrum opera, ut facilius ex illis adversarios convinceret; in locis publicis b. Canisii catechismum affigere solebat, quo omnes illum legere pos-

---

[1]) Hic nomine Franciscus († 1643), pariter scriptor et sodalis fuit congregationis Oratorii. Scripsit *de temporali Ecclesiae monarchia et jurisdictione* ll. 5 contra politicos et haereticos, Romae 1601 t. 2 in 4; Coloniae 1602. Plura de nostro Thoma cf. in Nicii Erythraei Pinacotheca p. 1. imag. 50: de utroque apud Villarosa Memorie storiche degli Scrittori Filippini p. 74-78: Morus Bibliot. pic. III, 45-53-56.

[2]) Cf. Sommervogel III, 1567—74. Plura de Gontery reperies ap. J. Caspel: Les trophées du P. Gontery, jésuite, avec un catéchisme pour son instruction, Sedan 1613, aliosque, quos adducit Feller IV, 209, qui eum dicit: „Predicateur et controversiste redouté des protestants". Cf. Continuat. hist. eccl. Fleurii l. 188 § 114.

[1]) „Er trug bei seinen höchst bedeutenden Anlagen unstreitig die Befähigung zu einem Gelehrten von großartigem Stile in sich." Werner Franz Suarez 1, 31.

sent. Cum quondam provocasset pro doctrina catholica ad s. Bernardum, adversariorum unus excepit, ne sexcentos quidem esse annos, quum ille vixisset: »obsecro, reposuit Possevinus, Calvinus, quo vos nitimini, quando natus est?« quo audito obmutuit ille. Romam redux (1573) a secretis erat Everardo Mercuriano, praeposito generali societatis Jesu, quod munus quinquennio tenuit, donec a Gregorio XIII. gravissimis legationibus adhibitus bis in Sueciam ad Joannem III. regem, bis ad Joannem Basilii magnum Moscorum ducem atque ad Stephanum Poloniae regem, quos inter difficillimam pacem felicissime composuit, bis ad Rudolphum II. imperatorem profectus est, ut ejus auxilium pro legatione suecica postularet. Ipse seminaria juventuti in literis rectaque fide instituendae fundavit Olomucii et Brunsbergae, et regulas pro seminariis aliis in urbibus fundatis scripsit. Decennio in his expeditionibus impenso, gravis jam annis et susceptis in Christi causa laboribus pene fractus, ne quam vitae partem duceret vacuam utilitate mortalium, ad scribendum se totum convertit, et lustratis compluribus academiis et bibliothecis, suppeditante etiam summo pontifice ad parandam librorum supellectilem expensis, ea elucubravit volumina, quae hominis virtutem, animarum zelum, doctrinae magnitudinem et inexhaustum legendi studium cum acerrimo conjunctum judicio luculenter ostendunt. Tandem vivendi fessus Ferrariae diem clausit[1]) supremum 26. Febr. 1611. a. aetatis 78.

[1]) Plura de ejus vita cf. apud P. Joan. Dorigny S. J. La Vie du P. A. Possevin, Paris 1712; Sotvellum, Biblioth. scriptorum S. J.; Tiraboschi VII p. 2 p. 398 ss., qui merito scribit: Non si potrà a meno di non rimirare il Possevino come uno de piu rari uomini di questo secolo, in cui la destrezza ed il senno si vide congiunto a una sincera pietà e a un fervente zelo per la religione. Gams KL. X, 235—238.

200. Ex ejus operibus[1]) duo in primis eminent, scil.: *Bibliotheca selecta*, quae est introductio ad scientiarum studium pro salute omnium procuranda, Romae 1593 p. 2 in 4. In priori p. quae ll. XI complectitur, disserit de studendi docendique methodo, ac praestitutis studiorum fine, de mediis, impedimentis; singulas percurrit disciplinas, earum indolem, amplitudinem, argumentum describit, deque ratione agendi cum omnis generis schismaticis, haereticis, Judaeis, infidelibus disputat. In altera p. quae ll. VII constat, iterum de singulis disserit disciplinis, etiam de medicina, mathesi etc. atque meliores, qui de illis scripserint, auctores non sine crisi indicat, nonnunquam operum proponit synopsim, quaeque in illis sibi displicent, carpit et refellit. Quidam hujus bibliothecae ll. seorsim quoque prodierunt, ut ex. gr. *Cicero collatus cum ethnicis et sacris scriptoribus,* in quo agitur de ratione conscribendi epistolas; de arte dicendi etiam ecclesiastica, Romae 1593; *cultura ingeniorum,* Coloniae 1610 in 8., ed. jam septima; *apparatus* ad studia divinae Scripturae, theologiae scholasticae et practicae, Ferrariae 1609 ed. 4; *responsiones* ad viri cujusdam pii septentrionalis interrogationes, qui de salutis aeternae comparandae ratione ac de vera Ecclesia cupiebat institui, Vilnae 1581 in 12; *de confessione* (ut vocant) *augustana judicium,* ac num admittendi sint haeretici ad publicum de fide colloquium, Posnaniae 1586; *de sectariorum nostri temporis atheismo* etc., Coloniae 1586 etc. Aliae hujus bibliothecae editiones prodierunt Venetiis 1603 in f. v. 2; Coloniae 1607. Quae ad paedagogiam spectant germanice reddita recepta sunt in Bibl. der kath. Pädagogik t. XI, Friburgi 1901. — Alterum opus laboriosum admodum est *Apparatus sacer* ad scriptores V. et N. T., eorum interpretes,

[1]) Horum accuratum indicem exhibent Niceron, Mémoires t. 22, 201 ss.; Sommervogel VI, 1061—93.

synodos et patres latinos ac graecos; horum versiones; theologos scholasticos quique contra haereticos egerunt; chronographos et historiographos ecclesiasticos; eos qui casus conscientiae explicarunt; alios, qui canonicum jus sunt interpretati; poetas sacros; libros pios quocunque idiomate conscriptos, Venetiis 1603—1606 t. 3 in f. Tomo 3. adjecti sunt: *Catalogi mss. graecorum et aliorum etiam codd.*, qui cum ad res sacras atque ecclesiasticas pertineant, in antiquis et celebrioribus bibliothecis asservantur, sive nunquam antea editi, sive integriores, quam qui vulgati fuerunt; Coloniae 1607 v. 2 in f., ed. recognita et emendata. Ultra octo scriptorum millia ordine alphabetico recenset, indicatis eorum operibus adjectisque plerumque brevi censura, correctionibus, emendationibus etc. Carpunt quidem censores protestantes critices defectum, sed laborem plane herculeum, studium indefessum, diligentiam incredibilem laudare coguntur, eoque magis haec sunt laudanda, quod nulli vel rari fuerint duces, impeditum commercium literarium, critices tunc peritia minor atque usus. Ex libris ejus polemicis praeter eos, quos jam laudavimus, commendari merent: *Notae verbi Dei et apostolicae Ecclesiae fides ac facies* ex quatuor primis oecumenicis synodis, Posnaniae 1586 in f.; Trattato *del ss. Sacrificio dell' Altare* della Messa, Lugduni 1563, cum *Risposta* a P. Vireto, a Nic. Balbani ed a duo altri heretici, i quali hanno scritto contro il tr. della Messa, Avenione 1561 in 16. Scriptum magno Moscoviae duci traditum, cum mercatores angli eidem obtulissent l., quo haereticus quidam ostendere conabatur Pontificem M. esse antichristum, apud Rocaberti Bibl. pont. IV, 453—58 etc.

III. Disciplinae ad ss. literas spectantes.

201. Hac quoque in periodo[1]) *Hispani* reliquas praecelluere nationes in s. Scripturarum interpretatione, si interpretum numerum spectes; si vero interpretandi acumen atque peritiam, etsi non defuerint primae notae egegetae, unus forte vel alter eos superavit[1]). Librorum s. Scripturae ordinem sequentibus primus occurrit Benedictus Pererius (Perera, Pereyra, Pereira[2]) S. J. Valentinus, qui varias tradidit disciplinas, Aristotelem, s. Thomam et demum s. Scripturas explanavit ubique doctus, ubique disertus et sui similimus. Commutavit vir maxime religiosus atque eruditus caducam hanc vitam cum aeterna Romae, ubi perpetuo vixit, d. 6. Martii 1610 a. aetatis 75. Ipsius eruditionem nullus pene scriptorum sive catholicorum[3]) sive prote-

[1]) Huc pertinent plures viri docti, quorum alibi mentionem fecimus scil. Seraphinus Capponi a Porrecta O. Praed. (p. 369), Joan. Paulus Palanterius O. Min. Conv. (p. 373), Franciscus de Pitigianis O. Min. Observ. (p. 374), Jacobus Suarez O. S. Franc. (in annot ad p. 376), Gabriel Vasquez S. J. (p. 385), Alphonsus Curiel (p. 395), Franc. Feuardentius (p. 414), Christoph. Coster (annot. 2. p. 423, Franciscus Coster S. J. (p. 423). — Praetermittimus Petrum de Barahona (Baraona) O. Min. n. in oppido Villahermosa vallis de Valdiviesso in montanis burgensibus, theologiae moralis professorem egregiumque concionatorem (fl. 1605), cujus plura recensentur opuscula exegetica in bibl. hisp. n. II, 173, inter quae *Interpretationem* literalem, moralem et mysticam Ps. LXXXVI. immaculatae conceptioni b. M. V. aptatam.

[1]) Estius scil. et Aghelli.

[2]) Distingui debet ab ejus cognato Benedicto Pereyra S. J., de quo t. IV. ad a. 1681.

[3]) Ita Nicol. Antonius (bibl. hisp. nova 2, 212): „Sacrorum librorum solertissi-

stantium, qui ejus meminit, illaudatam praeterit. „Bened. Pererius, scribit illorum unus Dorn[1]), vir doctus et judicio praeditus studioque literarum ss. diligenter intentus, quod et dissertationibus et commentariis nonnullis probavit. In quibus est commentarius pereruditus ejus praecipuas quaestiones ex Genesi pertractans, non enim in singula Geneseos verba commentatus est, sed difficiliora tantum loca et satis dextre pro conditione istorum temporum exposuit et declaravit. Quam gratum fuerit hoc opus pontificiis ex tot iteratis editionibus intelligi potest, Venetiis, Moguntiae et bis Coloniae Agrippinae etc.« „Eruditus auctor est, testatur Calmet[2]), gravis ac doctus, cujus solum commentarium in Genesim plurium loco habendum est.« Insignem eruditionem ac perspicuitatem „quae illius in scribendo est propria« laudat Possevinus[3]), doctrinae varitatem Cornelius a Lapide[4]), amplitudinem, subtilitatem utilitatemque Dupin[5]) necnon Richard Simon. Edidit: *Commentariorum et disputationum in Genesim t. 4,* Romae 1589—1598 in f.; Coloniae 1601; 1685 etc. Tomus primus continet historiam Mosis ab exordio mundi usque ad obitum ss. patriarcharum Jacobi et Josephi; alter 9 ll. de diluvio, arca Noe, aedificatione turris Babel, confusione linguarum aliisque usque ad vocationem Abrahae agit; tertius historiam complectitur 100 annorum patriarchae Abrahae (Gen. cc. 12—25); quartus disserit de reliquis Genesis cc. Hoc tamen in opere nimis diffusus est et occasione ex textu sacro arrepta multas questiones morales et dogmaticas exagitat, quae non spectant ad s. Scripturae interpretem. Utiliores, quia breviores, sunt ejus *Commentariorum in Danielem prophetam ll. 16,* Romae 1587 in f., Lugduni 1588, Antwerpiae 1594, de quibus Polus[1]): „Pererius eximia historiarum peritia instructus, magno etiam acumine nec minori diligentia commentarium suum in Danielem elucubravit;« et Possevinus[2]): „Pererius mirum est, quantum universae historiae lucem attulerit, quod qui ejus in Danielem scripta perlegerint, facile intelligent.« Et quamvis Michael a S. Joseph affirmet[3]): „Nos Pererii chronologiam passim deserimus ejusque criticam non satis exactam judicamus,« subjicit tamen: „Alioquin tamen virum doctissimum sagaci judicio et amplissima qua sacra qua profana eruditione praeditum jure magni facimus.« Minus vero aestimantur *selectarum disputationum in s. Scripturam* vol. 5, quorum primum complectitur disputationes 137 super l. Exodi, Ingolstadii 1601 in 4; Lugduni 1602; 1607; secundum d. 188 super epistola b. Pauli ad Romanos, Ingolstadii 1603; tertium

---

mum, disertissimum, eruditissimum praestitit explanatorem. Graecarum enim literarum egregia cognitione, immensa omnis generis scriptorum lectione, philosophorum theologorumque dogmatum eximia scientia, ingenii cultu et alacritate, permagnoque judicio id consecutus est, ut in iis omnibus, quas tractavit, doctrinae partibus nobiliorem eo alium aut praestantiorem vix tulerit hactenus feracissima hujus mercis Hispania.“

1) Biblioth. criticae P. 2. l. 7. c. 5. § 6.

2) In Bibliotheca sacra.

3) In Apparatu sacro.

4) In praef. ad comment. in Genesim.

5) Hunc enim commentarium (17, 44) dicit „un des plus amples, des plus curieux et des plus utiles que nous aïons sur la Genese.“ Subjicit deinde: „Pererius écrit avec beaucoup de pureté et de netteté et avec beaucoup de jugement, et a une connaissance parfaite des sentimens des Pères sur les differentes Questions qu'il traite. Il seroit à souhaiter qu'il l'eût fait d'une manière un peu plus serrée, et qu'il se fût borné aux difficultez qui concernent la Lettre ou l'Histoire de l'Ecriture sainte, sans entrer dans d'autres Questions éloignées.“ Similia habent R. Simon Hist. crit. du V. T. l. 3. c. 12; Andres p. 6. l. 2. c. 3; Cornely Introd. hist. et crit. in V. T. ll. diss. 3. § 15.

1) Praefat. ad vol. 3. synopsis crit.

2) Bibliothecae sel. l. 2. c. 14.

3) Bibliogr. crit. I, 469.

d. 183 super l. Apocalypsis[1]) b. Joannis ap., cui adjectae sunt ejusdem auctoris 23 disp. adversus eos, qui putaverunt Maometem Saracenorum legislatorem fuisse verum illum antichristum, de quo non pauca Daniel et Joannes in Apocalypsi praedixerunt etc., Lugduni 1606; Venetiis 1607. Volumen quartum complectitur d. 214 super novem primis cc. evangelii b. Joannis, Lugduni 1608; quintum disp. super quinque sequentia cc., ib. 1610. *Adversus fallaces et superstitiosas artes* i. e. de magia, de observatione somniorum et de divinatione astrologica ll. 3, Ingolstadii 1591 in 8: Lugduni 1592; 1603; Coloniae Agrippinae 1612. Fuit Peresius insignis quoque philosophus, prout testantur ejus *Physicorum* sive *de principiis rerum naturalium ll. 15*, Romae 1562 plurimaeque eorundem editiones[2]).

202. Minoris momenti sunt *commentaria in Genesim et Exodum* in parengrapham (sive interlinearem) expositionem et scholia distributae, Romae 1601; 1609 in f., Ludovici Ystellae O. Praed., Pererii popularis, qui s. Scripturae cathedram primariam in academia valentina a. 20 tenuit (1580—1600). Romae interfuit congregationibus de auxiliis et obiit magister s. palatii a. 1614. — Ejus sodalis Sebastianus Bravo Methymnensis († 1608), magno studio collegit *Collectanea aurea s. Scripturae V. et N. T.* ex diversis locis praeclarissimisque expositionibus d. Thomae Aq. Perfecit tantum partem primam in Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros et Deuteronomium, Compluti 1595 in f. — *Septem priora cc. l. Judicum* exposuit Joannes Freire S. J. Lusitanus, in academia conimbricensi s. Scripturae interpres († 25. Jul. 1620), Olisipone 1640 in 4; Matriti 1642. — Gabriel d'Acosta Lusitanus, ingenii habilis, per vicennium in academia conimbricensi ss. literarum professor († 1616), reliquit posteris commentarios ad quosdam V. T. libros literam plerumque ex Hebraeorum adytis, patrumque ac interpretum placitis edocentes, morum dictata nonnunquam inculcantes vere latina nec prolixa oratione contextos[1]), nimirum in *c. 49. Genesis de benedictionibus patriarcharum, in l. Ruth, in Threnos Jeremiae prophetae, in Jonam prophetam, in Malachiam* Lugduni 1641 in f.

203. *In Psalmos* poeticam interpretationem reliquit ll. V. Ludovicus da Cruz (Crucius) S. J. olisiponensis (v. 1604), Ingolstadii 1597 et saepe alibi[2]). — In *Ecclesiasten commentarium* cum concordia vulgatae editionis et hebraici textus, Barcinone 1619 in 4. reliquit[3]) nobis Franciscus Sanchez O. S. Bened. Olisiponensis, non solum theologiae peritus in primis biblicae, sed instrumento hebraicae linguae bene instructus († 1604.). — *Canticum canticorum* plures sibi exponendum selegere, ut Hieronymus Almonazir et Ludovicus Sotomajor, ambo O. Praed., quorum ille octogenario major decessit (1604), postquam per annos 40 variis in locis Burgis, Pinciae, Compluti theologiam docuerat atque sacras literas erat interpretatus. Etsi autem in s. Scripturam praelectiones quotidianae tanti haberentur non modo apud discipulos, sed etiam apud eruditiores Hispaniae theologos, aegre tantum ad-

---

[1]) Secundum Corn. a Lapide *docte* et *floride* 8 priora capita exposuit.

[2]) Cf. Sommervogel IV, 499—507.

---

[1]) Nicol. Antonius, Bibl. hisp. nova II, 205. Distingui hic debet a Josepho Acosta S. J., de quo cf. supra p. 257.

[2]) Opera ejus msc. recensentur in Studien u. Mitth. aus dem Bened. u. Cist. Orden 1884. I, 465.

[3]) Alius ab eo est Hadrianus Crucius (van den Cruyce) S. J. Belga, qui in pestiferorum cura 1629 obiit. Transtulit aliquot literas de missionibus Japoniae in linguam latinam, Antverpiae 1625. Cf. Sommervogel II, 1699.

duci potuit, ut ex eis aliquid in publicam lucem emitteret; importunis tamen amicorum victus precibus prelo commisit praefata commentaria Compluti 1588 vol. 2 in 4. Eruditum plane profundumque opus, omnigena refertum eruditione, quod hominem arguit non in ss. patrum lectione tantum, sed in hebraicis graecisque interpretibus egregie versatum, adeoque merito laudatum a viro eruditissimo Garcia Loaysa singulari data ad auctorem epistola eidem operi praefixa, et a Christophoro Collantes S. J., sed et a Possevino, qui illum nemini eorum, qui in idem canticum canticorum antea scripserint, cedere censet. Refert autem auctor omnia ad Ecclesiam utramque antiquae legis et novae [1]). — Alter fuit patria Olisiponensis natus c. 1526. Nactus optimos magistros eximios fecit in theologia progressus, sed et linguis graecae hebraicaeque animum applicuit, quarum perfectam adeptus peritiam viam sibi fecit ad s. Scripturae sanctorumque patrum intelligentiam, quos ille sua lingua loquentes assidue legebat, et ex eis sacrae Scripturae sensus ita censebat hauriendos, ut *nihil saperet,* pronunciaret adagio sibi familiari, *qui sine patribus saperet* [2]). Cum spes affulgeret restituendae fidei catholicae in Anglia sub Maria regina, illuc destinatus fuit cum aliis doctis viris scholas humanitatis regere jussus (c. a. 1554). Qua spe propter Mariae mortem evanescente in Belgium rediit, hincque se in Germaniam contulit, et redintegrata synodo tridentina (1561) jussu Sebastiani regis illi interfuit. Reducem a concilio mox idem rex, qui Ludovici doctrinam eruditionemque probe norat, ad illustrandam academiam conimbricensem destinavit, in qua cum ingenti nominis sui fama viginti et amplius annis primariam moderatus est s. Scripturae cathedram. Tanta autem attentione et animi ardore concinnandis perficiendisque suis in s. biblia commentariis incubuit, ut manu dextera ex articulari morbo inutili reddita sinistra ad scribendum facillime tandem et cito usus fuerit. Obiit 29. Maji 1610 a. aetatis 84. Sua in lucem edere cunctantem Clemens VIII. diplomate pontificio perhonorifico 28. Martii 1597 excitavit, cui ut pareret, typis commisit volumina tria, quorum titulus: *Cantici canticorum Salomonis interpretatio*, Olisipone 1599 in f.; 1601; Parisiis 1605; *Ad canticum canticorum notae posteriores et breviores,* ib. 1611 in 4., quas scil. post superiorem interpretationem e manibus emissam collegerat. *Commentarius ad priorem et posteriorem Pauli ap. epistolam ad Timotheum* itemque *in epistolam ad Titum*, ib. 1610. Sunt haec commentaria omnibus omnium disciplinarum conspersa flosculis, quos studium multiplex ac felicissima ei suppeditabat memoria necnon singularis industria, nunquam enim legebat, quin simul annotaret. — Joannes a Jesu Maria, antea dictus Joannes de s. Petro n. 27. Jan. 1564 Calagurritanus, ad reformatam excalceatorum carmelitarum familiam 1582 admissus est. Cum in singularis prudentiae atque eruditionis simulque integritatis et innocentiae virum evasisset, ire in Italiam jussus est propagando strictiori huic Deo serviendi atque hominibus proficiendi instituto, quod s. Theresiam et s. Joannem a Cruce auctores non dudum habuerat. Gradatim functus est munere definitoris, dein procuratoris, demum praepositi generalis. Magno in pretio habitus fuit a Paulo V., a Bellarmino et a s. Franc. Sales († 28 Maj. 1615). Plures post se reliquit doctrinae fructuosissimae eruditionisque piissimae, qua sibi et aliis praelucere atque opitulari constanter voluit, non intermoriturae fidei et famae testes libros, qui

[1]) Cf. Echard II, 355.

[2]) Echard II, 374. Ceterum alius is est a Ferdinando de Sotomajor, qui scripsit *Historia de la Legion thebea,* Matriti 1596 in 4.

quidem post alias editiones Coloniae simul prodierunt 1622 v. 3; 1650 p. 4 in 3 t.; Florentiae 1771—74 t. 3 in f., ed. aucta per Ildeph. a s. Aloisio cum auctoris vita. Plerique sunt ascetici[1]): ex iis tantum indicabimus: *Cantici canticorum interpretatio,* Romae 1601; Salmanticae 1602; Moguntiae 1603 in 8; Paraphrasis *in Job*, Romae 1611; *Lamentationum Jeremiae interpretatio*, in tres paraphrases, historicam, allegoricam et tropologicam discreta, Neapoli 1608 in 8; Coloniae 1611; *Theologia mystica,* Neapoli 1607; *ars concionandi,* Coloniae 1611 in 12., cujus altera fortasse editio est *rethorica ecclesiastica*, ib. 1618 in 4.

204. In *Sapientiae librum* exstant Gundisalvi de Cervantes Hispalensis (quondam jesuitae, dein O. Erem. S. Aug., e quo etiam dimissus) *commentarii et theoriae*, Hispali 1614 in f. et *brevis ac dilucidus commentarius* (Lugduni 1613 in 4) — Christophori de Castro (Castri) S. J. (n. 1551, † 2. Dec. 1615), cujus praeterea sunt: *Commentariorum in Jeremiae prophetias, lamentationes et Baruch ll. 6,* Parisiis 1609 in f., Moguntiae 1616; *Commentariorum in 12 prophetas ll. 12* cum paraphrasi: praemittititur *Isagoge ll. 4*, in quibus omnia, quae pertinent ad vaticinium naturale, artificiale et propheticum exponuntur, Lugduni 1615 in f.; Moguntiae 1616; Antwerpiae 1619; *Historia Deiparae V. Mariae,* ad veritatem (sine selectu critico) collecta et veterum patrum testimoniiis comprobata accurateque discussa, Compluti 1605 in 8; Moguntiae 1610; Coloniae 1634; 1649; et in *Summa aurea* de laudibus b. M. V. ed. a Migne II, 339—702. — *Jeremiae* illustrando labores suos dicaverunt Joannes Baptista Navarette, presbyter cordubensis, qui tamen edidit tantum: *Commentaria in Threnos Hieremiae proph.* cum expositione textus hebraici et LXX interpretationis et chaldaeae versionis, Cordubae 1602 in 4., et Andreas Capella (vulgo de Capillo), Valentinus, prius S. J., deinde O. Carthus. (1569), religiosae vitae zelator, norma ac veluti exemplar, qui idiomatum latini, hebraici graecique eruditione in paucis excelluit. Prioris munere functus in variis dominibus, designatus est a Philippo II. visitator et reformator quarundam abbatiarum O. S. B. et coenobiorum canonicorum regularium S. Aug. in Catalonia. Qua provincia bene absoluta factus est urgellenis episcopus (1587) et 12. Sept. 1610 vitam commutavit cum morte. Praeter alia[1]) edidit opus in pretio habendum et jam rarum: *In Jeremiam prophetam commentaria,* quibus latina vulgata editio exponitur et cum hebraica origine, 70 seniorum interpretatione paraphrasique chaldaica confertur. Edita sunt in carthusiana Scalae Dei domo 1586 in 4. — Meritorum Joannis Baptistae Villalpandi S. J. *de Ezechielen* alibi[2]) meminimus († 1608). — Ferdinandus de Escalante O. SS. Trin. Hispalensis, s. theologiae magister sacrae-

1) Cf. Bibl. hisp. I, 714 s.; Henricus M. a ss. Sacramento Coll. Script. O. Carm. Excalc. 1, 302—7; Is. a s. Joseph Vita, virtutes et epistolae spirituales Jo. a Jesu M., Romae 1649 et opp. t. 4. ed. 2. col. et t. 1. ed. flor.

1) Cf. Nic. Antonius I, 72; Michael a s. Jos. I, 228.

2) Cf. supra p. 236. Edidit Villalpandus quoque *S. Remigii rhemensis explanationes epistolarum b. Pauli ap.* ex veteri ms. monasterii s. Caeciliae trans Tiberim etc., Romae 1598. „Il est étonnant. scribit Rich. Simon, Histoire critique du N. T. c. 26, que ce Jésuite, qui étoit habile et même savant dans la Critique, se soit si fort obstiné à vouloir faire croire que cet ouvrage, qui contient des extraits de plusieurs Auteurs postérieurs à S. Remi de Rheims, soit veritablement de cet Evêque: mais l'ajant déjà cité sous ce nom dans son Commentaire sur Ezechiel, il crut qu'il étoit de son honneur de défendre ses premiers sentimens: ce qu'il fait d'une manière si pitoyable, qu'il a été abandonné de tout le monde, et même de ses confrères."

que hujus facultatis primarius in academia patria professor edidit: *Clypeus concionatorum verbi Dei,* in quo sunt sculptae omnes visiones symbolicae et signa realia V. T. et causae universae eloquii divini, et quid s. Scripturae secundum seriem decem praedicamentorum attribui possit una cum historia Geneseos a mundi principio usque ad gentium divisionem ll. 8, Hispali 1612; Venetiis 1613. — Josephus Stephanus, vulgo Esteve, Valentinus, vestanus (1586), dein oriolanus episcopus († 1604), scripsit: *De bello sacro religionis causa suscepto ad ll. Machabaeorum commentarii.* Prodiit tantum t. 1. Oriolae 1603 in 4; Valentiae 1616, in quo agit nonnisi de primis 4 cc. l. 1. Alia quaedam edidit, ut *de dignitate et praeeminentia presbyterorum,* ib.; *de potestate coactiva,* quam rom. pontifex exercet in negotia secularia l. (tantum) primus, Romae 1586; *de osculatione pedum* rom. pontificis adjecta disp. de coronatione et levatione seu portatione Papae: omnia nunc ex repetita praelectione multis ex partibus locupletata et aucta et ab haereticorum calumniis defensa, Romae 1588; prodierat jam ib. 1575; cum Delphii ll. *de potestate pontificis,* Coloniae 1580 in 8; *de unica religione* ad Philippum III., l. eruditus et utilis contra eos, qui religionis libertatem inducere tentant.

205. Plures Hispani operam suam utiliter collocarunt in illustrandis *evangeliis.* Quatuor praesertim huc spectant: Petrus Garcia de Galarzia (Galartz), Petrus Machado Ord. b. M. V. de Merc., Rodericus Dosma Delgado, et Sebast. Barradas S. J. Horum primus episcopus cauriensis († 1606) *institutionum evangelicarum ll. 8* edidit, Matriti 1579; Venetiis 1603; 1604; scil. 1. de Evangelii praestantia, veritate, et linguarum usu; 2. de sensu literali s. Scripturae; 3. de mysticis s. Scripturae sensibus; 4. de Scripturis tum canonicis tum apocryphis; 5. de geographia terrae promissionis; 6. de Scripturarum chronographia; 7. historiae evangelicae summa. — Alter *Expositionem literalem et moralem* dedit omnium evangeliorum, quae ab Ecclesia proponuntur, Burgis 1604 t. 3 in f. — Tertius Paxaugustanus (n. Badajoz 21. Jul. 1533), vir certe eruditus, qui linguarum biblicarum hebraicae, chaldaicae, syriacae, praeter alias per Europam vulgares, quas sibi diuturna peregrinatione familiares fecerat, cognitione humaniorum diciplinarum ac multo magis sacrae scientiae studio sese adeo omnibus probavit, ut a Philippo II. chronographi regii titulo cohonestaretur. Maximi quoque eum faciebat Arias Montanus († 1607). Reliquit[1]) ad ss. quatuor evangeliorum cognitionem spectantia opera in duos tomos distincta, quorum primus continet *quatuor evangeliorum recens recognitam translationem,* cui e regione vetus et vulgata editio respondet; sequuntur deinde quatuor ll. isagogici, scil. *chronographia* ab orbe condito ad excidium hierosolymitanum; *topographia* locorum ad ss. literas pertinentium; *de consensu et ordine evangelistarum;* quartus l. methodi totius rationem reddit; sequuntur *evangelicae historiae* ex quatuor evangeliis *coagmentatae ll. 4.* Tomus secundus est *paraphrasis evangelicae historiae,* quae 4 ll. digesta, quaecunque in ss. Evangeliis habentur explicat, Matriti 1601 in f. *De auctoritate s. Scripturae ll. 3,* Pinciae 1594; *Expositio sive paraphrasis in ss. CL Psalmos et in cantica canticorum* cum annotationibus et scholiis, Matriti 1601 in 4.

206. Hos tamen praecellit quartus, Sebastianus Barradas S. J. patria Olisiponensis, nobilibus ortus parentibus et ad omnem virtutis laudem jam

[1]) Cf. ejusdem opera edita et inedita in bibl. hisp. nova II, 265 s., inter quae est etiam: Tratados *del Sacramento de la Penitencia* y calidades del Confesor y Penitente, Matriti 1601 in 4.

inde a prima aetate tam diligenter educatus, ut in religionis ingressu (1558) diceretur non mores pristinos, sed domum ac vestes permutasse. Rhetoricam atque philosophicas facultates professus est, s. literas tum Conimbricae, tum Eborae magna auditorum celebritate est interpretatus, semperque illi nomen sanctimoniae stetit. At postquam concionatoris partes agressus est agere, eo increvit apud omnes viri reverentia, ut jam apud lusitanos non *apostolus* dumtaxat, sed *Paulus* appellaretur. At ipse de se ita sentiebat, ut se primum esse peccatorum, hominum postremum ex animo diceret. In corporis sui afflictione fuit prorsus inclemens, cibi parcissimus; humilitatis studium attrita veste fovebat: universam qua moriens reliquit supellex, tam vilis fuit et lacera, ut nullus mendicorum pluribus centonibus infarcinatus esse potuerit. Ardentissimo flagrabat desiderio missiones obeundi, in quibus variis incommodis conflictaretur. »Quae nugae, inquiebat identidem, aut quae compedes nos detinent, quin baculo in manus sumpto curramus de populo ad populum et annunciemus Christi Evangelium?« Multas ipse fructuosasque instituit per Lusitaniam expeditiones, in quibus ostiatim, quae sibi ad victum necessaria erant, mendicabat. De caducarum rerum contemptu tanta contentione dicebat, ut uno anno fama sit sexaginta et in iis nobilissimos juvenes et doctissimos cathedrarum candidatos, Franciscanorum dumtaxat ordinem ambivisse: hinc illorum guardianum rectori Jesuitarum dixisse fertur, vel Barradio conciones esse interdicendas, vel sibi subsidia suppeditanda. Nonnunquam pauca Barradae verba, imo vel solus aspectus sufficiebat ad commovendos auditores. Tantam voci gratiam et efficaciam addebat oratio, cui mire deditus erat, et extremis vitae annis eum horas quotidie in illa collocasse duodenas legitur tanta collectione virium, ut a sensibus non raro externaretur. Medico submonenti ut propter aegritudinem breviarii intermitteret recitationem, subridens dixit: »Non jubeor ad sanitatem hominum colloquia subterfugere: nemo mihi persuadeat, me non posse cum Deo familiarem tenere sermonem.« Ultima morientis hominis Dei ad sodales verba erant: »Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis: aliud melius et utilius quod suadeam non habeo, nisi ut imitatione Dei et Salvatoris nostri simus quam humillimi, qui per omnem vitam unice laboravit, ut virtutem hanc nobis verbo et exemplo persuaderet, ideoque moriens etiam caput humile inclinans, tradidit spiritum.« Demum 14. Apr. 1615 a. aetatis 73. evolavit ad superos tanta sanctitatis fama, ut defuncto ungues, capilli etc. praeciderentur, vestes quibus cadaver coopertum erat, in frustra discerperentur, cum quilibet tanti viri, quem etiam magnus Suarez nonnisi *sanctum* appellare consueverat, reliquias aliquas obtinere niteretur, hinc etiam maturius sepulcro fuit illatus, ne cadaver ipsum mutilaretur vel quis in tanta concurrentium comprimeretur turba[1]). Haec ejus opera: *Commentaria in concordiam et historiam evangelicam* t. 4 in f. Conimbricae 1599 ss.; Moguntiae 1606; 1609; 1618; Venetiis, 1609; 1613; Brixiae 1612; Antwerpiae 1613; 1677; Augustae Vindelicorum 1742 vol. 5 etc. Haec commentaria moralia prorsus sunt, hinc concionatoribus in primis utilia: quam utilitatem testantur tot editiones. Post ejus mortem prodiit: *Itinerarium filiorum Israel* ex Aegypto in terram repromissionis, Antwerpiae 1612 in f.; Coloniae 1621; Venetiis 1623; Moguntiae 1627; Lugduni 1627: juxta Calmet »omnium quotquot ab illo adornata sunt in s. Scripturam eximium. Historiam morali jungit.«

[1]) Cf. Sotvellum Bibl. script. S. J.; N. Antonium II, 278: Sommervogel I, 911.

207. In *priora septem cc. evangelii s. Matthaei expositionem* edidit (Burgis 1598) sicut etiam *Theatrum ss. patrum* (sive catenam ex ss. patribus) *super universa evangelia,* quae dominicis diebus in Ecclesia leguntur, ib. 1607 v. 2 in f. Christophorus Santo Tis O. S. Aug., sui ordinis quondam vicarius generalis qui concilio interfuit tridentino, in quo orationem habuit, quam exhibet Le Plat I, 632—46 († 1611). — In *primam canonicam epistolam d. Joannis lectiones sacras* scripsit Petrus Maldonado O. S. Aug. Hispalensis († 1614 a. aetatis 38) Olisipone 1609 in 8; praeterea *commentarios in Psalmos Davidis 28 priores,* qui artificium s. Scripturae oeconomiamque illorum cujusque aperiunt, ibid. 1609 in 8. — In *Apocalypsim* opus admodum elaboratum, ingeniosum et eruditum, sed ad literam minus solidum (juxta Cornelium a Lap.), edidit Ludovicus de Alcasar S. J., cui titulum fecit: *Vestigatio arcani sensus in Apocalypsi,* cum opusculo *de sacris ponderibus et mensuris,* Antwerpiae 1614 in f.; 1619; Lugduni 1618. Complementi instar edidit quoque *in eas V. T. partes, quas respicit Apocalypsis ll. 5,* cum opusculo *de malis medicis,* Lugduni 1631 in f. Liber primus agit de allusionibus ad cc. 38—48 Job; secundus de allusionibus in aliquot Psalmos; tertius exhibet paraphrasim et commentarium in Canticum canticorum; quartus argumenta singulorum cc. Isaiae prophetae, Jeremiae c. 36. enarrationem; Ezechielis explicationem cc. 1. 10. 38. 36. 48; Danielis explicationem cc. 7—11; quintus explicationem Joëlis c. 3; Habacuc c. 3; Zachariae vaticinium a c. 1—7. Erat autem Ludovicus patria Hispalensis n. 1554 nobilibus et opulentis parentibus. Aristotelem primum, deinde amplius 20 annos Cordubae et Hispali ss. literas est interpretatus († 16. Jun. 1613 a. aetatis 60). Magni fit ejus in Apocalypsim commentarius a Richardo Simon[1]), Bossuet et Grotio, qui duo cum aliis haud pauca ex illo sunt mutuati. Novam proponit libri hujus obscurissimi explicationem. Cum enim animadvertisset analogiam quandam inter illius vaticinia et Ecclesiae fata, censuit ea jam esse completa atque s. Joannem prima praecipue Ecclesiae secula, praesertim ejus de synagoga et polytheismo triumphum prophetice descripsisse[2]). Contra quam explicandi methodum scripsit Franciscus Sengeharb, Lutheranus, *de septem spiritibus apocalypticis,* Goslari 1616 in 4. — *Allusionum N. Testamenti ad vetus* tomum primum (et solum) edidit Caspar Salzedo[3]), primarius theologiae professor beatiensis, Gienii 1608 in f.

208. Omnibus forte hujus periodi interpretibus celebrior est *Belga,* isque Guilelmus Estius (Hessels van Est) Gorcumensis, n. 1542 parente ordinis senatorii, qui propter fidem obiit in exsilio. Lovanii studiis operam dabat, usus suo damno magistris doctrina haud sana imbutis, Bajo scil. et Hes-

---

[1]) Histoire critique du N. T. c. 42. ubi scribit: „Pour avoir un Commentaire achevé de tout le N. T. on peut joindre à Maldonat et à Justiniani, Lorin sur les Actes des Apôtres et Alcasar sur l'Apocalypse. Ces deux Commentateurs sont à la vérité trop étendus dans leurs explications, y ayant inséré quelques questions dont ils auroient pu ne point parler : mais ils font connoître même dans leurs digressions, qu'ils ont étudié avec soin le stile des Ecrivains sacrés, et qu'ils n'ont rien oublié pour pénétrer le sens de leurs Auteurs.“ Cf. Feller I, 82.

[2]) Hinc Calmet in Biblioth. s. „Sub hujus prophetiae perpetuo, ut ipse sibi persuadet, aenigmate vicissitudines et victorias romanae Ecclesiae potissimum primorum seculorum intelligit.“

[3]) Alius a Joanne de Salzedo O. Min., cui tribuitur tr.: *An seraphicae militiae labor in propugnanda immaculata conceptione Mariae nova christianae militiae erectione certa victoriae spe coronetur,* Mariaeque originalis gratia utriusque militiae conatibus proxime definibiis constituatur, Vallisoleti 1625 in f.

selio, hinc semper aliquid haesit (quod dolendum) in suis alioquin praeclaris libris. Lovanii theologiae doctor 22. Nov. a. 1580 creatus mox Lovanii in regio pastorum seminario constituitur theologiae professor, quam spartam egregie ornavit denso semper stipatus auditorio. Mox (1582) Duacum accitur, cujus academiam 31 annos illustravit theologiae scholasticae professor et s. literarum interpres; praefuit quoque regio seminario et 18 annos functus est munere cancellarii universitatis et dignitate praepositi capituli s. Petri († 20. Sept. 1613 a. aetatis 71). Eruditionem insignem ornabat modestia, et studium indefessum comitabantur charitatis opera: quam ob rem in epitaphio ei posito dicitur „Pietatis, doctrinae, modestiae, beneficentiae speculum." Ipso (cum patribus S. J.) agente abolitus est demum usus seu potius abusus denegandi viaticum reis poena capitis plectendis. Eum addictum fuisse Ecclesiae catholicae ostendit ejus protestatio, quae inter ejus scripta post mortem reperta fuit, in qua „protestatur auctor, quod omnia velit esse submissa judicio Ecclesiae catholicae et ejus summo in terris pastori ac judici romano pontifici, velitque pro non dicto haberi, si quid male dictum. Quod nolit ulli personae aut familiae detractum, cupiens christianam cum omnibus catholicis benevolentiam, et quantum possibile est amicitiam et colere et conservare etc." Praecipuum ejusdem opus est: *In omnes divi Pauli et septem catholicas apostolorum epistolas commentarii*, Duaci 1614. 1615 v. 2 in f., quos tamen complere non poterat, cum mors 1. Joan. 5, 6. commentantem oppresserit. Reliqua adjecit Bartholomaeus Petri ejus in docendi munere collega. Prodierunt deinceps saepissime, ut Coloniae 1631; Parisiis 1623; 1640; 1653; 1659; 1666 etc. Optima censetur editio, quam correctam additionibusque e schedis Estii relictis auctam curavit Jacobus Merlo Horstius Coloniae 1631; 1679. Etiam recentiori aetate recusi fuere, ut Moguntiae 1841-1845 t. 7 in 8. cura Fr. Sausen, et 1858—60 t. 3 curante Holzammer. Haec ipsa editionum repetitio horum commentariorum praestantiam testatur, quam testantur et interpretes catholici[1]), secundum quos vix ab aliquo Estius superatur, nec illam diffitentur protestantes. Nititur sensum determinare literalem ex collatione Scripturarum inter se, tum ejusdem apostoli, tum aliorum scriptorum ss., item ex collatione cum fonte graeco et melioribus exemplaribus latinis: item ex traditione Ecclesiae nota per concilia et doctrinam ss. patrum. „Ejus in epistolas paulinas commentarium, inquit Calmet[2]), absolutissimum omnium, quae hucusque prodierunt, censetur. Eruditione solida et vasta redundat, sed facile plus nimio diffunditur;" Cornely[3]): „Ejus commentarii ... optimi censentur, idque jure merito. Alius enim non est interpres, qui in omnium epistolarum sensum literalem accuratius investigaverit, ad idearum nexum diligentius attenderit, patrum et antiquiorum interpretum explicationes pruden-

[1]) Cf. Katholik 1843. v. 87 p. 291 ss.

[2]) Loc. c. Richard Simon Histoire crit. des principaux commentateurs du N. T. c. 43: „De plus étant Théologien, et ayant pris party pour s. Augustin et pour s. Thomas, on y trouve quelquefois plutôt la Théologie de ces deux grands hommes, que celle de s. Paul. Mais si l'on excepte de certains faits particuliers, comme sont ceux qui regardent la predestination, la grâce efficace, et quelques autres matières, qui ont du rapport avec celles-là, il n'est pas si fort prévenu des sentiments de s. Augustin qu'il ne l'abandonne en plusieurs endroits, où il juge que ce Père n'a pas exposé le sens litéral de l'Apôtre." Infra inter alia advertit: „Quoyque ce Théologien défend souvent le libre arbitre contre les Calvinistes, sa Théologie est très-dure en quelques endroits etc." ut ex. gr. ad Rom. 11, 8. Cf. et Critique de la biblioth. des aut. eccl. publiés par M. Ellies Du Pin II l. 4 c. 10.

[3]) Introduct. n. 254.

tius dijudicaverit. Id unum dolendum, quod Estius Baji discipulus a magistri sui placitis omnino se liberare nequiverit. Quare quibusdam in locis, in quibus de gratia et praedestinatione agitur, caute est legendus.« Acrius forte d'Argentré censet: »Admodum caute Estius legendus est, nec sane dignus mihi videtur, qui ut optimus interpres d. Pauli praedicetur[1].« Horum commentariorum epitomen *Medulla paulina* inscriptam confecit Jo. Gorcum, Antverpiae 1619; Lugduni 1623; Lovanii 1754; 1774; 1776 etc. — Aliud ejus opus est *Annotationes in praecipua difficiliora loca s. Scripturae,* Antwerpiae 1621 in f.; Coloniae 1622, editio ex ipsius auctoris scriptis plurimum aucta studio Casparis Nemii[2]), cujus tamen studium non omnibus arrisit; Duaci 1629 in f.; Antwerpiae 1652; Parisiis 1663; 1683: Moguntiae 1667; accesserunt *annotationes in omnes d. Pauli epistolas* itemque *in epistolas canonicas* ex vastissimis ejusdem commentariis depromptae per Norbertum d'Elbene, Antverpiae 1699 in f.: quae quidem minoris sunt pretii, utiles tamen non tam ad enodandas sacrae paginae difficultates, quam ad instituendos mores, quippe hunc in se laborem susceperat Estius eo fine, ut duacensibus alumnis doctrinas christianas, quas oretenus instillabat, scripto relinqueret[1]). Eapropter Petrus Berullus cardinalis patribus oratorii serio inculcabat, ut hoc opus, sicut et ceteras Estii elucubrationes, assidue evolverent. Omnia ejus in Scripturam opera collecta prodierunt Venetiis 1759 t. 3 in f. Estius non solum insignis erat exegeta, sed etiam solidus theologus scholasticus, imo a Benedicto XIV. dicitur doctor fundatissimus: argumentum sunt egregii ejus *Commentarii in 4 ll. Sententiarum* Petri Lombardi, Duaci 1615. 1616 t. 2 in f.; Parisiis 1638; 1662; 1676; Neapoli 1720 etc. Accurate sequitur suum auctorem ejusque methodum, cujus assertiones Scripturae patrumque effatis aliisque rationibus confirmat solidis, praetermissis quaestionibus ad rem non pertinentibus[2]). Reliquit praeterea Estius *histo-*

---

[1]) De praedest. c. 1. Cf. etiam Feller III, 458.

[2]) Caspar Nemius (Dubois) Sylvaducensis n. 1586 Duaci studiis operam dedit 1608—1612 discipulus Estii, qui eo usus est in relectione paulinarum suarum lucubrationum. Ei successit in regimine seminarii regii, prout Estius moriens desideraverat. Doctor creatus (1617) rexit cathedram theologiae scholasticae. Anno 1634 praesentatus est a Philippo IV. pro sede antverpiensi, cui praesedit verus pastor a. 17, inde translatus est ad sedem archiepiscopalem cameracensem (1651). Decessit vir doctrina, prudentia eximiisque dotibus conspicuus 22. Nov. 1667. Luci dedit *Manuale parochorum* ecclesiae cameracensis, Cambrai 1659; et editionem primam curavit commentariorum Estii in ll. sententiarum, annotationum ejusdem in praecipua ac difficiliora s. Scripturae loca. Cf. de Nemio accuratam notitiam auctore Th. Leuridan in Revue des sciences eccl. 1900 I, 5—28.

---

[1]) Cf. Contin. historiae Fleurii l. 190. § 21. De operis origine haec refert Nemius in praef.: „Solebat auctor, quo tempore regio duacensi seminario praesideret, ex lectis de more ad mensam Scripturae s. capitibus unam alteramve insigniorem sententiam ad fidei vel morum doctrinam pertinentem alicui e seminarii alumnis qua quaerendo, qua objiciendo proponere, eandemque postea, quatenus opus erat, plenius explicare. Ne vero quidquam non praemeditatum in medium afferret, mirum dictu quanta cura ac diligentia dicenda annotare et in adversaria referre sit solitus.“ Cf. Rich. Simon Hist. critique du V. T. l. 3. c. 11.

[2]) Caute tamen legendus est iis in doctrinae capitibus, quae ad Baji errores accedunt. Ita ex. gr. opinatur, contritionem caritate perfectam nonnisi in necessitate extrema, et in articulo mortis absente sacerdote, vel in physica impotentia percipiendi sacramentum justificare citra realem Sacramenti perceptionem (in 4. l. d. 17 § 2), quod ad prop. 32. 33. etc. Baji damnatas accedit et doctrinae concilii trid. sess. 14. cap. 4. adversatur. Ita in quaestione, utrum Deus velit alios praeter praedestinatos salvos fieri, ait Perrone (praelect. theologic. t. 4. de Deo p. 3. c. 2. annot.

riam martyrum gorcumensium (19), quos Pius IX. sanctos proclamavit 1867, Duaci 1603; Namur 1655. Inter eos ipsius avus est passus, alii fuere ejus condiscipuli. Narratio autem simplex est et accurata fideque dignissima, quam propter suam praestantiam Sollerius integram in Acta SS. 9. Jul. II, 754—835 recepit. *Orationes theologicae XIX,* Duaci 1614; Lovanii 1709. Lovanii agens partem habuit in editione lovaniensi operum s. Augustini, ejusque in primis debetur curis t. IX. Axioma ipsius erat quod sine cognitione historiae ecclesiasticae non possit quis esse perfectus theologus[1]).

209. Praeter Estium duo alii nominis celebritatem adepti sunt, Martinus Antonius Delrio et Lucas Brugensis. Ille quidem origine est Hispanus, sed Antwerpiae natus (a. 1551) ac in Belgio fere semper commoratus. A celebri Lipsio ‚aevi sui miraculum' dictus, a Baillet hominibus prodigiosis est annumeratus, nec sine ratione, cum tales tantosque fecerit in literis progressus, ut vix undeviginti annos natus *in Senecae tragoedias adversaria* scripserit, in quibus mille circiter et centum adducit auctores expenditque, quosdam ipsi Lipsio in graecis alioquin latinisque literis versatissimo ignotos. Omnium poëtarum, rhetorum et historicorum opera, quae in universis Belgii bibliothetis reperiuntur, volutasse fertur et quidem attente ac meditate, iis decerptis, quae in unoquoque insigniter dicta et pertractata observasset: novem praeterea callebat linguas. Viginti annorum juvenis *annotationes* eruditas scripsit *in Caji Solini polyhistorem,* anno sequenti *in Claudiani poemata.* Triennio a studiorum curriculo confecto (quod absolverat partim Parisiis, partim Duaci, Lovanii et Salmanticae, ubi doctor fuit creatus a. 1574) in supremum Brabantiae senatum cooptatus est, sed probitate et doctrina suffragante altius evectus, palatinis militibusque jus dicere, mox etiam Brabantiae pro Cancellario esse regiumque fiscum curare jussus est (1578). Hoc tempore scripsit: *Miscellanea scriptorum ad universum jus civile* (Parisiis 1580), opus ingens et infiniti prope laboris, omnes enim jurisconsultos, omnes eorum interpretes perlegerat. Indefessa plane diligentia tota die studiis vacabat. Haud ingratum erit ejus vivendi rationem accuratius nosse, singularis enim erat. Bene mane, postquam rei divinae interfuerat, modico pane, quem intingebat in vinum generosum, caput ac stomachum labori praeparabat. Deinde abdebat se in museum, in eoque perdurabat usque ad multam noctem, donec eum famulus ad coenam, non raro invitum ac reluctantem, abduceret. In museo sellam ac pluteum subjectis rotis ita fabricandum curaverat, ut levi pedis impulsu per omnia librorum loculamenta seipsum ac pluteum cum omni literaria supellectili circumveheret. Hac pertinaci assiduitate doctrinam excellentem, quae nisi labore venalis non est, consecutus fuerat. Humanarum tamen rerum taedio affectus quietis portum in societate Jesu quaesivit (1580) annum agens undetrigesimum. Exacto tirocinii biennio philosophiam naturalem jussus accuratiore studio repetere vir tot clarus magistratibus gestis, tanta scientiarum varietate ad miraculum conspicuus, post doctissimos libros in lucem editos, post adeptam in jure lauream, post scriptos legum commentarios non erubuit cum pueris atque adolescentibus publico in ludo versari, in quo habuit magistrum Ludovicum de Ponte

ad n. 472), Estium „qui vir certe doctus est" esse suspectum, utpote Baji discipulum, qui tamen, ut observat Tournely, postea sententias suas nimis duras temperat et emollit, ut ad communem theologorum sententiam accedere videatur.

[1]) Cf. accuratum ejusdem elogium auctore Th. Leuridan in Revue des sciences eccl. LXXII (1895), 120—131: 326—40; 481—495.

sanctitate et libris editis postea clarissimum[1]). Philosophiam postmodum docuit Duaci (1589), mox theologiam moralem et ss. literas Leodii, Lovanii, Graecii et Salmanticae, ubique solidi vim ingenii cum pari pietate conjungens. Magno ferebatur zelo in fidei catholicae adversarios adeo, ut quotiescunque de illis mentio incidebat vel levissima in congressu familiari, arderet vultus, pectus aestuaret, oculis auribusque perfidiam aversaretur. Ab omnium etiam mitiorum consuetudine amicos diligenter abducere nitebatur, ut in Justo Lipsio patuit, qui ab Hollandis ob insignem eruditionis famam arcessitus, ut publice doceret Lugduni Batavorum, paululum a rigida illa sapientis, imo christiani hominis constantia deflexerat, non sine gravi catholicorum offensione. Satis fuit Delrio amici periculum cognovisse. Consiliis suis et cohortationibus perfecit, ut pedem e lubrico et praecipiti loco referret[2]). Prima ejus laus semper fuit humillima obedientia et obedientissima humilitas: huic accessit ingenuus candor, adeo ut Lipsius in familiari ad Rosweidum epistola hominem eum vocaret „cui non mentiri solum nefas est, sed blandiri.“ Virtutem in quocunque demum esset, hoste an amico, diligebat. Nemini debitam laudem abrogabat, nemini arrogabat indebitam, ab odio perinde atque ab invidia remotissimus. Studiis finem imposuit[1]) literatissimus hic vir 19. Oct. 1608. a. aetatis 58.

210. Ex Delrii operibus haec ad rem nostram sunt: *In canticum canticorum Salomonis commentarius literalis et catena mystica,* Ingolstadii 1604 in f.; Parisiis 1604; 1608; Lugduni 1604; 1611; *Commentarius literalis in Threnos Jeremiae,* ib. 1608 in 4; *Pharus sacrae Sapientiae* seu commentarii seu glossae literales in Genesim, ib. 1608 in 4. Magni operis quod in universam Scripturam moliebatur pars prima. *Adagalia sacra V. et N. T.*, ib. 1614—18 pp. 2 in 4. Prodierunt tantum *adagalia V. T.* His adde: *Vindiciae areopagiticae,* Antverpiae 1607; *Opus marianum* seu de laudibus et virtutibus Mariae V. Deiparae in 4 p. divisum, nempe: Speculum marianum, speculum caritatis et patientiae Jesu et Maria, polemica mariana, florida mariana (Antverpiae 1598), ib. 1607 in 4; *s. Orientii episcopi illiberitani commonitorium* (seu carmina), nunc primum typis excusum, emendatum et notis illustratum[2]), Antwerpiae 1600; Salmanticae 1603; in bibl. PP. lugd. VIII, 875-82; Witembergae 1796; *s. Adhelmi Prisci,* occidentalium Saxonum episcopi, *poetica nonnulla* e vetere ms. cod. exscripta

[1]) Sotvellus, Biblioth. script. S. J.

[2]) Ipse Lipsius suis literis datis Moguntiae 14. Apr. 1591. ad Delrium id testatur: „Amor, inquit, noster vetus et verus non permittit, ut te celem facinus grande, quod patravi. Dei benignitate eripui me e laqueis, quibus implicabar, ut salvus atque incolumis perveniam in Germaniam ad patres vestros. Juva o! me tuis precibus, post cujus salutares literas Deum iterum iratum habeam, si unquam conquievi. Deo gratia esto, qui invitum et quasi reluctantem sic eduxit, et posuit in locis, ubi mihi, Ecclesiae et reipublicae possim esse utilis, quod serio recipio me, illo adjuvante, facturum. Laetare, frater, qui vere fratrem et amicum recepisti, et ignosce omnia praeterita: ita Deus tibi quoque ignoscat. Uxor, familia et reculae meae etiam nunc sunt apud Hollandos. Brevi eripiam et palam bonis me reddam.“ Rescripsit Delrius et ad constantiam hortatus est, quam Lipsius ad obitum (1606) usque tenuit.

[1]) Cf. Juvencium Histor. S. J. p. 5. l. 25. § 1; H. Langveldium, M. Delrio Vita, Antwerpiae 1609; Sommervogel II, 1894—1905.

[2]) Hujus commonitorii librum tantum primum cum omnibus, quibus scatebat, mendis et lacunis typis mandavit. Librum secundum cum aliis auctoris versibus de nativitate, de Trinitate, de nominibus Domini et orationibus postea repertum edidit Martene (1700, 1717) erratis, quae in editione Delrii occurrerant, correctis ac repletis lacunis (cf. 1, 444).

et nonnullis notulis illustrata, Moguntiae 1601 in 12; in bibl. PP. cit. XIII, 22—80. Nominatissimum tamen Delrium reddiderunt *Disquisitionum magicarum ll. 6* in t. 3 distincti, Moguntiae 1600; 1603; 1606; 1617; 1624; Lovanii 1599—1600; 1601; Lugduni 1604; 1608; 1612; Coloniae 1633; 1657; 1679; 1720; 1755; Venetiis 1606; 1616; 1640; 1652; 1747. In hoc opere disputat 1. de magia generatim et de naturali, artificiali et praestigiatrice; 2. de magia daemoniaca et ejus efficacitate; 3. de maleficio et vana observantia; 4. de prophetia, divinatione et conjectatione; 5. de judicis officio et ordine judiciario in hoc crimine; 6. de officio confessoris ac remediis licitis ac illicitis. Innumeros atque obscurissimos adducit auctores, plurima facta mira atque stupenda, e quibus tamen haud pauca sat dubia, inutilia et fabulosa, sed etiam alia praeclara atque utilia nostrae quoque aetati continet judice Ballerini-Palmieri. Merito proinde sagacior artis criticae desideratur usus[1]). De eo ita scribit Perrone[2]): „Quod quidem opus variam plane diversis temporibus subiit fortunam. Quum in lucem prodiit, adeo sibi ipsi protestantes ipsum adsciverunt tamquam normam processuum contra sagas, ita ut amare conquereretur Christ. Thomasius c. a. 1712. et scribere non dubitaverit[3]): ‚Pene omnes jurisconsulti hunc auctorem exscribere solent,‘ quae res maxime damnanda illi videtur, quod Delrio ‚Lutherum et Lutheranos ac reformatos cum impudentia et virulentia maxima traducit.‘ Deinde adversarios quam plures tum inter catholicos, tum inter protestantes nactum est. Nunc vero cum pluribus aliis ejusdem argumenti scriptis jacet.“ Ad. Delvigne canonicus mechliniensis edidit ex ejus manuscripto latino inedito *Memoires sur les troubles des Pays-Bas* durant l'administration de Don Juan d'Autriche (1576—1578), Bruxellis 1869-71 t. 3.

211. Majori jure nominis celebritatem adeptus est Franciscus Lucas a patria vulgo Brugensis (n. 1548 vel 1549) cognominatus, inter criticae sacrae cultores suo aevo facile princeps, linguarum graecae, hebraicae. syriacae et chaldaicae peritus. Factus est magister artium (1568) loco quintus inter 155 competentes. Discipulus erat diligens Joannis Guilelmi, qui vulgo dicebatur Harlemius, ac familiariter versabatur cum Lindano et R. Bellarmino. Hentenii ed. s. Scripturae novis curis perfecit typisque dedit Antverpiae 1574. Joanni Six episcopo audomaropolitano erat a secretis. Canonicus lectionem habuit juxta decretum concilii tridentini de s. Scriptura in ecclesia cathedrali. Electus est a. 1602 in capituli decanum († 1619 a. aetatis 70). Ariam Montanum in bibliorum editione polyglotta juvit. Eruditionem ejus solidam artemque criticam testantur ejus opera v. 5 in f. Lugduni Batavorum 1712. Inter haec eminent: *In 4 evangelia commentarius;* praemittitur *itinerarium J. Christi* Filii Dei ex 4 evangelistis collectum; adjicitur ad calcem tractatus *de chaldaica s. Scripturae paraphrasi* et ostenditur, quis paraphraseos illius usus, et plura s. Scripturae loca enodantur, seu apologia pro chaldaico paraphraste, Antwerpiae 1606 v. 2 in f.; *Commentarii supplementum in s. Lu-*

[1]) Merito advertit Delrio hoc in argumento nec omnia rejicienda esse tamquam conficta, incerta, impossibilia; nec iterum omnia esse nimis facile credenda. Ceterum in hac credulitate Delrium ac generatim catholicos superarunt illius temporis protestantes, qui etiam catholicis longe saeviores erant in scrutandis torquendisque sagis. Cf. Dūx KL. III, 1493. Zaccaria Stor. letter. IV, 396—402.

[2]) Praelect. theolog. de Deo Creatore p. 1. c. 5. annot. ad n. 122.

[3]) Cf. de orig. processus inquisitorii contra sagas § 81. et de crimine magiae § 21. 45. 49.

cam[1]) *et s. Joannem* continens horum propria, v. 2 in f. ib. 1612—1616. In hisce commentariis neque nimis brevis est, neque etiam praeter modum stilum laxat. In primis nititur verborum sensum proprium determinare ac plerumque rem acu tangit[2]). Commentario in 4 evangelia subjecit: Notarum ad varias lectiones in 4 evangeliis occurrentes libellus duplex, quorum uno graecae, altero latinae varietates explicantur. De hoc ita scribit Millius[3]): Fr. L. Brugensis vir in sacro textu ac monumentis patrum et in hoc eruditionis genere longe summus ad calcem commentarii in 4 evangelia suffixit libellum, quo quidem nihil est in hoc genere doctius et elaboratius. Neque enim loca variantia leviter attingit: multo minus temere, fide aliena seu potius ex praejudicatis notionibus de iis pronunciat, ut jam ante Beza, sed inspectis, ubi fieri poterat collatisque exemplaribus, explorata ipsorum indole, in consilium insuper adhibitis scriptis patrum notaeque praestantioris versionibus; singulis denique summa cum diligentia pensitatis, quae in hac inquisitione lucis quidpiam foenerari posse videntur, suam demum de ipsis, ubi forte opus erat, proponit sententiam. Hinc exacta fere, ut diximus, apud eum omnia; judicium de lectionibus probum, ipsique fere veritati ad amussim congruum.« *Notationes in s. Biblia,* quibus variantia discrepantibus exemplaribus loca summo studio discutiuntur, Antwerpiae 1580 simul cum vulgatae textu[1]) secundum Hentenii (p. 63) emendationem, 1583; Lipsiae 1657, quod opus sixtinae vulgatae veluti fundamentum fuit, atque omnium accuratissimum, quod in hoc genere habemus, dicitur a Richardo Simon[2]), et Millius de eo l. c. affirmat: »Istis in lectiones utriusque T. annotationibus nihil quidquam est accuratius.« Sane ingens auctor studium in suis notationibus in ss. Biblia adhibuit. Consuluit enim impressa exemplaria 8 vel 9, scripta ad minimum 32: praecipua commentaria, scholia, translationes primae, mediae, postremae aetatis auctorum tam graecorum quam latinorum, insuper textum graecum, syriacum, chaldaeum, hebraicum; postremo si quid vel ex locorum circumstantiis vel ex locis similibus, vel aliunde de lectionis varietate intelligi posset, id omne perscrutari conatus est, et si ipse judicium non tulit, aliis judicandi occasionem praebuit. Receptae fuere inter criticos sacros ed. Francof. t. 7. a. 1696 et in Biblia polyglotta londinensia t. 6. Facta autem vulgatae correctione edidit *Romanae correctionis in latinis Bibliis editionis vulgatae jussu Sixti V. P. M. recognitis loca insigniora* observata etc., Antwerpiae 1603, 1608; Lugduni 1604; libellus alter continens alias lectionum varie-

[1]) Ejus *in Lucam commentarius* reperitur etiam in cursu compl. s. Scripturae ed. Migne.

[2]) Cf. Richard Simon, Histoire critique des principaux commentateurs du N. T. c. 42, ubi inter alia encomia scribit: Sa plus grande application est de rechercher la signification propre des mots; en quoy il réüssit ordinairement, parce qu'il a une connaissance parfaite de la Critique et de la Grammaire. Cf. Corn. a Lapide praef. in Matth. et Joan.

[3]) Proleg. in N. T. graecum.

[1]) P. de Lagarde die vier Evang. arabisch 1864 p. XI: die allein brauchbare Originalausgabe von 1580 ist eins der seltensten u. nützlichsten Bücher, die ich kenne, für die Kritik der lateinischen Bibelübersetzungen geradezu unentbehrlich.

[2]) Histoire critique du N. T. c. 12: „Aussi son ouvrage est il le plus exact que nous ayons sur cette matière. . . . En un mot, il n'a rien oublié dans sa Critique de ce qui pouvoit servir à rétablir notre Version Latine: et bien que son Ouvrage ait paru avant les corrections de Sixte V. et de Clemens VIII. je suis persuadé qu'on pourroit encore réformer notre édition sur ses remarques. Il y a néanmoins quelques endroits, qui ne sont pas exacts, surtout lorsqu'il copie Zegerus etc.“

tates in eisdem bibliis latinis ex vetustis mscr. exemplaribus collectas, quibus possit perfectior reddi feliciter coepta correctio, si accedat ss. pontificis auctoritas, Antwerpiae 1618 cum praecedenti. Novam quoque curavit editionem *concordantiae* ratione habita vulgatae emendatae, ib. 1617; retractata ab Huberto Phalesio O. S. Ben. 1642 et saepius alibi. Bellarminus ad eum scribit: „Variae lectiones, quae in Bibliis lovaniensibus habentur et in quas tu librum utilissimum scripsisti, mihi videbantur omnino addendae, quippe quae instar bibliothecae mihi esse videntur, sed non placuit aliis, ut in prima editione apponerentur." Secundum Calmet[1]) auctor est „eruditus, prudens ac judicii acumine praestans." Addit, eum „criticem exercuisse prudentem et modestam, conjecturis ducendum se non dedisse, ponderasse omnia nihilque cartis mandasse, quod prius judicio non perpendisset." Reliquit et *sermones* de diversis christianae fidei argumentis, Antverpiae 1610 in 8.

212. His denique addendi sunt Jacobus Logenhagen Antwerpianus († 1611), qui edidit *Commentarium in evangelium secundum Lucam* ex operibus s. Augustini excerptum, Antwerpiae 1574 in 8; *annotationes in epistolam canonicam d. Jacobi,* ib. 1571 in 12. et 1572. — Franciscus Laurelotius, cujus est *exegesis theologica et moralis in epistolam Judae,* ib. 1612 in 8. — Joannes Hajus (de la Haye) S. J. gente Hanno, patria Servius, Lovanii et Duaci philosophiae ac ss. literarum professor († 14. Jan. 1614 a. aetatis 74). Haec ejus opera: *Quaternio evangelistarum* seu evangelicae historiae dispositio ipsius evangelistarum verbis ordinata serie distributa, Duaci 1607 in 4; *Apparatus evangelicus,* quo ea disquiruntur et illustrantur, quae de Evangelio et evangelistis, tam universe quam singillatim possunt disputari ib. 1611 in 4; *Triumphus veritatis ordinati Evangelii quadriga invectae,* ss. patrum exercitu stipatae, ib. 1609 v. 2 in f., opus valde rarum. — Samuel Loyaerts Atthofensis n. 31. Aug. 1546, theologiae doctor (1586) et parochus s. Michaelis Lovanii, aliquamdiu professor et facultatis theologicae regens († 1614), scripsit belgice commentaria *in Cantica canticorum,* Antwerpiae 1599; *enodationes evangeliorum* dominicis et festis diebus occurrentium, quibus et fidei doctrina explicatur et Christianorum morum institutio traditur Lovanii 1608—20 t. VI in 7 v. in 4; Paris 1621. — In eadem Cantica canticorum Arnoldus Cathius (Catheus) S. J. Leonvardiensis († 14. Dec. 1620) paraphrasin reliquit. — Franciscus Moncaeus vulgo des Monceaux de Fridevalle Atrebas, jurisconsultus et poeta, haud parum otii s. literis consecravit. Testes sunt haec ejusdem (inter alia) opera: *De portis civitatis Judae* et de fori judiciorumque in iis exercendorum prisco ritu l. 1, Parisiis 1587 in 4; *Apparitionum divinarum, quae de rubo et quae in Aegyptum revertenti in diversorio Moysi factae, historia,* Atrebati 1592 in 12; 1597; Roterodami 1599; *Aaron purgatus* seu de vitulo aureo ll. 2 simul cherubinorum Mosis, vitulorum Jeroboam, theraphorum Michae formam et historiam multaque alia pulcherrima eodem spectantia explicantes, Atrebati 1606 in 8., inter criticos sacros Francofurti 1696 t. 7. Hic tamen liber in ll. prohibitorum indicem relatus fuit 6. Dec. 1607; *Responsio* pro vitulo aureo non aureo, Parisiis 1608. Contra illum scripsit Robertus Visorius, doctor sorbonicus: *Aaronis purgati seu pseudocherubim ex aureo vitulo conflati destructio,* Parisiis 1609 in 8. *Bucolica*

[1]) Bibl. sacra. Quibus similia habet Andres p. 6. l. 2. c. 3. Cf. de Luca accuratam notitiam in Biogr. nat. de Belg. XII, 550—563 auctore A. C. De Schrevel.

sacra[1]) sive cantici canticorum poetica paraphrasis et in eandem lucubrationum ll. 2, Parisiis 1587 in 4; 1589. — Joannes Bochius Bruxellensis aliquamdiu theologiae operam dedit lectionesque Bellarmini diligenter audivit. Longa postea instituit itinera in Italiam, Poloniam, Russiam aliasque orbis partes, quorum late meminit in Ps. 147. Maxime autem delectabatur poësi, in qua adeo excelluit, ut Belgii Maro salutaretur († 13. Jan. 1609). Praeter alia huc referri potest propter *Parodiam heroicam* Psalmorum davidicorum; *observationes* physicas, ethicas, politicas et historicas in eosdem Psalmos[2]) e graecis latinisque auctoribus, et vitam Davidis, Antverpiae 1608. Opera ejus collecta edidit Fr. Svertius, Coloniae 1615.

213. Praetermisso Joanne Bruno[3]) O. Min. *Scoto,* cujus supersunt *in benedictiones patriarcharum commentarii et quaestiones analyticae*, Venetiis 1601 in 4; 1604, speciali mentione dignus est Nicolaus Serarius (Serrarius) S. J. Germaniae lucis jubar a Baronio (ad a. 1126 n. 18) dictus, natus Rambervillae in Lotharingia 6. Dec. 1558. Trimulum Deus e patriae vastitate flammisque, quas bellicus furor injecerat ereptum, ac mox e curru, quo in fuga vectabatur, excussum, servavit incolumem sororcula eodem exstincta casu. Feliciter magnoque cum laude emenso studiorum curriculo partim Coloniae partim Herbipoli, ibidem philosophiam, theologiam deinde scholasticam docuit, demum ad s. literas, quarum incredibili ardebat amore, totum se contulit, in quibus tradendis tum Herbipoli (ubi primus cum Euchario Sangio creatus est 1591 theologiae doctor), tum Moguntiae 20 prope annos cum mirifico plurimorum fructu nominisque sui apud exteras gentes gloria collocavit: nam in omnibus quaecunque egit erat perfectus. In suo studio Dei gloriam tanta contentione quaesivit, quanta nemo facile alius honores opesve sectetur: atque ut ad id se aliosve excitaret, incredibile memoratu est, quo sensu pietatis illud identidem verbum doxologicum, quo psalmos claudimus, sit solitus usurpare. Axioma ipsius erat illudque memoria dignum, pro haereticis non modo orandum esse, sed etiam studendum. Hinc infatigabili ardore studio se dedit, praesertim sacrarum literarum. Ad has explicandas, tuendas, ornandas non disputatricem modo illam theologiam, verum etiam omnium philosophorum, oratorum, historicorum atque adeo poetarum lectionem conferebat. Itaque ajebat se multorum hominum misereri vicem, qui cum hisce veluti Aegypti spoliis Dei arcam exornare possent, aetatem in iis sine fructu contererent. Cum his eam latinae, graecae, hebraicae, syriacae linguarum cognitionem copularat, quae ipsis quoque adversariis ejus commendationem expressit. Consumptus nimia animi contentione octo dierum spatio vir cetera robustus obiit 20. Maji 1609 anno aetatis suae 59[1]).

214. Plurima reliquit Serarius opera[2]), quorum alia spectant ad ss. literas,

---

[1]) Cf. Le Long Biblioth. s. „Tous ces ouvrages, inquit Feller II, 74, sont en latin; il y a des recherches et des singularités.“

[2]) Martini Sebaldi Norici parochi himbergensis est *Psalmorum* Davidis regii prophetae juxta ordinem atque dispositionem romani breviarii *paraphrastica expositio*, quae cum variis additamentis prodiit Moguntiae 1619.

[3]) Alius a Vincentio Bruno S. J. Ariminensi († 1594), cujus *Meditationi* sopra i principali Misterj della Vita, Passione e Resurrezione di Cristo N. S. etc., Vinegia 1585. 1586. 1588 pp. 4 in 12 saepe prodierunt et in varias linguas fuerunt conversae; Tr. *del Sacramento della Penitenza* con l'esame della Confessione Generale, Venetiis 1585 etc.

---

[1]) Cf. Sotvellum, Biblioth. script. S. J.

[2]) Eorundem catalogum cf. ap. Sommervogel VII, 1134—45; Ruland 13 ss.; de

alia sunt polemica, alia ad historiam referri possunt. Prioris generis sunt: *Josue ab utero ad ipsum usque tumulum* e Moysis Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, et a proprio ipsius libro toto ac paralipomenis ll. 5 explanatus t. 2 in f.; Moguntiae 1609, 1610; Lutetiae Parisiorum 1610; Coloniae 1610, commentarius insignis; *Judices et Ruth explanati*, Moguntiae 1609 in f.; Lutetiae Parisiorum 1611; *in ss. divinorum bibliorum ll. Tobiam, Judith, Esther, Machabaeos commentarius,* Moguntiae 1599 in 4; 1610 in f.; Lutetiae Parisiorum 1611; ejus pars scil. in Tobiam et Judith reperitur quoque in thes. s. Scripturae ed. Migne t. 12. et 13. *In ll. Regum et Paralipomenon commentaria* posthuma, Moguntiae 1612; 1617 in f.; Lugduni 1618; *Prolegomena biblica et commentaria in omnes epistolas canonicas*, Moguntiae 1612; Lugduni 1704. Secundum Richard Simon[1]) omnes habuit Serarius dotes interpreti s. Scripturae necessarias: non solum enim accurate callebat linguas graecam et hebraicam, ac multo melius quam alii interpretes, verum versatus quoque erat in s. Scripturae stilo multumque huic studio erat deditus. Ejus tamen methodus non sat critica est, suisque commentariis et quaestionibus nimis immiscet eruditionem ascititiam, et licet sit doctus, non semper sat est exactus. Sagacitas ejus et ingenium maxime eminent in suis prolegomenis in s. Scripturas, in quibus quaestiones plures breviter, sed solide pertractat. Ad s. literas illustrandas referri quoque possunt plura ejusdem opera historica, quae sunt: *Josuani sacerdotes; de Salomonis peccato et poenitentia; Naaman Syrus jam sanus; Trihaeresium seu de celeberrimis tribus apud Judaeos Pharisaeorum, Sadducaeorum et Essenorum sectis,* ad varios utriusque T. veterumque scriptorum locos intelligendum et ad nupero Joan. Drusii de Hasidaeis libello respondendum, Moguntiae 1604 in 8, ad quod cum laude provocat Petavius[1]), scribens: „De quibus (sectis judaicis) quoniam summa cum eruditione ac diligentia Serarius noster 3 ll. disseruit, et quae a me observari possunt, occupavit omnia, cupidum earum rerum lectorem ad illius lucubrationem dimittendum potius arbitror, quam otiosa repetitione detinendum.“ *Rabbini et Herodes,* seu de tota Rabbinorum gente, partitione, creatione, auctoritate pluribusque rebus aliis et sacris et profanis, maxime de Herodis tyranni natalibus, Judaismo, uxoribus, liberis et regno ll. 3 adversus Jos. Scaligeri eusebianas annotationes et J. Drusii responsionem, Moguntiae 1607 in 8; *de 12 sanctis D. N. J. Christi apostolis*

---

scriptis exegeticis Falk Bibelstudien in Mainz S. 206—210.

[1]) Histoire crit. du V. T. l. 3. c. 12. Andres l. c. p. 6. l. 2. c. 3: „Ancor quando i lunghi commentarii del Serario non compensassero con molti pregi la prolissità, ridondanza di cose non necessarie ed altri diffetti, come li compensano pienamente, nè le qualità d'interprete delle Scritture, che al dire del Simon tutti in lui si ritrovano felicemente riunite, gli meritassero particolar nome, bastano le savie regole, che spande per l'esegetica negli eruditi e copiosi suoi prolegomeni, per dargli distinto posto fra' più lodati commentatori.“

[1]) Ad Epiphanii haeres. 14. annot. Cf. ad haer. 20. n. 1. Opinabatur Drusius in op. *Quaestionum hebraicarum ll. 3*, ed. 2. auctior, Franekerae 1599 l. 1. q. 47 Assidaeos, quorum mentio occurrit 1. Machab. 2, 42; 8, 13; 2. Mac. 14, 6. non fuisse nisi illos viros sapientes Israelis, qui postmodum dicti sunt Pharisaei atque Sadducaeis adversabantur, nomenque Assidaeorum haesisse Essenis. Tuebatur vero Serarius in suo ad Machab. ll. commentario eos ipsos esse Essenos atque distingui a Pharisaeis, eorumque nomine designari sectam, quae virtutem austeram profitebatur. Huic sententiae opposuit Drusius: *De Hasidaeis,* quorum mentio in ll. Mach. libellus, Franekerae 1603, cui respondet Serarius libro, de quo nunc loquimur. Diu tenuit haec controversia, ultro citroque protulit nova responsa, de quibus cf. Backer III, 763.

disputatio in 100 assertiones tributa, Herbipoli 1589 in 12; *Divus Paulus apostolus et Judas Iscariotes* ib. 1591; *Kiliani Franciae orientalis*, quae et Franconia dicitur, *gesta* variis cum annotationibus historicis, dogmaticis, Herbipoli 1508 in 12; in Act. SS. 8. Jul. II, 614—19; in Ludewig Rer. Herbipol. script., l. pretiosus pro historia; *Comitum par genere, potentia, opibus heroicaque virtute inclitum*, b. Godefridus Westphalus et s. Romaricus Austrasius e mss. ll. cum notatiunculis, Moguntiae 1605 in 12; ex parte in Act. SS. Jan. I, 848 ss. Haec omnia continentur t. 1. operum Serarii, quae 3 vol. prodierunt comprehensa Moguntiae 1611. His operibus historicis duo in primis addenda, quorum primo bene meruit de ecclesia moguntina, cui titulus est: *Moguntiacarum rerum* ab initio usque ad rev. et ill. hodiernum archiepiscopum ac electorem D. D. Joannem Schwichardum ll. 5, Moguntiae 1604 in 4; cum notis et supplemento recusi in opere inscripto: *Scriptores rerum moguntiacarum*, Francofurti 1722 t. 1. cur. Ge. Christ. Joannis. *Epistolae s. Bonifacii M.* primi moguntini archiepiscopi, Germanorum apostoli, pluriumque pontificum, regum et aliorum nunc primum e caes. maj. viennensi bibliotheca luce notisque donatae, Moguntiae 1605 in 4; 1629; Parisiis 1639.

215. Sequuntur opera *didactica* et *polemica*[1]) (pleraque) comprehensa v. 2. et 3. editionis moguntinae 1611. Potiora sunt: *De athanasiano symbolo* disputationes 3, Wirceburgi 1590 in 4; disputatio *de sacramento extremae unctionis*, ib. 1578 in 4. (etiam in *thesauro* Zachariae XII, 696—715); *de catholicorum cum haereticis matrimonio* quaestiones, Moguntiae 1606; Coloniae 1609; et in thesauro cit. 716—754; *contra novos novi pelagiani et chiliastae* (i. e. Francisci Puccii Filidini) *errores* Wirceburgi 1593 in 4; *Litaneutici* seu de Litaniis libelli duo, in quorum priore monstratur earum natura et fructus: haereticaque perinepta earundem correctio; in posteriore, de iisdem et sanctis eorumque invocatione multiplices tractantur quaestiones, Coloniae Agrippinae 1609; *Sacri peripatetici* sive de s. Ecclesiae catholicae processionibus ll. 2, ib. 1607 in 8; *Lutheroturcicae orationes*, quarum prima quaerit, utrum verum sit, Lutherum, quemadmodum de se ipso ipse scripsit t. 7. l. de missa angulari, diabolo magistro usum esse, Ingolstadii 1603, quod argumentum retractat in op. *de Lutheri magistro* ut digito possit monstrari et dici hic est, ad lutheranos praedicantes ll. 2, in quibus duo haec: 1. Tota diaboli cum Luthero disputatio ad verbum; 2. disputationis ejusdem dispunctio et ad ipsius diaboli argumenta omnia responsio, Moguntiae 1604, quod opus plures secuti sunt libelli apologetici. Idem argumentum etiam germanice tractat in l.: *Des Luthers Nachtlied* d. i. kurtzer, wahrhafftiger, beständiger und gründlicher Bericht von der großen und ersten Erleuchtung, durch welche . . . D. M. Luther seine Lehr im anfang offenbaret worden, Moguntiae 1603. Oratio secunda inquirit, utrum christiani et maxime religiosi nominari possint magistri et doctores; tertia utrum quisquis theologiae doctor est, is eo ipso ad pastoralia et episcopalia officia legitime vocatus sit. Recusae fuere cum duabus orationibus antiturcicis Moguntiae 1604 in 8.

---

[1]) Dupin recensitis Serarii operibus ita concludit: „Serarius avait beaucoup d'érudition, et étoit très-habile dans les matières, qui concernent l'Ecriture sainte. Il n'est si exact dans ce qui regarde l'Antiquité Ecclésiastique, ni si fort sur la controverse. Il écrivoit facilement, mais sans politesse. En traitant une matière, il descend souvent dans des minuties inutiles et ennuïeuses, et s'écarte quelquefois de son sujet pour attaquer les Protestants et agiter des questions de controverse.“ Cf. Roskovány 2, 532.

216. E *gallis* praetermissis Christophoro Laureto Agindinensi, consiliario regio, cujus exstat: *Hozoar* sive *illustratio prophetarum de plenitudine temporis Messiae*, Parisiis 1610 in 8. — Paulo Rivière, cujus exstat *chronicon regum Israelitarum*, Parisiis 1600 in f. — Joanne Nodin O. S. Franc. († 1611), cujus est *Victoria Hebraeorum adversus Aegyptios* catholicorum triumphum contra haereticos praesignificans h. e. commentaria in priora 15 Exodi cc., Lugduni 1611, cujus editionem curavit Desiderius Richard doctor parisiensis: in primis speciali mentione est dignus Petrus Morinus Lutetiis Parisiorum natus a. 1531, qui relicta juris disciplina, cui a patre destinatus fuerat, totum se studio operum patrum dedit. Fere semper in Italia versabatur, operam suam primum dicans Paulo Manucciò, celebri illius temporis typographo, donec a s. Carolo Borromaeo, qui eum maximi fecit propter solidam virtutem insignemque eruditionem ecclesiasticam, invitatus Romam venit. Hic strenuus fuit socius variis in operibus conficiendis edendisque sub auspiciis praesertim Gregorii XIII. et Sixti V., ut in *conciliorum generalium collectione*, quae Romae prodiit 1608 v. 4 in f.; in emendatione decreti Gratiani et editione *corporis juris canonici*, quae lucem aspexit Romae 1582 v. 4 in f.; in correctione vulgatae et in nova editione *versionis septuaginta interpretum* in lucem emissa[1]) 1587, quae quia admodum rara, recusa fuit a celebriori Joanne Morino presbytero Oratorii (1628). Huic versioni graecae adjecit versionem latinam, Romae 1588. Caesari quoque Baronio in concinnandis suis annalibus utilem navabat operam. Cetera ejusdem scripta edidit Quetif O. Praed. Lutetiis Parisiorum 1675, ex quibus ad rem nostram sunt: tractatus *de bono usu et abusu scientiarum*, in quo prudentia plena tradit praecepta de methodo et ordine studendi, quid cavendum sit quid adnitendum pro consequenda sana solidaque scientia theologica, quae etiam ss. patrum, Augustini praesertim et Basilii, verbis confirmat. Concilii Florentini editioni praemittit adhortationem ad Graecos, in qua de eorum schismate, primatu romani pontificis etc. erudite disserit. Utebatur stilo admodum nitido ac facili, eratque vir in latino, graeco, hebraico, syriaco et chaldaico idiomate ac ecclesiasticis antiquitatibus versatus, laboris patiens, a proprii quaestus ac novitatum studio alienus, pro Ecclesiae ac reipublicae literario bono propensus, religione et pietate excellens atque Ecclesiae addictus[1]).

---

[1]) Huic editioni elaborandae operam dederunt praeter Morinum sub Pio V. Guil. Sirletus (p. 258), Ant. Caraffa (p. 261.), Latinus Latinius (p. 286.), Marianus Victorius (p. 88), Paulinus O. Praed., Emmanuel Sa S. J. (p. 222), Parra, Antonius Agellius. Sub Gregorio XIII. Antonius Caraffa, Laelius ejus theologus, Franciscus Turrianus (p. 281), Petrus Ciaconus (p. 279), Joannes Maldonatus (p. 241), Ant. Agellius, Petrus Comitolus, Fulvius Ursinus (p. 288), Joannes Livinejus (p. 275), Bartholom. Valverde (p. 164), Robertus Bellarminus et Franciscus Toletus. De hac editione scribit (pro sua aetate) Joannes Morinus Exercit. biblic. 9. c. 1: Editio romana „omnium editionum, quae exstant, purissime et defaecatissime divinum illum textum LXX interpretum, qui in Ecclesia universa ante Origenem legebatur, nobis repraesentat. Secundum eam pura est editio Venetiis a. Christi 1518 ab Aldo cusa.“ Brianus Waltonus in proleg. IX. suae polygl. § 32: „Etsi editionem hanc omnium, quae exstant, maxime sinceram judicamus et proxime ad puram LXX interpretum editionem accedere, tamen ex omni parte perfectam esse non audemus asserere, cum hoc non asserant, qui ipsam ediderunt. Quaedam enim habere potest sphalmata ex librariorum incuria, incogitantia vel audacia introducta.“ Cf. plura in Le Long Biblioth. s. p. 1. p. 187 ss.

[1]) Cf. Dupin 17, 12—18, qui notitiam ita absolvit: „Enfin l'on peut dire, qu'il n'y a point eu de ce temps-là d'homme de lettres, qui eût plus d'érudition et de beauté d'esprit.“

Obiit Romae 1608, postquam 38 annos ibidem esset commoratus.

217. De versione s. Scripturae gallica sollicitus fuit Renatus Benoit, qui Andibus (prope Andegavum) natus a. 1521 medicinae primum studuit, in qua doctoris lauream promeruit, postea et theologiae, in qua pariter doctor est renunciatus. Parisios se contulit 1548 ac repetitis studiis philosophicis et theologicis altera vice 1559 doctor theologiae est declaratus. Transiit in Scotiam (1560) factusque est Mariae Stuart reginae a confessionibus et concionibus, sed post biennium rediit in patriam atque parochi munere est functus. Edidit *Biblia s. V. et N. T.* juxta Vulgatam „a mendis, quibus innumeris partim scribarum incuria, partim sciolorum audacia scatebat, summa cura parique fide repurgata, atque ad priscorum probatissimorumque exemplarium normam, adhibita interdum fontium auctoritate, expressa Parisiis 1541, cui ed. (Parisiis 1564; 1566 in f.) adjecit scholia marginalia et Stromata in universum organum biblicum divisa in 4 pp., quarum 1. complectebatur Isagogen brevem in universam Scripturam; 2. singulorum ll. argumenta; 3. admonitionem locorum s. Scripturae, quibus prave detortis et perperam expositis abutuntur haeretici; 4. collectionem eorum locorum, quibus contra haereticos confirmatur catholica doctrina. Textum tamen tot obelis, asteriscis additionibusque ita oneravit, ut eum redderet incertum. Ut fidelibus magis prodesset, statuit et s. Scripturam in linguam vertere gallicam; sed nimis usus est versione Calviniana adjectis annotationibus pariter a Calvinianis haustis, Parisiis 1566 t. 2 in f.; 1568. Acri propterea censurae facultas theologica versionem cum annotationibus subjecit opusque supprimendum decrevit 15. Juli 1567: hinc et regio decreto 1569 fuit suppressum. Specie tenus censurae se subjecit, sed tergiversationes ob suas demum a facultate fuit exclusus 1. Oct. 1572. Causa Romam delata Gregorius XIII. censuram confirmavit 3. Oct. 1575 atque versionem prohibuit, cum in ea deprehendantur errores, blasphemiae, haereses intolerabiles. Post a. demum 30 (1598) facultatis judicio se subjecit[1]). Interim plura edidit opuscula (circa 150) pro defensione fidei catholicae, inter quae ex. gr. *Manifeste et necessaire Probation* de l'adoration de J. Christ . . . en l'hostie sacrée etc., Parisiis 1562; 1566; 1569; *Le Triomphe et excellente victoire de la foy* par le moyen de la veritable et toute puissante parole de Dieu, ib. 1562; 1568; Traité catholique *des images et du vray usage d'icelles*, cum scriptis Theodori Studitae et Jo. Damasceni de hoc argumento gallice versis, ib. 1564; *Traicté du sacrifice evangelique,* ib. 1564; Tr. *des dixmes,* ib. 1564; *de la communion des saincts*, ib. 1565; *de l'authorité des Conciles generaux,* 1566; 1584; *des processions des chrestiens,* ib. 1572; 1596; *de la predication* et ouïe de la parole de Dieu, ib. 1582 etc. Aetate jam provectum rex delegit in episcopum trecensem, quem tamen romanus pontifex non acceptavit. Obiit 7. Mart. 1708 a. natus 87. Erat regi a confessionibus et a consiliis tam publicis quam privatis.

218. In *Italia* plures se hoc tempore sacrarum literarum studio dederunt, plerique tamen obscuri sunt nominis[2]). Galeatus Trissinus, vicen-

---

[1]) Cf. Feret I, 387—395, qui II, 130—153 accurate ordine chronologico scripta innumera hujus scriptoris feracissimi et velociter scribentis recenset; d'Argentré coll. jud. 1, 392 ss.; A. Galitzin, M. K. Benoit Angevin Confesseur du roi Henri IV, Angers 1864; Levesque in Vigouroux Dictionnaire de la Bible I, 1601; R. Simon Hist. crit. des Vers. du N. T. c. 11 op. II, 142; et c. 30 p. 342 ss.

[2]) Petrus Bongus (Bong) canonicus bergomensis († 24. Sept. 1601) disputavit prolixe et sat singulariter *de mystica nu-*

tinus, in lucem emisit *selectarum expositionum in Genesim ll. 2*, Patavii 1612. 1613 in 4; *in Exodum*, Venetiis 1614 in 4. — Alexander Archirota O. Olivet. n. 1492, qui decessit 1611 senex 120 annorum, praeter alia scripsit *in ll. Samuelis et Regum* commentarium, Oxonii 1613; 1635 in 4; *discorso sopra diversi luoghi della s. Scrittura*, Florentiae 1581; *Raccolta dei fatti dei Re*, de'quali si fa menzione nella s. Scrittura, ib. 1581—83. pp. 2 in 8. — Tuccius Tuccius Lucensis, protonotarius apostolicus et jurisconsultus, scripsit *annotationes super cantica canticorum*, Lugduni 1606 in 4. — In eadem commentaria reliquit Christophorus Silvestranus Brenzoni O. Carm. Veronensis, theologiae professor et concionator († 20. Maj. 1608); commentariia *in d. Lucam*, Veronae 1595; lectiones *in ep. d. Pauli*, italice, ib. 1591. — *Isaiam* explanavit 2 vol. in 4., Perusii 1598, Thaddaeus Guidellus O. S. Aug. Perusinus († 1606), theologiae professor[1]), voto unanimi in ordinis generalem electus (1570) et iterum confirmatus, de ordine optime meritus, qui interfuit etiam concilio tridentino, in quo et orationem habuit, apud Le Plat I, 398—406, († 1608). — *Psalmos* enarravit Sixtus Lampertus, Romae 1611 in f. — *Cantica* canticorum Constantinus Leonida, Venetiis 1610 in 4. — Vincentius Regius S. J. Panormitanus († 1614 a. aetatis 70) scripsit[1]) *Evangelicarum dilucidationum ll. 8* in totidem Enchiridii evangeliorum ll., in quibus vita D. N. ex 4 evangelistis desumpta continetur, habita quantum fieri potuit temporum ac locorum ratione, quibus ea, quae narrantur, verosimilius accidisse creduntur, suis scholiis, theoriis ac digressionibus illustrata, Coloniae 1615. 1616 3 v. in f., quo opere (valde raro) continentur tantum ll. 5, neque illud ipsum *enchiridion*, cujus exhibent commentarium, videtur prodiisse. — Ad *Apocalypsim* illustrandam corrasit quidquid potuit Antiochus Brondo O. B. M. V. de Merc. Calaritanus, cum in tria priora cc. Apocalypsis commentariis, paraphrasibus, conceptibus praedicabilibus et disputationibus 2 vol in f. repleverit, Romae 1612. — Pantaleon Panvinius reliquit *expositionem in loca difficiliora s. Scripturae*, Vicentiae 1612 in 4. — Notior jam est Marius a Calassio (ita cognominatus ab oppido patrio) O. S. Franc., qui addiscendae linguae hebraicae ejusque percipiendis et enodandis mysteriis totus incubuit, tantosque in hoc studii genere fecit profectus, ut eum Paulus V. generalem in Urbe sacri idiomatis magistrum in-

merorum significatione, Bergomi 1583. 1584, pp. 2, opus saepe editum; ib. 1599, ed. praecipua cum appendice. — Joannes Placentinus O. Min. reg. obs. composuit arborem magnam tabulamque hoc titulo: Sacrosancta J. Christi ... Deiparaeque V. Mariae *genealogia*, gentiumque regnorum ac monarchiarum origo ab Adam ad Christum usque Venetiis 1612. — Bartholomaeus Dionigi Fanensis, cujus *Compendio istorico del V. e del N. Testamento* cavato dalla s. Bibbia, Venetiis 1587; 1665 quondam prohibitum fuit decr. 30. Jul. et 17. Oct. 1678. Praeter alia (quae cf. apud Morum bibl. pic. IV, 4 ss.) scripsit quoque *Dell' istorie del Mondo* p. V. aggiunta novamente alla notabile Istoria di M. Giov. Tarcagnota, la quale ripigliando ove egli lascia, contiene quanto è successo sino all'anno 1606 etc. Venetiis 1606; 1610; 1633. — Opera Jacobi Raymundi O. Carm. ex oppido Gavii, viri docti († 1618) non videntur prodiisse.

[1]) Alius ab eo est Paulus Guidelli medicus physicus, qui pariter in conc. tridentino orationem habuit 28. Dec. 1561, quam habes apud Le Plat I, 295—305.

[1]) Hujus forte frater est Carolus Regius pariter Panormitanus et S. J. († 1612), cujus est *Orator christianus*, in quo e ss. literarum doctrina ssque PP. auctoritate ostendit quae concionatoris sint partes ut rite munus illud apostolicum sustineat ll. X, Romae 1612; Moguntiae 1613 cujus *epitomen* exhibet Zaccaria in *Disciplina populi Dei*. Cf. Keppler Theol. Qtlschr. LXXII (1892), 104 ss., qui desiderat in eo majorem claritatem et accurationem.

stituerit doctorisque privilegio et titulo, sui sodalitii viris plane insolito et pene interdicto, decoraverit. Eo totum ejus tendebat desiderium, ut uberior et frequentior fieret hujus linguae notitia. Tempus nullum, nec quod in fratrum triclinio necessariae refectioni supererat, absque lectione praetermittebat, nec absque codiculo quoquam hebraeo in publicum vel in campos prodibat, ipsaque obitus die (24. Jan. 1620) psalmos hebraice recitavit. Praeter *grammaticam, canones generales linguae sanctae* et *dictionarium hebraicum* composuit *Concordantiarum ss. bibliorum hebraicorum t. 4* in f., in quibus chaldaicae etiam concordantiae ll. Esdrae et Danielis suo loco inseruntur, Romae 1622. Post thematum seu radicum omnia derivata et usu latius deducta ac linguarum chaldaicae, syriacae et arabicae vocabulorumque rabinicorum cum hebraicis convenientiam latina ad verbum versio adjungitur, ad quam vulgatae et septuaginta editionum differentia fideliter expenditur. Demum ad ultimi tomi calcem nomina propria ss. codicum novo ordine digeruntur[1]). Magni fit ab eruditis hoc opus, praesertim editio londinensis a. 1747.

219. Prae ceteris tamen eminet Antonius Agellius Surrentinus, clericus regularis, vir ab eximia morum innocentia et a doctrinarum laude sacrisque praesertim literis commendatissimus. Praefectus erat typographiae vaticanae, hinc habuit partem in editione operum magni momenti, ut in edendo textu graeco N. T., in edenda versione alexandrina emendata, in colligendis fragmentis versionis italae, in correctione Vulgatae[2]) etc. A Clemente VIII. sublectus est episcopus acernensis 24. Nov. 1593. Aliquot annos laudatissime rexit hanc ecclesiam, sponte dein episcopatu se abdicavit, diemque clausit supremum 1608 a. aetatis 76. De eo ita scribit Latinus Latinius[1]): „Antonius Agellius neapolitanus sacerdos ex eorum sodalitio, quos clericos regulares vocant sanctique Silvestri sacram aedem incolunt . . . unus ex omnibus, quos noveram, in ss. literarum studiis triplici linguarum scientia praeditus ita versatus est, ut inter eos, qui ad ss. biblia graeca restituenda atque illustranda jam ante quinquennium electi sunt, primum locum obtineat. Neque in ea tantum gravissima curatione munus suum implet, sed et Cyrilli 17 de adoratione in spiritu ll. latinos fecit, et in Psalmos multa comparavit aliquando ad communem utilitatem publicanda.“ Ejus in correctione versionis graecae alexandrinae labores pluribus refert Mich. Ghisleri, inter alia de eo ita scribens[2]): „In qua quidem exploratissimum mihi est, laboratum prae omnibus a P. nostro Agellio, qui variorum codicum graecorum contulit contextus, habita ratione lectionis hebraicae ceterarumque versionum vetustarum et iterum ipsorum LXX, prout diversimode a veteribus patribus referrentur, et singula postmodum expensa in congregatione, quae coram praedicto cardinale Caraffa et magistro s. palatii a praenominatis fiebat, exactius proponebat examinanda, ac perpensis variis lectionibus adductisque hinc inde rationibus ibidem definiebatur, quae quoquo in loco ut melior ponenda esset et verior . . . Quod si D. Petrus Morinus in colligendis lectionibus, quae post singula cc. positae reperiuntur in correctis codicibus, desudavit, sciendum tamen est, in illis quoque maximas et fortasse praecipuas partes ex-

---

1) Cf. Joannes a s. Ant. II, 330 s.
2) Cf. Kaulen Gesch. der Vulg., Mainz 1868 p. 442 ss.

1) Epist. ad cardin. Ant. Perenotto a. 1586 epist. II, 191.
2) Apud Vezzosi I. Scrittori dei chierici regolari 1, 10. Cf. et Jos. Silos, Hist. clericorum reg. III, 337 et 533 s.; Le Long, Biblioth s. c. 3. p. 189 s. et 268.

stitisse Agellii.« Opera ejusdem sunt: *Commentarius in Psalmos et in Cantica*, Romae 1606; Coloniae 1607; Parisiis 1611, quo meliorem non facile invenies: optime in eo lectiones alexandrinas vulgatasque defendit et explicat, at semper hebraici quoque textus rationem accuratam habet[1]). *Commentarius in Threnos* collectus ex auctoribus graecis et in eosdem explicatio et catena graecorum patrum ex ejusdem versione, Romae 1598 in 4; *Commentarius in Proverbia Salomonis* (inter opera Aloysii Novarini, Veronae 1649); *Commentarius in prophetam Habacuc*, Antwerpiae 1697 in 8. Plura manserunt inedita. »Nostra commentaria, inquit Michael a s. Joseph Bibliogr. crit. I, 139, sunt vere eximia et vel severioribus criticis Calmeto, Dupinio ac Simonio maxime commendata.« Multum quoque illum commendat Ernesti, qui de eo haec habet[2]): »Unum Ant. Agellium, episcopum acernensem, commemorabimus, ut per hanc occasionem etiam notior fiat studiosis harum literarum. Nam fuit ille hebraice graeceque doctissimus versatusque excellenter in scriptis doctorum Ecclesiae veteris, in primis graecae, nec modo editis, sed etiam ineditis ... Editos autem habemus quatuor (commentarios), e quibus nos eos cognovimus habemusque in manibus, qui sunt in Psalmos cum ceteris canticis, ut Mosis etc., et in Habacucum; sed hic brevior est, eruditus tamen, ille admodum copiosus et eruditus, sive criticam spectes, quam bene et circumspecte tractat allatis etiam lectionibus codicum scriptorum, sive interpretationem ipsam. In primisque plenus est excerptis e commentariis graecorum ineditis tum, quibusdam et nunc ... Hic igitur tam doctus interpres in hac nostra narratione praetermitti non potest.« Etiam a Rosenmüller dicitur[1]) »eruditissimus et sagacissimus vir, qui potissimum in versionis graecae alexandrinae atque latinae vulgatae rationibus explicandis felicior aliis versatur[2])«.

[1]) Cornely l. c. pag. 679.
[2]) In opusculis theolog. p. 226. Lipsiae 1773.

[1]) Praef. op. Psalmi annotatione perpetua illustrati, Lipsiae 1821; Cf. Levesque in Vigouroux Dict. de la Bible I, 265.
[2]) Bernardinus Amico O. Min. Gallipolitanus, conventus hierosolymitani guardianus (1596) publicae luci dedit tr. *delle piante ed imagini* de' sacri Edifici di Terra santa, disegnate in Gerusalemme, Romae 1609; Florentiae 1620 cum 35 tabulis (fl. 1611). — Jacobus Bundi parochus († 1614) lingua ladinia suum iter hierosolymitanum a. 1591—92 descripsit, quae descriptio demum cur. C. Decurtins in Archivio glottologico VII, 149-96 prodiit. — Leonardus Abela melitinensis (n. 1541), juris doctor, canonicus et vicarius generalis, dictus est episcopus sydonius a Gregorio XIII. et missus nuncius in Orientem, nam bene callebat Orientalium linguas. Rediit ex Oriente secum afferens quam plurimos veteres codices († 12. Maj. 1605). Rationem reddidit sui itineris Sixto V., quam habes apud Baluze in Miscell. ed. Mansi IV, 150-158; gallice ed. ab Adolpho d'Avril: *Une mission religieuse en Orient* au XVI siècle, Paris 1866.

IV. Patrologia.

220. Paucos[1]) hac epocha reperimus, qui opera patrum scriptorumque ecclesiasticorum vel alia antiquitatis monumenta ediderint atque illustraverint.

[1]) His tamen adde Franciscum Feuardentium (de quo cf. p. 414), Henricum Cuyck, Jo. Busaeum (p. 421), etiam Marcum Welser augustanum († 23. Jun.

Inter hos claret Gerardus Vossius[1]) (Vosquens), Belga, Borchlonii in eburensi comitatu a. 1540 natus, vir graece ac latine apprime eruditus et probitatis, innocentiae virtutumque omnium non minus quam scientiae laude praestans[2]). Erat praepositus tongrensis, protonotarius apostolicus et s. theologiae doctor. Totum se edendis ss. patribus dicabat, hinc etiam diu Romae commorabatur, ubi Gregorii XIII. gratia et amicitia doctissimorum card. Sirleti et Caraffae fruebatur († 25. Martii 1609). Primus edidit s. *Ephraemi syri opera* in linguam latinam versa notisque illustrata, Romae 1589—98 t. 3 in f., recusa Coloniae 1603; 1619; Antwerpiae 1619; praeterea *orationem Theodoreti de caritate; opera s. Gregorii Thaumaturgi* graece et latine, quibus adjecit tamquam alterum tomum *Miscellanea* aliquot patrum, Moguntiae 1604 graece et latine in 4; recusa Parisiis 1622 in f., quae editio est melior et plenior, simulque exhibet *Macarium* et *Basilium seleuciensem* atque *canonicas ss. patrum epistolas* cum commentariis; *Gesta et monumenta Gregorii IX.* cum scholiis 1586; *S. Bernardi de consideratione ll. 5* cum commentario 1594, pluresque *S. Joan. Chrysostomi orationes,* graece et latine 1580. Paraverat et editionem operum s. Leonis, sed morte praeventus eam non potuit absolvere. — Ab hoc sejungendus non est Henricus Canisius, e b. Canisii familia, Noviomagiensis, juris utriusque doctor, ab a. 1590 ad mortem usque (2. Sept. 1610) juris canonici professor in academia ingolstadiensi, cui octies rector praefuit et quae illum hoc ornavit elogio: »Vir fuit Canisius singulari virtute atque doctrina, caelibem semper vitam duxit; in victu ac vestibus modestus admodum; solitudinis, templi, pauperum nunquam non sincerus fuit amator.« »Vir fuit, inquit Doujat[1]), omnis literaturae studiosus, idque semper curavit, ut ex ipsis fontibus depromptam jurisprudentiam perspicue certoque ordine traderet.« Hoc testantur plurima ejusdem opera de jure canonico, ut *Summa juris canonici* in 4 institutionum ll. contracta cum concordatis Germaniae et commentario in regulas juris l. 6. decretalium, cum appendice de differentiis juris utriusque, Ingolstadii 1594, saepius recusa, ultima forte vice Wirceburgi 1707; *praelectiones academicae* in titulos duos singulares juris canonici; de decimis, primitiis et oblationibus deque usuris Ingolstadii 1609 in 8; *commentarius in l. 3. decretalium,* seu titulos illius celebriores, Spirae 1613; posthuma diss. *de sponsalibus et matrimonio,* supra 4. l., Ingolstadii 1613; *de immunitate ecclesiastica,* ib. 1597 in 4; aliaque quae collecta prodiere hoc titulo: *Opera juris canonici*[2]), Lovanii 1649 in 4; Coloniae 1662 in f. cura

---

1614) celebriorem quidem propter *Rerum augustanarum commentarios ll. 8* conscriptos, Venetiis 1594 in f.; germanice Augustae 1595; *Annalium bojorum ll. 5,* Augustae 1602; germanice Tridenti 1605 in 4., aliaque (quae cf. Zedler 54, 1627 s.): hic tamen mentione dignum, quod ediderit nonnulla patrum graecorum *(Gregorii naz. et nysseni, Basilii, Chrysostomi etc.)* scripta; atque etiam: *Conversionem et passionem ss. martyrum Afrae, Hilariae, Dignae, Eunomiae, Eutropiae,* quae ante a. paulo minus 1300 Augustae Vindelicorum passae sunt, Venetiis 1581 in 4; *Vitam s. Udalrici* Augustanorum Vind. episc.; *historiam Eugippi de s. Severino* Noricorum apostolo etc.

[1]) Distingui hic debet a pluribus viris eruditis ejusdem nominis, sed protestantium doctrinis addictis, in primis vero a Gerardo Joanne Vossio (1577—1649) polyhistore, cujus opera prodiere Amstelodami 1695—1701 v. 6 in f.

[2]) Ejus virtutes laudat Janus Nicius Erythraeus Gerardi familiaris Pinacoth. II, 37.

[1]) Praenot. can. l. 5. c. 8.; Mich. a s. Joseph II, 358. Eum commendant etiam Andres p. 6. l. 3. c. 2; Schulte III, 130 etc.

[2]) Inter haec reperitur etiam brevis *commentarius in l. 5. Decretalium* Joannis Wiringi Campensis, professoris lovaniensis († 1607), secundum al. 1601).

Desselii. Non solum autem juri canonico incubuit, sed etiam investigandis antiquitatis monumentis, hujusque investigationis fructum complexus est opere suo tempore pretioso, cui titulus: *Antiquae lectiones,* seu antiqua monumenta ad historiam mediae aetatis illustrandam, nunquam edita, omnia nunc primum ex mss. edita et notis illustrata, Ingolstadii 1602—1604 t. 6 in 4., quibus adjecit 1608 t. 7. *Promptuarium ecclesiasticum.* Hac in collectione 55 auctores nunquam antehac editi continentur. Cum vero auctor eruditus nullum servasset ordinem in edendis hisce monumentis, novam curavit editionem aliis additis, aliis minoris pretii omissis Basnagius, quae prodiit Antwerpiae (Amstelodami) 1725 hoc titulo[1]): *Thesaurus monumentorum ecclesiasticorum et historicorum* t. 7. Praeterea primum edidit Canisius *Chronica Victoris ep. Tunnunensis* et *Joannis ep. Biclariensis* et *Legationem Luitprandi*[2]), Ingolstadii 1600; *Historiam miscellam Pauli diaconi,* ib. 1603.

[1]) Journal des Savants LXXX, 148 ss. et 374 ss.

[2]) Hieronymus Romanus de la Higuera S. J. Toletanus (n. 1538, † 14. Sept. 1611) eo tempore a pluribus magni factus multa ad Luitprandi cremonensis episcopi operum, quae exstant, editionem paravit, quae demum cura Lorentii Ramirez de Prado hujusque notis illustrata prodiit, Antwerpiae 1640 in f.; magna ex parte etiam in patrol. Migne t. CXXXVI. Male tamen audiit Higuera quod magna dexteritate finxerit *chronicon,* quod tamquam haustum ex antiquitatis monumentis tribuit Flavio Lucio Dextero, Marco Maximo et Luitprando. Illud post ejus mortem repertum, saepius editum fuit magnoque a pluribus plausu exceptum, commentariis etiam illustratum ut a Francisco Bivario (cf. infra). Non defuere tamen viri eruditi, qui figmentum agnoverint illudque impugnaverint, ut Nic. Antonius in Censura de historia fabulosa 1742 et in bibl. hisp. v. II. l. 7 c. 8; Aguirre in sua ed. conc. Hispaniae etc. Plura alia manuscripta ejusdem cf. apud Sommervogel IV, 369—75.

121. Joannes Theodorici S. J. Macherentinus dictus ab oppido patrio ad Mosellam n. 1540, variis in urbibus theologiae professor († 1610) edidit: *Quis dives salvatur* Salviani adversus avaritiam ll. 4 ... scholiis marginalibus atque adnotatione consensus ss. patrum illustrati, Treviris 1609 in 4. Edidit quoque *Catecheses* una cum praxi catechistica, Augustae Trevirorum 1590 etc. — Plures *s. Augustini sermones* (de diversis 47 et fragmenta ss. 27) primum edidit Joannes Vlimmerius lovaniensis[1]), prior canonicorum regularium ad s. Martinum († 1612) Lovanii 1564; recognitionemque totius t. 10. editionis basileensis operum s. Augustini, 1569. Edidit praeterea *s. Fulgentii opera,* Antwerpiae in 8; Lanfrancum, Guitmundum, Algerum, Paschasium, Adelmanum *de veritate corporis et sanguinis Domini in Eucharistia,* Lovanii 1561. — Joannes Baptista Perettus archipresbyter veronensis († 1611) edidit cum Raphaele Baguta sub auspiciis Aug. Valerii ep. veronensis *sermones* s. Zenonis, Veronae 1586 in 4., necnon *ss. episcoporum veronensium antiqua monumenta,* quorum corpora et aliquot quorum ecclesiae habentur Veronae, eorum fere omnium SS. historiae ab iisdem collectae et ab A. Valerio ep. veron. contextae, Venetiis 1576 in 4. — Petrus[2]) Ridolfi (Rodulphus) O. Min. Conv. e Tossiniano Aemiliae oppido, episcopus senogallensis († 1601), recognovit editque *opera* s. Gregorii P. jussu Sixti V., Romae 1588—93 t. 6 in f., quam ed. aliae sunt secutae ib. 1613; Parisiis 1605; 1619; 1640; Antverpiae 1615; *Sermones* s. Petri Chrysologi Romae 1594; *Opera omnia* s.

[1]) Cf. Foppens Bibl. belg. II, 747.

[2]) Alius a Petro Ridolfini, cujus est *de ordine procedendi in judiciis* in romana curia, Romae 1659; 1670; Coloniae 1660; 1680, quod iterum prodiit inscriptum: *Praxis judicaria,* Venetiis 1726.

Bernardini senensis tam hucusque impressa quam recens inventa, Venetiis 1591 t. 4 in 4., ed. rara (m. 80); *historiarum seraphicae religionis ll. 3:* fundamenta, amplificatio, gradus et instituta, viri scientia, virtutibus et fama praeclari, Venetiis 1586 (m. 60); 1595, quo tamen in opere desideratur judicium criticum. — Nicolaus **Faber** (le Fèvre) Parisiensis (n. 2. Jul. 1544, † 4. Nov. 1612), Henrici Bourbonii, principis Condei, educationi ab Henrico IV. praefectus, primum publicavit *b. Hilarii pictaviensis episcopi ex opere historico fragmenta,* nunquam antea edita ex bibliotheca P. Pithoei, Parisiis 1598 in 8. Multum laudatur praefatio [1]). Totum se studiis dedit insigniterque in illis profecit; libentissime vero alios, inter quos Baronium, in libris edendis consilio et opera juvit [2]), ipse pauca admodum publica luce donavit: inter haec sunt quaedam *opuscula* (Parisiis 1614 cum ipsius vita) atque *epistolae*, in quibus erudite admodum varii argumenti quaestiones tractat, ut ex. gr. num gravioris mali causa levius committi possit; de justitia et misericordia divina, de variis editionibus operum ss. patrum, de vino myrrhato Christo patienti a militibus oblato (Marc. 15, 23), quae disputatio recepta fuit inter criticos sacros t. 7. ed. Francof. 1696 [1]).

222. Hunc post biennium (1614) secutus est Jacobus **Breulius** O. S. Bened. Parisiensis (n. 17. Sept. 1528) operum *s. Isidori hispalensis* editione clarus (Parisiis 1601), de qua Faustinus Arevalo scribit in proleg. ad Isid. op. p. 1. c. 37: „Editio Breuliana nitida est, accurata et editione Bignaei (1580) longe praestantior, regia quoque matritensi (1599) uberior, quamvis minus correcta.“ Ea recusa fuit Coloniae a. 1617. Aliud ejus praeclarum opus est: *Le Théâtre des Antiquitez de Paris*, où il est traité de la fondation des Eglises et des Chapelles de la Cité, Université, Ville et Diocése de Paris, comme aussi de l'institution du Parlement, fondation de l'Université, Colléges et autres choses remarquables [2]), Parisiis 1612; adjecit supplementum, 1614; 1618; 1639, quae ed. ceteris praefertur. Junioribus sodalibus soli-

---

[1]) „Sa belle préface sur les fragmens de s. Hilaire... a été admirée de tous les savants. Elle est écrite avec tout l'élégance possible, et est remplie d'une infinité de traits d'érudition. Il y débrouille avec un sagacité merveilleuse quantité de points importants de l'histoire de l'Arianisme, qui n'avoient point encore été éclaircis, et fait des remarques trés-savantes sur tous les monuments contenus dans les fragmens de l'ouvrage de s. Hilaire.“ **Dupin** XVII, 51.

[2]) Ita **Dupin** l. c. p. 49: „Comme il avoit commerce avec tous les savants de l'Europe, quand il apprenait que quelqu'un entreprenoit de donner quelque auteur, ou de faire quelque ouvrage, il avoit soin de l'aider de ses manuscrits, et de lui fournir des mémoires, sans vouloir qu'on fit mention de lui; rare humilité dans tous les temps, et qui n'a peut-être point eu depuis d'exemple.“

[1]) Plura de eo apud **Niceron** VII, 131 ss., praesertim vero apud **Dupin**, qui scriptorum ejus analysim exhibet, ac ita concludit p. 55: „Il paroit beaucoup d'érudition et de sagesse dans les oeuvres de M. de Fèvre; son style est pur, net et concis. Il est juste dans ses conjectures, fort dans ses raisonnements, et fécond dans ses citations. Il possédoit en perfection les anciens auteurs ecclésiastiques et profanes; il les avoit étudiés avec soin, et en avoit revu plusieurs sur les manuscrits. Il étoit critique exact et judicieux, sans être trop hardi. Il étoit fort attaché à la doctrine de l'Eglise Catholique; il avoit un amour sincère pour la vérité et pour la vertu, et pour le bien de la Religion et de l'Etat... Il a vécu dans la retraite avec la politesse d'un homme de cour, et à la cour dans la simplicité d'un solitaire. Enfin sa mémoire a été et sera toûjours en bénédiction parmi tous les gens d'érudition, de piété et de probité.“ Cf. alios qui de eo scripserunt apud Fabricium in hist. biblioth. fabr. I, 336.

[2]) Feller II, 183: „On y remarque des particularités intéressantes parmi un amas assez indigeste d'époques et de recherches.“

tudinis fructus ob oculos ponens libenter haec inculcabat Plinii junioris verba: »Postquam in Laurentino meo aut lego aliquid aut scribo, nil audio, quod audisse; nihil dico, quod dixisse poeniteat. Nemo apud me quemquam sinistris sermonibus carpit: neminem ipse reprehendo, nisi tantum me, quum parum commode scribo. Nulla spe, nullo timore sollicitor, nullis rumoribus inquietor: mecum tantum et cum libellis loquor.« — Joannes Dadré (Dadraeus) Gallus, doctor parisiensis (1576) collegit *Chronologie historique* des archevesques de Rouen, quae post ejus mortem (1617) Parisiis prodiit 1618, cui tamen deest accuratio critica. Cum Fr. Feuardentio et Jac. Cuillio edidit, ut jam supra diximus p. 415, *Glossam* Nic. de Lyra; *opera* Eusebii Caesariensis quae exstant omnia vitiis sublatis correctiora et novis annotationibus illustrata, Parisiis 1581; *vitam Christi D.* a Ludolfo Carth. contextam, sed ita dispositam, ut historiae ac totius anni concionibus usui esse possit, Parisiis 1589 in f. Demum collegit *Locos communes* similium (i. e. argumentorum similium seu affinium) et dissimilium ex omni propemodum antiquitate tam sacra quam profana, Parisiis 1578; 1582 ed. aucta et retractata, Würzburg 1582; Venetiis 1583; Coloniae 1594; 1603. Opus prolixum alphabetice est dispositum agitque de virtutibus et vitiis deque variis veritatibus[1]). — Petrus Pantinus Flander Andreae Schotti familiaris, bruxellensis ecclesiae decanus, duos *homiliarum* ss. patrum antea ineditarum libros publicavit Antverpiae 1601 et 1608 aliaque veterum monumenta († 25. Dec. 1611). Cf. Foppens p. 997.

223. Augustinus Floritius S. J. Siculus (1580—1613) plura scriptorum graecorum monumenta ad sanctos siculos spectantia latine vertit[1]). — Hieronymus Brunelli S. J. Senensis, corpore quidem pusillus, at virtute et eruditione magnus, hebraice, graece et latine doctus, omnes has linguas in gymnasio romano S. J. multos annos magna cum laude docuit. In notandis animadvertendisque vitiis et instituendo erat prudentissimus, ideoque a multis, ipso etiam Fulvio Ursino, scriptorum suorum agnitus adhibitusque corrector et judex[2]); edidit: *Gregorii nazianzeni carmina selecta, Cyrilli alex.* etc. Romae 1590 in 8; *Hymni Synesii* ib. 1609. Aliquot s. Chrysostomi *homilias* latine reddidit, quae habentur t. 1. ed. antwerpiensis 1614, et *catenam* in Ezechielem proph., qua (ms.) usi sunt Hieronymus Prado et Joannes B. Villalpandus ad suum in Ezechielem commentarium[3]). Obiit 22. Febr. 1613. — Joanni Papirio Masson, quondam e Soc. J., eruditissimo sui temporis jurisconsulto gallo (n. 6. Maji 1544 in oppido S. Germain-Laval, † 9. Jan. 1611), debemus praeter plurimos ll., qui huc non spectant[4]): *Gesta collationis carthaginensis inter catholicos et donatistas,* Parisiis 1589 in 8; Servati Lupi *epistolae,* ib. 1588 in 8., quae tamen editio mendis abundat; *Agobardi episcopi lugdunensis opera,* Parisiis 1605 in 8., quae Lugduni fortuito reperit eripuitque interitui, cui jamjam destinata erant: sed minus fideliter edita fuisse conqueruntur eruditi, hinc emendatiorem editionem curavit Balu-

---

[1]) Cf. Feret II, 207—211.

[1]) Habentur in op. Octavii Cajetani: *Vitae sanctorum siculorum* ex antiquis graecis latinisque monumentis etc. collectae, de quo infra redibit sermo. Eas diligenter recenset Sommervogel III, 810.

[2]) Ita Joan. Fabricius in hist. biblioth. fabric. I, 131 s. Cf. Jan. Nic. Erythraeum II, 160.

[3]) Aliae patrum graecorum versiones, quas ei adscribit Ittigius de bibl. romanis patrum p. 655, sunt secundum Backer I, 913. ejusdem sodalis (et forte cognati) Pomponii Brunelli, Romae 1607.

[4]) Cf. Niceron V, 182 ss.

zius. Ceterum Massonii ed. prohibita fuit 26. Aug. 1605 ‚donec corrigatur.' Gerberti Remorum et Ravennatum archiep., postea Silvestri II. papae, Joannis Sarisberiensis et Stephani Tornacensis *epistolae:* necnon Stephani IX., Nicolai II. et Alexandri II. ad Gervasium remensem archiep. *epistolae,* ib. 1611. in 4; Libri 6 *de episcopis Urbis,* qui romanam Ecclesiam rexerunt, rebusque gestis eorum, ib. 1586 in 4., opus quondam prohibitum ‚donec corrigatur'; *Notitia episcopatuum Galliae,* qua Francia est, ib. 1606 in 8; auctior 1610. — Henricus Sommalius (de Sommal) S. J. (n. 1543; † 1619) edidit d. Aurelii Augustini hip. ep. *ll. XIII confessionum,* Duaci 1608 in 16., et saepe deinde; ejusdem *meditationes, soliloquia et manuale; meditationes* b. Anselmi cum tr. de humani generis redemptione d. Bernardi; Idiotae viri docti de amore divino, omnia ad mscr. exemplaria emendata; ib. 1608 in 16. et saepe alibi; b. Anselmi l. *de excellentia bb. V. Mariae,* cui Idiotae tr. adjunctus est, ib. 1605 in 16; Alberti M. *paradisus animae* sive de virtutibus libellus, Antwerpiae 1602 in 16; Thomae a Kempis ... *opera omnia,* ad autographa ejusdem emendata atque etiam tertia parte aucta, ib. 1601 t. 3 in 8. et alibi, Coloniae 1759 in 4. — Carolus de Villiers doctor parisiensis edidit Fulberti carnotensis *opera,* Parisiis 1608. — Joannes Picardus Aurelianensis O. Min. reg. obs. lector edidit s. Anselmi archiepiscopi Cantuarensis *opera omnia* notis illustrata et aliquot novis opusculis aucta, Coloniae 1612. in f. — Alardi Wyelii theologiae licentiati labore et industria praecipue (tum etiam quorundam universitatis coloniensis theologorum ac professorum) *magna Bibliotheca veterum patrum ac antiquorum scriptorum ecclesiasticorum* primo quidem a Margarino de la Bigne (cf. p. 298) collecta et tertio in lucem edita, Coloniae a. 1618—22, prodiit plus quam centum auctoribus et opusculis plurimis locupletata, historica methodo per singula secula, quibus scriptores quique vixerunt, disposita et in 15 t. 20 pp. distributa (m. 172); Parisiis 1654 t. 17, Lugduni 1677—1707 t. 30.

V. Historia ecclesiastica.

224. In determinanda illustrandaque *chronologia* versati sunt inter alios Arnaldus Pontacus (de Pontac) Burdigalensis, quondam Carolo IX. a literis, demum episcopus vasatensis († 4. Febr. 1605), qui vel a protestantibus magnam retulit laudem: ut a Vossio, a Casaubono[1]), qui de eo ad Jos. Scaliger scribit: „Mirati eramus paulo ante et meritissime quidem, viri praestantissimi longeque doctissimi Ar. Pontaci, episcopi vasatensis, fidem, industriam et in affecta pariter aetate diligentiam prope sine exemplo in tot conferendis antiquis membranis, ex quibus pulcherrimam illam suam ejusdem Eusebii editionem concinnavit." Has sibi laudes promeruit in primis opere: Eusebii Pamphili caes., s. Hieronymi et s. Prosperi ep. aquitanici *chronica* ab Abraham ad a. Chr. 449, quorum illud Eusebii latine tantum ex s. Hieronymi versione prodit cum notis, Burdigalae 1604 in f. Hujus occasione haec habet censor criticus alioquin haud urbanus, Jos. Scaliger[1]): „Quum hae notae, inquit, pro-

[1]) Ille de scient. mathemat., hic ep. 25. Jul. 1607; cf. et ep. 450. 529. 560.

[1]) Ad Eusebii chronicon in addendis. Cf. quoque ejus ep. 104.

pe ad exitum perductae essent, chronicon eusebianum τοῦ μακαρίου D. Arnoldi ep. vasatensis, viri doctissimi et humanissimi, missu ipsius accepimus, quod licet ea animi alacritate a nobis exceptum est, quam et auctoris et operis meritum exigebat; tamen hoc nostrum gaudium proprium esse repentinus de ejus viri morte nuncius non passus est. Quanti ego illius mores doctrinamque fecerim facioque, sciunt atque testari possunt, qui hominem de facie sibi ignotum ex sola praedicatione nostra atque solam fidem nostram sequuti amare atque observare coeperunt. Quum igitur ille optimus, modestissimus et doctissimus vir tantum diligentiae et laboris ad Eusebii chronici restitutionem attulerit, quantum in hoc genere scribendi aut nemo aut pauci ante eum praestare potuerunt, facere non possum, quin et ejus editionem et studium incredibile, quo illam excoluit, diligentiam indefessam, qua tot scriptos codices inter se contulit, quibus possum laudibus, commendem.« Multum quoque hanc editionem laudat Vallarsi scribens in praef. suae ed. chron. s. Hier.: »Auctor, qui vasatensem in Aquitania episcopum agebat, tantum in illa ad veteres mss. 28 et editos pridem octo libros exigenda studii, doctrinae laborisque improbi contulit, ut ausim affirmare, cum nullo praeclarius auctore antiquo, si fidem et diligentiam, quae praecipuae sunt partes editoris, spectes, quam cum Hieronymo actum, ut quale olim latine explicavit chronicon, legeretur.« Alia ejusdem opera sunt: *Chronographia a Christo nato ad a. 1566,* Parisiis 1566 in f., auctum per Genebrardum, ib. 1585 et saepius deinceps; ***Abdias, Jonas et Sophonias*** cum chaldaea paraphrasi et commentariis Salom. Jarchii, Aben-Esrae et David Kimhii latine et accessionibus ex theologis christianis, ibid. 1566 in 4. Edidit quoque *opuscula* quaedam *polemica* adversus Mornaeum Du-Plessis[1]), ut ex. gr. *Merveilles de 440 faussetés* avec la manifestation de la novelle secte de Du-Plessis, Burdigalae 1600 in 8.

[1]) Cf. Niceron XXII, 293 ss.

225. Alius est Joannes Deckers S. J. natione Belga, patria Hazebroukanus n. 25. Dec. 1560 magni vir ingenii et studii indefessi, rarae probitatis et innocentiae. Duaci docuit philosophiam, deinde cum laude theologiam scholasticam, itidemque Lovanii, unde profectus Graecium florentissimae illius academiae cancellarius fuit († 10. Jan. 1619 a. aetatis 59). Domi nihil aliud agebat, quam orare aut libros, quos moliebatur, elimare: erat enim ss. literarum, theologiae, omnigenae eruditionis atque eloquentiae nomine clarissimus: hinc dolendum ingentis operis, quod 40 annorum studio elaboraverat[1]), prodiisse tantum specimen aliquod scil. *Velificatio seu theoremata de anno ortus ac mortis Domini,* deque universa J. Christi in carne oeconomia; accedunt *Tabula chronographica* a capta per Pompejum Jerosolyma usque ad incensam et deletam a Tito Caesare urbem ac templum sepultamque ac triumphatam synagogam, Graecii 1605 in 4. Tuetur in hoc opere Dekerius, Christum natum esse a. 749 ab U. c. et a. 5. ante aeram vulgatam. Graviter in hunc auctorem ejusque sententiam invehitur Baronius[2]), nec omnia quae ille de chronologicis explicat, probantur Petavio[3]), quae tamen non impediunt, quo minus chronologiae scientissimus dicatur. — Nec spernenda est, licet 67 tantum pag. constans, *Chronologia sacra ab orbe condito ad Christum,* Antwerpiae 1608 in f., Henrici Samerii[4]) S. J. Luxem-

[1]) Hujus operis (quod ms. servabatur saltem quondam Graecii et Lovanii) prospectum cf. ap. Alegambe; Backer 1, 1542; Sommervogel II, 1872.

[2]) In apparatu ad annal. n. 129.

[3]) Epist. l. 2. ep. 11. ad. Arn. Cathium ed. 1703.

[4]) Cf. plura ap. Neyen, Biographie luxemburgeoise II, 105, ubi inter alia le-

burgensis († 1610). — Pariter multa ad chronologiam spectantia reperiuntur in operibus Christophori Clavii (Clau) S. J. Bambergensis (1538-1612), qui mathematicorum insigne erat sidus, Ecclesiae ornamentum, eruditionis laude celeber, maximis praeditus virtutibus. Romae 20 annos mathesim magna cum laude est professus, multumque contulit ad reformationem calendarii sub Gregorio XIII. reformatumque strenue docteque defendit adversus protestantes. Prodierunt ejus opera t. 5 in f. Moguntiae 1612. Praetermissis operibus ad mathesim spectantibus[1]), huc pertinent *Romani calendarii a Gregorio XIII. P. M. restituti explicatio;* accessit confutatio eorum, qui calendarium aliter instaurandum esse contenderunt, Romae 1595 in f.; 1603; 1605; *Computus ecclesiasticus* per digitorum articulos mira facilitate traditus, Coloniae 1600 in 16; Romae 1597; 1603 in 8; *Novi calendarii romani apologia* adversus Michaelem Moestlinum Gaeppingensem, Romae 1588 in 4; (cum appendice in edit. mogunt.); Jos. Scaligeri *Elenchus et castigatio calendarii gregoriani castigata,* Romae 1595 in 8. aliaque adversus Scaligerum et pro defensione calendarii gregoriani.

226. *Historiae Ecclesiae universalis*[2]) scribendae incubuit qui plurimorum loco est, magnus nimirum Caesar Baronius. In lucem editus est C. Baronius 31. Oct. 1538 Sorae, quae urbs antiquissima est Campaniae. Illum vix natum pia mater beatissimae Virgini tamquam pignus ab ea obtentum solemni ritu sacratum constituit, qui etiam tantae patronae expertus praesidium bimulus mortis evasit periculum. Ut puerum adhuc tenellum ad opera misericordiae assuefaceret mater, eum mittebat in vias atque plateas, ut pauperes colligeret in domum paternam conducendos, ubi cibo reficiebantur. Literis operam dabat primum Verulanae, mox Neapoli, demum Romae[1]), ubi s. Philippum Nerium, congregationis Oratorii auctorem, spiritualis vitae ducem nactus in sui contemptu et Dei amore multum profecit. Mira in omnes benignitate enitens, severitatem suum in corpus perpetuam ac parsimoniam in cibo et potu incredibilem exercebat. Surgentem a mensa aliquoties s. Philippus redire jussit, quod nil fere sumpsisset alimenti. Horas tantum quatuor vel quinque somno dabat: hinc moriens affirmare poterat, se per triginta annos somno nunquam fuisse satiatum. In xenodochiis pauperum languentium lustrandis novem annorum spatio adeo pertinax fuit, ut ne febris quidem vi ab illo pietatis munere avocaretur, acciditque aliquando, ut sanus domum reverteretur. Pater hac vivendi ratione filii iratus, subsidia minatus est se subtracturum, ni illam mutaret, quam

---

gimus: „Ce religieux était très versé dans l'histoire sacrée et surtout dans la chronologie qu'il a traité avec beaucoup d'exactitude ... Il a relevé un grand nombre d'erreurs qui avaient échappé à ses devanciers."

[1]) Cf. Sommervogel II, 1212—24.

[2]) Claudii Villette est *Annales de l'Eglise catholique*, ap. et romaine avec l'histoire de France en seize siècles, Paris 1616 in 4. Ejusdem forte est *Description des lieux* de la terre sainte ou N. S. Jesus a cheminé et les jours des années de ses oeuvres en ladite terre s., Paris 1608.

[1]) Quantopere autem hanc adamaverit urbem, patet ex hisce ejusdem verbis (in Vita l. 1. c. 2(auctore Hier. Bernabeo perusino, Romae 1651): „Mihi certe de Urbe illud liceat haud ingrato fateri, quod de Athenis Gregorius Nazianzenus affirmat, nimirum Roma ipsa, etsi aliquibus fortasse perniciosa fuerit, mihi certe gemmea omnique ex parte beata atque proficua semper exstitit, utpote quae me plenae pubertatis adolescentulum vagum et infrenem excipiens mox sub Christi jugo redactum alumnum, quem suscepit, edomuit, sedula morum magistra exsistens ac literarum, ut plane intelligam, quod minus profecerim in utrisque facultatibus mihi cedere culpae, non Urbi."

comminationem cum filius despiceret, est etiam exsecutus. Verum divina providentia juvenem strenuum non dereliquit: eum enim continuo Micael Paravicinus, vir nobilis, in aedes recepit, et quasi filium toto fere septennio liberaliter aluit[1]). At Caesar ut beneficium obsequiis compensaret, Paravicini filios (e quibus Octavius natu major postmodum a Gregorio XIV. a. 1591 ad purpuram assumptus est) ad omnem pietatem ac religionem informavit. Socium interim se in omnibus pietatis operibus adjunxit s. Philippo Nerio, quo jubente licet nondum clericus et vix annos natus viginti exhortationes habuit ad populum tanta vi atque unctione, ut unus e primis aulae pontificiae praelatis cum aliis mundo valedixerit. Sacerdos factus triginta et amplius annos in confessionibus excipiendiis piisque sermonibus ter et quater per hebdomadam habendis infatigabilem operam dedit[2]), gravibusque literis patris demum animum immutavit, ipsumque adeo ad pietatem excoluit, ut infirmorum se manciparit curae. Totum se volens Deo consecrare, vota paupertatis et obedientiae emisit, licet s. Philippus nulla in sua congregatione praescripserit vota. Maxima cum alacritate munera obibat domestica, humilia licet atque laboriosa: ecclesiam verrere, exornare altaria, campanas pulsare, culinam administrare etc. in deliciis ei erant, animique voluptatem expresserat hac inscriptione muro affixa: ‚Caesar Baronius coquus perpetuus.' Post s. Philippi Nerii, fundatoris Oratorii, mortem omnium sodalium suffragiis in praepositum electus fuit. Cum omnes, ipse pontifex, de hac gratularentur electione, ipse solus moerebat animique dolorem hisce ad sodales neapolitanos datis literis testabatur: »Versa est in lucta cithara mea, quia suscepi de manu Domini duplicia pro peccatis meis juxta illa: *Duplici contritione contere eos* (Jer. 17, 18).« Occupationibus multis licet distentus quotidie adibat sepulcrum principis apostolorum ingeminans verba: »Domine ut erexisti Petrum a fluctibus, ita eripe me a peccatorum undis:« atque humillime deosculans pedes statuae hujus apostoli, »credo, dicebat, unam, sanctam, catholicam et apostolicam romanam Ecclesiam.«

227. Tantus vir fugere non potuit sagacissimum Clementis VIII. oculum, qui sibi illum in conscientiae delegit moderatorem: munus molestum certe atque difficile, quod magna tamen libertate prudentiaque Baronius obibat, libere pontificem de pluribus, ut emendarentur monens[1]). Hucusque conti-

---

1) Ex multis autem, quae ibidem pie ac laudabiliter gessit, illud refertur praeclarissimum, quod videns seminudas quasdam corporum formosorum ad venerem allicientium imagines in tabulis depictas ac omnium oculis expositas majore cum licentia, quam pudor et honestas christiana ferre posset, eas quamquam novus hospes, ad unum omnes offusis coloribus audacter induxit. Qua de re graviter expostulantibus apud matremfamilias liberis ac famulis, illa rem altius considerans, factum Caesaris non modo non improbavit, sed castissimi juvenis virtutem admirata, profusis etiam laudibus extulit.

2) Quo solatio in ejusmodi laboribus apostolicis frueretur, ipse significat hisce ad parentes datis literis: „O utinam partiri vobiscum et communicare liceat gaudium meum, quod quidem (fateor) verbis exprimere non possum: quidquid enim laetitiae, quidquid oblectamenti ac solatii in terris est, prae illo tristitiam et moerorem merum existimarim; utinam quos mihi dedit Dominus in spiritu filios intueremini, mihi, inquam, pessimo hominum ac flagitiosissimo, viros optimos et divinis virtutibus ornatissimos, ut profecto de me illud scriptum videatur: *Laetare sterilis, quae non paris* etc. (Is. 54, 1), et quod olim Jacob, hoc ego quoque merito usurpaverim: *In baculo meo transivi Jordanem istum et ecce cum tribus turmis regredior* (Gen. 32, 10).

1) Propter hanc libertatem plurium incurrit offensam: hoc tamen Baronium non deterruit. Cum quondam cardinalis qui-

gerat ei, ut oblatas a Gregorio XIII. et Sixto V. sibi dignitates, etiam infulas pontificales, declinaret; verum Clementi VIII. deliberatum atque constitutum erat hujus viri doctrinam eximiam, virtutem admirandam insigniaque de Ecclesia merita debito honorare praemio. Primum illum dixit protonotarium apostolicum (1595), quo nuncio perculsus exclamavit: „Ecce fulmen cecidit, antequam tonuerit," nullumque non movit lapidem ad eum declinandum honorem: sed frustra. Cardinalitiae dignitati oblatae precibus, obluctationibus, lacrimis occurrit et obstitit, vel fugam meditabatur, illum tamen ad eam acceptandam Clemens proposito anathematis fulmine compulit[1]). Non quievit vero Baronii animus, illius abdicationem cogitans, hinc Clementem continuis precibus fatigavit, ut sibi ad pristinum vitae genus redire liceret. Verum pontifice in proposito obfirmato nihil obtinuit. Quare necessitati parens hoc tamen sibi deliberatum votoque etiam constitutum habuit, nunquam vel minimum se facturum, quo pontificatus apicem adipisceretur. Singulari studio atque amore librum *de monarchia sicula* (insertum t. XI. annalium, Parisiis 1609) conscripsit: sperabat enim fore, ut propterea cardinalium hispanorum a se declinaret vota[1]). Binis tamen in comitiis non procul a tanta aberat dignitate, promovente rem strenue clarissimo cardinali Du Perronio[2]): unum supra triginta suffragia, dimidia scil. suffragiorum pars, certa jam erant. Ut igitur Baronius a se averteret periculum, alterius partis cardi-

dam illum propterea objurgaret, simulque ei in mentem revocaret, quantum sibi propter obtentam sua ope cardinalatus dignitatem deberet, respondit Baronius: „Ego vero neque dignitatem hanc quaesivi unquam, neque unquam optavi, quamobrem sine dolore dimitto, quod sine amore possideo: habeto tibi tuam purpuram, nunc enim vestes meas libentissime resumo: nihil mihi optatius quam ut ad fratres meos revertar et ad cubiculum meum, cujus adhuc clavem mecum defero: munera tua sint tecum, bona tantum conscientia mecum esto." Etiam s. Philippus Baronium in conscientiae moderatorem selegerat, tanti eum fecit.

[1]) Quam sincere hanc deprecaretur dignitatem Baronius et quam vicissim fortiter ejus acceptationem urgeret Clemens, colligimus ex illius ad Clementem VIII. literis (t. VII. Annalium praefixis), in quibus inter alia queritur: „Quo mei amantiorem, eo violentiorem expertus sum, tum per tuos seorsum abreptus, cubiculo clausus, vixque tandem ut audirer, multum rogans admissus ante conspectum tuum angelis reverendum, post meam defensionem abs te responsum illud unum tantum acceperim, quo robusta voce diram anathematis protulisti sententiam, si amplius resisterem et nisi penitus acquiescerem. Quem non terruisset ac non penitus dejecisset atque prostrasset talis erumpens e coelo repente tanto fragore tonitrus fulmen aeternae damnationis explodens?" Amico vero suo Antonio Talpae scripsit: „Meam crucem fero, quae cum sit aurea, levior fortasse cuipiam videri possit, sed certe longe onerosior mihi est, quam si esset ferrea etc." De se quoque interpretabatur illa Jobi verba (3. 11 s.): *Quare egressus ex utero non statim perii? quare exceptus genibus, cur lactatus uberibus, nunc enim dormiens silerem etc.*

[1]) Testes sunt literae amico suo Antonio Talpae inscriptae, in quibus de hoc opere scribit: „Ego vero id libentissime facio, eo maxime nomine, quod hanc rem haud mediocrem utilitatem mihi allaturam esse confidam, nimirum ad humilitatem servandam, quandoquidem Hispanis ea praebetur occasio, ut in solemnibus comitiis (siquidem eo perventum fuerit) adversos atque infensos mihi sese ostendant, quae res non parum momenti habet apud me. Sed haec tecum habe." Baronio se opposuit Ascanius Colonna in diss. *Judicium* de iis, quae Baronius de Monarchia sicula scripsit, cui hic prolixa *apologia*, quae simul cum illo Judicio typis fuit mandata respondit. Parisiis 1609. Porro Ascanius natus est ex illustrissima familia. Egregie fuit in literis institutus. Favore Philippi II. promotus fuit 1586 ad purpuram et factus prorex Cataloniae. Divitem condidit bibliothecam, viros eruditos liberaliter fovit; pro pontificis juribus contra Venetos scripsit († 1608). Cf. Tiraboschi VII, 2, 160; Sentis Monarchia sic. Friburgi 1869.

[2]) Gallia christiana 1, 654.

nales adiit eos multis obtestans precibus, ut suam praepedirent electionem: electo vero Leone XI, et hoc mox defuncto Paulo V. gratias maximas egit Deo magno quasi donatus beneficio[1]). In dignitate cardinalitia constitutus s. Carolum Borromaeum patronum sibi selegit atque exemplar, neque pristinam religiosam vitam deseruit, sancteque vivens sanctam ad mortem animum paravit, o aeternitatem! identidem ingeminans. Valetudinis causa de medicorum consilio[2]) Tusculum se receperat; cum vero vitae instaret exitus, Romam redire festinabat. »Eamus, inquiebat, et Romae moriamur, neque enim decet cardinalem mori in agro; eamus! quandoquidem nihil mihi optatius esse potest, quam ut in congregatione mea apud patres meos diem atque oculos claudam.« Magnis ultimo in morbo affligebatur doloribus, adeo ut illi haec ei extorquerent verba: »Fratres, non possum amplius, audite, quaeso, Caesarem pauperculum, sustinete paululum pro vestra caritate.« Tandem illuxit suprema dies 30. Junii 1607, qua animam tot meritis virtutibusque ornatam in manus reddidit Salvatoris. Propter sanctitatis opinionem, qua vivens moriensque apud omnes fruebatur[3]), *Venerabilis* a Benedicto XIV. appellatus est 18. Jan. 1745.

[1]) Cf. Vitam l. 2. c. 8. et ipsum Baronium in fine t. XII. annal. ad a. 1198.

[2]) Cum iidem medici consulerent, ne adeo meditaretur mortem: „Quidni, reponebat vir sanctus, ego de morte cogitem? numne me timere putas illam, cum qua quotidie familiariter ago et loquor? Apagesis: haud equidem timere illam possum, quam ut sororem carissimam diligo.“

[3]) De hac sanctitatis opinione cf. Vitam l. 3. c. 14. Maximi eum faciebant Bellarminus, qui morienti Baronio se commendabat boni latronis verbis: ***Memento mei, dum veneris in regnum tuum*** uberesque de ejus morte fudit lacrimas; Bernardus Colnago, Nicolaus Serarius, Stanislaus Rescius, Jacobus Sirmondus, qui testatus est „se nunquam illum adiisse, quin melior redierit ob praeclaras ejus virtutes et ferventissimam caritatem, qua tum in Deum, tum etiam in proximos aestuabat.“ Alia quoque de Baronii vita cf. apud Spondanum in Elogio suae Epitomae praemisso; Larra Vita del v. C. B., Romae 1882.

228. Jam ad ejus opera accedamus. »Quis nescit, scribit Isaacus Casaubonus, protestans[1]), cardinalem Baronium operam in historia ecclesiastica adeo insignem posuisse, ut omnibus sua diligentia palmam praeripuerit. Hic enim est, qui primus omnium totius orbis christiani res gestas, praesertim autem quae ad Ecclesiam pertinebant, in continuam seriem annorum sic digessit, ut si unius urbis fastos concinnaret etc.« Quid celeberrimo operi, quod hic respicit, ansam praebuerit, omnibus est notum. Centuriatores scil. magdeburgenses, ut ajunt, duce Flacio Illyrico fata Ecclesiae et doctrinae christianae per singula secula, sed modo suo, depravate atque corrupte descripserunt. Tanto damno ut occurreret s. Philippus Nerius, Baronium hortatus est ad Ecclesiae *annales* conscribendos, qui modeste se excusans doctissimum proposuit Onuphrium Panvini. Institit sanctus, et Baronius obedientia ductus tam difficile laboriosumque opus in se suscepit. Triginta annorum studio indefesso atque diligentia assidua paravit

[1]) Proleg. ad exercit. ad Baronii annales. Fabricius, qui in hist. biblioth. fabric. II, 429 ss. quam plurimos scriptores, qui vel contra Baronium scripserunt vel plura in eo reprehendunt, recenset, haec tamen de eo habet: „Erat vir pius, candidus, laboriosus, plurimae lectionis, secessum amans, acerrimus quidem pontificatus partiumque hildebrandinarum propugnator, at de ecclesiastica tamen antiquitate, testibus Casaubono op. dedic. exercit. c. 2.; G. Jo. Vossio de philol. c. 14, Montacutio praef. ad appar., Hottingero bibliothec. p. 419, G. Calixto appar. theol. 186, Conringio de orig. jur. germanic. 23. p. 145, Leibnitio in miscell. p. 420, Koenigio p. 160. Schurzfleischio in epp. sel. p. 548, Pope Blount p. 862 praeclare meritus.“ Eodem teste nonnulli ex horum annalium lectione permoti sunt, ut ad Ecclesiam romanam redirent, nominatim Casp. Scioppius, Justus Calvinus et Nicol. Steno.

quae ad illud erant necessaria; imo »summa etiam ac pene prodigiosa. Universam enim historiae ecclesiasticae molem septenis vicibus retractavit: toties illum orbem studiorum confectum resumpsit inchoandum, priusquam manum admoliretur conscribendis, quas meditabatur et apparabat, historiis et annalibus ecclesiasticis. Plane novo et inaudito exemplo ab omni retro antiquitate, heroico conatu et praedicando [1]).« Libenter alios viros doctos consulebat, grato docilique animo eos audiebat [2]) memor verborum tum s. Augustini: »Verum et severum diligo correctorem meum,« tum s. Ambrosii: »Unumquemque fallunt sua scripta et auctorem praetereunt atque ut filii etiam deformes delectant, sic etiam scriptorem indecores sermones sui palpant.« Duodecim tomos perfecit Baronius, qui complectuntur annos a nativitate Christi usque ad a. 1198. Prodierunt Romae 1588—1607. Priores recusi fuere (nonnullis adjectis vel correctis) 1593; editio secunda prodiit Venetiis 1595 ss., aliae editiones prodierunt Coloniae 1596 ss.; 1609; 1624; Moguntiae 1601, ed. bona; Antwerpiae 1597 ss.; 1675; Venetiis 1705. Bonae editiones sunt romana et antwerpiensis; magis commoda moguntina 1601 (et coloniensis, quae quidem inferioris est pretii), quod aliorum verba distinctis expressa sint typis et paginae in duas divisae columnas; omnium tamen optima est ea, quam curavit cl. Mansi Lucae 1738—1757 v. 38 in f. (m. 900), quae complectitur continuationem Raynaldi, criticam historico-chronologicam in annales Baronii Antonii Pagi, apparatum Baronii etc.; ea editio est rara, sed non sat correcta. Novissime aliam curavit Theiner quam continuavit 3 adjectis t. qui complectuntur pontificatum Gregorii XIII, Baroduci 1864—75; Parisiis 1876—83 t. 37 (non completa fr. 280). Praetermittimus elogia, quibus non solum catholici, sed vel protestantes hosce annales cumularunt. Omnia dixit horum unus Georgius Horn scribens [1]): »Plus, ut recte notatum a quodam, annales Baronii, quam controversiae Bellarmini nocuerunt.« Non tamen propterea diffitemur, saepius errasse Baronium in quaestionibus historicis, geographicis, chronologicis criticisque, hosce errores a posterioribus scriptoribus, ut ab utroque Pagio, Tillemontio, Norisio fuisse emendatos: sed illoi, qui vel bis

[1]) Ita (anglicanus) Richard Montaigu (Montacutius) praef. ad appar. sect. 58, 59. Et appar. 9. s. 48 addit, Baronio „intima totius vetustatis penetralia tam erant cognita et familiaria, quam est mihi domus mea.“ Sane Baronius omnia ipse collegit, ipse conscripsit absque scribis, et quidem saepius; hinc bibliotheca vaticana integrum adhuc exemplar ejus manu exaratum possidet. Cum quondam Baronium episcopus quidam interrogaret, quot amanuensibus in opere tantae molis conscribendo uteretur, „torcular calcavi solus,“ respondit ille. Quare vere mirandum est, quomodo immensum hoc opus conscribere potuerit, praesertim si advertatur, eum antiquitatis monumenta nondum reperisse jam collecta, ut historici posteriores, sed primum debuisse illa in bibliothecis latitantia detegere atque colligere, eumque praeterea tot aliis fuisse negotiis distentum. Hinc ipse scribit: „Haec autem volui consideranda proposuisse, quo si minus forte omnes explesse me numeros in Annalibus conscribendis quis invenerit, excuset, quod nunquam mihi licuerit vel diem unam vacuam ab omnibus interventoribus absque alienis curis atque molestiis felicem albo signandum lapide transigere solitarium.“

[2]) Ideo etiam in append. ad t. 10. annal. scribit: „Ita comparati sumus, ut monitores nostros tamquam insignes colamus benefactores, a quibus nec separamus eos, qui seipsos adversariorum loco constituunt, dum nostra infenso animo carpunt.“ In hac appendice revera plura eorum, quae prius scripserat, corrigit. Exhibet haec Possevinus in suo Apparatu l. 1. p. 245—285.

[1]) Praef. ad lect. Sulpitii Severi. Fatendum etiam est in omnes disciplinas theologicas maxima emolumenta ex Baronii annalibus redundasse, universamque proinde theologiam plurimum omnino ei debere.

vel sexies vel etiam octies erratorum millia Baronio exprobrant, plus arrogantiae aut invidiae, quam verae eruditionis prodere videntur. Audiant hi potius Alexandrum Morum, Calvini sectatorem. »Neque tamen sic, ita ille[1]), immensi laboris (Baronii) Annalium pretium elevamus, ut non quantum ejus arti Roma debet ac ingenio, tantum diligentiae propemodum debere universum orbem christianum agnoscamus ob illa tot ab eo eruta monumenta (licet in eorum censum non pauca sublestae nimis fidei relata sint), quae aeternis forte damnata tenebris latuissent[2]).« Baronii annalibus indicem rerum adjecit cardinalis Laurea Romae 1649 in 4; illos in compendium redegerunt Henricus Spondanus[3]) — Ludovicus Aurelius Perusinus, juris doctor et patriae bibliothecae praefectus († 1637), cujus epitome prodiit Romae 1635. 1636 in 12; cum epitome continuationis Bzovii, ib. 1641 in 12. cura Hieronymi Tezi; gallice: *Les Annales Ecclésiastiques de C. Baronius reduites en autant des livres fort succincts, que l'Auteur en avoit fait des tomes prolixes,* par le R. P. Aurel etc. traduites en François par Charles Chaulmer, Historiographe de France, Paris 1664 pp. 6 in 12; ib. 1673, qui illud continuavit ad a. 1664 — Britius Rhedonensis O. Min., per Palaestinam et Aegyptum missionarius, qui epitomen suam arabice edidit Romae 1653 t. 2 in 4., sicut et epitomen annalium V. T. Jac. Saliani ib. 1653 et 1655 t. 2 in 4 — Abraham Bzovius O. Praed. — Albertus Berutus O. Minim. Ligur, solitudinis amore, orationis assiduitate et abstinentiae rigore insignis (fl. 1603) — Gabriel Bisciola[1]) S. J. Mutinensis († 1613) in *Epitome Annalium eccl. C. Baronii*, Venetiis 1602 t. 2 in 4; Lugduni 1602; Coloniae 1602; 1614., cui editioni adjectum est compendium 11. et 12. vol. e Spondano — Horatius Scogli Cathacensis, *a primordio Ecclesiae historia,* cum chronologia ab o. c. ad a. 1640, Romae 1642 in 4. — Augustinus Sartorius *in Compendio annalium ecclesiasticorum* card. Baronii, O. Raynaldi et J. de Laderchio, quod continuavit Eust. Janka ad a. 1568, Pragae 1721—30 t. 22 in 7 v., 1736 in f. — Cornelius Schulting (saltem ex parte, cf. infra Alex. Tassoni poeta famosus — card. de Laurea etc. Annales ipsos continuarunt Bzovius, Raynaldus, Spondanus, Jacobus Laderchi, Theiner: nullus vero ad nostra usque tempora. De plerisque horum infra redibit suis locis sermo. — Plurimi vero ex protestantibus illos impugnarunt, quorum notiores sunt Goldastus, cui respondit Gretser; Is. Casaubonus, cui occurrerunt Eudaemon et Boulenger S. J.; R. Montaigu et H. Ott, quem refutavit Reding; Sam. Basnage etc. Optime vero de Baronio meruit Antonius Pagi sua critica historico-theologica in Annales Baronii[2]). Horum veluti praeludium est *Marty-*

[1]) In praef. ad Eusebii chron.

[2]) Hinc cl. Hefele (Kirchenlex. VI, 149 ed. 1.: „Die ungemein zahlreichen Urkunden, die er in verschiedenen Archiven gefunden und hier eingerückt hat, gaben seiner Arbeit einen vorzüglichen Wert als Arsenal der wichtigsten Dokumente, so daß seine Annalen jetzt auch noch von Protestanten hundertmal benützt werden, bis die Centurien einmal.“

[3]) Hunc iterum in compendium redegit et continuavit (gallice) Petrus Coppin facultatis theologicae decanus († 1667) Parisiis 1652, quae epitome aestimatur.

[1]) Alius a Laelio ejus secundum carnem et spiritum fratre († 1629), cujus exstant *Horarum subsecivarum* t. 1. seu ll. 20, Ingolstadii 1611; t. 2. seu ll. 17 Coloniae 1618 in f., in quibus pleraque ex philologia et encyclopaedia et omnibus fere scientiis ac tribus praecipuis linguis hebraea, graeca, latina non vulgaria explicantur, adnotatis, emendatis, enucleatis plurimis omnis generis scriptorum locis.

[2]) Cf. Bauer Kirchenl. I, 2040; Roskovány II, 531. 552 s.; 591; Laemmer Analecta rom., Schaffhausen p. 65; 139 ss.

rologium romanum restitutum, Gregorii XIII. jussu editum cum notationibus, Romae 1586 in f.; Venetiis 1587 in 4., editiones rarae, quia ab auctore suppressae ob menda quibus inficiebantur; Antwerpiae 1589, ed. emendata; Venetiis 1597; Romae 1600; Antverpiae 1613 aucta vetere romano martyrologio et martyrologio Adonis ex editione Rosweydi; et saepissime etiam alibi. Notationes plerumque desumptae sunt ex patrum scriptis, lumenque haud parum affundunt historiae ecclesiasticae[1]). Tr. de *Monarchia sicula* prodiit in t. XI. annal., sed quia in Hispania prohibitus, omissus fuit in ed. antwerpiensi 1597—1609; prodiit seorsim Parisiis 1609. Praeter alia[2]) scripsit etiam *Historicam relationem de Ruthenorum origine* eorumque miraculosa conversione et quibusdam aliis ipsorum regum rebus gestis; item quomodo progressu temporis ab agnita veritate defecerint, amodo vero partim ad communionem s. sedis apostolicae recepti fuerint, Coloniae 1598 in 8. *Vita s. Gregorii Naz.* in Act. SS. 9. Maj. Post ejus mortem prodierunt[3]) *epistolae et opuscula* pleraque primum nunc edita (cum vita) per R. Albericium, Romae 1759—70 t. 3 in 4., ed. splendida, sed nullatenus completa[4]).

229. Matthias Lambrecht Belga humili loco natus per varios doctrinae ac pietatis gradus ad episcopatum ascendit. Theologiam aliquamdiu docuerat in abbatia parcensi ad muros lovanienses, canonicus assumitur 1569 in cathedrali brugensi, cujus et primus ab erectione episcopatus poenitentiarius fuit. A magistratu acatholico Brugis expulsus est (1578): pacatis tamen rebus rediit 1584 et demum in episcopum est assumptus (1596) et Flandriae cancellarium perpetuum († 1. Jun. 1602). Concinnavit historiam ecclesiasticam ad tuendam religionis catholicae veritatem, Antverpiae 1595; cura A. Miraei ib. 1607 in f.; *de vita, morte et passione sanctorum*, lingua patria quasi praeambulum prioris op., Lovanii 1590 t. 2 in f.; utrumque Lovanii 1610; *de antichristo*, lingua patria 1602. — Dominicus Bolani O. Praed. Venetus, a Sixto V. episcopus Cydoniae seu Caneae in Creta insula designatus a. 1588, haud minimas habuit partes in conciliorum editione, quae Venetiis 1585 lucem aspexit hoc titulo: *Conciliorum omnium tam generalium quam provincialium*, quae jam inde ab apostolorum temporibus hactenus legitime celebrata haberi potuerunt t. 5, quibus novissima hac editione post Surianam accessere praesertim nicaenum et ephesinum celeberrima concilia, in quorum omnium collocatione temporum ratio habita est et eruditae notationes per catholicos theologos additae.

230. *Romanorum pontificum gesta* enarrant plures, quorum primus Alphonsus Chacon (Ciaconus. Ciaconius) O. Praed., natione erat Baeticus, patria Biatiensis, qui scrutandis hispanae, romanae et ecclesiasticae potissimum historiae veteribus monumentis totum se dedit. Romam accersitus Gregorio XIII. acceptissimus fuit, a quo inter s. Mariae Majoris poenitentiarios, ut vocant, est allectus: quo in munere quidquid illi supererat temporis in dilucidandis, quae ipsi jam aderant, aliisque e pulvere eruendis, illustrandis, componendis, edendis monumentis

---

[1]) Andres l. cit. t. 6. l. 4. c. 2: „Opera meramente critica, ma non abbastanza severa, diede in questa parte (in hagiographia) il Baronio colle sue annotazioni al martirologio romano, dove incominciò a fare erudite ricerche di storia ecclesiastica; ma non fece ancor vedere il grand'autore degli annali ecclesiastici:" Laemmer de Martyrol. rom. Parergon hist.-criticum, Ratisbonae 1878.

[2]) Haec cf. in Niceron XXVII, 282-307.

[3]) Cf. Nova bibl. eccl. frib. 3, 482—97.

[4]) Cf. H. Laemmer in accurata de C. Baronii literarum commercio diatriba, Friburgi 1903, in qua quaedam hactenus ineditae reperiuntur.

impendit. Obiit Romae c. a. 1601 a. aetatis 59. Rei antiquariae peritissimum, Hispaniae suae magnum lumen eum vocat Thuanus[1]). Ex ejus operibus[2]) illud mentione dignum, cui titulus: *Vitae et res gestae summorum pontificum romanorum et S. R. E. cardinalium* ab initio nascentis Ecclesiae ad Clementem VIII., Romae 1601—1602 t. 2 in f. Cum inter moras editionis hujus operis, cui annos decem desudaverat, auctor mortuus esset, Franciscus Cabrera Morales[3]) reliquae editioni praefuit, suasque additiones subjunxit, praesertim ab Alexandro VI. ad Clementem VIII. Desideratur tamen in hoc opere judice Mich. a s. Joseph, „ordo et digestio, tum concinnitas et concordia dictorum[4]).“ Additamentis illud posteriorum pontificum usque ad Urbanum VIII. locupletavit Andreas Victorelli, presbyter bassanensis, operam conferentibus Ferdinando Ughelli, Hieronymo Aleandro, Luca Waddingo et Caesare Becillo[5]), Romae 1630 v. 2 in f.; novis additionibus Augustinus Oldoini S. J. locupletavit et ad Clementem IX. perduxit, Romae 1677 t. 4 in f. cum iconibus, in qua editione vitae fere omnium cardinalium fuere innovatae, brevi quidem, sed acri, compto ac selecto stilo. De eo ita scribit Michael a s. Joseph: „Enim vero supersunt adhuc in Ciaconi opere, quantumvis tantorum virorum curis limato, correcto et aucto non pauca, quae debuerunt emendari; nonnulla etiam desiderantur, sine quibus idem opus videtur non omnibus numeris absolutum. Nec dubium, quod utroque naevo hoc insigne opus careret, nisi celeri ac tumultuario studio laborassent, qui eidem operi perficiendo operam suam navarunt.“ Caret opus accuratione etiam critica atque nititur decretalibus spuriis. M. Guarnacci opus pariter continuavit adjectis duobus aliis tomis, ut infra dicemus. Aliud Ciaconii opus est: *De jejuniis et varia eorum apud antiquos observantia tractatus*, Romae 1599 in 4; *de martyrio 200 monachorum* s. Petri a Cardeña O. S. Ben. burgensis dioecesis tr., ib. 1594 in 8., admodum rarus. Singulares sunt duo libelli: *Historia de anima Trajani precibus d. Gregorii papae ab inferis erepta,* saepius (cum aliis Ciaconii operibus) edita, Venetiis 1585; Regii 1585; *de s. Hieronymi cardinalitia dignitate quaestio,* cum libello praecedenti Venetiis edita 1583 in 4; dein Romae 1591, qui produnt auctorem arte critica destitutum. Fabulam enim illam serio narrat, et Hieronymum cardinalem facit. Collegit quoque *Bibliothecam* libros et scriptores ferme cunctos ab initio mundi ad a. 1538 ordine alphabetico complectentem, quae prodiit (usque ad literam E) cum observationibus Franc. Dionysii Camusati[1]) Parisiis 1731.

[1]) Histor. l. 122. sub finem. Ita ad eum scripsit doctissimus Latinius d. 4. Febr. 1589: „Sciebam ego jam pridem, eruditissime Ciaconi, quantum in romanae antiquitatis cognitione profeceris, tibique in ejus studio paucos atque adeo neminem praeferendum statueram. Sed ne te verum celem, nunquam credidi tantum tibi in rebus obscuris et difficillimis describendis facultatis comparasse, ut de iis tam copiose tamque eleganter scribere tam facile posses. Superasti igitur etsi egregiam conceptam de te opinionem etc.“

[2]) Cf. catalogum apud Echard II, 345 ss., Nic. Antonium I, 18 s. Aliqua referuntur ad historiam et archaeologiam romanam; plura manserunt mss.

[3]) Hic idem edidit *vitam et gesta Coelestini Papae II.*, Romae 1593; 1613 in 4.

[4]) Biblioth. crit. 1, 181.

[5]) Caesar Becillo Urbinas, prius medicus, dein sodalis Oratorii s. Philippi Nerii († 6. Maj. 1649) reliquit *annotationes marginales* in Ciaconium et collationes ciaconianae historiae cum baroniana, Romae 1630 in f. sine auctoris nomine; *acta s. Caji P. et M.*, ib. 1628; *evangeliorum connexio,* in qua textus ordine servato rerum gestarum series indicatur, ib. 1622 in 12., Parisiis 1631 in f. Inter plurima mss. reperitur et Historiae ecclesiasticae baronianae continuatio t. 13. ab. 1198—1299. Cf. Villarosa p. 52 ss.

[1]) Cf. Journal des Savans 97, 238—65.

231. Alter est Joannes Franciscus Bordinus Romanus congr. Oratorii, archiepiscopus avennionensis († 1609), cujus sunt praeter alia: Summorum urbis et orbis *pontificum et imperatorum series et gesta,* Parisiis 1604 t. 2. — Joannes Bapt. a Glano (de Glen) O. S. Aug. Eburensis, natione Belga († 1613), in lucem gallice edidit[1]): *Vitae rom. pontificum a Petro usque ad Clementem VIII.* ex Platinae historia in epitomen redactae ac juxta Onuphrii Panvinii recensionem ordinatae; accesserunt effigies etc., Leodii 1597; 1648; *Historia pontificalis* seu demonstratio verae Ecclesiae a Christo fundatae, cui praemittitur directorium ad eandem historiam, ib. 1600. — Glani sodalis Gregorius Polydorus[2]) etruscus prodire fecit opus inscriptum: *Gregorianum,* in quo de 14 Gregoriis pontificibus et 13 Gregoriis episcopis et de uno presbytero eorumque vitis, moribus et gestis agit, Florentiae 1589. Le Long ei adscribit etiam in sua Biblioth. s. *commentaria* in pleraque loca ad Galatas, Lucae 1625 in 4. — Joannes Antonius Brandus tertii ordinis S. Franc. Siculus, vir vere pius et doctus, propterea a Clemente VIII. Romam accitus († 13. Maj. 1608), dedit *Cronologia de' sommi Pontefici,* Romae 1608 in 4. — Hieronymus Beroardus O. Praed. venetus scripsit *Istoria delle vite de' ss. pontefici,* Venetiis 1612 in 4. — De Hieronymo Rubeo biographo Nicolai IV. jam egimus II[3], 440. Fuit ipse Clementis VIII. medicus. Scripsit quoque *Historiam Ravennatum* ll. XI. in thes. antiq. It. t. VI.

[1]) Alia ejusdem opera cf. in Ossinger Bibl. Aug.; Revista Augustin. 1884. I, 142. — Ceterum et Dominicus Tempesta Romanus edidit: *Vitae summorum pontificum a Christo Jesu ad Clementen VIII.* cum effigiebus eorum ex nummis ac picturis excerptis, Romae 1596 in 8; 1600.

[2]) Alius ab eo est Valerius Polidorus O. Min., cujus sunt: *Practica Exorcistarum* ad daemones et maleficia expellendum, Patavii 1582; 1587, sed proh. decreto 7. Jan. 1707; *de festis diebus* Christianorum ac Judaeorum, Lipsiae 1597.

232. Gestis romanorum pontificum subjicimus *acta* legatorum eorundem. Pro historia ecclesiastica archiepiscopatus coloniensis necnon et Belgii notitiae pretiosae colliguntur ex epistolis et actis Octavii Mirti Frangipani nuncii apostolici apud aulam coloniensem. Collegit ea (393) pro more diligentissime St. Ehses in op. Quellen und Forschungen. Die Cölner Nuntiatur p. 2. Ottavio Mirto Frangipani in Köln 1587—1590, Paderborn 1899. Porro Frangipani patria erat neapolitanus n. c. 1542, episcopus cajacensis (1572), dein 1592 tricariensis, demum archiepiscopus tarentinus (1605; † 24. Jul. 1612). Strenue admodum functus est munere legati apostolici in bonum Ecclesiae inter ingentes quae se opponebant difficultates[1]). — Alius nuncius fuit Germanicus Malaspina ex illustri prosapia natus patria Ligur. Romam veniens adlectus est inter familiares Gregorii XIII., qui eum s. Severi episcopum dixit 1583. Missus est primum nuncius ad Carolum Styriae archiducem (1580), quem solerter et fortiter juvit in restauranda per illam regionem Ecclesia catholica, unde exosus fuit protestantibus[2]). Inde promotus est nuncius ad aulam caesaream pragensem (1584). Longe difficilior fuit haec nunciatura tum ob majorem protestantium auctoritatem apud Caesarem,

[1]) Cf. plura de eo in op. cit. introd. pag. XIII—LXI.

[2]) Ejus in hoc munere successor fuit Jo. Andreas Caligari Brisighellae ad montium pedes 1527 n., utriusque Signaturae referendarius, dein episcopus brictinoriensis (Bertinoro 1579). Missus fuerat prius nuncius in Poloniam; Alexandro Montalto Sixti V. nepoti, cardinali juveni erat a secretis, dein Urbano VII., Gregorio XIV. et Clementi VIII. Vix annum transegit Graecii. Ejus *acta* et gesta recenset Reichenberger op. cit. p. 433—469 († 19. Jan. 1613).

tum ob defectum energiae in aula caesarea: tamen pro viribus promovit rem catholicam [1]). Defuncto Gregorio XIII. revocatus est (1585) a Sixto V. Demum post plures annos Clemens VIII. nostrum episcopum nuncium misit apostolicum in Poloniam ad sopiendas controversias ibidem exortas († 1604). Nunciaturae ejus apud aulam caesaream *acta* accurate exhibet Rob. Reichenberger Nuntiaturber. aus Deutschl. (1585—1590), Zweite Abth. 1. Hälfte, Paderborn 1905 p. 3—217. — In nuncii munere ei successit Philippus Sega Bononiensis n. 21. Jun. 1537. Juris utriusque laurea insignitus (1560) Romam venit ibique ingenii dotibus innotuit variaque obiit magistratus munera. A Gregorio XIII., cui dicitur fuisse propinquus, factus est Romaniae et exarchatus ravennatensis praeses (1572), dein episcopus Ripae trans Asanem (Ripatransone 1575). Missus est ab eo nuncius in Belgium et legatione bene obita eum transtulit ad sedem placentinam (1578). Novam postea subire debuit legationem in Lusitaniam, dein et in Hispaniam etiam ad componendas discordias inter O. Carm. sodales ob inductam reformationem. A Sixto V. missus est, ut diximus, Pragam ad aulam Rudolfi imp., cujus adeo iniit gratiam, ut cum fratre et nepote dictus fuerit comes palatinus. Inde rediit 1588, suamque adiit ecclesiam moxque solemnem celebravit synodum dioecesanam, cujus *acta* et *statuta* prodierunt Placentiae 1589. Eodem anno additus est comes cardinali Gaetani, qui missus fuerat legatus apostolicus in Galliam turbatissimam, cum Henricus IV. adhuc Calvinianus gradatim regnum illud occuparet. Quinquennium difficillimis illis temporibus in Gallia transegit, ab Innocentio IX. purpura insignitus et successor datus card. Gaëtani in legatione. Demum 1594 ei redire licuit. Redeunti occurrerunt salutandi gratia cardinales 37, et a Clemente VIII. in consistorio impense fuit collaudatus. Sed non solum in legationibus fuit occupatus, verum et in gravibus adhibitus negotiis. Ita a Sixto V. cum Jul. Ottinelli episcopo castrensi munus ei demandatum visitandi collegium germanicum ob querelas ad pontificem contra hoc delatas: quae visitatio in honorem et emolumentum cessit collegii [1]). Post suum ex aula caesarea reditum munus ab eodem pontifice accepit visitandi urbis ecclesias et monasteria, et postea factus est praeses commissionis pro Germaniae negotiis. Voce populi jam designabatur futurus pontifex, sed morte praereptus decessit 29. Maji 1596. *Acta* et documenta suae apud Caesarem legationis diligenter exhibet [2]) R. Reichenberger op. supra cit. p. 217—234.

233. Historiam ecclesiasticam *integrarum gentium* scripserunt: Franciscus de Padilla, Antiquariensis, doctor theologus et in lyceo hispalensi hujus scientiae primarius professor († 15. Maji 1607), qui tentavit historiam ecclesiasticam Hispaniae „et ex bona parte compos fuit voti factus scribens: *Historia ecclesiastica de Espana* t. 2 in f., Malacae 1605. Absolvit centurias annorum septem, reliquae desiderantur. Hujus quoque sunt: *Conciliorum omnium chronologia,* Matriti 1587; *Tabulae septem Ecclesiae sacramentorum*, Matriti 1587.“ Ita bibl. hisp. n. I, 456. — Octavius Cajetanus (Gaetano) S. J. Syracusanus (n. 22. Apr. 1566; † 8. Martii 1620) doctrina et sanctis moribus [3]) conspicuus, reliquit opus

[1]) Ejus gesta fideliter refert Reichenberger in introd. op. cit. pag. XIII-XXXV.

[1]) Cf. Steinhuber Gesch. des Coll. germ. I, 170, qui impense hujus visitatoris in collegium benevolentiam commendat.

[2]) Ejus gesta idem pariter narrat in introd. op. p. XXXV—L. Cf. Fantuzzi Notizie degli Scritt. bolog. VII, 372—76.

[3]) De his cf. plura in Sotvelli Biblioth. Script. S. J. De operibus Sommervogel III, 1086—89.

posthumum et diu expetitum: *Isagoge ad Historiam sacram siculam*, quod prodiit Panormi 1707 in 4. et in thesauro antiquitatum et historiarum Italiae t. 32. Lugduni Batavorum 1723. In ea tam veteris Siciliae impiae superstitiones quam verae fidei in eadem insula initia, propagatio et augmenta, Siculorum in religionem christianam ardor et in ea constantia aliaque hujus argumenti erudite et singulari methodo exponuntur. Reliquit etiam: *Idea operis de vitis sanctorum Siculorum famave sanctitatis illustrium;* accessit *martyrologium siculum* in singulos anni dies, Panormi 1617 in 4; *Vitae sanctorum Siculorum* ex antiquis graecis latinisque monumentis et ut plurimum ex mss. codd. nondum editis collectae aut scriptae, digestae juxta seriem annorum christianae epochae et animadversionibus illustratae. Opus posthumum, cui perficiendo operam contulit P. Salernus ejusdem societatis († 1666), Panormi 1657 t. 2 in f. Nonnullae ex hisce vitis in Acta Sanctorum receptae fuere. — In rebus ecclesiasticis Belgii tractandis versati sunt: Arnulphus (Arnoldus) van Have (Havensius, Havenius) Silvaducensis n. 1540, quondam Jesuita, diu professor, etiam theologiae, dein O. Carthus., plurium editor († 14. Aug. 1610; juxta alios 25. Dec. 1609 vel 1611), inter quae huc spectant: *Commentarius de erectione novorum in Belgio episcopatuum*, deque iis rebus, quae ad nostram hanc usque aetatem in eo praeclare gestae sunt, in quo causae et origines haeresum et tumultuum belgicorum et labores ad eos componendos a praelatis suscepti, Coloniae 1609 in 4; *Speculum haereticae crudelitatis* scil. Arianorum, Longobardorum, Donatistarum, Eutychianorum, Monotheletarum, Iconoclastarum, Albingensium, Husitarum, de furoribus in Germania superiori, Anglia, Belgio, Calvinistarum in Gallia etc., ib. 1608 in 8; *historica relatio* duodecim martyrum carthusianorum, qui Ruraemundae 1572 agonem feliciter compleverunt, s. l. 1608 in 4., opusculum valde rarum (m. 50). — Ferreolus Locrius, Paulinas, Miraei discipulus et Atrebati concionator († 22. Aug. 1614 a. aetatis 43), cujus *chronicon belgicum* (257—1600), Atrebati 1616 t. 3 in 4., etsi desit accuratio critica, magni fit[1]) — et Guilelmus Gazaeus (Gazet) Atrebatensis, canonicus (n. 1554, † 1612), qui scripsit praeter vitas SS. Remis 1613 t. 2, *l'histoire ecclésiastique du Pays-Bas* contenant l'ordre et suite de tous les évêques et archevêques de chacune diocèse avec le catalogue de SS. etc., Atrebati 1614.

234. In *singularium ecclesiarum* historia versati sunt: Franciscus Guillimann (Guillimat) Friburgensis, Helvetus, qui de historia domus austriacae bene meritus, ad illustrandam academiam Friburgum in Brisgoja vocatus (1606) est. Imperatori et archiduci Maximiliano erat a consiliis († 14. Oct. 1612). Vir erat eruditus, qui pro suo tempore diligenter plura scripsit[2]), ex quibus ad nos spectant *de rebus Helvetiorum* sive antiquitatum ll. V, Friburgi A. 1588 in 4, qui tamen concivibus catholicis non arriserunt: quare ab operis continuatione destitit. Commentarius *de episcopis argentoratensibus,* Friburgi 1608 in 4; *annales heremi Deiparae Matris Monasterii* O. S. Ben., ib. 1612 in f., opus accuratum, cujus materiam collegerat Christophorus Hartmann O. S. Ben. Einsiedlensis sub cujus nomine etiam prodiit[3]). Fuit Hart-

---

[1]) Alia ejusdem scripta cf. ap. Zedler, Universallex. XVIII, 130; E. van Arenbergh Biogr. nat. de Belg. XII, 307. Inter ea sunt etiam *Histoire chronogr.* des comté, pays et ville de Saint-Pol en Ternois, Duaci 1613 in 4; *Maria Augusta Deipara* ll. VII chronico et notis illustrata; Arras 1608 in 4. etc.

[2]) Cf. Daguet Biographie de Fr. Guillimann, Friburgi 1843; Wyss allgem. deutsche Biogr. X, 107—11.

[3]) Cf. G. Meier Allg. d. Biogr. X, 681 s.

mann vir sane eruditus, bibliothecae illius monasterii praefectus († 12. Apr. 1637). — Petrus Cratepoil O. Min. Conv. ex pago Moers haud procul Juliaco oriundus, unde Merseum, Mersum, aut Opmersensem et Batrachelium, Juliacum, quandoque etiam Laudensem sese cognominavit († 1. Aug. 1605), praeter alia edidit[1]): *Omnium archiepiscoporum coloniensium et trevirensium a primis usque ad modernos catalogus* brevisque descriptio suffraganeorum item coepiscoporum coloniensis metropolis i. e. leodiensium, ultrajactensium, monasteriensium, osnabrugensium, mindensium enarrata; summorum quoque pontificum, qui ex Germania orti fuere, series, quorundam quoque ex Belgio martyrum (a Geusis interemptorum), Coloniae 1578 in 8; 1580 ed. aucta accessione moguntinarum rerum; historia quoque coloniensis, in qua narrat a singulis episcopis gesta, longe prolixior et diffusior est; 1592 ed. 3. recusa in Bern. Gualtierii *Chronologia ecclesiastica universali* t. 1. Francofurti 1622, sed mutila et manca, iis praesertim omissis, quae Cratepolius cordate contra novatores scripsit. *De ss. doctoribus,* qui Germaniam ad Christi religionem converterunt, et quo tempore ipsi floruerunt, ordine alphabetico libellus instar historiae, Coloniae 1591; *de pseudo-doctoribus* i. e. haereticis et schismaticis, qui sua impia vita ac nefaria doctrina Germaniam corruperunt etc., ib. 1591; *Catalogus academiarum orbis christiani*[2]), 1593 etc.; *de resurrectione corporum* et immortalitate animae contra Saducaeos, ib, 1598; *Periculosum valde esse,* et maximo cum salutis dispendio agi ab Ecclesiae catholicae unitate excidere etc., ib. 1591.

235. Majoris laboris, eruditionis et meriti[1]) est opus Christophori Broweri (Brouwer) S. J. de ecclesia trevirensi[2]). Natus est ipse Arnhemii in

---

[1]) Cf. Hartzheim Bibl. col. p. 270.

[2]) Ceterum de academiis notius est opus Jacobi Middendorpi Oldenzaalensis (n. 1538) „in diversis academiis professoris publici, metropolitanae ecclesiae coloniensis canonici presbyteri, atque universitatis procancellarii (1602) iterumque rectoris (1580 et 1602), magnorum principum consiliarii, pietate, doctrina et rerum usu clarissimi" (ita legimus in ejus epitaphio), qui obdormivit in Domino 13. Jan. 1611. Prodiit hujus operis ed. jam quarta et auctior hoc titulo *Academiarum celebrium universi terrarum orbis ll.* 8, Coloniae 1602 t. 2 in 8. (prior prodierat a. 1567), recusi in *Grüteri chronico chronicorum* Francofurti 1614. „L'auteur, inquit Feller VI, 62, y débite des fables et des idées singulières sur les académies, dont il recule l'origine jusqu'au déluge de Noé et à la prédication des Apôtres chargés d'enseigner les nations." Alia ejusdem opera sunt: *Imperatorum, regum et principum clarissimorumque virorum quaestiones theologicae, juridicae et politicae* cum pulcherrimis responsionibus selectae et ex mss. emendatae, Coloniae 1603 in 8; *Historia monastica,* quae religiosae et solitariae vitae originem, progressiones, incrementa et naturam ex Scriptura s., ex pontificio et caesareo jure, ex antiquissimis historiis, ex veterum patrum et librorum scriptis demonstrat, ibid. 1603 in 8; *historia Aristeae* versae per LXX interpretes Scripturae s. ex mss. codd. graecis et latinis commentario illustrata, ib. 1578; *de officiis scholasticis* ll. 2, prior de magistrorum, alter de auditorum officiis, 1570. Cf. Hartzheim Bibliotheca colon. p. 150 s.

[1]) Joan. Eccard (ap. Feller, II, 204) postquam significavit authenticas deesse historias dioeceseon Germaniae, „unus Browerus, addit, vir pius, probus et doctissimus, supra vulgus caput extulit et annales trevirenses adornavit, qui licet ab invidis et veritatis atque eruditionis solidioris osoribus diu pressi et ferme oppressi fuerint, tandem tamen a Masenio continuatore, aliquantulum licet immutati et castrati in publicum emissi sunt, et metropolis trevirensis historiam ea in luce posuerunt, ut auctori suo aeternas illa gratias debeat." „On estime surtout, inquit Feller l. c., les préliminaires du P. Brouwer; ils contiennent une infinité de recherches savantes sur tout ce qui a rapport aux antiquités et aux usages des peuples, qui ont habité le pays, dont il écrit l'histoire."

[2]) Alius ab eo est Jacobus Brouwer O. Praed. Hoogstrati in Brabantia natus

Geldria a. 1559. Antiquitatis tum ecclesiasticae tum profanae eruendae feliciter exstitit studiosus, quo nomine a cardinali Baronio t. Annalium ecclesiasticorum decimo mirifice aliquoties laudatur. Obiit 2. Jun. 1617 a. aetatis 58. Annos triginta impendit in scrutandis antiquitatibus trevirensibus, studiorumque suorum fructus complectitur opus[1]), cui titulus: *Antiquitates annalium trevirensium et episcoporum trevirensis ecclesiae suffraganeorum,* ut metensium, tullensium et verdunensium (ad a. usque 1600): quod tamen non prodiit nisi anno 1626 Coloniae; eaque editio non fuit absoluta (pervenit usque ad initium l. XVIII), imo etiam fuit, si pauca excipias exemplaria, deleta[2]). Novam editionem auctam et ad a. 1652. continuatam (ll. 25) curavit Jacobus Masenius S. J. Leodii 1670 v. 2 in f. Aliud horum opus, quod a consiliariis principis electoris suppressum fuerat, nostra editum aetate est: *Metropolis Ecclesiae trevericae,* Broweri et Masenii opus emendavit, auxit, edidit Chr. de Stramberg, Confluentiae 1855. 1856 v. 2 in 8., quod complectitur historiam singularium monasteriorum archidioecesis trevirensis, eorumque, qui illis praefuerunt, seriem, quam editor ad nostros usque dies continuavit[1]). Edidit praeterea Browerus: *Fuldensium antiquitatum ll. 4,* Antwerpiae 1612 in 4; *Sidera illustrium et sanctorum virorum,* qui Germaniam praesertim magnam olim rebus gestis ornarunt: a nocte sua relucentes vindicavit veterum mss. beneficio etc., Moguntiae 1616 in 4; *Vita s. Godehardi* auctore Wolfhero, in Act. SS. Maj. I, 502—530; *Venantii Honorii Clementiani Fortunati,* italici presbyteri, episcopi pictaviensis vetusti et christiani poetae *carminum, epistolarum et expositionum ll. 11* . . . Additi praeter supplementa *de vita s. Martini ll. 4.* Omnia recens illustrata notis sacris, historicis et geographicis, Moguntiae 1603 in 4; 1630; Coloniae 1617, cui editioni adjecta sunt *Hrabani poemata sacra nunquam edita.* Recepta etiam in bibliothecas patrum coloniensem et lugdunensem. — Pro historia Styriae et Austriae multa discere licet ex epistolis Georgii III. Stobaei de Palmburg, episcopi principis Lavantini. Natus is est a. 1552 Brunsbergae in Borrussia. Romam venit atque studia

(† 4. Nov. 1637), cujus est: *Clavis apostolica* seu demonstratio theologica, qua lucide ac solide concluditur fide divina credendum Paulum V. esse summum maximumque pontificem, Duaci 1621 in 12.

[1]) „Anlaß dieser Schrift war die im Interesse der Stadt verfaßte Parteischrift des Stadtsyndikus Kyriander (Hermann) Annales gegen die Ansprüche der Erzbischöfe von Cöln. Die erste Ausgabe dieser Schrift wurde beinahe ganz vernichtet (gedruckt 1576 zu Cöln, dann zu Zweibrücken 1603. u. s. w.). Die Arbeit Browers und Masenius geht bis 1652 (das Epitome bis 1672, mit einem anonym erschienenen Auctarium bis 1695). Sie ist aus zum Theil verlorenen Quellen geschöpft und nicht zu sparsam in Mittheilungen aus denselben. Sie bleibt dem Forscher höchst werthvoll." Literarischer Handweiser 1865 Nr. 38. c. 349. Cf. Kraft KL. II, 1321.

[2]) Hujus deletionis causam reddit Feller l. c. „Le manuscrit de cet ouvrage fut examiné par des conseillers de l'électeur, qui plus zélés pour les intérêts de leur maître, que pour ceux de la vérité, firent des changements considérables et c'est dans cet état que parut l'édition du 1626, qui malgré cela, fut supprimée, quelque temps après. Cette édition est rare. Le P. Masénius en donna une seconde édition, et ajouta trois livres aux vingt-deux du P. Brouwer; mais elle passa encore par les mains des conseillers, qui y firent de noveaux changements." Etiam Wegele agnoscit operis pretium et Br. propterea ab eo dicitur unzweifelhaft ein gewißenhafter, gründlicher und wirklich gelehrter Forscher (Gesch. der deutschen Historiogr. p. 406—8).

[1]) „Das Buch hat ähnliche Bedeutung und Wichtigkeit wie das Hauptwerk derselben Verfasser, und deßhalb ist seine Veröffentlichung dankbar anzuerkennen, wenn sie auch den heutigen Anforderungen mehr hätte entsprechen können." Literar. Handweiser l. c. Cf. Duhr Zeitschr. f. k. Theol. XIII (1889), 66—68.

sua in collegio absolvit germanico (1575-1579). Rediens in Germaniam substitit in Austriae ducatu magnoque fervore fidei catholicae egit causam et jam post quinquennium electus est in episcopum lavantinum (1584). A Ferdinando II. (tunc archiduce) constitutus est Austriae interioris praeses (1597-1608). Summa apud eundem fruebatur gratia et auctoritate, qui etiam juxta ipsius consilia prudentia et moderatione plena reductionem Styriae, Carinthiae et Austriae ad fidem catholicam exitu plane felici promovit. Decessit praesul apostolicus[1]), qui modeste recusavit purpuram sibi a Ferdinando oblatam, a. 1618. *Epistolae* ejus pro historia ecclesiastica harum provinciarum plane pretiosae prodierunt Venetiis 1749; Viennae 1758. Tres praecipuae ad archiduces Ferdinandum et Carolum inscriptae *Historica religionis reformatio* penna theologica . . . G. Stobaei de Palmaburg prodierunt Tyrnaviae 1714 et in Hansiz Germania sacra II, 676. 713. 736.

236. Quaedam ad historiam ecclesiasticam *Hispaniae* spectantia publicae luci dedit Prudentius de Sandoval O. S. Ben., qui in eam curam se totum fere impendit, ut rerum et hominum oblivione jam quasi sepultorum memoriam pro virili suo e tenebris suscitaret. Electus est 1608 in episcopum tudensem et a. 1612 translatus ad sedem pampilonensem († 12. Mart. 1621). Praeter *vitam Caroli V.* imp. Pinciae 1604. 1606 t. 2 in f. hispanice, collegit *Antiguedad de la Ciudad y Iglesia de Tuy* y de los Obispos que se sabe haja habido en ella, Bracharae 1610 in 4; *Catalogo de los Obispos* de la Iglesia de Pamplona, Pampilone 1613; Primera Parte *de las Fundaciones de los Monasterios de s. Benito,* eorum scil. quae a gothis regibus ante Arabum in Hispaniam irruptionem aedificata sunt[1]), Matriti 1601 in f. — Guillelmus de la Croix († 1618) collegit *seriem et acta episcoporum Cadurcensium* quotquot hactenus summa cura inveniri potuerunt, Cadurci 1617; 1626 in 4. — Michael Cotignon composuit *Catalogue historial* des Evêques de Nevers, Parisiis 1616 in 8. — Coelestinus Coleoni O. Cap, Bergomas composuit *Istoria quadripartita di Bergamo* e suo Territorio nato gentile et rinato cristiano, Bergomi 1617-19 t. 3 (4) in 4., quorum 1. describit Bergomensium statum sub idololatriae servitute; 2. complectitur ll. 25 vitas episcoporum, traditiones veteres, constitutiones apostolicas, caesarea et regia privilegia et omnia quae rem ecclesiasticam tangere possunt; in 3. (4.) describuntur ecclesiae, monasteria, oratoria, hospitalia et cetera hujusmodi. — Joannes Franciscus Besutius (Besozzi) Mediolanensis praeter *Vita* di S. Car. Borromeo, Mediolani in 8., scripsit *Istoria Pontificale di Milano* da s. Barnaba sino a Fr. Borromeo . . . cioè sino all'anno 1596, cum additionibus Melch. Ripae, ib. 1623 in 8. — De eadem ecclesia meruit Carolus (antea dictus Joannes Franciscus) Basilica Petri (a loco Bescapè ita cognominatus) Mediolanensis[2]) n. 1550, quondam canonicus, dein 1578 O. Barn. »tertius (suae sodalitatis) praepositus generalis, s. Caroli perpetuus alumnus ... vir prudentia, vitae sanctitate, doctrina, ecclesiastica disciplina, rebus pro Ecclesia praeclare gestis ac scriptis insignis (in ejus epitaphio).« Piissime obiit episcopus novariensis 1615, lucidissimum praesulum exemplar, a Cle-

[1]) Cf. J. Stepischneg Georg. III. Stobaeus v. P., Wien 1854; Steinhuber Gesch. des Coll. germ. hung. I, 313 ss.; v. Zeissberg allg. d. Bibl. VIII, 677—679.

[1]) Alia ejusdem opera laudat N. Antonius II, 255.

[2]) Ab hoc distingue Hieronymum Basilica Petri Patritium mediolanensem et praetorem cremonensem († 1641), cujus supersunt quaedam ad jus spectantia, et alium Hieronymum Basilica Petri Mediolanensem congr. Orat.

mente VIII. Pauloque V. tamquam episcopalis virtutis idea et vetustae pietatis priscorum patrum spirans simulacrum laudatus. Inter ejus opera[1]) laudari merent: Brevis *historia ecclesiae mediolanensis* Novariae 1615; *de metropoli mediolanensi* Mediolani 1575; 1596; 1598; 1628 (a Graevio insertum *Antiq. Ital.* t. 1. p. 2); *fragmenta historiae mediolanensis,* praecedunt successores s. Barnabae in ecclesia mediolanensi (quem catalogum ex msc. Sirleti primum edidit de Deis, dein Eug. Cattaneo) Mediolani 1628 in f.; *de vita et rebus gestis Caroli* S. R. E. card. et archiepiscopi mediol. ll. 7, Ingolstadii 1592; Brixiae 1613; *Novaria* seu de ecclesia novariensi ll. 2, Novariae 1612; *de regulari disciplina* monumenta patrum, Mediolani 1588; perinsignes ex catholicis universitatibus ètc. *pro Ecclesia allegationes*, quibus illius vera libertas et immunitas defenditur, Bononiae 1622 ed. Hieronymo Gattico cum multis additamentis. — Ludovicus de Torres archiepiscopus Montis Regalis in Sicilia (1588) et a. 1606 cardinalis, qui commercium epistolarum fovit cum viris sui aevi doctissimis († 9. Jul. 1609), composuit *historia della chiesa di Monreale*, quae tamen sub nomine sui secretarii Jo. Al. Lelli Romae prodiit 1596.

237. Ad historiam ecclesiasticam *Angliae* referri possunt: Didacus de Yepes O. S. Hier., episcopus turiasonensis († 1613) propter l. *Historia particular de la persecucion de Inglaterra* y de los martiros en ella desde el año de 1570 con muchas cosas non publicadas, Matriti 1599 in 4., opus valde rarum (m. 95). — Petrus de Ribadeneira S. J., cujus est *Historia Ecclesiastica* del Scisma del Reyno de Inglaterra, Matriti 1588 in 8; 1594 etc. saepius edita. Natus est Petrus de Ribadeneira Toleti 1. Nov. 1527, seque adhuc puer annorum tredecim affectu vere filiali adjunxit s. Ignatio, antequam ejusdem societas a sede apostolica esset approbata. Magni factus est a sancto parente ob morum facilitatem, ingenium ardens, egregiam indolem, et ad magna gerenda negotia adhibitus variasque in regiones missus. Praecipuis ordinis muneribus est functus optimeque de eodem meruit. Postquam tribus primis societatis praepositis magno fuerat usu, ob afflictam valetudinem in patriam se recepit totumque pietatis exercitiis scribendisque libris impendit. Stilo autem latino utitur classico. Decessit senex venerandus 22. Sept. 1611 a. aetatis 84., societatis 71. Ex ejus operibus mentione praeterea digna sunt[1]): *Vida del S. Ignacio de Loyola*, fundador de la Comp. de J., y de los Padres Maestro D. Laynez y Francisco de Borja, segundo y tercero Preposito General de la misma Compañia (seorsim Matriti 1592 etc.), Matriti 1594 in f. Vita s. Ignatii ll. 5 comprehensa jam antea prodierat latine Neapoli 1572 in 8., saepius dein edita et varias in linguas versa. Philippo II. inscripsit: *Tr. de la Religion y Virtudes* que debe tener el Principe Christiano para governar y conservar sus Estados, contra Machiavelli, Matriti 1595; 1788; 1860; Antverpiae 1597; 1601 etc., quem latine reddidit Joannes Oranus S. J. Leodiensis († 1603), Antverpiae 1603; Coloniae 1604; *Flos sanctorum* o Libro de las vidas de los Santos, Matriti 1599. 1601. t. 2 in f., dein saepius, etiam in alias linguas versus. Coepit primus colligere illustrium scriptorum religionis S. J. *catalogum*, qui primum prodiit

[1]) Cf. Ughelli It. sacra IV, 996; Argellati bibl. med. t. 1. p. 2. p. 124, qui recenset scripta ejus edita 19, inedita 42.

[1]) De ejus operibus cf. Sommervogel VI, 1724—58; qui plurimas singulorum opp. ed. recenset; de vita egregiam biographiam J. M. Prat Histoire du P. R., Parisiis 1682, quae germanice versa a. Matthia Gruber prodiit Ratisbonae 1885; Seither KL. X, 1168.

1602, dein saepius auctus. Alia ejusdem opuscula sunt ascetica; plura opera collecta prodierunt, Matriti 1595; 1868. — Hieronymus Pollini O. Praed., Florentinus, scripsit *Historia Ecclesiastica* della revoluzione d'Inghilterra divisa in ll. 4, ne' quali si tratta di quello ch' è avvenuto in quell' isola, da che Arrigo VIII. cominciò a pensare di repudiar Caterina sua legitima moglie insino a questi ultimi anni di Lizabeta ultima sua figliuola, Romae 1594 in 4.

238. Petrus du Jarric S. J. Tolosanus, theologiae professor († 1617 vel 1618) ex missionariorum in primis literis collegit *Histoire des choses plus memorables* advenues tant en Indes Orientales que autres païs de la descouverte des Portugais en l'establissement et progrez de la foy Chrestienne et Catholique, et principalement de ce que les Religieux de la Compagnie de Jésus y ont faict et endurè pour la mesme fin depuis qu'ils y sont entrez jusques à l'an 1600, Burdigalae 1608—1614 t. 3 in 4. (continuata usque ad a. 1610). — Non dissimile est opus Ludovici Guzman[1]) S. J. Hispani viri solidissimae virtutis († 10. Jan. 1605), qui animarum salute incensus, ut saltem quosdam excitaret ad ambiendas missiones, quas nunquam impetrare potuerat, conscripsit *Historia de las missiones* que han hecho los religiosos de la Compañia de Jesus para predicar el santo Evangelio en la India Oriental y en los Reynos de la China y Japon, Compluti 1601 t. 2 in f., opus perrarum (m. 200). — Quaedam pro historia ecclesiastica Japoniae referuntur in annuis literis (1598—1606), quas scripsit Franciscus Pasius S. J. Bononiensis, strenuus missionarius († 30. Aug. 1612). Prodierunt Romae 1601—8. — Contra Lud. de Urreta historiam scripsit Nicolaus Godigno (Godinho) S. J. Olisiponensis († 7. Dec. 1606) *de Abassinorum rebus*, deque Aethiopiae patriarchis Jo. Nonio Barreto et Andrea Oviedo ll. 3, Lugduni, quo in op. plura illius asserta corrigit. — Joannes Petrus Maffei S. J. Bergomas n. 1535, prius eloquentiae professor et reipublicae genuensi a secretis, mundo relicto ingressus est societatem Jesu a. 1565. In collegio romano eloquentiam magno plausu est professus († 1603). *Rerum a societate Jesu in Oriente gestarum ad a. 1568 commentarium* Em. a Costae S. J. Lusitani († 25. Febr. 1604) recognovit et latinitate donavit. Accessere de Japonicis rebus ep. ll. IV pariter in latinum conversi, Dilingae 1571; auctus prodiit Parisiis 1572, quem recepit in majus opus *Historiarum indicarum ll. XVI,* quibus adjecit ep. ll. IV et vitam Ignatii Loyolae (quae jam antea prodierat Romae 1585 in f., Venetiis 1585 etc.), Florentiae 1588 in f.; Lugduni 1589; Coloniae 1589; 1590; 1593; Viennae Austriae 1752 etc. Ad hoc opus de rebus indicis concinnandum ab Henrico card. in Lusitaniam fuit accitus, ut subsidiis archivorum juvaretur. *Confessori di Cristo,* Taurini 1826 t. 4 in 16; 1883; Romae 1843; 1845. Opera latine conscripta prodierunt collecta Bergomi 1747 t. 2 in 4., cui ed. praemissa est ejus vita auctore P. A. Serassi. Vita Gregorii XIII. italice scripta nonnisi diu post ejus mortem Romae prodiit a. 1742 inscripta *degli annali di Gregorio XIII.* t. 2. Jussus erat conscribere vitas pontificum post Gregorium XIII, sed perfecit tantum ll. 3 priores de Sixto V, qui prodierunt inscripti: *Historiarum ab excessu Gregorii ll. 3 Sixti V. pontificatum complexi,* Bergomi 1746. Opera ejus commendantur in primis a stilo, qui est plane classicus sive latinus sive italus, hinc melioribus sui aevi scripto-

[1]) Alius ab eo est aequalis et sodalis Petrus Guzman († 1620), qui Turselini historiam de missionibus in Japonia et imperio sinensi in linguam vertit castellanam, Vallisoleti 1603. Ejus quoque est *Bienes de el honesto trabaje* y daños de la ociosidad, Matriti 1614.

ribus accensetur[1]). — Ferdinandus Guerreiro Lusitanus obiit quinquagesimo a. a suo in Soc. Jesu ingressu (1617). Collegit *Relaçam* annual das Cousas que fizeram os padres do Companhia de Jesus na India et Japan et quidem distinctis fasciculis bienniis singulis ab a. 1600—1608, Olissipone 1603—11 fasc. V. — Ludovicus Piñeyro (Pinarius) S. J. Lusitanus missionum visitator († 1620) dedit typis *Relacion del sucesso,* que tuvo nuestra santa fe en los reynos del Japon, desde el año 1612—1615, Imperando Cubosama, Matriti 1617. — Quibus addere licet Josephum de Brunis O. Min. reg. obs. Venetum, cujus est *Reductorium Hierosolymitanum,* in quo candide et sincere describitur quidquid diu desiderabatur sciri de omnibus ad s. Hierusalem spectantibus, videlicet numerum locorum rev. PP. d. Francisci etc., Venetiis 1616; Augustae 1651. — Joannem Van der Straeten O. Min. Brugensem, qui descripsit lingua vernacula *Voyagie ofte Reyse* naer Jerusalem ende Sinte Catharine grave ende diversche landens, Brugis 1620.—Joanni Gonzalez de Mendoza[2]) O. S. Aug. Toletano, a Philippo II. legato in Sinarum regnum, dein episcopo chiapensi in nova Hispania et per translationem popajanensi († 1618), tribuitur *theatrum ecclesiasticum* primitivae ecclesiae Indiae orientalis (hispanice) Matriti 1655 t. 2 in 8. Fructus suae legationis exstitit *Historia* de las cosas mas notables, ritos y costumbres del gran reino de la China, Romae 1585; Matriti 1586 in 8; Antwerpiae 1596 etc. In 1. op. p. triplex suum ad hoc regnum iter a. 1577. 1579. 1581 describit. Opus ejus mox in omnium fere gentium linguas fuit translatum. — Ludovicus de Urreta O. Praed. collegit *Historia ecclesiastica,* politica, natural y moral de los grandes y remotos reynos de la Etiopia, monarchia del emperador llamado Preste Juan de las Indias: muy util y provechosa para todos estados, principalmente para Predicadores, Valentiae 1610 in 4., rara quidem, sed judicio critico destituta. Plura correxit ut diximus p. 558 Godigno. Adiciones adjecit Evora 1611 Antonius Collasso (Colaço) S. J. Indiarum procurator († 1647). *Historia de la s. orden de Predicadores* en los remotos reynos de la Etiopia, ib. 1611 in 4.

239. Nicolaus Orlandini S. J. Florentinus ortus stirpe nobili, primus Societatis Jesu historiographus († 17. Maj. 1606), edidit *annuas literas* S. J, 1583—85, Romae 1585—87 t. 3 in 8; *vitam Petri Fabri,* primi socii b. Ignatii, Lugduni 1617, sed in primis innotuit *historia S. J.* p. 1. sive *Ignatius,* cujus editionem curavit Franc. Sacchini Coloniae 1615; 1621; Antwerpiae 1620, quam et ipse (n. 1570; † 1625) continuavit stilo nitido adjectis quatuor aliis partibus; p. 2. sive *Lainius,* ib. 1620; Coloniae 1621; p. 3. sive *Borgia,* Romae 1649; p. 4. sive *Everardus,* ib. 1651; p. 5. sive *Claudius* t. 1., ib. 1661, quem absolvit Petrus Possinus; p. 6. t. 2 (1750 et 1859) i. e. res gestas sub Mutio Vitellescho adjecit Julius Caesar Cordara. Historia haec (rarissima m. 250) pertingit tantum ad a. 1633., nec ultra fuit continuata. Sacchinius († 1625) praeter *vitam b. Stanislai Kostkae,* Ingolstadii 1609 etc., *vitam d. Paulini* ep. nolani, quae praemittitur s. Paulini operibus Antwerpiae 1622 et inserta fuit actis SS. Junii t. IV. p. 202—325, composuit utilem diss. *de ratione libros cum profectu legendi* deque vitanda moribus noxia lectione, Ingolstadii 1614., et saepissime dein editam. — Archangelus Maria Giani O. Serv. b. M. V. insignis concionator († 23. Dec. 1623) collegit *annalium O.*

[1]) Cf. Sommervogel V, 293—302; Pfülf KL. VIII, 446; Tiraboschi VII, 2, 367-69.

[2]) Alius ab eo est Joannes Gonzalez de Losada S. J. Hispanus († 30. Oct. 1617), cujus opuscula ascetica recenset Sommervogel III, 1589.

Serv. b. M. V. centurias IV ab a. 1233—1609, Florentiae 1618—22 t. 2 in f. (fr. 80), quos continuavit ad 1705 notisque illustravit M. Garbi († 1722); ad a. 1725 Bonfrizzerius, Lucae 1719—25 t. 3 (fr. 150). *Vera origine del s. ordine de servi di S. Maria*, comminciato in Firenze 1233, con un catalogo dei Generali dell ord. sino 1590, Firenze 1591.—Franciscus Gonzaga O. S. Franc. e serenissima ducum Mantuae progenie in sui ordinis ministrum generalem electus est propter praestantes animi dotes insignemque virtutem (1579). Per octennium functus hoc ministerio assumptus est ad cephaludensem episcopatum in Sicilia, dein ad papiensem, mox ad mantuanum translatus, a Clemente VIII. nuntius apostolicus missus est de pace inter Hispanum et Gallum acturus († 1620). Meruit de suo ordine opere admodum raro: *de origine seraphicae religionis franciscanae et progressibus;* de regularis observantiae institutione, forma administrationis, legibus ejusque ordinis propagatione, Romae 1587 pp. 4 in 2 v. in f. (m. 175); Venetiis 1603. 1606 in 4., in quo agit etiam de viris doctis vel ad dignitatem ecclesiasticam promotis hujus ordinis. — Augustinus Davila y Padilla O. Praed. Mexicanus, sed ex Hispania oriundus, regius ecclesiastes a Philippo assumptus, dein archiepiscopus s. Dominici in insula Hispaniola praesentatus et a Clemente VIII. confirmatus († 1604) scripsit *Historia de la fundacion y discurso* de la provincia de Santjago de Mexico de la orden de predicadores, Matriti 1596; Bruxellis 1625 in 4 (m. 200); Pinciae 1634 ed. 3. inscripta: *Varia Historia* de la Nueva España y Florida. — Conradus Zittardus cognominatus a civitate patria in ditione juliacensi O. Pr. annis 19 rexit Germaniae provinciam. Titulo praedicatoris generalis gaudebat († 27. Mart. 1606). Reliquit *Kurtze Chronica* d. i. historische Beschreibung (neben anderen merklichen Punkten) der General Minister Prediger Ordens und was zu einer jeden Zeit für Führnehme, hochgelehrte, auch heilige Brüder und Schwestern im Prediger Orden gelebt haben, Dilingen 1596. — Franciscus Diago O. Praed. Hispanus totum se historiae scribendae gestisque antiquis memoriae consignandis dedit; quam ob rem chronographus regnorum Aragoniae audire meruit († 1615). Descripsit inter alia *Historia de la provincia de Aragon de la orden de Predicadores* desde su origen y principio hasta el año de 1600, Barcinone 1599 in f., opus rarum. — Paulus Moriggia O. Jesuatarum, Mediolanensis plurima (61) scripsit opera[1]), inter quae *Istoria dell' origine di tutte religioni*, con l'origine ancora delle religioni militari ll. 3, Venetiis 1569 in 16; 1581; 1586, opus sat rarum, sed minus criticum; *Istoria de' Personaggi illustri*, che furono Religiosi Gesuati ll. 5, Bergomi 1593 in 4; *Sommario cronologico* delle vite dei Pontefici romani, ib, in 4. etc. — Franciscus Maurolicus Messanensis, qui Philippi II. jussu undique collegit codices graecos, latinos, hebraeós et arabicos, composuit[2]) *Istoria sagra* intitolata Mare Oceano di tutte le Religioni del Mondo, Messinae 1613.

240. Pro historia ordinis Carmelitarum aliqua habentur apud Didacum Martinez de Coria Maldonado O. Carm. († intra 1601—1607), de quo cf. Villiers I, 393. — Historiam sui ordinis inscriptam A primeira parte *da Chronica del Cister,* onde se contan as cousas principais desta Religiaõ con muitas antiguitades assi do Reyno de Portugal como d'outros muitos du Cristiandade, Olisipone 1602 in f. (m. 60) composuit Bernardus de Brito O. Cist. Lusitanus, qui forte magis innotuit im-

1) Cf. Argellati t. II. p. 1. pag. 966.
2) Alia ejusdem opera (ut videtur inedita) recenset Mongitore, in biblioth. sicula II, 226.

penso illustrandae historiae lusitanicae studio, hinc delatum ipsi fuit a Philippo III. archichronographi Lusitaniae munus. Coepit grande opus *Monarquia Lusitana*, cujus tantum tomos duos conscripsit, sodales illud continuarunt atque ita prodiit Olisipone 1597-1683 t. VIII in f. Obiit in Almeida oppido natali 27. Febr. 1617 a. natus nondum 50. — *Chronicam* abbatum Eberbacensium O. Cist. compilavit Joannes Schaefer O. Cist. monasterii eberbacensis ad a. 1618, quam plures dein continuarunt. Eam habes apud Roth[1]) fontes I., p. 4. pag. 104—136. — Nicolaus, a loco patrio Noevel Novillanius (Neuville) dictus, erat O. S. Ben. in monasterio trevirensi s. Maximini. Missus est a suo abbate ad comitia imperii ratisbonensia (1608) pro tuendis monasterii juribus († 3. Mart. 1618). Ipse recenset ordine chronologico sui monasterii abbates in *Chronico imperialis monasterii s. Maximini OSB.* prope Treviros sive in Gestis abbatum s. Maximini ab a. 333—1583, quod chronicon edidit Hontheim in Prodromo historiae trevirensis Augustae V. 1757 in f. II, 995—1040. Etsi quoad monasterii exordia minus fidum sit, a sec. X. pretiosum ob documenta operi inserta[2]). — Barnabas de Monte albo O. Cist. († 1602) coepit *Chronica* del orden del Cistel, Matriti 1602 p. 1. (et unica). — Matthaeus Loret (Lauretus) O. S. Ben. Catalanus *Chronicon casinense* Leonis ostiensis (cf. supra Nomencl. II[3], 51) recognovit et annotationibus illustravit; adjecit de monachatu s. Gregorii M. sub regula s. Benedicti disp., Neapoli 1616 in 4. Sed in op. editione licentia usus est abnormi, ut non tam Leonis historiam quam errorum Odysseam edidisse videatur, ut verbis utamur Angeli de Nuce ab. casinensis in prol. ed. ultimae hujus chronici, quae prodiit Lugduni 1668. — Jacobus Cavacius O. S. B. Patavinus († 1614) scripsit *historiarum coenobii D. Justinae patavinae* ll. 6, quibus casinensis congregationis origines etc. interseruntur, Venetiis 1606 in 4. — Joannes Bertels Lovanii n. circa 1544, in academia patria philosophiae vacavit et adolescens a. 17 magister est dictus. Ingressus est ordinem s. Benedicti in monasterio b. M. V. luxemburgensis. In eo munere functus est cellarii atque post abbatis obitum, unanimi sodalium suffragio a. 1575 electus est in successorem. Magna sunt ejus de monasterio merita. In sodalium utilitatem composuit Dialogos XXVII in regulam s. Benedicti, quos edidit cum *catalogo et serie abbatum* monasterii d. Mariae, Coloniae 1581. Anno 1594 designatus est a Philippo II. abbas celebris monasterii epternacensis: sed ob bellicas seditiosorum in Belgio incursiones multa incommoda est passus († 19. Jun. 1607). Compilavit *Historiam luxemburgensem* seu commentarium, quo ducum luxemburgensium ortus, progressus ac res gestae . . . describuntur, Coloniae 1606, ed. mendosa; Amstelodami 1635, ed. non integra; Luxemburg 1856.

241. Praeter Ribadeneiram, Maffei etc. inter hagiologos[1]) referri debent Joannes Marietta O. Praed. Hispanus († 1611), qui praeter biographias virorum illustrium singulares collegit *Historia ecclesiastica de todos los sanctos de España*, donde se cuentan muy particularmente todas las vi-

[1]) Cf. Roth hist. Jahrb. VII (1886), 230, qui de ea censet: Schäfers Arbeit bietet für die älteren Zeiten wenig, er benützte keine Urkunden, die Reihenfolge der Äbte ist mangelhaft und verwirrt. Für die letzten Jahre seiner Arbeit sind eigene Erlebnisse Quelle, die Darstellung gewinnt dadurch an Wert, doch zeigt Schäfer nicht immer guten Geschmack bei Mitteilung seiner Nachrichten und hat viel Unbedeutendes.

[2]) Cf. Doyen Biogr. nat. de Belg. XV, 691.

[1]) Cf. Edm. Schneider Stud. u. Mitth. aus dem Ben.-Orden XVII (1896), 269—76; 429—37.

das martirios y milagros de los santos y santas proprios, que en esta nuestra España ha avido, assi de Martires, pontifices, confessores come non pontifices, y religiosos de todas ordenes: y los concilios que ha avido desde el tiempo de los apostolos hasta agora con otras cosas muy curiosas de todas las ciudades de España que nunca han sido impressas, Conchae 1596 pp. 4 in f.; *Catalogo de todos los arçobispos que a avida en la s. Iglesia de Toledo* desde s. Eugenio hasta los tiempos de agora, Matriti 1600 in 4. — Antonius Jo. Garcia de Caralps canonicus poenitentiarius barcinonensis, s. theologiae doctor narrat *Historia de s. Odeguer* (Oldegarii) arçobispo de Tarragona y obispo de Barcelona (1137), Barcinone 1617. — Vincentius Barralis O. S. Ben. dedit *chronologiam sanctorum* et aliorum virorum illustrium et abbatum insulae lerinensis, Lugduni 1613 in 4. — Christophorus Facciardi O. Cap. Verruchinus a territorii ariminensis oppido dictus, celeberrimus suo tempore concionator, qui ad 30.000 auditores quotidie Mediolani in ecclesia majori habuit, narravit *vitas et gesta sanctorum ecclesiae verruchinae,* Venetiis 1600 in 8. — Dismas Serpi O. S. Fr. calaritanus scripsit *chronica sanctorum Sardiniae,* Barcinone 1600 in 4. Disputavit quoque *de igne purgatorio* contra Lutherum et alios sectarios, ib. 1613 hispanice; Olisipone 1617 in 4. — Ambrosius Steibanus O. S. Aug. Italus, vicarius generalis sodalium Excalceatorum (fl. ineunte sec. XVII) scripsit *Il tempio Eremitano,* Neapoli t. 2 in f. 1608, quo in op. tractat de antiquitate, sanctis ac beatis ordinis sui. — Joannes Baldi in literis humanioribus bene versatus, canonicus poenitentiarius auximanus (fl. ineunte hoc seculo) scripsit rhetorice magis quam critice *Vite degl' incliti Martiri* e Corona di s. Leopardo Vescovo e degli altri Santi, che stanno sepolti nella chiesa Osimana, Ancona 1620. — Franciscus Ferrari[1]) Mediolanensis, canonicus theologus cremonensis († 1617) scripsit *vitam s. Eusebii cremonensis* († c. 423), Cremonae 1612; in Act. SS. 5. Mart. I, 369—386; *Martirio di S. Lorenzo,* Romae 1651 in 4. — Georgius Bartholdus a Breitenberg, a Brüx (Brixia) oppido Bohemiae Pontanus appellatus, insignis concionator erat et poëta adeo ut a Rudolpho II. Caesare lauro poetica fuerit redimitus et comes palatinus dictus. Factus est metropolitanae ecclesiae pragensis praepositus et vicarius generalis (1586). Quatuor archiepiscopis erat a consilio, vir doctus et in historia bene versatus, ob eruditionem et morum candorem vel a protestantibus aestimatus. Bibliothecam codicibus msc. locupletem collegit, quam capitulo cathedrali testamento legavit, sed Sueci eam urbe a. 1648 occupata expilarunt († 20. Febr. 1616). Sanctorum aliquot laudes carmine celebravit; *Bohemiam piam ll. VII* concinnavit Francofurti 1608, »in quibus omnem gentis nostrae pietatem exprimere conatus est; sed quia id sine ordine etiam innumeris typi erroribus fecit, nullam apud vulgares lectores, qui minimis offenduntur, gratiam invenit[2])«. Alia ejusdem opera sunt *Bibliotheca* seu theatrum *concionum,* Coloniae 1608; 1625 t. 2 in f.; *Diurnale concionatorum,* Coloniae 1611; *Historia rerum turcicarum,* Francofurti 1597 etc. — *The Life and Death of Mistris Margaret Clitherow,* quae ob fidem mortem est passa a. 1586 sub Elisabetha Angliae regina, praeclare descripsit[3]) Joannes Mush, ejus director spiritualis,

[1]) Distingui debet a Francisco Ferrari juniore bononiensi, qui erat in patria professor literarum humaniorum. Praeter alia reliquit *Compendio della vita di s. Nicolo* arciv. di Mira. Bononiae 1644; 1670.

[2]) Balbinus Boh. doctae II, 83. Cf. Ant. Weis Allg. d. Biogr. XXVI, 412.

[3]) Ita Gillow V, 151; pag. vero 180 illam editam fuisse affirmat a William Nicholson († 1888).

quae demum prodiit York 1849. Natus est Jo. Mush alias Ratcliffe a. 1551 in Yorkshire. Anno 1576 Romam se contulit, unde post septennium missionarius rediit in Angliam (1583). Captus morte est damnatus, quam fuga potuit evadere. Implicitus fuit turbis, quae inter Angliae catholicos excitatae fuere occasione institutionis archipresbyteri Blackwell. Edidit earum occasione l. inscriptum: *Declaratio motuum ac turbationum,* quae ex controversiis inter Jesuitas, iisque in omnibus faventem D. G. Blackvellum archipresbyterum et sacerdotes seminariorum in Anglia ab obitu ill. card. Alani p. m. ad a. usque 1601. ortae sunt ad Clementem VIII. exhibita ab ipsis sacerdotibus, qui schismatis aliorumque criminum sunt insimulati, Rotomagi 1601. Obiit Mush exeunte a. 1612 vel initio a. 1613. — Franciscus de sancto Angelo O. Carm. Matritensis ordinis sui nobilis zelator collegit *Catalogo de los Santos* de la orden de N. S. del Monte Carmelo, Caesaraugustae 1608 in 8.

242. Praetermittendus non est Florimundus Raemundus (Rémond, Raemond, Raymond, Roemound) Gallus in oppido Agen natus c. 1540. Defecerat quidem ad Calvinianos, sed mira daemonis expulsione ex obsessa femina per s. eucharistiam effecta de religionis catholicae veritate persuasus ad Christi rediit ovile[1]). Licet esset membrum parlamenti burdigalensis, vir erat multae lectionis et sagacis judicii totumque se dedit studiis, historiae in primis et theologiae. Acriter impugnavit Calvinianos, quibus fuit admodum invisus. Ab ipsis belli tempore captus, nonnisi magno soluto pretio libertatem recuperavit († 1602). Inter ejus opera eminet: ***Histoire de la naissance, progrès et décadence de l'hérésie de ce siècle,*** quod opus filius ejus absolvit, ediditque Parisiis 1605; 1624, saepius recusum, in linguam germanicam et latinam versum, in qua prodiit hoc titulo: Flor. Raemundi . . . *synopsis omnium hujus temporis controversiarum* tam inter Lutheranos, Calvinistas quam alios plurimos: sive historia memorabilis de ortu, progressu et ruinis haeresum sec. XVI. aucta et illustrata ex scriptis R. D. Casp. Ulenbergii. Accessit nunc pars tertia, sive continuatio de ortu et progressu schismatum et haeresum sec. XVII. ex ipsorum schismaticorum scriptis collecta, editio prioribus multo auctior et correctior, Coloniae 1655; 1717 v. 2 in 4. Opus eruditum, novum stilo amoeno conscriptum, aptarum similitudinum luce perfusum, cui tamen deest hinc inde judicium criticum et disserendi acumen[1]). Immerito vero non-

---

[1]) Cf. Raess, Die Convertiten, 1, 468 ss., qui de eo scribit: In einigen biographischen Wörterbüchern wird Florimond als ein mittelmäßiger Schriftsteller angeführt; wer aber dessen Schriften gelesen hat, wird mit dieser wirklichen Unterschätzung nicht einverstanden sein. Sein ***Erreur populaire de la papesse Joanne*** (Burdigalae 1588) hat viele Auflagen erlebt und ist unter Andern ins Lateinische (a filio Jo. Carolo Coloniae 1614) übersetzt worden. Bayle selbst behauptet, dieses Werk sei das Beste, das über diese alberne Fabel geschrieben worden. Sein ***Antichrist*** berührt mehr Gegenstände, als der Titel erwarten läßt. Die zweite Ausgabe erschien zu Lyon 1597 in 4; Cameraci 1613 ed. aucta. KL. X, 1167.

[1]) Raess l. c.: „Florimond verrät in diesem Werke eine weit umfassende Belesenheit in der Profan- und Kirchengeschichte wie auch in den beiden Literaturen. Sein logischer Scharfsinn läßt hier und da zu wünschen übrig; auch geräth er manchmal in Abschweifungen: sein Buch ist darum nicht weniger eine reichhaltige Rüstkammer, aus welcher die Geschichtsschreiber und Polemiker Vieles erborgt haben. Seine Darstellungsweise ist anziehend und seine Gleichnisse, die der Sprache Licht, Leben und Anmuth geben, sind meist schlagend und neu. Diese wichtige Arbeit konnte Florimond, der 1602 mit Tod abging, weder ganz zu Ende führen noch in Druck geben; er überließ es seinem Sohne Franz von Raemond. Dieser vermehrte das 5. Buch mit einigen

nulli hoc et alia ejusdem opera ipsi abjudicarunt adscribentes eadem Ludovico Richeome S. J.[1]). — Ambrosius de Rusconibus O. S. Ben. Mediolanensis vitas collegit omnium haeresiarcharum, quas Venetiis 1619 in 4. edidit hoc titulo: *Triumphus catholicae veritatis* adversus omnes haereses ac eorum auctores a Simone Mago usque ad M. Antonium de Dominis feliciter et summa cura reportatus[2]), opus rarum.

243. *Archaeologiam christianam* illustrarunt Antonius Gallonius sodalis Oratorii s. Philippi Neri († 15. Maj. 1605), qui Baronium plurimum juvit in componendis annalibus. Exstat eruditus ejusdem tractatus prius italice conscriptus (Romae 1591), dein latinam in linguam versus *de ss. Martyrum cruciatibus* cum iconibus[3]), Romae 1594 in 4., Coloniae 1602; Parisiis 1659; Antwerpiae 1668; nonnullis editionibus adjecta sunt tractatus Hieronymi Maggi († 1572) *de equuleo*[4]) et epitome operis Justi Lipsii *de Cruce. Vita b. Philippi Nerii,* Romae 1600; Moguntiae 1602 in 8. (editiones rarae), recepta in acta SS. t. V. Maj. 929—90; *Istoria delle sante Vergini romane* con varie annotazioni, Romae 1591; *Istoria* della Vita e Martirio de' gloriosi SS. Flavia Domitilla V., Nereo ed Achilleo ed altri, ib. 1597 in 4. — Cornelius Schulting natus 1540 Steinwichii (unde se Lithokomos nuncupabat) s. theologiae professor publicus et ad s. Andream canonicus coloniensis († 24. Apr. 1604), acerrimus calvinianae haeresis debellator, cuncta temporis momenta aut pietatis aut literarum exercitiis impendit[1]). Suum adversus Calvinianos zelum produnt plura opera[2]), ut *Bibliotheca catholica* sive refutatio totius theologiae calvinianae, praesertim institutionum ejusdem Calvini, Coloniae 1602 in 4; *hierarchica anacrisis* seu animadversionum et variarum lectionum ll. 2, quibus varii de politia ecclesiastica Calvinistarum ll. convelluntur, ib. 1604, in quo opere varia protestantium colloquia et congressus recenset eorumque a veteris Ecclesiae synodis discrepantiam palam facit. Hic vero ipsius meminimus propter opus, cui titulus: *Thesaurus antiquitatum ecclesiasticarum* e 7 prioribus annalium Baronii t. contra centuriatores magdeburgenses ac Calvinistas totidem tomis ordine alphabetico digestus[3]), Coloniae 1603 in 8. Huc pariter referri possunt *Ecclesiasticae disciplinae ll. 6* de canonica et mo-

---

Hauptstücken und bearbeitete ganz allein das 6. Kapitel über die Kirchenspaltung Englands." Cf. Ph. Tamizey Essai sur la vie et les ouvrages de Fl. de R., Paris 1867.

1) Cf. Joly, Remarques sur le Diction. de Bayle.

2) Cf. Armellini in Bibl. cas. I, 15.

3) Ita de eo scribit Dupin (XVII, 4): „Ce Traité est très-curieux et fait avec beaucoup de soin. L'Auteur n'a pas seulement recueilli ce qui se trouve des supplices des Martyrs dans leurs Actes, dont plusieurs pourraient être suspects, mais aussi dans les Auteurs anciens, tant profanes qu'écclesiastiques." Cf. Feller IV, 92; Villarosa p. 139.

4) Vir haud obscurus, natione Etruscus, qui sagacitatem ingenii maxime ostendit in propugnanda urbe Famaugusta in Cypro adversus turcas. Captus tandem strangulatus fuit Constantinopoli. In carcere soli memoriae suae innixus librum composuit insignem, *de tintinnabulis,* Hannoviae 1608 in 8; cum figuris sicut et alter de equuleo Amstelodami 1664. Ce traité, inquit Feller V, 440., des cloches est très-savant; et ce qu'il a de plus extraordinaire, c'est que l'auteur le fit de mémoire." Praeter alia opera eleganti stilo conscripta et eruditione plena disseruit *de fine mundi per ignem,* Basileae 1562 in f.

1) Continuator hist. eccles. Fleurii l. 186. § 130.

2) Cf. Hartzheim in Bibl. col. p. 66.

3) Dieses Werk reicht vom Beginn der christlichen Kirche bis zum Jahre 1614, und enthält viel treffliches Material, ist aber planlos, weil rein chronologisch dem Baronius folgend, und sehr heftig polemisch gegen Lutheraner und Calvinisten. Hefele, Kirchenlex. 1, 403.

nastica disciplina collapsa restauranda pristinoque nitori restituenda, Coloniae 1598 in 8; *Bibliotheca ecclesiastica* seu commentaria sacra de expositione et illustratione missalis et breviarii, ib. 1599 t. 4 in f.; 1602 opus rarum officia et praesertim annum illustrans, in cujus tomo ultimo polemicum agit et ecclesiastica Calvinistarum et Lutheranorum officia rite perpendens eorum vitia revelat et efficaciter impugnat. Potissimum vero insectatur liturgiam ecclesiae anglicanae, cui pium pro veritate bellum indixit[1]). Rigide de hoc opere judicat Zaccaria in sua bibl. rit. II, 301: »Multa in hac bibliotheca scitu dignissima . . . opus nullo ordine, nullo delectu, nulla critice ab auctore elaboratum.« Aliud ejusdem opus est: *Confessio hieronymiana* e d. Hieronymi operibus juxta locorum theologicorum capita, Coloniae 1584 t. 4 in f.

244. Angelus Rocca O. Er. S. Aug. Roccae Contradae 1545 natus est; cum vero diu degerit Camerini, Camerinus nonnunquam dictus vel Camers. Perusii, Romae, Venetiis literis operam dedit, Patavii theologiae lauream promeruit (1577). Romam accitus Augustino Fivizani, ordinis vicario generali a secretis erat, donec Sixtus V. ipsum editioni operum ss. patrum praefecit (1585). Ipsius potissimum fidelitati et industriae Clemens VIII. typographicam editionis vulgatae emendationem demandavit[2]), eumque episcopum tagastensem et sacrarii apostolici praefectum dixit. Ideo etiam plura scripsit, quae ad hoc spectant munus[3]). Indefessa 40 annorum cura et solicitudine bibliothecam in communem omnium utilitatem ditissimam condidit, cujus januae inscriptum legimus: Τοῖς Βουλομένοις. Ad meliorem vitam transiit 8. Apr. 1620 a. aetatis 75. Opera ejusdem collecta[1]) prodiere Romae 1719 v. 2 in f., et 1745 sub inscriptione: *Thesaurus* pontificiarum sacrarumque antiquitatum necnon rituum, praxium et caeremoniarum aliorumque plerumque rarioris argumenti. Inter ea sunt: Enarratio *de universo ritu* ss. pontificis sacrosanctam eucharistiam in missa solemniter sumentis, in Roccaberti BP. IV, 1—19; *De sacrosancto Christi corpore romanis pontificibus iter conficientibus praeferendo* commentarius, Romae 1599 in 4., in quo praeter lectoris exspectationem multa nova atque singularia expendit. *De sanctorum canonizatione* commentarius, Romae 1601 in 4., in quo caeremoniae in ipsa canonizatione observari consuetae describuntur et declarantur. *Catalogus sanctorum, quorum canonizationes inveniri potuerunt.* Recenset 56 ab a. 803—1609. *De campanis* commentarius, Romae 1612 in 4., eruditus, rarus, a viris doctis magni factus, receptus quoque in *novum the-*

---

[1]) Cf. Feller VII, 472; Mich. a s. Jos. I, 498.

[2]) Cf. supra p. 252. Hinc ad Paulum V. scribere potuit: „Aetatem omnem in ss. literis emendandis, ut sanctissimorum pontificum jussis obtemperarem, exegi."

[3]) Nicius Erythraeus Pinacoth. 1. imag. 57: „Neminem video, cui illam plus debere sit aequum: solus enim omnia, quae ad eam provinciam, cui tot annos magna cum laude praefuit, pertinent *chronhistoria sua* (Romae 1605 in 4.) docte eleganterque prosequitur. Fuit antiqua plane probitate senex, et in tenui pusilloque corpore salis plurimum inerat: nam multiplici rerum scientia pectus compleverat etc."

[1]) Haec collectio non est completa; ita ex. gr. deest l. *de praesentationis Deiparae V. M. in templo historia* et festivitate ss. patrum et aliorum scriptorum monumentis comprobata, Romae 1597. Accuratum operum indicem cf. ap. Niceron, Memoires 21, 91 ss.. pleniorem in Ossinger Biblioth. august. Ita de eo judicat Dupin XVII, 58: „Rocca avoit beaucoup lu et ne manquoit pas de critique; mais il n'a pas toute la justesse, que l'on pourroit souhaiter dans ses jugements et dans ses conjectures, et il se sert indifféremment de bons et de mauvais Auteurs, de Monuments authentiques et de pièces douteuses. Il écrit assez nettement, mais sans ornement et avec peu d'élévation."

saurum antiquitatum congestum ab Henr. de Sallengre. *Aurea rosa, ensis et pileus*, quae regibus ac magnatibus a summo pontifice benedicta in donum mittuntur, quid sibi velint; *de origine et institutione benedictionis candelarum vel cereorum* in festivitate purificationis B. M. semper Virginis; *Sacrorum Bibliorum emendationes* juxta concilii tridentini decretum in ll. tantum Genesis, Exodi et Levitici; *Explicatio inscriptionis: Semoni sanco, Deo Fidio sacrum; de dictione illa ‚Palea'* in decretis pontificum passim reperta. Haec praeter alia t. 1. operum continentur. T. 2. *Bibliothecae theologicae et scripturalis epitome* sive index ordine alphabetico digestus, Romae 1594 in 8; ubi recensitis polyglottis, glossis, glossatoribus, commentatoribus in ll. sententiarum, exegetis, ll. plurium patrum et celebriorum theologorum scholae, regulas quoque indicat, quibus patres in ss. Scripturarum interpretatione usi sunt. *Speculum episcopale,* in quo nomen, status et munus episcoporum expresse repraesentatur et luculenter explicatur etc. Edidit praeterea Augustini Triumphi (O.S.Aug.† 1328) *summam de potestate ecclesiastica,* Romae 1582 in f.; Aegidii Columnae *quaestiones* in 2. sent. l., Venetiis 1581 etc. Commentario s. Bonaventurae in ll. sententiarum, qui reperitur t. 4. et 5. editionis omnium op. Romae 1588, adjecit *annotationes,* et S. Gregorii M. libro sacramentorum *scholia* Romae 1595 in 4. — Joannes l'Heureux (Macarius) Flander, canonicus et antiquarius, fructum studii 20 annorum, quos Romae degit († 1604), recondidit in op.: *Hagioglypta* sive picturae et sculpturae sacrae antiquiores, praesertim quae Romae reperiuntur, explicatae, quod tamen mansit msc., licet Bollandus illius editionem suis annotationibus auctum promiserit; demum R. Garucci illud luci publicae tradidit Parisiis 1856. *Abraxas* seu Apistopistus . . . antiquaria de gemmis basilidianis disquisitio, quae prodiit commentario et annotationibus Jo. Chiffleti illustrata, Antverpiae 1657 in 4. Opera ejus inedita recenset Fr. Alvin in Bibl. nat. de Belg. XII, 88.

245. Praeter A. Rocca et in primis Possevinum de historia *literaria* meruit Joannes Pitseus (Pits) Anglus, Sanderi, de quo egimus p. 167, ex sorore nepos, qui relicto errore et patria Romam se contulit. Absolutis studiis juvenes anglos collegii rhemensis in literis graecis instituit, varias dein invisit academias, Ingolstadii doctoris lauream promeruit (1595). Obiit decanus liverdunensis in Lotharingia 17. Oct. 1616. Edidit: *De legibus* tractatus theologicus, Treviris 1592 in 8; *de beatitudine* tr. theologicus ll. 7, Ingolstadii 1595 in 8; *de peregrinatione ll. 7,* Düsseldorpii 1604 in 8. Notior est propter opus, cui titulus: *Relationum historicarum de rebus anglicis* t. primus (et unicus) 4 pp. complectens, Parisiis 1619 in 4; solet tamen saepe inscribi: *De illustribus Angliae scriptoribus,* cum de his in primis agat, postquam 1. p. egerat de laudibus historiae et antiquitate ecclesiae Britanniae deque academiis tam antiquis Britonum quam recentioribus Anglorum. Ea pars, quae agit de scriptoribus catholicis a reformationis tempore est pretiosa, minus ea quae agit de temporibus prioribus. Reliqui tomi, qui servantur manuscripti, inscribuntur: de regibus Angliae; de episcopis Angliae; de viris apostolicis Angliae[1]). — Joannes Maria de Guanzellis, sive Brasichellensis a patrio faventinae dioecesis oppido nuncupatus, O. Praed. orator facundus, theologus insignis, quem Clemens VIII. magistrum s. palatii constituit (1598-

[1]) Plura cf. apud Antonium Wood, qui acri censurae hoc opus subjicit in op. Athenae oxoniensis t. 1. et hist. universit. oxon.; Feller VII, 18 accurationem desiderat in ejus operibus, laudat tamen eruditionem. Niceron XV, 197 ss.; Gillow V, 318.

1607). Paulus V. episcopum dixit polymnianensem in Apulia (1607-1619). Coepit Indicem librorum expurgandorum, cujus op. t. 1. tantum prodiit Romae 1607, in quo 50 auctorum libri prae ceteris desiderati emendantur. — Petrus de Licht (Lucius) O. Carm. Bruxellensis, ob turbas in patria ortas in Italiam est profectus atque Florentiae sodales docuit theologiam. Pacatis turbis rediit Bruxellam mortemque contraxit in obsequio pestiferorum 18. Nov. 1603. Plura reliquit opera[1]), quae illustrant ordinis sui historiam, inter quae huc spectant: *Carmelitana bibliotheca* sive illustrium aliquot carmelitanae religionis scriptorum et eorum operum catalogus jam pridem a . . . P. J. Trithemio . . . congestus . . . auctus, recognitus annotationibusque illustratus, Florentiae 1593 in 4; *Compendium historicum* O. Carm., quod prodiit italice versum ib. 1598 in 12; *Necrologium* sive catalogus fratrum Carmelitarum Bruxellis defunctorum ab a. 1383— 1602. — Joannis Penza O. Carm. *Theatrum virorum illustrium* familiae carmelitanae mantuanae prodiit Mantuae 1618. — Eodem anno edidit Barcinone Petrus Jaimus (Jacobus) Tristan O. Minim. s. Franc. de Paula *Enchiridion* de Varones illustres de la orden de los Minimos. — Ambrosius Gozzeus O. Praed. Ragusinus, theologiae magister, juxta Echard (II, 414) a Paulo V. ad ecclesias tribulensem et mercanensem in ditione ragusina promotus est a. 1606. Obiisse dicitur a. 1620. Collegit *catalogum* virorum ex familia Praedicatorum in literis insignium, Venetiis 1605, »quo in op., inquit idem Echard, etsi non desint plura sphalmata et non consulta vetera monumenta, sunt et multa praesertim suae aetatis et regionis sat accurata.« — Jacobus Alberici O. S. Aug. ordinis procurator generalis et vicarius († 26. Apr. 1610) praeter alia collegit *Catalogo breve degl'illustri e famosi Scrittori Veneziani*, Bononiae 1605.

[1]) Cf. E. von Arenbergh Bibl. nat. de Belg. XII, 97.

VI. Theologia practica.

246. Duo hac epocha obierunt pontifices romani Clemens VIII. et Leo XI. Ille antea dictus Hippolytus Aldobrandini ex illustri familia florentina Fani patre exsule natus est. Post obita varia munera a Sixto V. creatus est a. 1585 cardinalis, constitutus poenitentiarius major missusque in Poloniam legatus pontificius. Electus est in pontificem 30. Jan. 1592. Ecclesias, monasteria aliaque pia instituta, quae Romae erant, ipse visitavit, Henricum IV. Galliae regem a censuris solvit (1595), episcopos septem ruthenos necnon et Coptorum patriarcham Alexandriae commorantem in Ecclesiae romanae unitatem recepit, collegia pro juvenibus scotis et illyricis instituit, jubilaeum ingenti fidelium concursu celebravit, disciplinae ecclesiasticae restaurationem atque scientias fovit, celeberrimos viros in cardinalium collegium recepit ut Toletum, Baronium, Bellarminum, du Perron, Sil. Antonianum etc.; correctionem Vulgatae demum ad finem perduxit necnon et breviarii, missalis, l. caeremonialis et pontificalis romani emendationem; pro dirimendis controversiis de auxiliis divinae gratiae inter Dominicanos et Jesuitas occasione operis Molinae de concordia excitatis instituit congregationem, quae quam plurimas habuit sessiones, sed Clemente regnante, absque exitu. Piissimam duxit vitam poenitentiae deditam, fere quotidie confitebatur, atque s. Philippo Nerio, dein Baronio [illegible]tebatur

confessario. Obiit[1]) 5. Mart. 1605 a. natus 70. *Bullas* atque *constitutiones* (123) habes in Bullario rom. magno III, 1—170. — Clementem VIII. excepit Leo XI. antea Alexander Octavianus de' Medici vocatus, episcopus pistoriensis (1573), dein a Gregorio XIII. archiepiscopus florentinus (1574) dictus et creatus cardinalis. Electus est in pontificem 1. Apr. 1605, sed mox post 56 dies morte fuit ereptus.

247. Paucos, qui se totos juri canonico illustrando dederint, hac periodo reperimus, nullum admodum celebrem, nisi forte Henricum Canisium, de quo cf. p. 516. Referri huc possunt e *Gallia* Nicolaus Frerotus carnotensis jurisconsultus et in suprema Gallorum curia patronus, qui *Paratitla* seu *synopsim juris canonici*, Parisiis 1603; 1658, scripsit, secutus ordinem distinctionum et quaestionum decreti et singulorum titulorum tam decretalinm Gregorii IX. quam Sexti et aliarum compilationum minorum[2]). — Renatus Choppinus Andegavus († 30. Jan. 1606), cujus sunt[3]): *Monasticon* sive de jure coenobitarum ll. 2, Parisiis 1600; Francofurti 1709 ed. aucta; *de sacra politia forensi* ll. 3, Parisiis 1577 in 4. — Seraphinus Olivier (Olivarius) Lugdunensis, per 40 an. auditor Rotae, a Gregorio XIII. et Sixto V. legationibus adhibitus, patriarcha alexandrinus ac demum cardinalis a Clemente VIII. renunciatus († 10. Martii 1609 a. aetatis 75), »vir omni disciplinarum genere artiumque liberalium elegantia ornatissimus« teste Justo Lipsio[4]). Et certe ingenio, doctrina, juris peritia adeo aequalibus suis praestitit, ut Janus Nicius Erythraeus de eo scriptum

[1]) Cf. v. Reumont KL. III, 484—88; Ranke, qui eum impense laudat Papstgesch. II[6], 150—56.
[2]) Cf. Doujat Praenot. l. 5. c. 9.
[3]) Cf. Doujat ib. c. 8.
[4]) Epistol. cent. 5. ep. 53. 56.

reliquerit[1]): „Me puero atque adolescente tantopere efferebatur, ut Seraphini vox non hominis certi nomen, sed jurisprudentiae vocabulum videretur.“ Ejus *Decisiones* (1500 in utroque jure) prodierunt Romae 1614 v. 2 in f., auctae additionibus et annotationibus Francofurti 1615. — Petrus Villars, qui ex mirapicensi episcopo Viennae in Galliis archiepiscopus forma exstitit non modo gregis, sed et pastoris omnibus numeris absoluti. Erat vir in studiis indefessus, in procuranda Dei gloria, religionis incremento et animarum salute longe studiosissimus. Suae eruditionis fetus duplici emisit[2]) volumine: *de simonia fiduciaria, de sacerdotum residentia* in eorum ecclesiis ex diplomate Sixti V., *de sacellis, funeribus* et *piis fundationibus, de juramentis et blasphemiis, de celebratione matrimonii, de medici erga aegros officiis* praeter alia opuscula prorsus utilia. Aliqua tamen videntur mansisse inedita († 1613). — Alexander Chassanaeus (de la Chassagne) jurisconsultus parisinus: *Paratitla in 5 ll. decretalium Gregorii IX.* protulit a. 1612, eruditionis, concinnitatis et elegantiae nomine commendata. — Stephanus d'Alvin O. Min. disputavit *de potestate episcoporum, abbatum aliorumque praelatorum,* Parisiis 1607; 1614 in 8.

248. Ex *Hispanis* mentione sunt digni: Franciscus Peña Aragonius n. c. 1540, a Philippo II. romanae Rotae auditor designatus, quo munere cum integerrime, tum magna doctrinae atque eruditionis fama functus est, eique demum praefuit decani dignitate. Clemens VIII. ejus consilio utebatur in negotiis gravissimis difficilibusque causis. Acer erat doctrinae Molinae in congre-

[1]) In Pinacoth. p. 1. Cf. Eggs Purp. doctae l. V n. 76.
[2]) Cf. Alex. a s. Joan. de Cruce in contin. H. E. Fleurii l. 190. § 22.

gationibus de auxiliis adversarius. Repudiatis albarrazinensis ecclesiae infulis dierum plenus magno urbis moerore moritur[1]) Romae a. 72 natus 1612. Plura ejusdem opera[2]) ad inquisitionis tribunal referuntur. Hinc etiam edidit *Directorium inquisitorum*[3]) Nic. Eymerici cum commentario 1570; 1585—1587; Venetiis 1607. Nonnulla referuntur ad illos sanctos, quorum causam promovit judex apostolicus. Scripsit praeterea *de temporali regno Christi*, Romae 1611 in 4; etiam in Roccaberti bibl. pont. t. XII, 256—361. *Decisiones s. Rotae* ab eo formatas collegit ediditque Didacus Ant. Frances de Urritigoiti Caesaraugustae t. 2 in f. 1648, 1650. Sub Pio IV. et Pio V. socius illorum fuit, qui emendationi decreti Gratiani incumbebant, cui adjecit adnotationes. Canonizationis causam Didaci, Hyacinthi, Raymundi, Caroli Bor. et Franciscae Rom. promovit, plurium quoque *vitas* edidit, ita s. Raymundi Romae 1601; s. Didaci ll. 3, Romae 1589; s. Caroli B., Hispali 1609; s. Franciscae Rom., Romae 1608. A Baluzio dicitur »vir doctissimus et laudatus non solum ab hominibus, qui eodem cum ipso vixerunt tempore, sed etiam ab illis, qui secuti postea sunt[4]). — Petrus Vincentius Marzilla ordinis s. Ben. Caesaraugustanus et Compostellae theologiae professor: *Decreta sacros. concilii tridentini ad suos quaeque titulos secundum juris methodum* redegit, adjunctis declarationibus auctoritate apostolica editis, quae habentur in 4. v. decisionum Rotae romanae, Salmanticae 1613 in 4; Pinciae 1618, opus quondam prohibitum ex regula generali. Scripserat[1]) quoque *Paraphrasim* intextam editioni vulgatae *in Pentateuchum*, Salmanticae 1600; 1610 in f. — *De beneficiis* tractatum utilem, eruditum et plenum, imo in hac materia classicum, scripsit Nicolaus Garzia, Abulensis, juris utriusque professor et in patriae urbis ecclesia canonicus, Caesaraugustae 1609 et Matriti 1613; t. 2 in f., Coloniae 1618; Antwerpiae 1618; Genuae 1636; 1658 etc.[2]). — Joannes Buiza et Llamazares juris canonici doctor, legum imperialium professor, archipresbyter de la Matas et parochus loci del Burgos, reliquit *tractatus diversos* perquam utiles (10) omnibus praecipue ecclesiasticis, Pinciae 1604 in 4. — Joannes de Narbona Toletanus, decretalium professor, archiepiscopi toletani vicarius et abbas major complutensis ad ecclesiam SS. MM. Justi et Pastoris scripsit de *appellatione* a vicario ad episcopum, Toleti 1615 in 4.

249. Joannes Gutierez, Placentinus, advocatus primum, dein canonicus doctoralis et theologiae professor, »inter insignes Hispaniae seu verius Europae totius juris consultores nomen suum honorificentissimo loco posterorum memoriae consecravit *ingeniosissimi* elogio jure ornatus a Caspare Antonio Thesauro in principio tractatus de augmento monetae[3]).« Opera ejus, quae ad utrumque jus spectant, saepe nec uno loco prelo subjecta fuere, demum simul prodierunt Antwerpiae 1618 t. 14 in f., Lugduni 1661 t. 8; 1730

1) Cf. Erythraeum Pinac. p. 1. imag. 80; Liv. Meyer Hist. controv. de auxiliis l. 3. c. 2.

2) Horum elenchus cf. in bibl. hisp. nova I, 459; Schulte III, 734.

3) Flores ex his commentariis collegit Aloys. Bariola ediditque Mediolani, 1625. Concinnavit auctor noster Instructionem seu *Praxim Inquisitorum*, quae prodiit in op. Caes. Carenae *de officio s. Inquisitionis*, Cremonae 1655, aliaque opuscula gemini argumenti.

4) In annot. ad dial. 20. A. Augustini de emend. Gratiani ed. 1672.

1) De hujus nimis laxa opinione circa communionis frequentiam cf. Lugo de Euch. disp. 17. s. 1.

2) Cf. Nic. Antonium Bibl. H. N. II, 153.

3) Bibl. H. 1. 708; cf. Journal de Savans 95, 538—43.

pp. 15 in t. 10, ex quibus huc pertinent: *Canonicarum quaestionum utriusque fori* tam interioris, quam exterioris l. 1. et 2. Matriti 1597; l. 3: Illustres et canonicae quaestiones tam *ad sponsalia de futuro quam ad matrimonia* eorumque impedimenta pertinentes, Salmanticae 1617; Venetiis 1618 in f. Post ejus mortem cura Nic. Martini de Castillo prodiit *Praxis civilis et canonica* in l. VIII. novae recompilationis regiae sive practicarum quaestionum criminalium, Salmanticae 1634 in f. — Magno et utilissimo labore formavit Stephanus Daoiz, Navarrus, canonicus doctoralis patriae cathedralis ecclesiae († 1619), *Indicem juris pontificii,* qui continet conclusiones ac summam omnium materiarum, quae exponuntur in textu et glossis, Burdegalae 1623. 1625 t. 2 in f.; Mediolani 1745. — Huc forte referri poterit Ludovicus Miranda O. S. Franc. Pincianus, qui praeter plurima alia ad ordines religiosos spectantia[1]) reliquit *Librum ordinis judiciarii* et de modo procedendi in causis criminalibus tam in foro ecclesiastico, quam in seculari agitandis, Salmanticae 1601; 1623 t. 2 in 4; *Directorium* sive *Manuale praelatorum,* saepe recusum, Romae 1612 t. 2 in 4; Salmanticae 1615; Placentiae et Augustae 1616; a Paulo Berti O. Min. Lucensi (fl. 1612) auctum Coloniae 1617; 1630, liber egregius a Joan. a s. Antonio dictus, in quo religionum omnium origines, progressus ac dilatationes recensentur, optimeque declaratur methodus ad instruendos novitios et professos, praelatisque observanda ratio administrandi rem domesticam exponitur[2]). Scripsit praeterea *de s. Scripturae sensibus* tr. in 26 qq. divisum, Salmanticae 1625 in 4; *De la Conception purissima de nuestra Sennora la Virgen Maria,* ib. 1621 in 4; 1626. — Ejus sodalis Emmanuel Rodriguez ex oppido Extremoz († 1613), vir in jure canonico et theologia morali doctus atque gravis, publicae utilitati praeter alia dedit: *Quaestionum regularium et canonicarum*[1]), Salmanticae 1598 t. 3 in f.; Turoni 1609 t. 4 in 2 v. in f.; Lugduni 1613; Antwerpiae 1616; 1638, quibus adjici solet *Praxis criminalis regularium et secularium* P. Bertii Lucensis. Eae tamen adeo commoverunt Sorbonam, ut propositiones ex illo excerptas doctorum collegio dijudicandas tradiderit, sed quo certior esset censura, omnes religiosos et doctissimum quoque Duvallium ab illius examine semovit, ejusmodi vero admovit judices, qui principiis Richerii erant infecti; hinc dubio procul certa erat damnatio, cum Sorbona jam ante censuerat complecti librum illum »propositiones statui utriusque reipublicae maxime adversantes, perniciosas, erroneas, scandalosas, temerarias, bonis moribus contrarias, bullarum ss. pontificum abusivas, concilii tridentini derogantes, episcoporum dignitati injuriosas, auctoritatis pastorum et curatorum, quorum vera bulla Evangelium est, destructivas, totius ordinis hierarchici eversivas, imo et in reges etiam et principes contumeliosas[2]).« *Collectio et compilatio* privilegiorum Regularium mendicantium et

[1]) Cf. Biblioth. francisc. II, 301 s.

[2]) Ossinger tamen hanc ed. asserit Paulino Berti O. S. Aug. sodali p. 128; Echard vero II, 385 etiam cujusdam Paulini B. O. Pr. pariter Lucensis meminit. Videtur unus idemque auctor in tres distinctus.

[1]) Illas in compendium redegit Hieronymus Rodriguez, Emmanuelis ex fratre nepos et sodalis, inscriptum Compendium . . . sive *resolutiones qq. regularium* ad compendii formam redactae, quibus accesserunt notae, retractationes et additiones, quibus seorsim partim quaedam ab auctore omissa supplentur, partim aliorum idem vel diversum sentientium rationes pari brevitate excerptae expenduntur variaque bullarii indulta intertexta recensentur. Lugduni 1630 in 4; 1634.

[2]) Cf. D'Argentré II, 132; H. E. Fleurii contin. l. 194 § 26; Jo. a s. Antonio I, 333; Feret III, 154 ss.

non mendicantium ab Urbano II. usque ad Clementem VIII. concessorum, Lugduni 1609 t. 2; Duaci 1613; Antverpiae 1616; 1623 et cum priori op. *Suma de casos de conciencia,* cui additur *Un Tr. del orden judicial,* que los Prelados y qualesquier Juezes Ecclesiasticos deben guardar en sus visitas t. 2. Prior prodiit Salmanticae 1604. 1607; Barcinone 1616; posterior Caesaraugustae 1607. Duas scil. collegerat summas casuum alphabeticas, quas dein in unam compegit Salmanticae 1616.— *De politia et immunitate ecclesiastica* tractatum ad Paulum V. composuit Laurentius Ortiz de Ibarrola y Ayala O. S. Ben. Salmanticensis[1]), Romae 1610 in 4. — Hieronymus Gonzalez oriundus ex oppido Arnedo calagurritanae dioecesis in romana curia et pontificio rotae senatu causarum defensor († 30. Oct. 1609) scripsit *Glossema* sive commentationem (copiosam et practicam) ad reg. VIII. cancellariae de reservatione mensium et alternativa episcoporum, Romae 1604; 1611. — Antonius Cardoso de Amaral Lusitanus, prior s. Laurentii Scalabisci, juris canonici professor, composuit Summam seu *praxim judicum et advocatorum* a ss. canonibus deductam et ipsismet conformatam, Olisipone 1610 in f.

250. *Itali* sunt: Stephanus Quaranta canonicus neapolitanus, quem nonnulli confundunt cum cognomine archiepiscopo amalphitano († 1678), cujus sunt: tr. (rarus) *de concilio provinciali* et auctoritate episcoporum in suffraganeos et in tota provincia, Neapoli 1586; *de officio et potestate capituli sede vacante; Summa* (ordine alphabetico) *bullarii* earumve ss. pontificum constitutionum, quae ad Paulum V. ad communem Ecclesiae usum exmanarunt, cum notis et additionibus, Venetiis 1607; 1611; 1619 in 4. addito ad finem indice earundem constitutionum juxta seriem decretalium, cui nomen inditum l. 6. extravagantium communium sive postremae collectionis ll.; adjectus quoque est simili serie index decretorum conc. tridentini. Alia editio digestior prodiit Antverpiae 1643. — Dominicus Tuscus (Toschi) origine Calaber n. Castellarani in dioecesi rhegiensi Aemiliae 11. Jun. 1535, generis obscuritatem virtutum splendore et eruditionis claritate compensavit. Suis vita functis militiae se addixit, sed ex fortuita institutionum civilium lectione armis valere jussis animum ad jurisprudentiam applicuit, in qua laurea adepta egregius jurisconsultus evasit. Ideoque variis muneribus honorificis ut gubernatoris bononiensis perfunctus et a magno Hetruriae duce praecipuis dignitatibus auctus est. Romam reversus a Clemente VIII. episcopus tiburtinus et Urbis gubernator fuit declaratus (1595), demum creatus cardinalis. Imo ad summum pontificatus apicem procul dubio pervenisset, ni sermonis libertas, quae Baronio displicuit, obicem posuisset[1]). Decessit senex 86 a. 26. Mart. 1620 relictis repertorii instar ordine alphabetico *practicarum conclusionum juris* in omni foro frequentiorum t. 8. — Joannes Franciscus Leoni n. 1542 juris utriusque doctor, protonotarius apostolicus et episcopus

[1]) Alius a Didaco Ortiz O. Praed. († 1640), cujus est sat prolixa *summularum explicatio* cum gravioribus quaestionibus a summulistis disputari solitis, Hispali 1635 — a Francisco Ortiz Arias O. Min., cujus est *Los Mysterios de la sacrosanta Passion de Christo N. S.* pp. 3, Compluti 1578; *Del Remedio contra el Pecado,* Matriti 1603 — a Francisco Ortiz de Salzedo Matritensi notario apostolico, qui scripsit *Curia ecclesiastica* para Secretarios de Prelados, Notarios Apostolicos, Matriti 1610; 1615 — a Franc. Ortiz Lucio O. Min. († 1651), de quo infra.

[1]) Cf. Tacoli Memorie storiche di Reggio di Lomb., Carpi 1769 III, 271; Tiraboschi Biblioth. Modenese Modena 1784 V, 277; Eggs l. V. n. 71; Moroni Diz. di erud. eccl. 79, 4 s. Cf. Tiraboschi VII, 2, 132; Erythraeus Pinac. I, 238

(1608) telesinus in regno neapolitano († 14. Apr. 1613) collegit *thesaurum fori ecclesiastici* continentem totius juris canonici Summam ex hodierno romanae curiae stilo, ss. canonum conciliorum aliarumque constitutionum ap. sanctionibus etc., Seravalli 1600; Vercellis 1602; Coloniae 1682; l. *de sortilegiis*, Lugduni 1620; 1669 in 4. — Prosper Farinacci Romanus n. 1554, advocatus et procurator fisci († 1618) in re criminali (de qua prodierunt Francofurti 1622—60 t. 14) magnae famae[1]) collegit *decisionum s. Rotae romanae* Centurias IX (ab a. 1572—1610) Francofurti 1612; Lugduni 1640; Venetiis 1716 pp. 19 in v. 24, sed p. IV. continens tum decisiones varias tum declarationes concilii trid. (ut falso dicitur), olim prohibita fuit a. 1609. *De haeresi* quid a jure civili et canonico, a conciliis et summis pontificibus statutum, quid verius et magis communiter receptum sit, quid in practica servetur, Romae 1616 in f.; *de immunitate ecclesiarum* et confugientibus ad eas ad interpretationem bullae Gregorii XIV., cum append. de carceribus et carceratis, ib. 1621 in f. — De eodem argumento disserunt duo Panormitani, Marius Italia n. 1590, qui magna de se spem fecit, sed juvenis obiit jam 7. Sept. 1618, in 3. l. Decr. *de immunitate ecclesiarum* l. 1., Panormi 1611; 1646; et Petrus Gambacurta S. J. vir consilii, ideoque undique a praesulibus, proregibus et viris doctis consultus († 1. Sept. 1605), in op. *de immunitate ecclesiarum* in constit. Gregorii XIV. ll. 8, Lugduni 1622 in 4., quod tamen prohibitum fuit decreto congr. Ind. 1. Maj. 1623. — Syracusanus erat Joseph Branchmann O. Min. cujus est *Analytica demonstratio,* in qua ostenditur, immunitatem tam personarum quam rerum ecclesiasticarum esse de jure divino, Romae 1607. — In eandem bullam Gregorii XIV. *commentaria* scripsit Alexander Ambrosini insignis juris consultus oriundus e Foro Sempronii, Parmae 1608; 1612; 1621; Bracciani 1621; 1624; 1634 in 4. — Joannes Botero Pedemontanus Benisius a loco patrio cognominatus, n. 1540, s. Carolo a secretis, jussu congregationis de propaganda fide varias peragravit regiones[1]) lustraturus religiosam earundem conditionem († 27. Jun. 1617). Primus impugnavit Macchiavelli in op. *della ragione di stato,* scripsitque *sull' uffitio del Cardinale* ll. 2, Romae 1599; *de praedicatore verbi Dei* ll. 5, Parisiis 1585. Fructum suorum itinerum luci dedit a. 1596. — Thomas Talamellus O. S. Aug. publicae luci dedit *Rationale utriusque potestatis ecclesiasticae* ac jurisdictionis S. M. Ecclesiae romanae catholicae cum obedientia in utroque foro necnon clericorum immunitate libertateque collectum praecipue ex Augustini simulque Augustinianorum doctrina, Ticini 1618 in 4. — Gregorius Servantius O. Praed. trivicanus episcopus, qui tamen post quadriennium (1604) munere se abdicavit († 12. Oct. 1608), scripsit *Difesa della potestà ed immunità ecclesiastica* contro le otto proposizioni d'un dottore incognito sopra il breve di Paolo V. contro i Veneziani, Ferrariae 1607 in 8; Bononiae 1607. — Jacobus Sbrozzi disseruit *de vicarii episcopi officio et potestate,* Venetiis 1606 in 4. — Carolus de Grassis Panormitanus, causarum patronus admodum peritus († c. a. 1617), edidit tract. *de exceptionibus* ad materiam statuti excludentis omnes exceptiones, Venetiis 1601 in 4; *de effectibus clericatus,* in quo praeter ecclesiasticam jurisdictionem et clericorum privilegia omnes fere casus ad materiam pertinentes eruditissime declarantur et resolvuntur, Panormi 1617 in f.; 1622;

---

[1]) Cf. Tiraboschi VII, 2, 132; Erythraeus Pinac. I. 238.

[1]) Cf. Mazzuchelli Scritt. It. II p. 3. pag. 1869; Tiraboschi VII, 2, 278.

1630 etc.; *de effectibus amicitiae,* ib. 1617 in f.; 1622. — Flaminius Parisius episcopus bituntinus († 1603) disseruit *de confidentia beneficiali prohibita,* tr. in quo plene explicantur constit. Pii IV. et Pii V. ad hoc editae, Venetiis 1598 in f.; de *resignationibus beneficiorum* et de residentia beneficiali, 1591; Coloniae 1615 in 4., cum animadversionibus P. Duclos, Genevae 1731 in f. — Cornelius Benincasa Perusinus, laicus, in patria juris civilis professor (1560, † 1603), cujus praeter alia[1]) sunt *de paupertate et ejus privilegiis,* Perusii 1562. — Celsus Mancini Ravennas CRL. variis congregationis muneribus functus Romam venit atque *de juribus principatuum* ll. IX disseruit, scil. 1. de regiminis necessitate; 2. de dominiorum juribus: 3. 4. de potestate papae directa vel indirecta cum solutionibus ad argumenta adversariorum; 5. de divitiis, paupertate, censibus principum; 6. de arte militari principum; 7. de legum necessitate et proprietatibus; 8. de conditionibus, quae potestati jurique principatus conveniunt; in 9. de venditionibus et principiis circa res sacras, Romae 1596. Hinc innotuit factusque est a Clemente VIII. episcopus alexanensis (1597; † 1612). Ex illo op. Rocaberti in sua bibl. pont. exhibet ll. 2. 3. 4. t. VI, 34—80. — Franciscus Mantica foroliviensis supra 26 a. jurisprudentiam Patavii docuit magna nominis fama, ut sui aevi jurisconsultorum princeps diceretur. A Sixto V. electus est Palatii auditor, et a Clemente VIII. cardinalis († 28. Jan. 1614). Disseruit docte *de conjecturis ultimarum voluntatum* ll. XII, Francofurti 1580; Venetiis 1583; Genevae 1734 in f.; *Lucubrationes vaticanae* seu de tacitis et ambiguis conventionibus, Romae 1609 t. 2 in f., quorum alter minus est elaboratus ideoque minoris pretii aestimationis. *Decisiones romanae,* quas edidit Germanicus Mantica ejus nepos et episcopus famagostanus, Romae 1618; Lugduni 1619.

[1]) Cf. Vermiglioli Biogr. degli Scritt. perug. I, 212.

251. Ex aliis nationibus pauci admodum supersunt iique inferioris notae. Scotus origine est Adamus Blackwood Duderlingae 1539 natus, Mariae Stuart reginae acceptus et aliquamdiu a secretis, pro cujus causa plura instituit itinera († 1613). In op. *de vinculo religionis et imperii* et de conjunctionum insidiis religionis fuco adumbratis ll. 2, Parisiis 1575, absolutam regiae potestatis tuetur independentiam. Opera ejus collecta prodierunt cura Gabr. Naudé Parisiis 1575. — Leopolitanus erat Stanislaus Krzysztanowic (1577 -1617) — Germanus Laurentius Neydecker, qui disputavit *de sponsalibus et matrimonio,* Moguntiae 1601; Coloniae 1604. — Belga est Petrus Coret Athensis et canonicus tornacensis († 1602), qui contra Joannis Bodini increduli († 1596) *de republica* ll. VI scripsit *Antipoliticum* seu adversus praecipua doctrinae politicorum capita, quae fallacis tranquillitatis praetextu religionis libertatem et impunitatem haeresum in rem publicam inducere et ecclesiasticum ordinem civili potestati subjicere conantur, Duaci 1612 in 12. Contra Franc. Lanovium (de la None) solidam scripsit *defensionem veritatis* adversus assertiones catholicae fidei repugnantes, Antverpiae 1591 in 12, quae Innocentio IX adeo arrisit, ut Possevino auctor exstiterit illud recipiendi in opusculorum collectionem, quae Romae prodiit 1592 inscripta *Judicium* de Nuae militis galli, Jo. Bodini, Ph. Mornaei et Nic. Machiavelli *quibusdam scriptis.* Cf. Biogr. nat. de Belg. IV, 349.

252. Innumeri vero sunt, qui de *theologia morum* scripserunt, et inter hos eminent *Hispani.* Ex his plures scholastica magis methodo illam tractarunt,

ac potius in ejus fundamenta inquisierunt, suprema principia atque normas subtili subjecerunt examini, cujusmodi sunt illi, qui in 1, 2. et 2, 2. Summae s. Thomae commentaria scripserunt. Quare plures hic referri possunt, quorum inter theologos scholasticos mentionem fecimus. Huc praeterea spectant Raphael de la Torre[1]) O. Praed. in Extremadura natus († 1612), qui commentatus est *de partibus potentialibus justitiae* (de religione et ejus actibus, de vitiis religioni oppositis) in 2, 2. d. Thomae Aq. (qq. 80—100) t. 2 in f., Salmanticae 1611, 1612; iterum Coloniae 1630. — Joannes de Salas S. J. patria Gumielensis de Yzan dioecesis oxomensis (n. 3. Dec. 1553, † 20. Sept. 1612), qui prius Segoviae philosophiae cursu explicato theologiam Compostellae, Barcinone, Salmanticae, Pinciae, Romae plurimos annos tradidit. Vir fuit judicio Claudii Aquavivae[2]) inter doctissimos societatis Jesu viros, assiduae lectionis et fidelissimae memoriae, ita ut omnium pene auctorum et facultatum ipse solus bibliotheca esse videretur, et tamquam sapientiae oraculum in dubiis passim a pluribus consuleretur. Edidit *Disputationum in 1, 2. d. Thomae* t. 2 in f. (in qq. 1-48-89), Barcinone 1607, 1609; Lugduni 1611; Commentarii in 2, 2. d. Thomae *de contractibus*, Lugduni 1617 in 4., opus posthumum. In re morali auctor est gravis. — Michael Bartholomaeus Salon O. Erem. s. Aug. Valentiae natus, inter decora istius amplissimae familiae annumerandus, *Magister* dictus, qui publici juris fecit: *De justitia* in 2, 2. s. Thomae Aq. Valentiae 1581 t. 2 in f.; Venetiis 1608, in quibus quid aequum, quid iniquum sit in omnibus actionibus, commerciis et contractibus humanis explicatur. Extremum diem vidit Valentiae 1620 s. aetatis 82. In re morali auctoribus gravibus, qui probabilismum sectantur, accenseri potest. — Quibus addatur Joannes Valero, Segrobicensis in regno valentino, juris pontificii sacraeque theologiae doctor valentinus, qui seculo renuncians ad Carthusianos transiit (1596). Exposuit *Differentias inter utrumque forum*, judiciale videlicet et conscientiae, quod opus prodiit in Carthusia majoricensi 1616 in f.; Venetiis 1645 in f.; Francofurti 1678 in 4.

253. *Integram theologiam moralem* vel saltem magnam ejusdem partem illustrarunt viri in *Hispania* gravissimi, quorum praecipui societatis Jesu fuere. Joannes Azor, patria Murcianus ex oppido Lorca, a teneris unguiculis studiis deditus, totam iisdem vitam consecravit. Compluti, Placentiae et Romae divinas literas, d. Thomae theologiam et moralem multos professus est annos. Insignis erat ingenii, excellentis memoriae, qui assidua lectione omnis generis historiarum habuit notitiam et in iis suis locis ac tempore recensendis miram felicitatem. Fuit praeterea tanta animi demissione, tanta morum facilitate et affabilitate in summa vitae integritate et severiore disciplina, tanto animi candore atque in rebus agendis ingenuitate, ut idem semper oris, frontis, oculorum atque animi sensus appareret. In tot gravissimis occupationibus et studiis fuit piissimo erga Deum animo, cum eoque frequens illi erat consuetudo. Demum[1]) magno doctis viris et bonis omnibus relicto sui desiderio annis gravis, laboribus fractus vitam cum morte Romae commutavit 19. Febr. 1603. „Azorii *institutiones morales* (v. 3 in f. Romae 1600; 1606; 1611) philosophis et theologis placuerunt[2]),

---

[1]) Alius ab eo est Joannes Thomas de la Torre pariter O. Pr. Ligur, qui vix magister theologiae creatus decessit 1656. Disseruit *de auctoritate*, gradu ac terminis legatorum de latere, Romae 1656 in 4.

[2]) In biblioth. Script. S. J.

[1]) Cf. Sotvellus in Bibl. SS. S. J.

[2]) Haringer in edit. theol. moralis s. Alph. Ligorii introduc. 2.

praesertim sec. XVII. et XVIII., ut testantur repetitae earundem editiones Romae, Brixiae, Venetiis, Ingolstadii, Coloniae, Lugduni factae; etiam e prosestantibus Joannes Hottinger affirmat[1]), „Azor loco multorum esse posse, sive molem spectes, sive curam et studium." Hinc commendatus fuit a Bossueto in statutis synodalibus, magnique etiam factus a s. Alphonso Ligorio[2]), secundum quem in re morali auctoribus *classicis* est accensendus.

254. Alius est Henricus Henriquez[3]) natione Lusitanus, patria Portuensis n. 1536, in philosophicis ac theologicis disciplinis perfecte eruditus, quas etiam in collegiis societatis Jesu Cordubae et Salmanticae, ubi Suarium et Gregorium de Valentia habuit auditores, magna doctrinae opinione professus est[4]). Societate Jesu, quam inierat jam a. 1552, egressus est, ut ingrederetur ordinem Praedicatorum (1594), quo de consilio Greg. de Valentia relicto rediit ad priores sodales. Obiit Tibure 28. Jan. 1608 a. natus 72. Elaboravit methodo scholastica solide et admodum erudite *Theologiae moralis Summam* ll. XV, Salmanticae 1591. 1593 t. 2 in f.; Venetiis 1597, ed. mendosa; 1600; Moguntiae 1613; ea quondam fuit prohibita decreto 7. Aug. 1603 ‚donec corrigatur,' quod probaverit confessionem (non vero absolutionem) per literas et forte etiam propter opiniones juribus Ecclesiae minus consonas. Tractat in ea Summa tantum de hominis fine deque sacramentis tamquam mediis ad illum consequendum (deque censuris et irregularitatibus). Qua occasione thomistarum dogmata de praemotione physica deque praedestinatione ante praevisa merita tuetur, Molinae vero sententiam de scientia media, quam tamen non accurate proponit, acriter aggreditur. In doctrina morali multum ei defert s. Alphonsus, et Doujat de eo scribit[1]): In theologia morali „nemini, opinor, cedunt H. Henriquez . . . Paulus Laymann Germanus, qui ambo ex eadem societate casuum conscientiae doctrinam auctoritate maxima ss. canonum fundarunt etc." *De pontificis romani clave* ll. 4, Salmanticae 1593 in f., in quorum 1. agit de pontificis potestate et electione; 2. de censuris pontifici reservatis; 3. de concilii auctoritate; 4. de legibus. Ferunt[2]) nuncium apostolicum matritensem omnia prope exemplaria igne delevisse, quod auctor nimiam auctoritatem regi in clerum vindicet, unde opus est rarissimum.

255. Omnium vero celeberrimus hac periodo est Thomas Sanchez[3]) S. J.

---

[1]) Biblioth. quadripart. l. 3. c. 6.

[2]) Cf. supra annot. p. 346.

[3]) Alius est a Henrico H. pariter S. J., strenuo in India missionario († 1600 a. aetatis 80), cujus supersunt ex India *literae* de missionibus (cf. Sommervogel IV, 276), et a Chrysostomo H. O. Cist., de quo infra agemus.

[4]) Cf. Liv. Meyer in hist. de auxiliis l. 2. c. 21: Morgott KL. V, 1575 ss.

[1]) Praenot. canon. l. 5. c. 15.

[2]) Machado biblioth. lusit. hist. c it. et chronol., Olisipone 1749—59. II, 452.

[3]) Plurimi sunt theologi hispani, quibus nomen Sanchez. Aliquorum infra redibit mentio, nonnullos hic indicabimus: Joannes Sanchez, Abulensis, theologiae et utriusque juris erat doctor, in morum doctrina versatissimus. Ejus sunt *Selectae et practicae disputationes* de rebus in administratione sacramentorum praesertim eucharistiae et poenitentiae passim occurrentibus. Accedit tractatus *de jejunio*, et (secundae editioni) disputatio *de dubia impotentia circa matrimonium*, Matriti 1624 in f. Lugduni 1636. Opus quidem juxta Dianam doctum, sed auctor nimis est benignus: hinc ejus l. in indicem 3. Dec. 1642 relatus fuit, *donec corrigatur*. Ipsius est propositio 4. ab Innocentio XI. damnata: „Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili." Cf. La Croix l. 1. n. 117. Cum Caramuele et aliis dixit omnem opinionem *speculative* probabilem etiam practice esse probabilem: omnes sententias vere probabiles esse aeque tutas, cum operans sive secundum hanc, sive secundum illam certus sit,

cordubensis, qui a prima juventute seduli more mercatoris negotiationem spiritualem summo cum vitiorum odio virtutisque amore singulari sic coluit semper atque exercuit, ut omnem dicendi docendique rationem excesserit [1]). Totis 43 annis, quibus in societate Jesu vixit, nihil in hoc negotiationis studio remisit, ut, qui eum diligentius observarunt, vehementer sint admirati incredibilem ejus in suscepta vitae ratione constantiam perpetuumque tenorem nullis studiorum occupationibus aut gravissimorum virorum interventu violatum. Nulla virtutum non ab ipso in summo fastigio tenebatur. De severitate, qua in se ipsum fuit, quidquid dixeris, infra ipsam rem videri potest; homo vitae purissimae innocentissimeque actae et nulla unquam graviori labe taminatae, tenuissima valetudine decem quotidie vel duodecim horas contente et jejunus quidem ad studium incumbebat, et ad extremum simul spiritum in rigidissima carnis maceratione, in victu cultuque in primis horrido et aspero, in vigilantissima sui custodia, in abnegatione sensuum incredibili, in egregia denique exhausti corpusculi victoria constantissime perduravit. Semel in die sub noctem capiebat cibum, eumque vilem et parabilem, quater in hebdomada pane tantum et oleribus vitam tolerabat. Tota quadragesima et adventu ad panem nihil praeter legumina et fructus aridos adhibebat. Pervigiliis Christi Domini et B. Virginis pane dumtaxat et aqua jejunabat; salem, piper, acorem et cetera ciborum condimenta omnino respuebat, ne quidem elixa olera satis ex se insipida oleo aut aceto condiebat. His aliisque virtutum ornamentis dignus coelo factus die 19. Maji 1610 a. aetatis 60. pie in Domino decessit. Ad ‚communis parentis‘ (sic eum vocabant) funus confluxere sacrorum ordinum viri religiosi, urbis universa nobilitas, senatus regius et promiscuae plebis innumera multitudo, qui defuncti corpus floribus conspersum ac virginali nitore micans certatim conabantur vel rosariis contingere vel osculis suppliciter venerari.

256. Porro quod ad doctrinae ejus atque sapientiae attinet aestimationem, vel e remotissimis orbis partibus a praesulibus virisque principibus consulebatur per literas tamquam absolutissimus theologus et juris utriusque peritissimus in casibus difficilibus splendidisque effertur encomiis a viris

---

se nullo modo peccare etc. Cf. Müller, theologiae moralis l. 1. p. 1. § 81. — Artem lullianam recoxit Petrus Hieronymus Sanchez de Lizarazo, Aragonius, theologiae doctor, in l. *Methodus generalis et admirabilis ad omnes scientias facilius et citius addiscendas*, in qua eximii et piissimi doctoris Raymundi Lulli ars breviter explicatur et multis exemplis variisque quaestionibus ad praxim, quod nunquam factum legitur, apertissime reducitur, Turiasone 1613 et 1619 in 4. Plusquam 30 tractatus diversarum rerum praelo paratos habebat, dum mors eum occupavit 25. Apr. 1614. — Concionator erat Caspar Sanchez S. J. Granatensis († 1591), cujus *conciones* in Dominicis et feriis quadragesimae, Toleti 1597 in 4; Brixiae 1599; Venetiis 1601; Moguntiae 1602; Coloniae 1609.

[1]) Cf. Cromberius de studio perfectionis l. 2. c. 32. Ceterum haec vitae sanctitas optima est Sanchesii apologia adversus calumnias libertinorum seculi praeteriti, qui trabis in proprio oculo obliti illum carpserunt, quod de re adeo lubrica tam diligenter scripserit. „Il n'écrivait, inquit Feller VII, 418, que pour les confesseurs et les directeurs des ames, et sous ce point de vue, son travail n'a rien que de raisonnable, quoiqu'il fût à souhaiter qu'il eût été plus réservé et dans les détails et dans les decisions. Ce qu'il y a de vrai, mais ce qui n'a rien d'étonnant pour ceux qui connaissent par expérience l'effet d'une intention pure et d'un saint zèle, c'est que des détails si délicats ne firent jamais la moindre impression sur ses meurs. C'est aux pieds du crucifix qu'il écrivait ses livres.“ Cf. etiam Raynaudi erotemata de malis et bonis libris, p. 1. erot. 7. op. t. 11. p. 230 ss., Kneller Kirchenlex. X², 1688; Annuae lit. S. J. Dilingae p. 475—485.

eruditis ut qui lumen adferat veritati, decisionem causis, terminum litigiis. Clemens VIII., dum quondam quaestio quaedam Romae agitaretur, consulto Sanchez opere vehementer admiratus est subtile hominis acumen, peracre judicium, raram perspicuitatem, singularem et exquisitam in rebus indagandis solertiam, in tradendis facillimam methodum, in evolvendis citandisque auctoribus exactissimum et plane indefessum studium, serioque pronunciavit, nullum unquam scriptorem exstitisse, qui dubias de matrimonio controversias uberius et accuratius enodasset[1]). Praecipuum ejusdem opus est: *De s. matrimonii sacramento* disputationum ll. X, Genuae 1602 t. 3 in f.; Matriti 1605; Venetiis 1606; Antwerpiae 1607 (haec editio et altera 1614 prae ceteris aestimantur), deinde saepius alibi[2]). Illorum *Compendium alphabetice dispositum* confecerunt Emmanuel Laur. Soares Olisipone 1621; Coloniae 1624 in 12. et saepe alibi, etiam in Migne cursu theol. XX, 387-600; Vincentius Riccius[3]) messanensis, protonotarius apostolicus, Messanae 1630 t. 2; Andreas Cadaeus *Epitome,* Brixiae 1656 in 8; Bergomi 1660; *ad aphorismos redacti* prodierunt Audomari 1629; Francofurti 1722. Apologiam scripsit Vincentius Tancredi: *De s. matrimonii sacramento* t. 2, in quibus explicatur et vindicatur doctrina Thomae Sanchez, Panormi 1648 in f. Ceterum adverti debet, in indice ll. prohibitorum legi: »Sanchez Thomas. Disputationum de sacramento matrimonii tomus 3. *edit. venetae sive aliarum,* a quibus l. 8 disp. 7. detractus est integer numerus 4, cujus initium: At frequentissima ac verior sententia habet id posse: finis vero: Et his diebus in praetorio granatensi sententiae pars haec definita est. Decr. 4. Febr. 1627.« Ratio prohibitionis non est auctoris doctrina, sed omissio illius numeri, in quo ipse jus pontificis tuetur legitimandi filios invisum reipublicae venetae moderatoribus; hinc poena potius infidis editoribus fuit inflicta. *Opus morale in praecepta decalogi,* Matriti 1613 t. 2 in f.; Venetiis et Coloniae 1614 etc. et saepius alibi. Hoc tamen in op. agit tantum de principiis in genere et de duobus prioribus praeceptis atque fuse de votis religiosis. *Consilia seu opuscula moralia,* Lugduni 1634 v. 2 in f. 1655; 1671; Coloniae 1640; Parmae 1723., in quibus agit praesertim de jure et justitia (commutativa, distributiva, judicativa), de ultimis voluntatibus, de jejunio et observatione festorum, de judicibus et accusatore, de ordine. Omnia Sanchesii opera collecta prodiere Venetiis 1740 v. 7 in f. In re matrimoniali Sanchez auctor est *classicus,* in praeceptis tamen hinc inde nimis benignus.

257. Ludovicus Mendoza O. Cist. († c. a. 1612) composuit *Summam totius theologiae moralis* septem arboribus comprehensam, Matriti 1598. — Paulus Carraria O. Praed. Insuber, Casali Montisferrati natus († 1619) scripsit *Canonicam et moralem theologiam,* in qua exacta regularum juris veritas juxta triplicem sensum aperitur et multarum theologicarum, legalium ac moralium difficultatum clara resolutio traditur, Bononiae 1619 v. 2 in 1 t. in f. — Franciscus de Peliginnis Italus reliquit *Summam theologiae moralis et speculativae,* Venetiis 1614.

---

[1]) Similia habet Nic. Antonius in bibl. hisp. nova. Ceterum haec desumpsimus ex Sotvelli bibl. script. S. J.

[2]) Cf. Sommervogel VII, 530—37. Numerantur ultra ed. 22.

[3]) Alius a Joanne R. O. Min. strict. Obs. cujus est *apparatus ad imaginativam doctoris sublimissimi suscitandam* sive opus complectens principia catholicae scientiae, ipsam scientiam methodumque ea omnia inquirendi et componendi praevium ad analogias, methodos et loca mathematica, quae in l. Sententiarum, quodlibetis et theorematis Jo. Duns Scoti continentur, enucleanda, Ticini Regii 1650 in 4.

258. Argumenta *specialia* ex theologia morum tractarunt ex *Hispanis* Stephanus Avila[1]) S. J. (cognomentum sortitus a patria), n. 1549, Limae professor theologiae. Summa erat adolescentis adhuc sapientia, singularis eruditio, hinc penes omnes in regno peruano maxima ejus auctoritas, praesertim in re morali. Haec sic Stephanum commendarunt, ut ‚doctor doctorum' vulgo diceretur. Disserit in tractatu (posthumo) *de censuris ecclesiasticis*, Lugduni 1608 in 4; 1616; Coloniae Agrippinae 1623. In compendium quoque redegit ordine alphabetico dispositum Summam seu *Manuale* Navarri, Lugduni 1609 in 16; Venetiis 1614; Parisiis 1620. Quominus alia, quae jam paraverat, ederet, mors superveniens praepedivit (14. Apr. 1601). — Martinus Alphonsus Vibaldus (Vivaldus) Toletanus, canonicus regularis congregationis d. Salvatoris (1554—1605) edidit *Candelabrum aureum Ecclesiae s. Dei*, in quo de septem sacramentis, censuris et irregularitatibus praecipue agitur, Bononiae 1588 in 4; ad a. usque 1590 duodecies editum, auctius et locupletius Brixiae 1590; Barcinone 1596; Venetiis 1602 etc. Adjungitur explanatio in tres Sixti V. constitutiones: 1. de clericis male promotis; 2. contra procurantes abortum; 3. de habitu et tonsura etc. Decreto tamen congr. Indicis ‚donec prodeat emendatum' quondam prohibitum 7. Aug. 1603, simul cum ejus *Scuola Cattolica morale*, Venetiis 1602, quod componitur dial. 30. Tuetur enim ut veriorem sententiam, licere sacerdoti absenti per literas confiteri et absolutionem accipere[2]). Primus quoque publicavit Petri de la Cavalleria (cf. II³ 900) caesaraugustani tractatum *Zeli Christi contra Judaeos*, Saracenos et infideles adjectis copiosissimis atque eruditissimis glossis, cum Samuelis Rabbi ad Isaac R. tractatu contra eosdem Judaeorum errores, Venetiis 1592 in 4. — *De obligationibus justitiae, religionis et caritatis* scripsit (Lugduni 1608 in f., Venetiis 1610) Ferdinandus Rebellus S. J. Lusitanus, patria ex oppido Prado dioecesis lamancensis, per 12 annos in academia eborensi theologiae professor, ejusdemque academiae cancellarius octennio († 20. Nov. 1608). Fertur tanta eum fuisse ingenii mansuetudine, ut cum saepe inter argumentandum, uti fit, asperioribus verbis perstringeretur, nihil unquam responderit licentius, nullam irati aut quiritabundi animi dederit significationem, quo effectum est, ut inter externos academicos Jobi appellationem et laudem sortitus sit[1]). — Mixtas e jure canonico et theologia *disputationes in sacramentorum materiam* edidit Vincentius Fernandez[2]) de Heredia Bilbilitanus sive Calatajuviensis in Aragoniae regno, Venetiis 1615 in f.

259. Ex aliis nationibus sunt: Richardus Hall, qui fidei causa Anglia secessit ac partim in Belgio, partim Romae theologicis disciplinis strenue operam dedit, atque doctoratus lauream adeptus. Ab Alano invitatus Duacum venit ss. literas interpretaturus (1576). Obiit canonicus audomarensis officialis 26. Febr. 1604. Excelluit in solvendis casibus ac sedulus erat disciplinae promotor. Praeter alia conscripsit *de quinquepartita conscientia* 1. recta; 2. erronea; 3. dubia; 4. opinabili seu opiniosa et 5. scrupulosa ll. 3, Duaci 1598 in 4. — Bartholomaeus Hugo-

---

1) Alius a Francisco de Avila, de quo cf. supra p. 398 et 75.

2) Cf. Reusch 2, 312.

1) Sotvellus Biblioth. script. S. J. Inter tutioristas et probabilioristas recensetur a Müller theol. morali l. 1. p. 1. § 81.

2) Alius ab Antonio Fernandez de Moura Lusitano, cujus exstat *Examen theologiae moralis*, medullam omnium casuum conscientiae summatim complectens, Bracharae 1613 in 4. et saepius alibi editum.

linus, doctor bononiensis magnique nominis jurisconsultus, dictus Britinorii in Romandiola episcopus, defunctus tamen ante consecrationem a. 1610, scripsit non tam eleganter quam solide *de censuris ecclesiasticis*, Bononiae 1594; Venetiis 1602 in 4; *de censuris reservatis* summo pontifici in bulla coena Domini, ib. 1609 in f.[1]); *de simonia* Venetiis 1609; *de irregularitatibus*, ib. 1601 in f.; ad Sixtum V. *de sacramento N. L. tabulae*, Arimini 1587 in f.; *Responsiones* 1. de non alienandis bonis immobilibus; 2. de non erigendis de novo monasteriis; 3. de judicandis et puniendis clericis, Bononiae 1607; *de officio et potestate episcopi*, Romae 1617 in f. — Docte pariter *de censuris ecclesiasticis* disputavit Marius Altieri, canonicus s. Petri, Romae 1618 v. 2 in f. — Leonardus Vairus O. S. B. episcopus puteolanus († 1603) collegit *de fascino ll. 3*, in quibus omnes fascini species et causae describuntur et ex philosophorum ac theologorum sententiis explicantur, Parisiis 1583 in 4.

260. Denique *casus conscientiae* collegerunt dijudicaruntque ex *Hispanis* Bartholomaeus de Ledesma O. Praed. mexicanae academiae cathedraticus primarius, deinde in universitate limensi, demum a. 1579 guaxacacensis (Oaxaca vernacule dicunt) episcopus († 1604): *Una suma de casos de conciencia ó de los sacramentos*, Mexici 1560; aucta et recognita Salmanticae 1585. — Martinus de Funez S. J. Vallisoletanus, qui theologiam scholasticam annos 8 in academia graecensi et triennio Mediolani moralem docuit († 1611), edidit praeter *Speculum morale et practicum*, in quo continetur medulla casuum conscientiae p. 3, Constantiae 1598; Coloniae 1610, disputationem *de vitiis et peccatis in genere*, Graecii 1589. — Melchior Zambrano Xereciensis, parochus, dedit *decisionem casuum* in articulo mortis occurrentium circa sacramenta, Hispali 1604 in 8; Coloniae 1606 in 12. — Plura huc spectantia edidit *ex Italis* Jacobus Graffius O. S. B. Capuanus, utriusque juris doctor et urbis neapolitanae major poenitentiarius († 19. Oct. 1620 a. natus 72), scil. *Decisionum aurearum casuum conscientiae* p. 1. in 4 ll. divisa, Venetiis 1591, locupletata et aucta 1593; 1600; 1609; 1610; Taurini 1592; Lugduni 1592; pars secunda 3 ll. distincta Venetiis 1596 in 4., 1600; aucta, purgata et emendata 1611; 1626; *Appendix* tam 1. quam 2. tomi decisionum aurearum, in qua non solum multa in praedictis tomis contenta exactius et diligentius explicantur, sed etiam alia plurima de poenitentia et casuum reservatione, de indulgentiis, de excommunicatione, de electione et regimine animarum confessariis ac poenitentibus admodum utilia et necessaria adducuntur, Bononiae 1603; Venetiis 1610 in 4; *Additamenta* ad 1. et 2. p. decisionum aurearum, in quibus praeter ea, quae alias ventilata et discussa fuere graviter, nonnulla etiam nunc recenter prioribus auctarii vice apposita et quaedam pariter plane nova etc. pertractata accesserunt, Venetiis 1610 in 4; 1613, opus vere aureum; Consiliorum sive *responsorum casuum conscientiae* ll. 5 juxta decretalium numerum et ordinem distributorum, Venetiis 1604 t. 1. in 4; 1610; t. 2. ll. 5 ib. 1610: 1612 in 4. *Practica casuum ss. pontifici reservatorum* juxta decretum Clementis VIII. et etiam reservatorum episcopis et archiepiscopis Italiae, et etiam interpretatio 11 casuum praelatis regularibus reservatorum, Neapoli 1609 in 4; 1613; Mediolani 1610; Venetiis 1619. *De arbitrariis confessariorum*, quae attinent ad casum conscientiae ll. 2, Neapoli 1613; Venetiis 1619. Reliquit et *conciones* pro toto anno, *sermones de sanctis*, de b. V. Maria (bis editos). Graffium Paulus V. ob doc-

1) Michael a s. Jos. Bibl. crit. I, 444.

trinae ac virtutis praestantiam plurimi fecit, abbatisque titulo, cum ob studii amorem regimen constanter recusaret, motu proprio honestavit. Vir enim erat, qui rerum omnium caducarum abjectis curis nihil antiquius habuit, quam sacrae doctrinae studiis veraeque pietatis cultui, quamdiu vixit, vacare [1]). In theologia inter auctores *graves* numerari potest.

261. Alter ejusdem ordinis, sed natione *Anglus*, Gregorius Saye, Sayrus, Sarius pariter plura opera huc spectantia composuit, ut Casuum conscientiae sive *theologiae moralis thesaurum* de censuris ecclesiasticis aliisque poenis et canonicis impedimentis in 7 ll. distributum, Venetiis 1606 in f.; 1627, saepius alibi, ex. gr. apud Sessas 1614; Duaci 1621; *Clavis regia sacerdotum casuum conscientiae* sive theologiae moralis thesauri locos omnes aperiens pp. 2, in quibus praecipuae canonistarum et summistarum difficultates ad communem praxim pertinentes, doctissime deciduntur etc. in 12 ll., Venetiis 1605; 1607; 1615 in f. etc.; in quarta editione accesserunt utilia additamenta nec non *catenula aurea de comparatione peccatorum* R. P. F. Paulini Bertii [2]) O. erem. S. Aug. Hujus clavis regiae *compendium* edidit Constantius de Notariis in pp. 2, Venetiis 1613. *Flores decisionum* sive casuum conscientiae ex doctrina consiliorum Martini ab Azpilcueta doctoris Navarri collecti et juxta ll. juris canonici dispositionem in suos titulos distributi, cum adnotationibus, quibus ob recentiores quasdam ss. pontificum bullas quando auctoris opinio in multis vel confirmata vel refutata est, summo studio et diligentia explicatur, Venetiis 1601; 1607; 1611 in 4; 1627 in f.; Duaci 1627. *Summa sacramenti poenitentiae* ex eruditissimis commentariis doctoris Navarri in 7 distinctiones de poenitentia collecta, Venetiis 1601; 1615 in f.; *de sacramentis in communi* opus tripartitum, in quo omnia, quae vel ad difficillimas quasque quaestiones theologicas definiendas, vel ad casus omnes conscientiae dissolvendos vel ad singulos haereticorum errores refellendos attinent, tum ex ss. Ecclesiae patribus et doctoribus scholasticis tum ex canonistis etc. abunde et accurate explicantur, Venetiis 1599; Duaci 1621 in f. »Haec Sayri opera, scribit Ziegelbauer, ingentis semper auctoritatis apud omnes theologos et canonum professores fuisse, mirum non est, cum doctrinam solidissimam et firmissimis conciliorum et ss. patrum firmamentis innixam contineant: illud quidem majori admiratione dignum, Sayrum admodum juvenem tot volumina eaque gravissima praestantissimaque absolvere potuisse. Obiit enim fato nimis immaturo Venetiis a. 1602 aetatis a. 32 nondum expleto: quamobrem eo utique magis ejus ingenium et doctrina suspicienda sunt, quo juvenili adeo aetate id abunde praestiterit, quod vix in maturiori perfecte praestari po-

---

1) Cf. Ziegelbauer, Hist. rei lit. OSB. p. 4. c. 1. sect. 5. p. 136 s., qui p. 2. c. 1. sect. 4. p. 183, postquam laudaverat Gregorium Sayrum, de quo mox, subjicit: „Palmam tamen Sayro dubiam subinde fecit J. Graffius de quo Hieron. Ghilinus in theatro virorum illustr. inter omnes casuum conscientiae professores neminem tam recentiorum quam antiquorum clarius ac purius Graffio necessariam illam ac salubrem doctrinam exposuisse affirmat, neminem facilius et efficacius graviora dubia his de rebus dissolvisse, ejus opera pulcherrimos ingenii fructus appellat, confessariis ac poenitentibus moralisque theologiae studiosis summe utilia ac plurima laude dignissima.“ Mittermiller KL. V, 986.

2) Alius a Paulo Berti (de quo supra p. 581) et a Joanne Bapt. de' Berti, cujus exstant *Sacrificii missae resolutiones morales*, in quibus 250 dubia de sacrosanctae eucharistiae sacramento, quatenus sacrificium est, resolvuntur, Romae 1612 in 4; Venetiis 1615.

test[1]).« Et iterum de eo scribit[2]): »Quem non tantum schola casinensis, sed ecclesia romana inter praecipuos, quos unquam habuit, theologiae moralis doctores numerare jure ac merito potest, nisi principatum illi assignari velit. Is siquidem insigni opere studioque indefesso conscientiae casus, ut vocant, collegit, pulcherrimaque methodo et industria singulari ita digessit, ut ceteris omnibus, quotquot de hac materia scripserunt, doctorum judicio palmam praeripuisse videatur. Ita ut dignus sit, qui omnium omnino hominum, quotquot ex hujus vitae casibus lubricis et tenebris ad stabilem illam felicitatem et lucem inaccessam aspirant, assiduo manibus et mentibus teratur et revolvatur et canescat seclis innumerabilibus.«

262. In *theologia pastorali*[3]) haud obscurum est nomen Augustini Valerii (Valiero) Veneti (n. 7. Apr. 1531), cui senatus munus docendi philosophiam, licet vix 27 numeraret annos, contulit (1558). A Pio IV. procurante Carolo Borromaeo, cui acceptissimus fuit propter mores castigatissimos summamque vitae integritatem, episcopus veronensis eligi meruit (1565). Ejus in episcopatu praeclare gesta hisce fere complectitur verbis Andreas Victorellus[4]): »Plura sunt egregia facinora, quae Augustinus Valerius veronensis antistes in crediti sibi populi bonum peregit: humanitate, caritate, concionibus sacris, precibus, consilio, officiis omnes, piis largitionibus pauperes juvit, ipsorum parens et tutor appellatus. Grassante peste vitae prodigus, s. Caroli cardinalis sedulus et fidelis aemulator, languentibus et morientibus opem laturus aderat; pudicitia, innocentia, justitia, animi fortitudine, liberalitate vigililantiaque enituit. Discordiarum faces et excitata odiorum incendia pacis amans Veronae exstinxit: Romaque senex jam planeque decrepitus etiam intempestivo anni tempore, ut dissidia civium aut nobilium inter se componeret, non semel nec frustra Veronam properavit: ut merito veronensis civitas tantis ab eo beneficiis affecta et grata aeneo simulacro laudibusque inciso marmore expressis tantae virtutis ac vigilantiae praesulem publico decreto decorare constituerit. Sed et academici philarmonici (quorum ipse patronus exstitit, eorumque dissertationibus interfuit ac favit, in quibus et ipse primas partes tenuit, in eorum congressibus e ditissimo reconditae eruditioninis suae promptuario in promptu et e re nata depromens) viventem ac mortuum summis laudibus celebrarunt.« Dioecesis vero suae et gregis dominici saluti indefesso studio invigilans synodum quotannis habuit, in qua parochos ad munus sacerdotale rite sancteque obeundum per seipsum et verbo et exemplo erudivit. Nosocomia ad egentium et languentium subsidium aliaque pia loca suo aere instituit. Quare tanti praesulis virtutem Gregorius XIII. oculatissimus princeps perspectum habens, ipsum ut Dalmatarum mores corrigeret ac labefactatam in ea provincia ecclesiasticam discipli-

[1]) Cf. Armellini Biblioth. script. congr. casin. I, 191; Gillow V, 481.

[2]) L. c. p. 2 c. 1 sect. 4 p. 183.

[3]) Praetermittimus Petrum Milhard O. S. Ben. priorem s. Dodi in dioecesi auxitana, ex cujus op. *La grande guide des curez*, vicaires et confesseurs, Lugduni 1604; 1617: Rotomagi 1613, Sorbona propositiones aliquot censura dignas censuit a. 1619. Cf. d'Argentré II, 2, 115—17; Feret III, 342—44.

[4]) Pinacoth. 4. Tiraboschi VII, p. 1 n. 47: Il Valiero fu uno de'più rari uomini di questo secolo, o si consideri la molteplice erudizione, di cui fu fornito, e l'instancabile applicazione alle lettere, o si abbia riguardo al senno, alla probità e a tutte le più belle virtù, che in lui si vider risplendere mirabilmente, degno perciò della stima e delle lodi di tutti i buoni e singolarmente del gran Card. S. C. Borromeo, che gli fu amicissimo.

nam instauraret, elegit, atque in universo venetae ditionis imperio visitatorem apostolicum maximo rei catholicae emolumento instituit, ac demum in praemium optime navatae operae cardinalem dixit (1583). Romam evocatum pluribus adscripsit congregationibus. Ipse interim ingenio, eloquentia, rerum civilium usu et recondita ss. literarum doctrina ac monumentis illustris florensque optimi et utilissimi senatoris partes quoad vixit Romae adimplevit: laudatus ea propter a tribus doctissimis cardinalibus[1]), Paleotto, Baronio et Bentivolo, quorum ultimus inter alia haec de eo posteritati consignavit[2]): »Quando Romam veni, erat ibi Augustinus Valerius . . . magnum Ecclesiae sidus . . . praestans forma corporis, morum integritate eximius atque venerandus pectorisque admodum sinceri et candidi vir, totus ecclesiasticae vitae addictus. Erat is quasi unus ex numero episcoporum nascentis Ecclesiae, junxeratque cum pietate et innocentia summam eruditionem in omni genere literaturae, politioris praesertim: scribebat stilo latino ad perfectum Ciceronis exemplum[3]), sibique famam magnam fecerat librorum doctissimorum compositione et emissione.« Meritis plenus ex hac vita excessit 24. (al. 23.) Maji 1606 a. aetatis 76. Scripsit praeter 18 dialogos ad 120 opuscula latino sermone, quorum tamen plura manserunt inedita. Eorum ipse texit catalogum in l. *de cautione adhibenda in edendis libris,* Patavii 1719, cui indicem aliorum 37 addit Joan. Ant. Volpi[1]). Neque sollicitus erat pius cardinalis de horum operum editione, ita l. c. scribens: »Sint in manibus gentilium meorum et aliquorum venetorum consanguineorum et affinium nostrorum; illi gentilis, consanguinei aut affinis sui industria et hortationibus ad bonarum artium studia excitentur: amici mei legant, quasi mecum loquantur, si pro sua humanitate interdum libuerit. Obrui meis scriptionibus rempublicam literariam non est necesse.« Ex editis[2]) haec prae ceteris mentione digna: *De acolythorum disciplina ll. 2* ad acolythos ecclesiae veronensis, Venetiis 1571 in 24; Veronae 1583 in 4. (adjecti sunt ejus rhetoricae ecclesiasticae ll.); Romae 1871; *de rhetorica ecclesiastica ll. 3,* Venetiis 1574 in 8., saepissime recusi, adjecta saepe *rhetorica ecclesiastica* Ludovici de Granada. Aggressus est hoc opus hortante s. Carolo Borromaeo atque tam bene illud perfecit, ut teste Gisbert, qui ipsum mirifice laudat, tot complectatur sententias, quot verba[3]). *De benedictione agnorum Dei* a Gregorio XIV. P. M. a. 1591 peracta, cum Onuphrii Panvinii *de baptismate paschali,* Romae 1656, iterum notis illustratum cura Stephani Borgia. *Episcopus* seu de optima episcopi forma, Veronae 1586 in 4., cui editioni adjectus est alter tractatus: *Cardinalis* sive de optima cardinalis forma, Veronae 1604, quem libellum

---

[1]) Andreas Saussay l. de eccles. scriptor. hoc elogium Valerio tribuit: „Fuit praecipuus s. Caroli Borromaei amicus, summisque pontificibus devotissimus iisque vicissim dilectissimus: fuit enim aevi sui episcopus omnibus numeris absolutus, et ut uno verbo dicam omnia, *sui seculi Ambrosius,* atque ut nomine ferebat, *alter Augustinus.*“ Cf. Fabricium hist. bibl. fabric. V, 483.

[2]) Apud Eggs in Purp. docta l. 5 n. 29.

[3]) „Cum vulgari sermone erat dicendum, inveniebatur sui dissimilis, namque (quod mirum sit) haesitabat et in verbis inveniendis collocandisque, cum ad voluntatem non sequerentur, haerebat.“ Eggs l. c.

[1]) Cf. Niceron V, 343 ss. Plura de eo cf. in ejus vita scripta a Jo. Ventura in Raccolta d'Opusc. ed. Calogerà t. XXV.

[2]) Inter haec ex parte referri debet illud, cujus supra fecimus mentionem p. 518.

[3]) Feller de hoc opere ita scribit: Cet ouvrage solide et instructif renferme des réflexions judicieuses sur l'art d'exciter les passions des auditeurs, sur celui d'orner ou de fortifier la diction, sur les défauts dans lesquels les orateurs chrétiens peuvent tomber.

singulari quadam praedilectione elaboravit[1]). — Huic insigni praesuli alium addimus optime meritum de Ecclesia catholica in patria sua Stanislaum Karnkowski. Natus is est a. 1526 tantoque fervore fructuque incubuit studiis, ut jam a. 1563 meruerit eligi episcopus wladislaviensis. Factus dein est archiepiscopus gnesnensis et Poloniae primas (1582). Strenue promovit rem catholicam per illud regnum contra plurimos ejusdem adversarios. Edidit constitutiones synodales dioecesanas cum catechesi; *sermones* 1597; Cracoviae 1602; reliquit *l. epistolarum familiarium,* Cracoviae 1584. Sub ejus auspiciis Jac. Wujek S. J. polemice vertit s. Scripturam, quae versio vulgatissima facta est per Poloniam usque ad nostra tempora. Decessit[2]) pastor bonus et strenuus 26. Maj. 1603 a. aetatis 78.

263. De episcoporum munere et officiis plures alii quoque egerunt. Rutilius Benzone Romanus, episcopus lauretanus, praesul plane egregius († 31. Jan. 1613), praeter alia de jurisdictione et immunitate ecclesiastica contra rempublicam venetam, exhibuit *Speculum episcoporum et parochorum,* in quo de fuga in peste, fame et bello 3 ll. agitur; de Ecclesia, de miraculis, de s. aedis lauretanae angelica transvectione, de flagellis Dei, de eleemosynarum largitione ab episcopis et clericis necessario impendendis deque aliis, Venetiis 1595 in 4; *de anno s. jubilaei* tr. scil. de meritis Christi, b. M. Virginis sanctorumque, de potestate clavium, de indulgentiis, de suffragiis defunctorum, de receptaculis animarum, de ss. caeremoniis, de locis sanctis, de peregrinationibus cum apologia pro s. domo b. V. lauretana contra Petrum Paulum Vergerium, ib. 1596 in f., Moguntiae 1600 in f.; Dissertationes et commentaria *in canticum Magnificat,* salutationem angelicam et Ps. XXXV, Venetiis 1606; Duaci 1626. — Thomas Zerola Beneventanus n. 1549, episcopus minorensis († 6. Dec. 1603), composuit *praxim episcopalem,* episcoporum munus et parochorum etiam et conscientiae directorium pp. 2, Venetiis 1599. 1602; Lugduni (Batavorum) 1607, utraque est prohibita donec corrigatur decr. 3. Jul. 1623; Coloniae 1608 in f.; 1680 in 4; etc.; *praxim poenitentialem,* Venetiis 1601 cum tr. de jubilaeo ac indulgentiis, ib. 1600. — Etiam Matthias Pstrokonski n. 1553., episcopus premysliensis († 1609) reliquit monita *de recte gerendo episcopatu,* Posonii 1629. — Joannes Baptista Segni can. reg. congr. SS. Salv. Bononiensis († 1610), antiquitatis investigator eruditus profundusque theologus scripsit *de optimo episcopo* 1601; aliaque opera, ut Reliquiarum sive *de reliquiis et veneratione sanctorum* l. unus. Bononia 1600; *Il vero studio christiano* contra l'arte planetaria, cabbalistica, lunaria, clavicola di Salomone ed altre superstizioni, Ferrarae 1591 etc.

264. Ad theologiam pastoralem referri potest etiam aureus plane libellus Antonii de Molina[1]) O. Carthus. n. in Castiliae oppido Villanova Infantum

[1]) Praetermittere hic non licet Fabium Albergati marchionem bononiensem, etsi laicum et arcis perusinae castellanum, qui vir fuit cultissimus († 18. Aug. 1606). Disseruit siquidem *del Cardinale* ll. 2, Bononiae 1589; 1599; Romae 1598. *Del modo di ridurre alla pace le inimicizie private,* Romae 1583 in f.; Bergami 1587 in 4; Venetiis 1600; 1614; 1617; Mediolani 1621. *Le Morali,* Bononiae 1627 in f., opus posthumum; *dei discorsi politici* ll. V, nei quali viene riprobata la Dottrina politica di Giov. Bodino, e difesa quella di Aristotele, Romae 1602; Venetiis 1603. Haec opera junctim iterum prodierunt Romae 1664 t. 2 in 4. Cf. Fantuzzi Notizie degli Scritt. bolog. 1, 97 s.

[2]) Cf. Uedink KL. VII², 186—88.

[1]) Eodem tempore floruit Basilius Molina O. Cist., cujus exstat opus: *De immunitate ecclesiarum ac praecipue monasterii Hortensis,* Matriti 1607 in f.

(† 1612, juxta alios 1619), qui omnium voce, uno omnium sensu atque existimatione in paucis laudatur, atque hoc prodiit titulo: *Instruccion de Sacerdotes*, en que se da doctrina muy importante para conocer la alteza del sagrado oficio Sacerdotal, y para exercitarle debidamente, saepissime editus, Barcinone, Hispali, Matriti, Gerundae et aliis locis; in varias quoque linguas versus, in latinam a Nicolao Jansenio O. Praed. Coloniae et Antwerpiae 1618 in 8; 1644; italice Taurini 1865. Refert porro Nic. Antonius[1]) tanti factum fuisse hunc libellum, ut Vigilius Quignonius, pincianus episcopus, edicto olim intimaverit, debere in posterum in unaquaque ecclesia hujus libri exempla singula, ubi vestes sacrae asservarentur, catenulae alligata et palam cunctis sacerdotibus haberi proposita, ut ne cui vestium copia daretur, qui post sextum ab edicti pomulgatione transactum mensem non totum a capite ad calcem perlegisset. Reliquit auctor nostros etiam egregia *Exercicios espirituales* para personas ocupadas de cosas de su salvacion, Burgis 1613; *Exercicios espirituales* de la excelencias, provecho y necesidad de la oracion mental etc., ib. 1615; Caesaraugustae 1616, et saepe alibi.

265. Joannes Chapeauville (Chapeaville) Leodiensis n. 5. Jan. 1551, »vir erat eruditionis exactae, teste Miraeo, et judicii subacti sive ea tractet studia, quibus ad pietatem et Ecclesiae munia rite obeunda informat parochos, sive patriam illustret et censeat historiam.« Decennio parochum egit Leodii magno animarum zelo atque pestis tempore 1581 totum se ea infectorum obsequio dicavit, imo noctu defunctos ipse sepelevit. Ernestus de Bavaria, postquam electus est in episcopum leodiensem, ut a dioecesi haeresis infectionem averteret, eum constituit fidei inquisitorem (1582), quo munere prudenter functus est; deinde (1598) archidiaconum atque vicarium suum generalem; canonici vero eum sibi delegerunt (1599) praepositum capituli ad s. Petrum († 5. Maji 1617). Edidit: Tractatus *de casibus reservatis*, Leodii 1596; 1603 in 8; *Elucidatio scholastica catechismi romani*, ib. 1600; 1603 in 8; *Summa catechismi romani*, cum epistola de taedio, quod catechistis obrepere solet ejusque remedio, ib. 1605 in 8; Tractatus *de necessitate et modo ministrandi sacramenta tempore pestis*, Leodii 1586 in 8; Moguntiae 1612; Coloniae 1625 in 8; Lovanii 1637; Salisburgi 1680 in 12. Opus vero ejus praecipuum est *Historia sacra, profana, nec non et politica*, in qua non solum reperiuntur gesta pontificum tungrensium, trajectensium et leodiensium, verum etiam pontificum romanorum atque imperatorum ac regum Franciae usque ad Ludovicum XIII; accessit P. Aegidii Bucherii e S. J. chronologia Augustae Eburonum 1612—1616, t. 3 in 4. Complectitur hoc opus chronica Harigeri abbatis lobiensis (cf. supra I³, 960), Anselmi canonici leodiensis (ib. 961), quatuor anonymorum, Aegidii a Leodio (sec. XIII.), Joannis Hocsemii (II³, 580), Radulphi de Rivo (II³, 787), Suffridi Petri (supra cf. p. 294), qui pervenerat ad a. 1506; gesta pontificum leodiensium usque ad a. 1613 adjecit ipse Chapeauvillus; adjecit quoque t. 2. tr. historicum *primae originis festivitatis ss. corporis et sanguinis Christi* ex vera testataque

[1]) Bibl. hisp. nova 1, 145. Son livre de l'instruction des prêtres, inquit Montrouzier Revue des Sciences ecclésiastiques 1870 II, 492, eut les honneurs de plusieurs traductions et d'éditions nombreuses. S'il fut déchiré par les jansénistes, il fut loué par les théologiens de quelque mérite. „Cet écrit, dit le P. Petau (de la pénitence publique et de la préparation à la communion l. 3. c. 6) contre lequel le sieur Arnauld s'est tant alarmé, et qu'il a tâché de décrier avec des discours pleins de fiel, a été reçu avec un applaudissement universel de tous les catholiques.“ Morgott KL. VIII, 1732.

revelatione divinitus facta s. V. Julianae, quod opus magni aestimatur a viris doctis[1]). — Joannes van Langhecruys (Langhecrucius, de longa Cruce), Belga, humaniorum literarum Lovanii magister, juris civilis et canonici postea professor (1566), praepositus s. Petri casselensis et recusata infula ruremondensi illustris († 1604), disseruit *de malorum horum temporum causis et remediis,* deque divinis officiis debite peragendis canonicorum et aliorum ecclesiasticorum speculum ll. VI, Duaci 1584; *de vita et honestate canonicorum* et aliorum ecclesiasticorum speculum, ib. 1588 etc. — Guilelmus Bathe S. J. Dublinensis, rector collegii salmanticensis Anglorum († 17. Jun. 1614) composuit *Apparatum ad administrandum sacramentum poenitentiae* etc., Mediolani 1614. Praecipuus vero censetur auctor libri admodum singularis inscripti *Janua linguarum* seu modus maxime accommodatus, quo patefit aditus ad omnes linguas intelligendas, Salmanticae 1611, de quo cf. fusius disserentem Sommervogel I, 1009 ss. — Ludovicus de Cerqueira S. J. Lusitanus ad petitionem Philippi II. ordinatus episcopus japonensis (1594; † 15. Febr. 1614) composuit ad usum cleri sui *Manuale* ad Ecclesiae sacramenta ministranda, Nangasaquii 1605 in 4. — Martinus Fornari S. J. Brundusinus (n. 1547, † 27. Sept. 1612) per 24 annos theologiae moralis etiam Romae professor edidit[2]) *institutionem confessariorum* ea continentem, quae ad praxim audiendi confessiones pertinent, Romae 1601; 1607; Coloniae 1602; 1607; Parisiis 1607 et saepius alibi. Adjecit etiam instructioni sacerdotum card. Toleti *annotationes et additiones* de sacro ordine, Romae 1670 etc. — Hieronymus Mengus O. S. Fr. ex oppido vulgo Viadana in agro mantuano († 1610) condidisse dicitur artem exorcisticam. Scripsit enim *compendio dell' arte essorcistica* e possibilità delle mirabili e stupende operationi delli demoni e de malefici con li remedij opportuni alle infirmità maleficiali, Bononiae 1580; 1582 etc. prohibitum decr. 17. Jan. 1707; *Flagellum daemonum* exorcismos terribiles, potentissimos et efficaces remediaque probatissima complectens, Bononiae 1577; 1578 etc., etiam in *Malleo maleficarum* t. 2; Venetiis 1644 cum *fuste daemonum* adjurationes formidabiles, potentissimas et efficaces complectente, utrumque proh. decr. 7. Jul. 1704. *Thesaurus coelestis* gloriosae Matris Dei Mariae V. ll. 4, Bononiae 1607.

266. De *paedagogia*, quae modo adeo excolitur, bene meruit Silvius Antonianus n. 31. Dec. 1540 honestis, sed minus splendidae conditionis parentibus. Puer propter vivax ingenium oculos card. Ottonis de Truchsess augustani et per eum Julii III. in se convertit, unde horum cura diligenter fuit institutus. Hercules II. dux ferrariensis ejus dotibus, dum Romae versaretur, captus eum secum Ferrariam duxit, ubi admodum juvenis familiari virorum clarissimorum conversatione usus est auctusque post biennium laurea doctorali in jure, cum vix annos aetatis 16 numeraret. Romam rediens (1560) selectus est a Pio IV., qui s. Carolo Borromaeo magister esset et a secretis. Diligens erat ibidem socius academiae noctes vaticanae dictae ab illo cardinali institutae. Post obita varia munera honorifica dictus est Antonianus a Clemente VIII. cardinalis (3. Mart. 1599), sed non diu licuit ei tanto frui honore, nam 16. Aug. 1603 magno omnium luctu vivis est ereptus. Praesul erat omnium virtutum laude moribusque candidis florentissimus, in egenos munificus, excultique in omni disciplina ingenii. Reliquit plures *orationes* (ed. Jos. Castalio 1603) tractatus et disser-

[1]) Cf. Feller II, 456; Niceron XVII, 92 ss.; Biogr. nat. de Belgique III, 428.
[2]) Cf. Backer I, 1922.

tationes fere ineditas: hic nominandus propter insignem tractatum *della educazione cristiana* dei figliuoli, cui scribendo auctor ei exstitit s. Carolus. Saepius prodiit, Veronae 1583; Cremonae 1609 etc., Romae 1581; Florentiae 1852; Imolae 1853; Trecis 1856 (gallice), item et Pictavii 1873; germanice Friburgi 1888, cui praemittitur auctoris vita et notitia scriptorum ejusdem[1]). — Joannes Bonifacius S. J. Hispanus, in juventutis institutione a 40 occupatus († 1606) scripsit *Christiani pueri institutiones* adolescentiaeque perfugium, Burgis 1588; Ingolstadii 1607 et alibi; *de sapiente fructuoso* epistolares ll. V cum priori l., ib. 1606; utrumque opus germanice in Bibl. der kath. Pädagogik XI 33—274. *Historia virginalis* de bb. Mariae perpetuae V. Matris praepotentis Dei vita et miraculis etc., Parisiis 1605; Coloniae 1610; 1628.

267. *Liturgiam* illustrarunt: Nicolaus Aurificus Buonfigli (Bonfilius) O. Carm. Senensis n. 1529, theologiae professor et concionator insignis († 1601), cujus sunt *Speculum missae* ex antiquissimis quibusdam ac vetustissimis Ecclesiae patribus a Jo. Cochlaeo (cf. II, 1411) primum laboriose collectum a se vero recognitum, auctum et locupletatum (opusculis Bernonis et Hildeberti, necnon et Burchardi Argentini); cui accedit tr. de antiquitate et caeremoniis missae ex ss. patribus, conciliis ac decretis depromptus, Venetiis 1572; *de dignitate, vita et moribus clericorum*, ib. 1568 et alibi saepius; curavit quoque editionem *Doctrinalis antiquitatum fidei christianae* Thomae Waldensis (cf. Nomencl. II³, 817), ib. 1571 t. 3 in f. etc. — Victorius Scialac vel Schalach, maronita e monte Libano, linguae arabicae et syriacae lector Romae in collegio Sapientiae, *liturgias ss. Basilii, Gregorii et Cyrilli alex.* ex lingua coptica et arabica latine vertit, Augustae 1604. Reddidit quoque latine *Psalmos* ex lingua arabica, Romae 1614, et *Targum in Job* ex chaldeo 1618; *Ecclesiasten* ex syro et arabico 1607.

268. Inter *ascetas*[1]) Franciscus Arias S. J. Hispalensis (n. 1533, † 15. Maji 1605) innotuit hisce in primis operibus, quae s. Franc. Salesius impense laudat: *De la imitacion de Nuestra Sennora*, Valentiae 1588 in 4., saepissime editum multasque in linguas versum; Libro *de la Imitacion de Christo N. S.* (Hispali) 1591 t. 2 in 4; latine inscriptum: *Thesaurus inexhaustus bonorum*, quae in Christo habemus per diversos ejus titulos virtutumque testimonia et exempla explicatus, Monachii 1652 t. 3 in 1 v., admodum rarus (m. 100), in quo agit de Christi titulis virtutibusque imitandis; *Aprovechamiento espiritual*, Vallisoleto 1592. 1593 t. 2 in 4; Matriti 1603. — Hieronymus a Matre Dei Gracian (Gratianus) O. Carm. nobilibus parentibus est ortus a. 1545. Egregie excultus et juvenis jam omnis virtutis exemplar sacerdotio suscepto cum magno s. Theresiae totiusque suae reformationis applausu illius habitum induit a. 1573, primusque electus est congregationis praepositus provincialis (1581): sed cum caritatis obtentu multas introduxisset relaxationes, a sodali-

[1]) Cf. Eggs, Purpura docta V, 217—22; Lit. Handweiser 1888. c. 625—30.

[1]) Quadantenus huc referri potest Aegidius Albertinus patria, ut videtur Daventriensis, variis muneribus in aula bavarica functus et bibliothecae ducalis praefectus (1560-1620). Plurima opuscula ascetica in populi utiltatem germanice vertit, alia argumenti practici et moralis composuit, quae avide a populo lectitabantur ideoque saepius edebantur, sec. adhuc XVIII. Cf. Binder KL. 1, 428—430; N. Paulus hist.-pol. Bl. CXXXIII (1904), 589—604 et 646—656, qui eum egregie tuetur adversus ineptas quorundam recentiorum exceptiones, qui ei immerito exprobant ipsum praeter omne fas deprimere matrimonii dignitatem et sexus feminei conditionem.

bus in capitulo provinciali fuit reprehensus, cumque in suo abundaret sensu congregationemque perturbaret, ex eadem fuit dimissus (1593). Errore nimis sero agnito redire quidem cupiit, sed rejectus est. Incidens in horrendam piratarum tunetanorum captivitatem quidquid deliquerat, abunde passionibus suis eluere potuit. Anno 1595 captivitate liberatus Romam petiit et ex pontificis mandato a patribus antiquioris observantiae receptus est. Inde in Belgium translatus magni ab omnibus factus est atque carissimus exstitit archiduci Alberto. Obiit demum 21. Sept. 1614. Reliquit quam plurima scripta edita (34) et inedita (saltem 35). Illorum pleraque hispanice conscripta prodierunt Matriti 1616; 1661, inter quae est *theologia mystica*, quae jam prodierat Bruxellis 1609 in 4. Reliqua pariter ad eam et ascesin maxima ex parte spectant[1]). — Maxime vero inter ascetas excellit Alphonsus Rodriguez S. J., celeber theologiae moralis professor, sed celebrior arte dirigendi animas in via perfectionis († 21. Febr. 1616 a. aetatis 90), quam solide docet in opere: *Exercicio de Perfeccion* y virtutes cristianas, Hispali 1609 pp. 3, quod opus propter solidam, facilem tamen, ascesim saepissime prodiit et in linguas innumeras fuit versum[2]). Germanice interprete Ch. Kleyboldt, Moguntiae 1853; 1868 etc., et interprete Dr. M. Jocham, Ratisbonae 1862; 1893 etc.

[1]) Cf. Henricus a ss. Sacramento Coll. Script. O. Carm. Savonae 1884. t. 1, 252-59; Bibl. H. N. 1, 576—85.

[2]) Cf. Sommervogel VI, 1946. Alius ab eo est S. Alphonsus R. S. J., qui eodem fere decessit tempore (30/31. Oct. 1617). Etsi tantum frater laicus reliquit opera ascetica, quae collecta prodierunt cura P. Nonell inscripta *Obras espirituales*, Barcinone 1885 t. 3, inter quae autobiographia jussu superiorum concinnata. Cf. R. Goldie S. J. The Life of St. Alonso Rodriguez, London 1889; L. Schmitt S. J. KL. X, 1232.

269. His adde Laurentium (in baptismo dictum Franciscum) Scupoli, qui a. aetatis 40. receptus est inter clericos regulares (1570); et „qui ingenium literarum studiis in seculo excoluerat, spiritum in ordine perinde expolire coepit, ut in ipsis religiosae disciplinae initiis magister videri posset. Genio quodam ad pietatis studia propensus atque usu dein elimatus, eo tandem evasit, ut formandae aliorum religioni a peculiari quodam divinorum sensu, a docendi instruendique ratione, a dictionis, qua spiritum instillabat, suavitate nihil esset Laurentio opportunius. Respondebantque praeclaris ejusmodi praeceptis viri mores; nam solitudinis amantissimus in disciplina atque institutione totus erat. Rerum contemplationi addictus, quam aliis facem in morum formatione praelucebat, inde mutuabatur, modestiae suique demissionis apprime studiosus[1]).“ Sed en postquam ad a. 1585 fructuosissime pro animarum salute laborasset, calumniis (quibus non liquet) impetitus decreto capituli generalis a. 1585 redactus est ad laicorum ordinem, in quo humillime degit ad mortem usque 28. Nov. 1610: qua humiliatione non obstante sanctitatis famam sibi conciliavit. Immortalem eum reddidit opusculum asceticum *Combattimento Spirituale* distinctum in cap. 66. Prodiit illud primum ed. comite Hier. de Porcia Venetiis 1589 auctoris nomine supresso et exinde innumerae editiones et versiones in omnes fere Europae linguas, ad a. 1747 saltem ed. 254. Illud s. Franciscus Salesius, cui juveni dum Patavii degeret, a patre Theatino (forte ipso Scupoli) traditum fuerat, tanti fecit, ut haberet pro vitae norma semperque secum ferret. Saepe illi adjungitur opusculum *De Dolori Mentali di Cristo* nella sua Passione, quod est b. Baptistae Varani principissae

[1]) Ita Silos Hist. cler. reg. p. III l. 12 p. 606 Panormi 1666.

de Camerino O. sor. paup. s. Clarae († 1527), a Scupoli emendatum[1]). Immerito autem insigne hoc opusculum tributum fuit Hier. comiti de Porcia, qui fuit tantum primus editor, vel Joanni de Castaniza, de quo cf. supra p. 447 a; vel Achilli Gagliardi S. J. († 1607), sub cujus nomine falso prodiit Coni 1668. — Georgius Vetter O. Praed. Trevirensis, s. Theologiae doctor concinnavit opusculum inscriptum: *Libellus supplex* Davidis rei humiliter delictum agnoscentis ejusque veniam a Deo deprecantis sive enarratio in Ps. 4. David, in quo fere singula, quae ad veram peccatoris conversionem spectant elucidantur, Moguntiae 1618; *Divinorum colloquiorum ll. IV* auctore Benoni de Rachel introducente G. Vetter, Coloniae 1608. Hisce colloquiis continentur: Manuale rosarum 52; Passionale violarum 52; Confessionale florum 25; Mariale liliorum 10. Bennoni de Rachel videtur fuisse Judaeus ad fidem conversus, qui opus suum Philippo II. dicavit. — Joannes Fridericus Lummius (van Lummen), quod est oppidum patrium in ditione limburgica Nicolai Eschii praeceptoris optimi dignus discipulus, parochus antwerpiensis (n. 1533; † 27. Aug. 1602), cujus sunt opuscula lingua patria conscripta[2]), et *Thesaurus christiani hominis,* Antverpiae 1588 t. 6 in 8; *de extremo die judicii* et judaeorum vocatione, Antverpiae 1567; 1595 in 4; Venetiis 1569 in 4 etc.

270. Praeter tot *concionatores*, quorum jam meminimus, occurit adhuc insignis concionator Didacus de la Vega O. Min. Toletanus (fl. ineunte sec. XVII), cujus plurimas conciones partim latinas, partim hispanas recensent Nic. Antonius Bibl. H. n. 1, 320; Joannes a s. Ant. I, 308. Plures in latinum conversas edidit Henricus Paludanus (van den Poel, van de Broeck) Leodiensis O. Min. Coloniae 1610 t. 2; 1612. — Eodem fere tempore floruit Petrus de Vega (Veiga) O. S. Aug. conimbricensis, qui prolixissime disseruit in psalmos poenitentiales in op. *Declaracion de los siete Salmos Penitenciales* pp. 3, quibus et 4. addidit, in qua ea, quae in tribus primis continentur, applicat Evangeliis festisque per annum, Compluti 1599; Matriti 1602; Caesaraugustae 1606. In unumquemque versum habet tractatus quinque vel sex, quandoque septem. — Ejus sodalis Christophorus Fonseca Toletanus erat pariter insignis concionator et rector provinciae Castellae († 27. Dec. 1612). Praeter alias conciones reliquit hispanice *Vitam Christi* pp. 3, in quarum 1. eam fuse narrat Toleti 1591; Matriti 1601; in 2. agit de Christi miraculis, ib. 1603; ita et in 3. ib. 1603; 1605. — Petrus de Valderrama O. S. Aug. Hispalensis dicitur ab Ant. Miraeo concionatorum suo seculo princeps: erat enim in illo praeter insignem oris facundiam, excellens ingenium singularis deinde prudentia multo rerum usu constituta, quae omnia adhuc spirant quos vernacula lingua conscripsit tomos duos *Concionum* in festa totius anni etc. († 1611).

---

1) Cf. Savonarola in diss. hist. apologetico-crit. de aureo l. cui titulus: Combattimento spirituale adnexa suae ed. Veronae 1747; Vezzosi I Scrittori .... Teatini II, 276—301; Bercht. Steiner OSB. Stud. u. Mitth. XVII (1896) 444—62.

2) Cf. Biogr. nat. de Belg. XII, 572.

IV.

Theologi annorum 1621—1640.

I. Theologia scholastica.

271. Vere gloriosa est in theologiae *scholasticae* annalibus haec periodus[1]). Quamvis vero natio *hispana* iterum et plurimos et summos protulerit theologos, liceat nobis initium ducere a *Belgis*, qui illo gloriari possunt, quem semper tamquam exemplar et formam veri theologi suspeximus, Leonardo Lessio (Leys). Natum est hoc theologiae lumen Brechtae in Brabantia 1. Oct. 1554. Puer fuit sortitus animam bonam: pietati pariter et studiis ita deditus, ut virtutem et eruditionem sibi jam tum desponsasse videatur. Siquidem pia religione crebro jejunare, assidue precari, in templo et alibi versari, ut a popularibus suis ‚propheta' nominaretur. Coaetaneos suos, quo pacto Deum venerari et christiane vivere oporteret, instituebat. Prima literarum elementa puerulus adhuc usque adeo adamavit, ut cibo et somno, imo et lusui horas surriperet, et teneras adhuc manus suas ad exilem candelae calorem contra rigentem hiemem sub noctem foveret, ne brevi ad communem domesticorum ignem accessione exiguam temporis jacturam faceret. Tales tantosque in studiis fecit profectus, ut vix 17 annos natus philosophiae renunciaretur doctor, magistrique inter se contenderent, quis illum haberet discipulum. Verum Dei vocantis gratiae obsequens societatem Jesu est ingressus 23. Junii 1572. Absoluto tirocinio Duacum mittittur juvenis 20 a. ad docendam philosophiam, quod magna cum approbatione toto septennio praestitit (1574—1581). Ingenti ardore humaniorum literarum studio simul incubuit, cujus ardoris en argumentum insigne. Evenerat aliquando, ut duos sodales graeco inter se sermone uti familiariter audiret. Quae res ipsum adeo incitavit, ut licet ignarus adhuc et in lingua ista peregrinus privato duorum mensium exercitio ipse sibi discipulus et magister eum progressum fecerit, ut Aristotelem e graeco in latinum prompte traduceret. Matutinas horas somno detrahebat, quas graecis consecraret. Super mensam quae latine legebantur, ea tacite secum convertebat in graecum:

[1]) Quosdam theologos infra de theologia morali disserentes laudabimus, qui merito hic etiam referri possent, ut in primis Aeg. Coninck, Jo. Malder et L. Turrianus.

selectas quoque Graecorum sententias memoriae commendabat tantaque fidelitate conservabat, ut s. Basilii de solitudine ad Gregorium epistolam, elapsis fere 50 annis ad verbum jam senex pronunciaret. Romam accitus Francisco Suario[1]) in theologicis doctore biennio usus est, qui ipsum magni fecit. Haec porro erat ejus in studendo methodus: Legebat ex auctore quaestionem aliquam ea accuratione, ut nihil quod difficultatem faceret praetermitteret: illam diligenter ad certa revocabat puncta. Exinde clauso libro et obductis cubiculi fenestris totam quaestionem hac serie secum agitabat. Primo, quid rei esset; secundo, quae auctoris deductio, quae connexio; tertio, quae ad stabiliendum, quae ad infirmandum argumenta facerent; quarto, haec defendebat, impugnabat illa. Novas quoque rationes ipse in utramque partem comminiscebatur, donec tandem statueret secum, quid de toto negotio judicandum esset. Denique reclusis fenestris strictim chartae animi sui conceptiones committebat, easque dubitationes, quas sibi ipse dissolvere non poterat, ut easdem vel cum aliis disputando enodaret, vel consultis auctoribus nova deliberatione elucidaret.

272. Studio theologico vix absoluto ipse theologiam Lovanii tradidit (1585) totos 15 annos summa nominis claritudine, et annis 17 theologorum sui ordinis studiis dirigendis praefuit. Verum dum Lovanii degeret, haud levis excitata est tempestas propter ejus de Scriptura s., providentia, praedestinatione et reprobatione, gratia ac justificatione doctrina, quam facultas theologica 34 propositionibus comprehensam censurae subjecit atque damnavit, quod illa scil. semipelagianismo faveret, praedestinationem post praevisa merita, gratiae universalitatem tueretur et gratiam non ex se efficacem (actus deliberati) propugnaret etc.: hinc propositiones notatae fuere tamquam ‚peregrinae, offensivae et periculosae‘. Bajo instigante has fuisse excitatas controversias testatur Habert[1]). Inde quoque conjicitur, quod Lessii doctrina directe opposita esset Baji opinionibus, quae plures tunc asseclas Lovanii numerabant, quodque Jansonius Baji familiaris primas fere partes habuerit hac in controversia. Ceterum hac de re ita refert Lessius l. c. „Exhibuerunt nobis quasdam propositiones hinc inde ex nostris lectionibus, prout eas auditores exceperant, detractas et avulsas, omissis iis, unde possunt intelligi: et rursus petierunt, an eas pro nostris exhiberemus. Respondi meas esse, sed truncatas et suis locis avulsas, ita ut qui eas lecturi essent, non facile possent intelligere, quorsum aut qua occasione dictae essent. Itaque confeci 34 conclusiones breves et apertas, quibus continerentur omnia dogmata, quae ipsi notassent, et ea, quae non videbantur intellexisse, explicarentur clarius.‟ Facultas autem lovaniensis non has sed illas, quas ipsa collegerat, censurae subjecit. Omnium propositionum minus probanda est haec (3): „Liber aliquis (qualis forte est secundus Machabaeorum) humana industria sine assistentia Spiritus s. scriptus si Spiritus s. postea testetur, nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura s.‟ Fatetur tamen Lessius se opinionem illam, quae parenthesi includitur, ex aliorum sen-

[1]) Fuit illi cum Francisco Suario postea, sicut etiam cum Ludovico Molina et Gabriele Vasquez communicatio literarum, qui ejus in gravissimis quaestionibus judicium exquirebant.

[1]) De la défense de la foi sur la grâce c. 14. § 3; testatur etiam Lessius ap. Eleutherium l. c. c. 6. Cf. quoque Stapletonii ep. ad Joan. Stryen episcopum middelburgensem ap. Duchesne hist. du Bajanisme Duaci 1731 p. 227, in qua testatur, se fere easdem theses docentem Toletum Romae audisse, atque etiam se eas in suo *de justificatione* opere tradere, „quare nihil novum facio, subjicit, si patrum (S. J.) nunc doctrinam libenter tueor.“ Katholik 1868 v. 19. p. 286.

tentia retulisse atque minime probare. Censurae exempla ad Belgii antistites et ad facultates parisiensem et duacenam transmissa fuere [1]). Facultas tamen lovaniensis, ut semper, quantum penes illam staret, doctrinam hisce articulis oppositam tueretur, academiae impensis publicam instituit dotavitque cathedram ad confutandas Lessii opiniones, eamque credidit Jacobo Jansonio acerimo Lessianae doctrinae adversario, Michaeli autem Bajo in paucis caro et famosi Jansenii magistro. Lovaniensem facultatem secuta est duacena censuramque vehementioribus adhuc verbis conceptam [2]), cujus auctor Estius dicitur, in eas propositiones promulgavit. Cum interim controversiae et disputationes ferverent, plura quoque scripta utramque in partem divulgarentur, adeo ut in dies dissidiorum flammae magis accendi viderentur, e re censuit Sixtus V. ad componenda haec dissidia Lovanium mittere Octavium Frangipanum episcopum Calatinum suum apud colonienses nuncium, qui utrique parti silentium imposuit, donec auctoritate apostolica sententia ferretur, quae tamen nunquam fuit prolata. Refert vero l. c. Habert, Lessium suos articulos Romam misisse ad sedem apostolicam. „Pontifex autem, prosequitur ibidem, qui doctissimus erat, convocato coetu cardinalium post longam et profundam discussionem illas omnes propositiones approbavit tamquam articulos *sanam doctrinam* continentes.“ Nec facultas parisiensis quamvis societati Jesu haud propitia, unquam induci potuit, licet sollicitata, ut facultatum lovaniensis et duacenae imitaretur exemplum [1]).

273. Indefessa diligentia Lessius ad finem usque vitae studiis incubuit licet fractus doloribus, viribus diuturno labore ita jam exhaustis, ut in carne videretur sine carne trahere animam. Parcissimus erat temporis, laboris pertinax. Sapientiam ejus admirandam maxima ornabant modestia et animi demissio, ut illam quaqua poterat ope occultaret, nunquam de se suisque rebus, nisi gravibus traheretur motivis, ageret. Undique consulebatur; ipse vero dubiis in rebus et majoris momenti negotiis brevem dari sibi moram postulabat, quo illa teste Deo suaque conscientia discuteret et praevia oratione expediret. De sua sententia libens volensque discedebat, quoties ab aliis valida vel in speciem argumenta proferebantur. Solebat hisce fere gradibus scientiam suam deprimere: primo suum omne scire cum omnium mortalium in unum collecta scientia librabat; ad quam tantulum illud esse, quantulum ad vastum montem arenula et guttula ad oceanum inveniebat. Exinde immane illud humanae scientiae angelis opponebat, quorum tanta sapientiae vis est et praestantia, ut pari intercapedine omnem universi generis humani scientiam excedant, qua hominum omnium sapientia singularis hominis scientiam antecellit. Ab his ad eos transibat spiritus, qui necdum quidem procreati in divina tamen potentia reconduntur. Ab

[1]) Hujus tempestatis historiam cf. ap. Eleutherium (Livinum Meyer) Hist. controv. de auxiliis l. 1. et continuat. hist. eccles. Fleurii l. 178 § 15 ss.; Werner der hl. Thomas III. 381 ss. etc.

[2]) Hujus tamen facultatis censura dolose obtenta, et importune extorta fuit teste Stapletonio l. c. et ipsa facultate duacena, quae id post aliquot annos declaravit. Cf. Duchesne p. 279 ss. Lessio favebant academiae moguntina, trevirensis et ingolstadiensis. Harum declarationes cf. ap. Eleutherium l. 1. c. 11. Responsionem Lessii ad antapologiam facultatis lovaniensis nunc demum edidit Schneemann in suo op. Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia, Friburgi. 1881 p. 371—462. Habes ib. in appendice Kleutgen Lessii *de inspiratione* doctrina. Cf. Feldmann S. J. KL. VII, 1844—51.

[1]) Cf. scripta ad hanc q. spectantia ap. Backer II, 720—29: Sommervogel IV, 1726—29, quem cf. de ejusdem opp. generatim pag. 1726—51.

istis denique ad sapientissimi numinis inexplicabilem scientiam. Ex quo tandem sic rationes colligebat: Si mea scientia mortalium omnium collata scientiae instar habet arenulae, quid habet composita angelicae? quid seraphicae? quid divinae? quid est quod de mea scientia, quae adeo usque exilis est, ut prope sit nihil, mihi ipsi blanditias faciam? etc. Inter schedas, quibus quae sibi servanda proposuerat, inscripsit, multa ne passim innotescerent, graece fuerunt concepta. Septem capita continebat una quaedam (octavum abdiderat characteribus ignotis) in haec verba: 1. Neminem vituperare; 2. ante studium cor elevare; 3. pro capiendo consilio orare: ,Deus qui corda fidelium' etc.; ,Actiones nostras' etc.; 4. in surgendo orationem, ,Concede, quaesumus, etc., usurpare; 5. in rebus dubiis et perplexis ad luminis divini fontem confugere; 6. ubique impetum cohibere et pacifice agere; 7. modum in refectione servare et memorem esse coelestis voluptatis. Cunctorum una vox erat, humili, suavi, seria, pia Lessii conversatione sese velut quadam vi magnetica attractos laetiores, doctiores, ad virtutem promptiores effectos esse. Levissimas etiam culpas contentione summa aversabatur, atque ad peccati mentionem exhorrescebat. Defectus tenuissimos, quos se in aliorum conspectu admisisse rebatur, ex pectoris intimo deplorabat. Octo ante mortem diebus, cum de re quapiam coram alio questus sibi esse videretur, toto fere horae quadrante, nullo admisso solatio, manantibus dolore lacrimis, se deprecabundus accusavit. Candoris, simplicitatis, sinceritatis amator erat commendatorque, ipsam mendacii vel solam speciem detestabatur, nunquam quo sua tegeret ambiguo restrictoque modo locutus. Gravissimis morborum colicae, calculi, herniae duplicis, languentis ructantisque stomachi tormentis[1]) voluntarias etiam flagellationes adjecit et crebra jejunia. Totos 30 annos una refectione per diem eaque pertenui vixit, extra eam nihil unquam potus admisit. In cubiculi sui pariete hanc epigraphen fixerat: *Amor meus crucifixus est.* Vitam demum innocentem, piam[1]) doloribusque plenam non sine sanctitatis fama morte commutavit 15. Januarii 1623 a. aetatis 69. Magni eum fecit Urbanus VIII., qui de eo ita pronunciavit[2]): „Erat mihi Leonardus Lessius probe notus; usus enim sum eo familiariter Romae; ex illa occasione semper illum maximi feci ob eruditionem singularem; attamen longe magis suspexi ejus virtutem: erat enim summe humilis et rarae pietatis. Ideo ipsum habeo pro magno in coelis."

274. Insignis Lessii sapientiae testes sunt tot luculenta opera, quae omnia veritatem probant encomii: „Anima erat illi serena semper et innubis, pellucida, crystallina, rerum divinarum humanarumque imaginibus speculi in modum perpetuo fulgida[3])."

---

[1]) Quantum tota fere sua vita pateretur, colligi quoque potest ex voto inter ejus schedas reperto, quod sic habet: „Beatissima Virgo, si dolores istos abstuleris, voveo omnibus profestis tuis jejunium in pane et aqua; rosarium in profesto et ipso die; horas b. Virginis omnibus sabbatis, nisi superior vel justa causa obstiterit, et festis Purificationis, Annunciationis, Praesentationis, Assumptionis, Nativitatis, Conceptionis. Non cupio auferri, nisi sit ad majorem Dei gloriam et meam salutem etc."

[1]) Plura cf. ap. Sotvellum et in vitae compendio, quod prodiit (ed. 2) Ingolstadii 1658. deducta ex vita, quae tribuitur Leonardo Scoofs, Bruxellis 1640 (Parisiis 1644), sed ea olim prohibita fuit decr. 18. Dec. 1646; Vinc. de Block S. J. († 1869) in Précis historiques 1862 p. 133; 188; 210. Testatur vero Foppens in bibl. belg.: „Exstat in bibliotheca archiep. mechlin. processus ms. de vita et virtutibus Lesii, de cujus beatificatione apud s. Sedem postulanda paulo post ejus mortem agi coeptum erat."

[2]) In vitae comp. c. 23. n. 122.

[3]) In comp. vitae c. 6.

Excellunt ea siquidem idearum nobilitate, expositionis nitore atque candore, comparationum luminibus; non solum mentem illuminant, sed et affectum pascunt et accendunt cor, quod in primis verum de illo, cui titulus: *De perfectionibus moribusque divinis* ll. 14, Antwerpiae 1620 in 4; Parisiis 1620; additionibus aliquot aucti cum aliis opusculis Antwerpiae 1626; Lugduni 1656; recusi Friburgi Brisgoviae 1861; Parisiis 1875; 1881. Disserit in hisce ll. de singulis Dei perfectionibus, earum notiones distincte admodum exponit atque declarat, aptis comparationibus illustrat, solidis argumentis ex revelationis fontibus rationisque penu illas Deo vindicat, fructus exinde practicos pro morum informatione colligit meditationesque suas devotissima mentis atque cordis ad Deum elevatione concludit. Hinc de iis scribit Perrone[1]): „Praeter singularem in dicendo claritatem id sibi peculiare vindicat piissimus hic auctor, ut lectorum corda mire accendat ac in Deum moveat, praesertim in suis recollectionibus precatoriis, in quibus dum summam colligit eorum omnium, de quibus praecedentibus capitibus late disseruerat, egregias precationum formulas exhibet.“ Utiliorem de hoc argumento librum, magisque commendandum, tironibus praesertim sacrae disciplinae, in universa theologia vix reperimus, estque vere exemplar, secundum quod reliqua theologiae argumenta essent tractanda. Cum hoc opere cohaeret aliud opusculum, Lessio ipsi in primis carum, cui quatuor vel quinque diebus ante mortem finem imposuit, scil.: *Quinquaginta nomina Dei* seu divinarum perfectionum compendiaria expositio, vel: Opusculum asceticum quinquaginta considerationum de 50 nominibus Dei in 3 libellos viae purgativae, illuminativae, unitivae distributum, Bruxellae 1640; Dilingae 1641; Lovanii 1643 et saepius alibi, iterum Friburgi Brisgoviae 1862 in 16. Alia ejusdem opera sunt: *De gratia efficaci, decretis divinis, libertate arbitrii et praescientia Dei conditionata* disputatio apologetica, cum disp. duabus, altera *de praedestinatione et reprobatione angelorum et hominum,* altera *de praedestinatione Christi*, Antverpiae 1610; Parisiis 1878., in qua disputatione illam tuetur sententiam, cujus ocsasione ita ad eum scripsit s. Franciscus Salesius[1]): „Cognovi P. V. sententiam illam antiquitate, suavitate ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissimam de praedestinatione ad gloriam post praevisa merita amplecti ac tueri, quod etiam mihi gratissimum fuit, qui nimirum eam semper ut Dei misericordiae ac gratiae magis consentaneam ac amabilem existimavi, quod etiam tantisper in libello de amore Dei indicavi.“ *De summo bono et aeterna beatitudine hominis ll. 4,* Antwerpiae 1616; Friburgi Brisgoviae 1869; *de providentia Numinis et animi immortalitate* ll. 2 adversus atheos et politicos[2]), Antwerpiae 1613; 1617; cum praecedenti Parisiis 1880; *Quae fides et religio sit capessenda consultatio* cum appendice, qua quaestionibus quibusdam

---

[1]) Prael. theol. IV. adn. ad n. 186.

[1]) Authentiam hujus epistolae contra nonnullos tuetur Eleutherius in historia controv. de auxiliis vindic. l. 1. c. 11. Non immerito de hoc duplici libro intelligi debent illa Grotii: „Quid attinet Molinistarum nomen societati (Jesu) toties objicere, cum si quid Molinae exciderit periculosius, id posterioribus jesuitarum, *praecipue Lesii*, scriptis sit castigatum?“ Epist. 154 Joanni Cordesio 15. Oct. 1633 inscripta.

[2]) De hoc opere exhibita ejusdem summa scribit Werner, Franz Suarez I, 545: „Lessius schrieb für die Bedürfnisse seiner Zeit und man darf sagen, daß er in dieser Hinsicht Vorzügliches geleistet habe und zweifelsohne zu den begabtesten Köpfen seines Ordens und seines Standes gehörte. Eine motivirte Antwort u. spezielle Rücksichtnahme auf die vom Standpunkte der Deisten, Fatalisten und Freidenker erhobenen Einwürfe gegen den Vorsehungsglauben darf man bei ihm freilich nicht suchen.“

quae ipsam consultationem spectant, respondetur[1]), Antwerpiae 1609; 1610; 1614; Coloniae 1611; 1615; 1648; Taurini 1701, Fuldae 1708; in Migne curs. theol. III, 787—898 etc., in varias linguas versa. Huic consultationi magnus heros Joannes Nassovius aliique suam ad catholicos accessionem acceptam ferunt. *De antichristo et ejus praecursoribus*, Antwerpiae 1611 in 8; disputatio *de vitae statu deligendo* et religionis ingressu qq. 12 comprehensa, ib. 1613 in 8: 1617; *de bono statu eorum*, qui vovent et colunt castitatem in seculo, sub nomine Hubertini a s. Dionysio s. theologiae doctore, Coloniae 1615; *Hygiasticon* seu de vera ratione valetudinis bonae et vitae una cum sensuum, judicii et memoriae integritate ad extremam senectutem conservandae: subjungitur tractatus Ludovici Cornari Veneti eodem pertinens ex italico in latinum sermonem ab ipso Lessio translatus[2]), Antwerpiae 1613 in 8; 1614; 1623; Cantabrigiae 1634; Romae 1673. Haec omnia, quae hucusque recensuimus (excepto illo de nominibus Dei), collecta Antverpiae 1626 prodierunt titulo: *Opuscula, quibus pleraque s. theologiae mysteria explicantur*, et vitae recte instituendae praecepta traduntur. Aliae opusculorum Lessii collectiones prodierunt Venetiis 1617; Lutetiae Parisiorum 1626; 1637; 1655; 1881; Lugduni 1651. Praeterea edidit Lessius: *Defensio potestatis summi pontificis* adversus l. regis magnae Britanniae, Guil. Barclaii Scoti et M. Gregorii Blacwelli, Caesaraugustae 1611 in 4; *discussio decreti magni concilii lateranensis* et quarundam rationum annexarum de potestate Ecclesiae in temporalibus et incommoda diversae sententiae, sub nomine Guil. Singletoni, Albini 1613 in 8, contra quam insurrexit Rogerus Widdringtonus Anglus catholicus[1]) in sua *Discussione discussionis*, Augustae 1618 in 4. — Laudatissimum est Lessii opus *de jure et justitia ceterisque virtutibus cardinalibus* ll. 4 ad 2. 2. d. Thomae a q. 47—171, Lovanii 1605 in f.; Parisiis 1606 in f.; Antwerpiae 1609; 1612 (editio auctior et castigatior) etc., 1626 cum appendice *de montibus pietatis*; Lugduni 1630 (cam altera appendice Theoph. Raynaudi *de aequivocationibus et mentalibus restrictionibus*) etc. Saepissime recusum fuit egregium hoc opus. Backer recenset inter 30 an. sex editiones, quae Antwerpiae, et septem, quae Parisiis, Lovanii, Lugduni et Venetiis prodierunt. Neque ipse

---

1) Feller V, 250: „Ouvrage qui dans sa brièvete forme un excellent traité de controverse, par lequel beaucoup d'hérétiques ont été ramenés à l'Eglise." Backer II, 724: „Cet ouvrage fut traduit en plusieurs langues et fut vivement combattu par les Protestants." Recenset dein ibidem plures protestantium libellos contra hanc Lessii consultationem editos; pro qua libros tres apologeticos scripsit Hermannus Hugo S. J., de quo infra; Roskovány II, 560.

2) Hujus libelli, e quo plura salutaria monita et consilia hauriri possunt, lectionem propter easdem commendamus rationes, quae Lessium ad scribendum impulerunt. „Accedit, inquit ipse c. 1, quod finis et scopus, quem hac in re potissimum specto, theologo sit dignissimus. Hic est, ut plurimis viris religiosis et aliis pietati addictis suppetat commoda ratio, qua Deo Domino nostro longo tempore facilius, laetius et ferventius serviant cum magna sua spirituali voluptate et ingenti merito aeternae gloriae. Incredibile enim dictu est, quanta facilitate et interna consolatione vacetur orationi, recitentur preces canonicae, peragatur Missae sacrificium, incumbatur rerum meditationi divinarum, legatur s. Scriptura ab iis, qui vel cum mediocri talium rerum scientia sobriae vitae sunt addicti."

1) Hic R. Widdrington proprie vocabatur Thomas Preston O. S. Ben., qui non solum Lessium, sed et Bellarminum, ut infra referemus, impugnavit stetitque pro juramento fidelitatis Angliae regi praestando. Hinc tria ejusdem opera in ll. Indicem relegantur. Non semel tamen propter fidem conjectus est in carcerem, in quo et obiit 3. Apr. 1640. Cf. Gilles V, 363—366.

videtur omnes recensuisse. Turrius[1]) hanc Lessio laudem tribuit, inter omnes, qui de cambio scripserunt sive theologi sive juristae, neminem illo praxim cambiorum intimius novisse. Ratione hujus operis Lessius auctoribus in re morali classicis et probatissimis accenseri potest[2]). Maximi illud fecit Albertus Pius Belgarum princeps, qui „Lessii volumen de justitia uti fidelissimum consiliarium semper in mensa, cui assidere solitus, cum audientiam daret, una cum gladio asservabat, ut responsa sua et austriacis armis et Lessiana sapientia vallata esse demonstraret[3]).“ Ejus *compendium* prodiit Duaci 1634 in 8. Post Lesii mortem prodierunt: *De beatitudine, de actibus humanis* (in 1, 2. p. d. Thomae), *de incarnatione Verbi, de sacramentis et censuris* (in 3. p. d. Thomae) praelectiones theologicae; accesserunt ejusdem variorum casuum conscientiae resolutiones, Lovanii 1645 in f.; Parisiis 1648. Plura sat magna opera reliquit mss.

275. Praeter Lessium in Belgio memoria plane digni sunt Martinus Becanus, de quo tamen inter theologos polemicos loquemur; Gisbertus Schevichavius S.J. Arnheimensis, ss. Trinitatis cultor singularis († 20. Maj. 1622), qui suae pietatis praeclarum dedit specimen in op.: *De augustissima et ss. Trinitate* Patre, Filio et Spiritu s. cognoscenda, amanda et laudanda ll. XII, Moguntiae 1619 in 8., de quo opere ita Bellarminus literis ad auctorem datis 12. Jun. 1620 censet: „Cum coepi illos ex proposito considerare, inveni eos favo mellis dulciores et aureo et gemmis pretiosiores. Itaque nunc eos ut libros vere spirituales et ad animum accendendum et elevandum et nutriendum aptissimos frequentissime lego, et cum omnes perlegero iterum atque iterum, si Deus vitam meam paulo longiorem esse patitur, legere et attente considerare proposui etc.“ *De ecclesiasticorum vita, moribus, officiis* ll. 3, ib. 1621 in 8. — Joannes Praepositus S. J. Atrebas, „vir egregie doctus et vastae mentis in pusillo nec optime tornato corpusculo[1]),“ philosophiam Duaci quadriennio, theologiam scholasticam totis 16 annis partim Lovanii, partim Duaci professus est. Morti proximus Christum in ss. Eucharistiae sacramento in haec verba contestatus est: „Domine Jesu, si quid unquam docui, si quid scripsi, quod Ecclesiae tuae ex usu et commodo esse possit, paratissimus sum id omne sanguine consignare: si quid autem haereticum, revoco; si quid erroneum, temerarium, vanum, mordax aut imprudens dixi, totum id revoco iterumque revoco.“ Vitam finivit Montibus Hannoniae 8. Jun. 1634 a. aetatis 63. Scripsit commentaria in 1. p. s. Thomae *de Deo uno et trino, de angelis, de operibus sex dierum*, Duaci 1631 in f.; in 1. 2. s. Thomae *de beatitudine, actibus humanis, peccatis, legibus et justificatione*, ib. 1637 in f.; in 3. p. s. Thomae *de incarnatione Verbi divini, sacramentis et censuris*, ib. 1629 in f. In quaestionibus moralibus auctoribus gravibus accensetur. — Joannes Wiggers[2]) Diestensis (n. 27. Dec. 1571;

---

[1]) De camb. d. 3. q. 14. n. 1.

[2]) Cf. annot. supra p. 346.

[3]) In Lessii vita cit. c. 6. n. 23.

[1]) Sotvellus l. c.

[2]) Alius a Nicolao Wiggers (Vigerius) Doubesant O. S. Franc. Harlemensi, parentibus opulentis et piis nato, qui concionibus, libris, in primis liberalissima fundatione duorum seminariorum meruit de Ecclesia catholica in patria sua. Vir fuit vere apostolicus, qui quaquaversus peragravit Batavorum ditionem, ut fidelibus omni cura pastorali destitutis succurreret non semel omni vitae periculo spreto, ideoque etiam multas passus est persecutiones et vexationes, merito propterea Frisonum apostolus salutatus. Postquam a. 20 missionarium egerat intrepidum cum magno fidelium solatio et fructu ordinem ingressus est s. Francisci

† 29. Martii 1639) doctor lovaniensis (1607), docuit theologiam prius Leodii, dein 26 annis in academia lovaniensi (1611) cum magno universitatis commodo. Non facile se nec sua jactabat, nec alienorum contemptor erat, sincerus et sine fuco, in conversatione gravis minimeque superbus. Scripsit solide quidem sed stilo neglecto commentaria in 1. p. Thomae *de Deo uno et trino*; de angelis et operibus sex dierum; in 1, 2; in 2, 2. qq. 1—46. *de virtutibus theologicis fide, spe et caritate;* in 2. 2. q. 47—171; *de jure et justitia* ceterisque virtutibus cardinalibus cum suis annexis; in 3. p. qq. 1—26 *de Verbo incarnato;* in 3. p. *de sacramentis*, censuris, indulgentiis et purgatorio, Lovanii 1631—41 t. 3; 1651—57 p. 6 in 3 t. (m. 60), »in quibus commentariis, inquit Aubertus Miraeus, nihil nisi summe elaboratum, solidissimis argumentis subnixum, clarissima et brevi tamen methodo tradidit, quidquid in aliorum fusioribus scriptis scitu dignum est idque stilo ut facili et ad docendum apto, ita minime affectato.« — Georgius Aurelius Dayneff O. S. Aug. in abbatia s. Huberti cathedrae theologicae moderator typis publicis emisit opus: *De triplici mundo* divino, angelico et humano, Leodii 1639 in f.

276. *Hibernus* est Hugo Cavellus (Mac-Caughwell) Ord. Min. strictioris observantiae, dunensis »vir ingenio, pietate, doctrina celeberrimus. Lovanii in collegio s. Antonii de Padua theologiam plurimis annis est professus; inde propter singularem in rebus agendis industriam ordinis seraphici definitor renunciatus, cum multis annis pro ordine laboribus ac curis summa cum laude perfunctus esset, Romam jussu Benigni a Genua ordinis sui generalis vocatus celeberrimam theologiae cathedram in coenobio s. Mariae de Aracoeli occupavit, summoque omnium applausu docendo illustravit. Tandem vero, mortuo Petro Lombardo, Urbani VIII. P. M. auctoritate archiepiscopus armachanus et totius Hiberniae primas est declaratus. Verum, o invidum magnis ingeniis fatum! dum ad iter in Hiberniam sese accingit, imposita l. de arte bene moriendi ultima manu insperato et inexspectato fato abripitur 22. Sept. a. 1626 (a. aetatis 55). Illum et ordo seraphicus et Hibernia adhuc deplorant[1]).« Praeter opera philosophica[2]), inter quae sunt *qq. in Metaphysicam*, Venetiis 1625, edidit *Scoti commentaria in 4 ll. sententiarum* recognita, mendis expurgata, annotationibus, indicibus ac citationibus celebriorum doctorum exornata; praemisit *Scoti vitam*, adjecit *apologiam* pro eodem vindicando ab injuriis per Abrahamum Bzovium[3]) illatis et ap-

a. aetatis 48 impensa prius pingui hereditate in causas pias. Mox ab emissis votis religiosae vitae promovit reformationem, quam ut novitiorum magister vel guardianus vel ter minister provincialis in omnia induxit suae provinciae monasteria, quorum numerum maxime auxit. Pro fide catholica intrepide stetit, suae patriae non est oblitus. Post ingentes labores exhaustus decessit 25. Mart. 1628 in odore sanctitatis a gratis civibus et sodalibus „pater patriae et columna fidei“ salutatus. Cf. Kleinschmidt KL. XII, 1571; in primis hist.-pol. Bl. CXXXVI (1905), 719—33; 803—15.

[1]) Nic. Vernulaeus acad. lov. p. 174.

[2]) Cf. Jo. a s. Antonio II, 85.

[3]) Nicolaus Janssenboy Zelandus Ziricseae (Zierikzee) natus OP. *Animadversiones* et scholia in hanc apologiam scripsit Coloniae 1622; quare Cavellus *Apologiam* apologiae sub nomine Hug. Magnesii discipuli sui emisit, Parisiis 1623, cui Nicolaus noster respondit *Apologetico* pro suis animadversionibus, qui tamen non prodiit. Porro Nicolaus cum quatuor fratribus, qui pariter ingressi erant ordinem s. Dominici, strenuum egit missionarium per regiones septemtrionales, Daniam praesertim, Holsatiam et Norvegiam non sine fructu († 21. Nov. 1634), qui tamen deinde ob protestantium persecutiones iterum periit. Scripsit praeterea *Panegyricum d. Thomae Aq.* Lovanii 1621; *Vitam s. Dominici* ex variis auctoribus collectam etc.,

pendicem diffusam ad q. 1. dist. 3. l. 3. positam in calce ejusdem l. pro asserenda conceptione V. Mariae, pro qua adducit testimonia 16 seculorum, Antwerpiae 1620 v. 8 in f., optima editio. Ejusdem quoque commentaria seu *reportata parisiensia* illustravit; *quaestiones quodlibetales*, quae post ejus mortem prodierunt. — E *Polonis* duo Scotum pariter illustrarunt, Andreas Rochmarinus O. S. Franc. reg. obs., cujus est: *Duns Scoti 1. l. sententiarum* ad optatam facilitatem redactus et vindicatus et enodationibus illustratus, per Flor. Holecki ejusdem ord. diffinitorem recognitus, Venetiis 1627 in f., ejusque sodalis Petrus Posnaniensis pius et doctus [1]), cujus sunt *commentaria in l. 1. sententiarum* Scoti, in quibus doctoris textus elucidatur et adversariorum sententiae refelluntur, Venetiis 1626; *in 3. l.* (dist. 1—40), Cracoviae 1655 pp. 2 in 1 v., opus rarissimum. Ejus praeterea sunt: *Decisionum totius theologiae speculativae et moralis* ll. 6 ad mentem Scoti, Venetiis 1629 in 4; *Splendores hierarchiae politicae et ecclesiasticae* a coelesti hierarchia exemplati ad christianum regimen, Cracoviae 1652 in 4; *institutiones sacrae,* literales, morales ac speculativae in dominicas anni, Venetiis 1628 in f. — Hibernus pariterque O. S. Franc. est Florentius Conrius Coniacensis, Baji discipulus, auctor Jansenianis non ingratus. A Clemente VIII. in Hiberniam ablegatus fuit, ut exercitui a Philippo II. in subsidium catholicorum misso suo adesset consilio, mox archiepiscopus tuamensis dictus, per Anglos proscriptus modo in Belgio, modo in Hispania a patria exsulabat. In hoc diuturno exsilio totum se dedit s. Augustini operibus evolvendis. Universam librorum molem septies perlegisse fertur et vicies quidquid ad gratiae controversias cum Pelagio aliisque haereticis spectabat († 1629, sec. alios 1631). Scripsit quamplurima [1]) ut *de gratia Christi,* Parisiis 1646; *de statu parvulorum sine baptismo decedentium* ex hac vita juxta sensum beati Augustini, Lovanii 1624; 1635; Rothomagi 1643, in quo fusissime ex ss. literis et Augustino sensibiles infantium poenas demonstravit. Dignum hunc l. censuerunt Janseniani, quem appendicis instar adderent Jansenii operi *Augustinus. Peregrinus Jerichontinus* [2]), h. e. de natura humana feliciter instituta, infeliciter lapsa, miserabiliter vulnerata, misericorditer restaurata, Parisiis 1641, cura Arnaldi, cujus forte etiam est versio gallica 1645: quo in op. respicit parabolam illius, qui descenderat ab Jerusalem in Jericho et inciderat in latrones, qui dispoliaverunt eum plagasque ei imposuerunt (Luc. 10); *Compendium* doctrinae s. Augustini circa gratiam, ib. 1634; *de flagellis justorum* juxta mentem Augustini, ib. 1644; *de Augustini sensu circa b. Mariae V. conceptionem,* Antwerpiae 1619 in 4. Vere meruit de doctrina catholica in Hibernia suo *catechismo* lingua patria conscripto.

277. In *Germania* floruerunt Joannes Pelecyus S. J. Ulmensis, philosophiam 9 annos, theologiam 19 professus († 31. Dec. 1623 a. aetatis 78), cujus plurimae (15) prostant theses seu *disputationes theologicae* [3]) in academia habitae dilingana (ab a. 1584—1591), et: *Malum summi mali* sive *de infinita gravitate peccati mortalis* ll. 5, Monachii 1615. — Theodorus Smising O. Min.

Antverpiae 1622 in 8; *Defensionem fidei catholicae* et apostolicae romanae oppositam admonitioni necessariae Jo. Mulleri lutherani praedicantis hamburgensis Antverpiae 1631 in 8. etc. Cf. Echard II, 479; Streber KL. VI, 1236.

[1]) Cf. Bibl. franc. cit. II, 466.

[1]) Cf. bibl. franc. I, 351; Bellesheim Gesch. der kath. Kirche in Irl. II, 326; Jeiler KL. III, 949.

[2]) Distingui hic l. debet a libro ejusdem spiritus Joan. B. Sinichii († 1615) *Peregrinus hierosolymitanus.*

[3]) Cf. Backer II, 1840 s.

Westphalus, qui morum suavitate, pietate ac eruditione Lovanii eluxit. De eo ita scribit Nicolaus Vernulejus[1]): »Illud vero egregium sane theologorum decus praematuro nimis fato ex sacra hujus scholae cathedra nuper abreptum fr. Theod. Smising, cum 48. aetatis a. nondum explevisset (22. Oct. 1626), hodie adhuc theologi lugent, boni omnes moerent. Ut hoc tantum dicam, hic erat si quisquam vir bonus et sapiens... Hic vir a theologia magnus et vix ulli cedens, vivere si diutius potuisset, nulli... Erat matura in illo virtus et suis sanctimoniae radiis clarescebat. Dignus terra, qui tam doctus: dignus coelo, qui tam sanctus. Ideo aut in schola semper, aut museo, aut in templo Smising erat. Unum illi opus studere et orare. Posteritas, quae scripta ejus admirabitur, longiorem illi fuisse vitam frustra optabit.« Ejus scripta sunt: Disputationum theologicarum *de Deo uno,* in quo de natura Dei divinisque perfectionibus, de visione Dei, de divina providentia ac praesertim de praedestinatione SS. (quam ante praevisionem meritorum factam censet) et reprobatione impiorum disseritur ac subtilis doctoris Scoti sententiae data occasione (sagaciter) explicantur et defenduntur, Antwerpiae 1624 in f.; *de Deo trino,* ib. 1626 in f. — Matthaeus Weiss O. S. Ben. in monasterio andeciano Elchinganus n. 1599 scholae philosophico-theologicae salisburgensis fundator, de quo scriptor historiae hujus universitatis: »Quantus hic vir? inquit. Si mores spectemus nitidissimus; si sermonem eloquentissimus; si ingenium doctissimus.« Fuit in hac universitate theologiae moralis (ab a. 1619-38) professor, et (1626—38) rector magnificus († 1638). De eo dici solebat: »Amat omnes, ab omnibus amatus" Praeter philosophica reliquit[2]) *de Verbo incarnato,* Salisburgi 1626; *panis divinus* seu de arcano s. eucharistiae sacramento, ib. 1635. — Petrus Gottrau S. J. Helvetus, Friburgensis, qui plures propugnandas[1]) constituit *theses* († 1640).

278. Celebrior est Adamus Tanner[2]) S. J. Oenipontanus n. 1571, discipulus dignissimus magni Gregorii de Valentia et Gretseri hisque non impar, qui perpetuo theologiam aut discendo aut docendo aut scribendo tractavit. Ingolstadii primum tradidit sacrae linguae praecepta, deinde Monachii fidei controversias et theologiam de moribus, quo tempore pro Gretsero Ratisbonae interfuit publicae disputationi inter serenissimos duces bavarum et neoburgicum (1601). Huic celeberrimo colloquio interfuerunt ex parte catholicorum praeter Tanner et Gretser Alb. Hunger, Antonius Welser et Hannemann; ex parte protestantium Jac. et Phil. Heilbrunner, Aeg. Hunnius, Dav. Rung, Osiander, Bidenbach, Fladung. Scripsit etiam de eo relationem hoc titulo[3]): Relatio compendiaria *de initio, processu et fine colloquii ratisbonensis* etc. opposita vanis rumoribus, qui de hac ipsa re opera et studio haereticorum passim in vulgus sparsi sunt, Monachii 1602 in 4; etiam germanice ib. Ex eo praelio redux in praemium rei bene gestae doctorali theologiae laurea decoratus Ingolstadii annos 15 theologiam scholasticam eximia cum laude tractavit. Illum fama doctrinae celebrem Matthias

1) In Acad. lovan. p. 174.

2) Cf. Sattler Studien u. Mitth. aus den Bened. und Cist.-Orden II (1885), 2, 285—90; Mittermüller V (1884) I, 122—25.

1) Cf. Sommervogel III, 1626.

2) Distingui hic debet a Matthia Tanner († 1692) et Joanne Tanner († 1694), qui ambo fuerunt S. J. et Bohemi, de quibus agemus t. seq.; a Matthia Tanner Carth. († 1648), cujus *Hagiologium* edidit Pez in bibl. asc. VIII, 400—55.

3) Plurima quae hujus colloquii occasione prodierunt scripta cf. ap. Backer III, 1051, et Roskovány II, 517—34. Fuse de eo disserit Hirschmann Zeitschr. f. kath. Theol. XXII (1898), 1—31; 212—46; 643—89.

imperator Viennam accersivit, ut pro Martino Becano theologiam explicaret; Ferdinandus vero II. pragensis academiae constituit cancellarium. Suecos fugiens mortuus est in itinere patriam versus in pago, quem vocant Unken, 25. Maji 1632 a. aetatis 60. Vir fuit ingenio acri, serio, sedulo, paucorum verborum, magnarum cogitationum; latine, graece, hebraice egregie doctus; historiae ecclesiasticae peritus; ss. patrum et antiquitatis diligens et indefessus pervestigator. Magna erat illi apud omnes auctoritas tam a moribus quam ab eruditione. Michael a s. Joseph (bibliogr. crit. I, 99) de eo scribit: »Inter aetatis suae theologos controversistas, quos una Germania optimos babuit, primus ei locus jure designandus est, nisi quis contendat primatum potius Becano deberi propter insignem viri perspicuitatem.« Quare in elogio ei ab academia ingolstadiensi decreto, »scriptis quam plurimis libris fidei propugnator solidissimus et prudentissimus« affirmatur. Potiora ejusdem opera sunt: *Universa theologia scholastica, speculativa, practica ad methodum s. Thomae*, Ingolstadii 1626, 1627 v. 4 in f., opus plane egregium[1]); *Disputationum theologicarum in omnes partes Summae theologicae s. Thomae Aq. ll. 4*, quorum singuli singulis partibus ejusdem summae respondent, ib. 1618 v. 2 in 8., cum *supplemento* 4 complectenti disputationes scil. de ipsa s. theologiae scientia, de Deo et attributis divinis, de angelis, de ss. missae sacrificio, ib. 1620 in 8. Reliqua fere omnia sunt polemica. *De verbo Dei scripto et non scripto et de judice controversiarum*, Monachii 1599 in 4; *defensionis Ecclesiae libertatis ll. 2* contra venetae causae patronos Joan. Marsilium neapolitanum et Paulum venetum Servitam etc., in quibus praecipua et ecclesiasticae libertatis fundamenta exponuntur et adversae causae firmamenta refelluntur, Ingolstadii 1604 in 4; *Lutherus* seu *Anatomiae confessionis augustanae p. 1.*, in qua decem rationibus ab ipso ejusque confessionis praecipuo auctore Luthero desumptis praecipue demonstratur, eam nulla fide, sed justa potius exsecratione dignam esse, ib. 1613 in 4; *Ecclesiasticus* seu *Anatomiae confessionis p. 2.*, in qua decem rationibus ab ipsis Ecclesiae verae notis ac proprietatibus perspicue demonstratur, ecclesiam confessionis augustanae veram Ecclesiam non esse, cum solida argumentorum contrariorum, eorum in primis, quae in acatholico volumine Jac. Heilbronneri continentur, solutione, ib. in 4. Se opposuit etiam dirae agendi rationi contra sagas censuitque licitum subinde esse certis sub conditionibus pro pecunia mutuo data accipere usuram.

279. Jam paulo plures scholae theologos in *Gallia* reperimus. Philippus Moncaeus S. J. Parisiensis, sacram theologiam Mussiponti, Flexiae ac Lutetiae singulari omnium admiratione professus est. Fuit illi profunda vis ingenii, acris judicii vigor et consummata in rebus theologicis peritia († 22. Oct. 1619), cujus argumentum praebet opus posthumum: *Disputationes theologicae* in aliquot selectas d. Thomae qq., Parisiis 1622 in 4. — Joannes Puteanus[1]) O. S. Aug. Tolosae

[1]) Scheeben Handb. der kath. Dogm. l. 1. n. 1095: Deutschland zählte außer den eingewanderten nur einen wahrhaft großen Theologen A. Tanner, den würdigen u. ebenbürtigen Schüler Greg. von Valentia; seine theologia scholastica in 4 Bd. F. ist ein Werk ersten Ranges und ergänzt in manchen Punkten das seines Lehrers. Ex hoc op. Rocaberti in suam bibl. max. pont. t. 1 recepit q. 4 disp. 1. t. 3.

[1]) Alius a celebri Erycio Puteano Venlonae Geldriae superioris oppido a. 1574 nato, quem ob eruditionis famam rex catholicus historiographi titulo auxit et urbs romana in civium patriciorumque numerum cum tota posteritate solemni senatusconsulto a. 1603 adscripsit. Justo Lipsio, quem juvenis summi fecerat, da-

theologiae celeber professor, vir mirae abstinentiae et insignis pietatis († 16. Jan. 1623), quem Aub. Miraeus ,inexhaustum scientiarum puteum' ad ejus nomen respiciens appellat, *commentarium* scripsit in 4 Summae d. Thomae partes, Tolosae 1627 v. 2 in f. (fr. 24). — Philippus Gamacheus (1568—1625) doctor et professor sorbonicus a. 25, acer Richerii patronus, cujus tamen non omnes probavit assertiones, in eundem Thomam edidit commentarium, cui titulus: *Summa theologica,* Parisiis 1634 3 pp. in 2 v. in f. (m. 75). In quaestionibus moralibus gravis est ejus auctoritas[1]). — Joannes Marius Scribonius O. Min. strict. obs., postquam 15 a. theologiam praelegit, edidit *Panthalithiam* seu *summam totius veritatis theologicae,* Parisiis 1620, in qua abolitam et sepultam Catharini sententiam de sufficientia intentionis, quam dicunt, *externae* ad valide administranda sacramenta excitare et tueri conatus est[2]). — Ludovicus a Dola O. Cap. theologus doctus et magni nominis concionator typis dedit disputationem quadripartitam *de modo conjunctionis concursuum Dei et creaturae ad actus liberos ordinis naturalis,* praesertim ad pravos adversus praedeterminantium et assertorum scientiae mediae modernorum opiniones, Lugduni 1634 in 4, in quo Durandi de concursu theoriam tuetur[3]). — Andreas Duvallius (du Val) Pontesii natus a. 1564, doctor sorbonicus (1594) et primus professor cathedrae theologiae positivae[1]), quam instituerat a. 1596 Henricus IV., Richerium egregie[2]) confutavit edito l. quem praenotavit: *Elenchus libelli de ecclesiastica et politica potestate* pro suprema rom. pontificum in Ecclesiam auctoritate, Parisiis 1612. Prima tamen editio inquisitioni romanae non omnino arrisit. Quare Bellarminus nomine congregationis prolixam ei scripsit epistolam, in qua monita circa mutationes faciendas proponit: quibus ille obsequens editionem emendatam 1613 curavit. Decessit senior et decanus Sorbonae 9. Sept. 1638. Scripsit praeterea *commentarium in Summam s. Thomae,* ib. 1636 v. 2 in f., opus rarum; *de suprema romani pontificis in Ecclesiam potestate,* de natura et subjecto potestatis ecclesiasticae, de pontificis in definiendo infallibilitate, de pontificis et concilii consideratione, ib. 1614 in 4., etiam in Roccaberti bibl. max. pont. III, 405—589 adversus S. Vigor (de quo infra); tr. *de ss. pontificis auctoritate* adversus objectiones apologetae S. Vigorii, Eburovici 1622 sub nomine Jean Lejean.

280. Multos aluit *Italia* scholae theologos. Praemittimus Raymundum Breganium de Ripa Transona (Cupra Montana) O. Pr., cujus est *Theologiae gentium* de cognitione ennarrationes quinque, quibus tota gentium de Deo cognitio explicatur, Venetiis 1631 in 4. — Cosmam Alamanni S. J. mediolanensem, qui annos natus 16 cum quatuor fratribus societatem Jesu est

tus est successor 1606, et exinde Lovanii annos 36 docuit et scripsit. Quamplurima edidit opera: oratoria, epistolica, philologica et philosophica, historica, politica et mathematica, stilo admodum eleganti et facili, quae cf. apud Foppens bibl. belg. I, 266 ss.; A Roersch Biogr. nat. de Belg. XVIII, 330—44. Decessit 17. Sept. 1646.

1) Feller IV, 95: Sans l'appeler un grand homme (comme fait *le Lexicographe critique* aussi outré dans ses éloges que dans ses satires), on peut dire que Gamaches était un bon scholastique. Cf. Mich. a s. Joseph. III, 476.

2) Cf. De Lugo de sacramentis disp. 8. s. 2. 3, ubi illius argumenta refellit.

3) Mich. a s. Joseph III, 237 s.; cf Jo. a s. Ant. in bibl. fr. II, 295.

1) Feller III, 374: „Il méritait cette place par ses lumières et son zèle pour l'orthodoxie. Il fut un des grands adversaires de Richer et du richérisme. Le judicieux docteur connut toutes les consequences du démocratique système de ce novateur syndic, et combien directement il tendait à une destruction totale de l'Eglise."

2) Zaccaria in annot. ad Petavii de Hierar. eccles. l. 3. c. 14.

ingressus (1575). Philosophiam et theologiam docuit virque erat omni virtutum genere conspicuus et eximie doctus, doctrinae s. Thomae mire addictus († 24. Maj. 1634), cujus studii et observantiae voluit exstare specimen luculentum: *Summa philosophiae d. Thomae Aq.* doctoris angelici ex variis ejus libris in ordinem cursus philosophici accommodata, Ticini 1618—23 t. 5 in 4; 1622—24 (m. 250); Parisiis 1639. 1640, ed. aucta philosophia morali et magna parte metaphysicae (m. 100), quam curarunt canonici regulares O. S. A. congr. gallic. (Jo. Fronteau et Lefebure). Inter alia addiderunt tr. *de formis*, quem s. Thomae esse putarunt, sed qui est probabiliter Hervei (cf. II, 477), et tr. *de principio individuationis*, qui pariter non est s. Thomae, quamvis Th. Boninsegnius eum adjecerit[1]) ed. rarissimae Summae, Venetiis 1588. Editionem optimam curarunt Parisiis 1885—1894 t. 6 in 4. Felchlin et Beringer: quod opus, in quo unus s. Thomas loquitur, propter suam utilitatem impense laudatur a Leone XIII., ex quo philosophiae cultores veluti ex sincero fonte magni doctoris sapientiam feliciter haurire possint[2]). — Philippus Faber (Fabri) O. Min. Conv. Faventinus, qui juvenis 22 a. literas vix noverat, indefesso tamen studio factus est theologus vere doctus[3]) et s. theologiae in academia patavina (1603) publicus professor († 1630). In illustrando Scoto versatus est, suique studii exstiterunt fructus: *Philosophia naturalis* Jo. Duns Scoti ex 4 ll. sent. et quodlibetis collecta et contra adversarios defensionibus illustrata; additur tr. in formalitates Scoti, Venetiis 1602; 1606 in 4. ed. 2; 1616; 1622 ed. 5. Commentaria *in XII ll. Metaphysicorum* Aristotelis ad mentem Scoti, opus posthumum vulgatum a Ferchio Venetiis 1637 in f. Commentaria *in IV. ll. sententiarum Scoti*, Venetiis 1613; aucta 1618, et alibi, unum ex melioribus operibus hujus generis. Accesserunt tria supplementa: *de praedestinatione*, Venetiis 1623 in f.; *de restitutione et extrema unctione*, ib. 1624; *de sacramento ordinis*, poenis et censuris ecclesiasticis, ib, 1628 in f. Intuitu horum operum scribit Freherus de auctore nostro: „Ph. Faber scoticam doctrinam alternis impugnantium fluctibus prope obrutam ad pristinum robur ingenii sui validitate restituit, quo postea merito ejus sectae lucerna et propugnaculum summo eruditorum consensu vocatus est. Et quidem hujus viri phrasis scholasticorum more haud insulsa et inepta, sed in sui simplicitate planis distincta sententiis atque optima ordinis ratione suffulta disputando permovet, decernendo persuadet: exaequat copiam opinionum firmitas, subtilitatem facilitas temperat.“ Disseruit et *de primatu Petri* et pontificis rom. primatu ac aliis ecclesiasticis dogmatibus adversus 4 priores ll. M. Ant. de Dominis de republica christiana. Opus postumum vulgatum a Ferchio. — Doctrinam Scoti *de scientia Dei* collectam exhibuit Bonaventura Passerus O. Conv. Nolanus, provinciae coloniensis minister provincialis, Bononiae metaphysicae professor pub-

---

1) Cf. Quetif I, 344; Morgott lit. Handw. 1891 col. 733 s.

2) Alterius generis philosophus fuit Caesar Cremonini, celeberrimus olim, quondam Ferrariae, dein a. 40 Patavii philosophiae professor. Aristoteles ipsi in deliciis erat: sed propositiones non sanas tuebatur: stilo utitur barbaro et obscuro († 1631). Opera ejusdem recenset Papadopoli hist. gymn. patav. I, 359. Cf. Tiraboschi VII, I, 381; Grube KL. III. 1184. — Alii philosophi hujus periodi sunt Caspar Hell S. J. Ingolstadianus († 20. Oct. 1634). — Redemptus Baranzano O. Barn. Vercellensis († 1622) de quo cf. Feller I, 391, etc.

3) Cf. Joan. a s. Antonio II, 484, ubi alia ejusdem opera recensentur; Franchini Bibliosofia p. 204; Montanari gli Uomini illustri di Faenza, II, 68—72. Scripsit quoque contra Marcum Antonium de Dominis.

licus, Neapoli collegii theologorum decanus et vicecancellarius, Romae collegii s. Thomae regens, in *pinacotheca selecta* praecipuarum conclusionum ac quaestionum diversas materias continentium, Romae 1621 in 4. — Tertius ejusdem ordinis est Eleutherius Albergonius Mediolanensis post obita in suo ordine praecipua ministeria episcopus Montis Marani (1611, †1636), qui praeter alia etiam ad s. Scripturam spectantia edidit; *Resolutionem doctrinae Scoticae*, in qua quidquid doctor subtilis circa singulas, quas excogitat, quaestiones sentiat, etsi alii oppositum opinentur, breviter ostenditur, Ticini 1593 in 4; editio multo correctior Lugduni 1643. — Laurentius Fassano Viola O. S. Fr. edidit *Arcana fere omnia tum theologiae tum philosophiae*, qq. disputatas . . . J. Scoti, Neapoli 1618 in 4.

281. In illustrando *Thoma* operam suam utiliter collocarunt: ex ordine Praedicatorum Hieronymus Medices, Camers n. 1569, qui theologiam in variis provinciae longobardicae studiis ac demum in gymnasio bononiensi professus est († 1622). Vir fuit studiosus et laboriosus, sanctique Thomae doctrinae mirum affectus; quam ut incipientibus et ad veram ejus intelligentiam aspirantibus faciliorem et clariorem redderet opus (rarum) confecit hoc titulo: *Summae theologiae s. Thomae Aq. . . . formalis explicatio*, qua omnia argumenta, quae in singulis articulis tractantur, non modica claritate formantur et explicantur, argumentorumque responsiones explicatae ad ipsorum partes apte accommodantur, pars 1. et 1. 2., Venetiis 1614 in 4; 2. 2. ib. 1617 in 4; p. 3., Salodii 1622 in 4; supplementum Venetiis 1621, editio mendosa minusque accurata; editio longe emendatior, elegantior et accuratior prodiit agente Jac. Quetif O. Pr. Parisiis 1257 v. 5 in f.; Vici 1858-62 t. 11 in 8. (fr. 90): quae ed. non caret mendis: ut vero opus lectoribus reddatur utilius, subjectae sunt subinde quaestionibus appendices (ex Capponi a Porrecta cf. supra p. 369) quae indicent utilitatem ex materia disputata derivandam pro Ecclesia Dei. Disp. de gratia additae sunt diss. 14 de controversiis *de gratia* Dei cum haereticis et inter catholicos (V, 378—576); et ad 3. p. q. 27 adjecta est diss. *de b. Mariae V. sanctificatione*, qua editor conatur s. Thomam interpretari in sensum affirmantem immaculatam V. conceptionem[1]). — E societate Jesu huc pertinent: Josephus Ragusa Siculus (1561—1624) vir ingenii laude parique opinione integritatis conspicuus. Docuit philosophiam Parisiis, theologiam vero Patavii, Messanae, Panormi annos 14. Reliquit *commentaria ac disquisitiones in 3. d. Thomae p.*, scil. de sacris Verbi incarnati mysteriis, de unitate, officio Christi etc., Lugduni 1619, 1620 v. 2 in f., opus rarum. — Hieronymus Fasolus Neapolitanus, philosophiae octennio, theologiae scholasticae novennio et moralis quadriennio professor († 16. Febr. 1639 a. aetatis 72). Tribus voluminibus in f. (Lugduni 1623, 1629, 1636) commentatus est *in 1. p. summae s. Thomae*, opus rarum. — Ex clero seculari Ambrosius Machin reliquit *commentaria et disputationes* in 1. p. s. Thomae, Calari 1634 in f.; *defensionem sanctitatis Luciferi Calaritani* et ejusdem primatialis ecclesiae, ib. 1639 in f.

282. *Commentaria in 1. et 2. l. sententiarum*[2]) *s. Bonaventurae* edidit Ve-

---

[1]) Cf. Morgott KL. VIII, 1161 s.; Echard II, 425.

[2]) In 4 ll. sententiarum commentaria scripsit quoque Didacus Marino O. Carm. et episcopus montipelusinus († 1637), sed utrum et ubi vel quando illa prodierint ignoramus. Alius certe est a Laelio Marini O. Coel. abbate generali, cujus exstat *Vita e miracoli di s. Pietro del Morone* già Coelestino P. V., Mediolani 1630, opus rarum.

netiis 1622, 1624 v. 2 in f. Petrus Capullius (Capullejus) O. Conv. Cortonensis, Bononiae et Romae theologiae professor, demum episcopus conversanus († 1625). — *Summam theologiae* ad instar Summae d. Thomae ex ejusdem Bonaventurae operibus compegit variisque illustravit annotationibus Franciscus a Coriolano cognomento Longus O. Cap., vir doctrina et eleganti sapientia praeornatus, acer doctrinae s. Bonaventurae sectator[1]), qui per plures annos s. theologiam secundum mentem hujus seraphici doctoris explicuit, et exactioris observantiae zelo apostolicaeque vitae exemplis seraphicam religionem illustravit († 1625 a. aetatis 63). Verum ex 7 t. in f., quos moliebatur, primus tantum Romae 1622 prodiit. Praeterea exaravit: *Breviarium chronologicum pontificum et conciliorum omnium,* quae a s. Petro usque ad haec nostra tempora celebrata sunt, in quo annuatim pontificum vitae, eorum constitutiones et bullae conciliorumque omnium tam generalium quam provincialium acta, haereticorum quoque perversa dogmata, damnationes, confutationes, schismata, persecutiones eorumque exstinctiones et denique quaecunque insignia in ipsa Dei Ecclesia acciderunt, breviter et clare enarrantur, Lugduni 1633 in f. *Summa conciliorum omnium,* quae a s. Petro usque ad Gregorium XV. celebrata sunt juxta chronologiam card. Baronii praecipue et aliorum virorum illustrium, ecclesiastica monumenta historicaque, adjunctis in loca praecipua et difficilia quamplurimis annotationibus, cui etiam accessit appendix omnium conciliorum Galliae, eorum scil., quae in hac Summa desiderabantur, Antwerpiae 1623 v. 2 in f., Parisiis 1639[2]). Praemittuntur praeludia sive *prolegomena de conciliis in genere,* nimirum 1. concilia esse de jure divino; 2. congregare concilium non modo esse utile, sed aliquo modo necessarium; 3. convocare concilium ad papam solum spectare; 4. ad concilium convocandos esse episcopos; 5. concilium non esse supra papam; 6. concilium generale absque confirmatione summi pontificis non habere infallibilem veritatem; 7. accedente papae confirmatione concilium esse infallibilis veritatis ejusdemque determinationes de fide; 8. concilium generale congregatum, si facit quod est in se et a papa confirmatur, non posse errare in decretis fidei et morum; 9. ecclesiam romanam esse veram Dei Ecclesiam; 10. papam esse successorem Petri, Christi vicarium et Ecclesiae caput. Hujus operis velut compendium partiale videtur esse illud, quod inscribitur: *De conciliis generalibus approbatis et reprobatis* breve compendium, Romae 1624 in 8. *Expositio in bullam Clementis VIII. de largitione munerum* omnibus regularibus utriusque sexus interdicta, Lugduni 1623; *Explicatio in bullam Coenae Domini* et absolutionem a casibus dictae bullae, 1623 in 4. — *Paradoxa Henrici Gandavensis* explicata et defensa publici juris fecit Bononiae 1627 in 8. Henricus Antonius Burgus a Castro novo O. Serv. B. M. V. cathedraticus insignis pluribus in locis, praesertim in universitate ticinensi et pisana, in qua tanta cum laude theologiam pro-

[1]) Cf. Joan. a s. Antonio I, 377.

[2]) Secundum Fabricium in historia bibl. fabr. II, 331 videtur editio secunda prodiisse nonnisi 1645 (si haec non est tertia). Advertit dein ib. „Praeter Carranzam (cf. p. 122), qui tamen auctori nostro quaedam concilia et alia necessaria videtur omisisse, multa involute tradidisse, nonnulla nimis concise; etiam Franciscus Sylvius *Summam conciliorum* reliquit, Duaci 1679; et P. Poissenus presbyter Oratorii cum notis a. 1706 v. 2 in f., aliamque Ludov. Bailius, quam vocat *Summam conciliorum omnium* ordinatam, auctam, illustratam ex Merlinii, Joverii, Binii, Coriolani, Sirmondi aliorumque collectionibus ac mss. aliquot cum annotationibus et controversiis partim dogmaticis partim historicis, Patavii 1701 t. 2 in f.“

fitebatur, ut cum esset in priorem sui ordinis generalem 1625 electus, noluerit Christiana de Lotharingia, tunc ditioni Mediceae regendae praefecta, in ejus abdicationem cathedrae consentire, adjiciens illud, academiae illi longe melius consultum se credere, si vel unam tantummodo quotannis lectionem theologicam ibidem haberet, dummodo tanto viro fraudata dici non possit. In supremo sui ordinis magistratu illius decori et incremento summa vigilantia consuluit, literarum studia, morum reformationem, disciplinae regularis splendorem et alia quaecunque ad id assequendum opportuna viriliter promovit[1]). Mortalitatem exuit 21. Febr. 1630. Post ejus mortem prodierunt Axiomatum aliquot theologicorum ex IV ll. sententiarum totidemque paradoxorum H. Gandavensis *dilucidatio exposita,* Bononiae 1652.

283. *Disputationes de ss. Trinitatis mysterio*[2]) publica luce donavit Romae 1631 in f. Antonius Ajossa cler. reg. Neapolitanus. Ejus praeterea sunt *Quaestiones* in universalem philosophiam naturalem ad mentem s. Thomae A., Neapoli 1636—42 t. 2 in f., opus rarissimum (m. 110). — De eodem argumento *Paraphrases, commentaria et disputationes juxta mentem d. Bonaventurae,* Romae 1633 in f., vulgavit Theodorus Foresti O. Cap. Bergomensis († 1637 a. aetatis 72), insignis doctoris seraphici interpres, qui teste ejus epitaphio „quadraginta pene annis seraphicae theologiae operam dedit, supraque 306 praedicatores religioni et Ecclesiae peperit... Urbano VIII. familiaris, a quo et visitator apostolicus et reformator electus plura alia officia consecutus est.“ Nititur in illis praeter diligentem textus et verborum expositionem divinarum literarum locis ac ss. patrum assertis perpetuo fere cum d. Thomae assensu seraphicam doctrinam illustrare et sustinere; sed editio innumeris scatet erroribus typographicis[1]). — Philibertus Marchini Barnabita congr. s. Pauli scripsit: *Gymnasticae de Deo trino disputationes* ad mentem s. Thomae, Florentiae 1635 in f. et *de sacramento ordinis et sacrificio missae,* Lugduni 1638 in f.; *Belli divini* seu pestilentis temporis *accurata speculatio* theologica, canonica, civilis, politica, historica, philosophica, Florentiae 1633 pp. 2 in 1 v. in f., in qua expendit obligationes episcoporum et parochorum, administrationemque sacramentorum tempore pestis etc. — Ad mentem Scoti exaravit Mauritius Centini O. Min. conv. Asculanus († 1640), episcopus massalubrensis (1626), dein miletinus in Calabria (1631—1640), *disputationes theologicas de incarnatione et de sacramentis,* Messanae 1637 t. 2 in f. — SS. Trinitatis mysterium et alia tractavit Augustinus Oregius. Natus is est in oppido s. Sophiae in Aemilia a. 1577. Humanae divinaeque philosophiae studiis Romae in collegio romano peractis ad caesareum et pontificium jus ediscendum toto pectore in academia romana incubuit, eademque die simul philosophiae, theologiae et juris utriusque omnium applausu lauream adeptus est doctoralem. Faventiae primum Bellarmini favore, cui propter insigne virtutis specimen admodum erat acceptus, canonicatum consecutus s. theologiae mysteria ibidem magno juventutis accursu publice interpretatus est. A pluribus cardinalibus expetitus Maffaeo Barberino id temporis Bononiae legato se

[1]) Cf. Merkel, Speculum virtutis et scientiae, seu viri illustres O. Serv. b. M. V. p. 145; Adelung I, 2076.

[2]) De hoc eodem mysterio, sicut et de incarnatione et de angelis tractatus edidit Joannes Guissanus O. Carmel. († 1631) teste Alex. a s. Joanne de Cruce in continuat. hist. eccles. Fleurii l. 198 § 37. n. 10.

[1]) Cf. Proleg. ad novam ed. operum s. Bonaventurae. Ad Claras Aquas (Quaracchi) 1882 t. I. pag. LXXI.

theologum consecrare non modo non recusavit, sed honoris et beneficii loco duxit, quod illius aula sapientiae virtutumque esset schola. Et sane tantum profecit ex familiaritate cum doctissimo illo cardinali, ut ignarus antea graecarum literarum ex horis illis atticis Aristotelis de anima ll. obscurissimos non solum intelligere, sed et interpretari atque in latinam linguam non sine laude transferre doctissimisque commentariis illustrare coeperit edito l. *Aristotelis vera de rationalis animae immortalitate sententia,* Romae 1631 in 4; 1632 in 16., in quo nititur evincere, Aristotelem hanc admisisse veritatem. Postquam vero Maffaeus in demortui Gregorii XV. locum suffectus fuit (1623) Oregium familiarem suum ingenio, pietate et doctrina pollentem ad altiora semper promovit munera, tandemque illum cardinalatus atque archiepiscopatus beneventani dignitate ornavit (28. Dec. 1633). Accepto proximis in aedibus novae dignitatis nuncio institutam cum Caesare a Bosco S. J. theologo disputationem interrumpere noluit Oregius, sed in eodem loci vestigio habituque oris eandem per horae ferme spatium alta cum animi pace prosecutus est, adeo erat illi pretiosior sapientiae cura quam purpurae. Cardinalis itaque creatus dictandis ut antea theologiae commentariis antelucanas horas ut minimum duas: reliquum temporis sacris precationibus pietatique tum privatae tum publicae atque Ecclesiae muneribus impendebat. Omne tempus, quod non rebus sacris, aut literis impertiret, perire arbitrabatur: somni semper parcissimus ad lectulum lucernam et libros, ad mensam vero tamquam intelligentiae panem et verbum vitae s. Scripturam adhibuit. In coena autem ex s. Thoma vel ex Toleto vel ex Baronio vel ex s. conciliis legebatur. Ex his epulis Oregius refici se similemque coelitibus voluptatem haurire dicebat. Catechesim quoque domesticasque conciunculas fere quotidianas habebat ad famulos, quos amanter diligenterque ita instituebat, ut ejus aula familiae religiosae similis videretur. Verum non diu pastor bonus gregi suo praefuit, cum jam 12. Jul. 1635 a. aetatis 58. mortalium curis fuerit exutus. Ejus ingenii claritas, facundia, soliditasque doctrinae et concinna brevitas a doctis multum commendantur. Bellarminus Oregium ‚suum perpetuo theologum', Urbanus VIII. ‚suum semper Bellarminum' appellavit [1]). Ejus opera sunt: *de Deo et ss. Trinitate, de angelis et opere sex dierum,* Romae 1632; *de incarnatione,* ib. 1633 in 4; iterum in f. 1637; 1642 cura Nicolai Oregii ejus cognati, in qua edit. reperitur etiam *metaphysica* et tr. *de peccatis. Summa theologica* in IV divisa tr., in quorum 2. disputat de hierarchia ecclesiastica, ubi de summo pontifice solide dilucideque etsi compendiose disserit. Hanc p. exhibet Rocaberti in bibl. pont. IV, 629—651.

284. Praedestinationis mysterium ingenium exercuit Cypriani Masi O. S. Aug. Florentini, ut probat ejus *Disputatio de praedestinationis et reprobationis mysterio* juxta mentem s. P. Augustini et d. Thomae ex Aegidii Columnii sententia, Pisis 1621. — Ejus sodalis Nicolaus de Grachis Romanus vir doctus († 1633) auctor est l. *Gemma sententiarum d. Augustini de auxiliis gratiae,* Romae 1626 in 4. — Joannes Matthaeus de Rispolis (ita cognominatus a loco nativitatis Rispoli insulae melitinensis oppido) O. Praed. ecclesiasticus sua aetate celeber († 1628) edidit: *Status controversiae praedefinitionum et praedeterminationum cum li-*

[1]) Plura cf. apud Eggs in Purpura docta l. 6 § 28. Hic est ille Oregius, e cujus ms. Petavium suam eruditionem hausisse nonnulli fabulantur: de quo figmento cf. Zaccaria in observ. praevia suae edit. dogm. theol. Petavii t. 1. Tiraboschi, Storia della Letteratura italiana v. 14 l. 2. c. 1 Oregium dicit „uno de'migliori et de'piu accreditati theologi di questo seculo."

bero arbitrio, Parisiis 1609 in 8. — Harum controversiarum occasione nominandus est etiam Franciscus Collius e congregatione Oblatorum natus prope Lucianum, unus e collegii ambrosiani doctoribus († 1640), qui quandam nominis celebritatem est nactus singulari et raro opere, quod inscripsit *de animabus paganorum,* Mediolani 1622. 1623 v. 2 in 4., recusum 1740, in quo quid de earum salute conjici possit inquirit; septem antiquitatis sapientes salvos opinatur, Pythagoram vero, Aristotelem aliosque philosophos damnat[1]). Ejus quoque sunt *Conclusiones theologicae,* 1619 in 4; et tractatus plane eruditus ac rarus *de sanguine Christi*[2]), Mediolani 1612 et 1617 in 4. — Singulare quoque opus de eucharistia, fructum meditationis 30 annorum multarumque disputationum, in lucem publicam emisit Josephus Balli (vel Ballo) Panormitanus, canonicus barensis, qui sibi in Hispania doctoratus promeruerat lauream

[1]) Prolixam synopsim exhibet Dupin XVII, 109 ss., quam ita concludit: „Voilà les sujets que cet Auteur a choisis pour exercer sa plume et pour faire montre de son érudition; car à proprement parler son Ouvrage n'est qu'un jeu d'esprit, et un Recüeil fait avec art des pensées, des conjectures et des jugemens des hommes sur des choses qui ne sont connües qu'à Dieu à qui seul appartient la connaissance et le jugement du sort éternel des mortels. Il y a neantmoins bien des choses utiles et curieuses dans le Livre de Collius. Il est bien écrit, plein de recherches et de citations. Il ne se hasarde pas beaucoup, et s'il avance quelques Paradoxes, il ne les donne que pour des conjectures, et apporte toûjours quelque temperament à ses décisions. Ce Livre est devenu rare, et bien des gens se sont servis de son autorité sans l'avoir lû." Eodem fere modo judicat et Feller III, 27.

[2]) „Pregevole ancora è l'altra opera dello stesso autore *de sanguine Christi*, nella quale, dopo aver disputato sulla natura et sulla proprietà del Sangue del Redentore, esamina i fatti maravigliosi che di esso racontansi." Tiraboschi t. 14 l. 2 c. 1 § 7 ed. 1824. Plura de eo cf. ap. Argellati, Bibl. SS. med. I. 2 pag. 442.

(† 2. Nov. 1640 a. aetatis 72). Operis titulus est: Resolutio *de modo evidenter possibili transubstantiationis* panis et vini in sacrosanctum Domini Jesu corpus et sanguinem[1]), Patavii 1640 in 4; mox adjecit *Responsionem* ad objectiones etc., ib. 1640. Ejus sententiam impugnavit Joannes B. Chiavetta († 1664) in *Trutina*, qua J. Balli sententia eo l. contenta, cujus titulus est: *Aenigma dissolutum de* modo exsistendi Christi D. sub speciebus panis et vini in aug. eucharistiae sacramento, ad aequissimum examen expenditur, Monteregali 1643 in 4., qui tamen liber prohibitus fuit decr. 12. Maj. 1655. Alia ejusdem opera sunt: *De fecunditate Dei circa productiones ad extra,* ib. 1635 in 4; Demonstratio *de motu corporum naturali*, ib. 1635; *assertiones apologeticae* cum suis dilucidationibus pro scholasticorum reverentia exaratae, ib. 1641 in 4. — Spirituum facultates fuse, subtiliter et accurate discutit[2]) Stephanus Bubalus de Cancellariis (del Bufalo de'Cancellieri) S. J. Romanus opere *Commentationum angelicarum* in universam angelici doctoris tractationem de angelis, Lugduni 1622 t. 1. in 1 p. q. 50—54 in f. Alii duo tomi, quos cogitasse dicitur sicut et alia ejusdem auctoris opera non prodierunt. Ita de eo scribit Andreas Victorelli: „Romanae nobilitatis ornamentum, magni nominis philosophus theologusque Romae juvenis philosophiam docens adolescentes, qui modo fulgent in purpura, discipulos habuit. Patavii Romaeque in romano

[1]) Balli systema paucis ita expressit Mazzuchelli, Scrittori ital. t. III: „Il systema del nostro auctore è che gli accidenti, i quali rimangono nell'Eucharistia, sieno accidenti del s. corpo di Christo modificati in guisa, che representino le specie del pane." De concertationibus hinc obortis cf. Werner, Der h. Thomas von Aquin III, 558 ss., Michael a s. Joseph III, 51 s.

[2]) Weissenbach in transaction. diabolicis p. 1 transaction 5 § 10 in annot.

collegio s. theologiae arcana praestanti auditorum concioni eximia cum laude aperuit[1]).« Sacrae poenitentiariae fuit theologus et obiit studiorum praefectus in collegio romano 28. Apr. 1633. — Hieronymus Columbus (Colombi) Perusinus, theologiae professor, disputavit *de angelica et humana hierarchia* ll. 8; et *in s. J. Christi Filii Dei temporalem nativitatem,* quonam pacto planetae ac sidera Christo Domino famulentur, theologica disquisitio. Atque omnium juxta christianum ac pium sensum allegorica explicatio et alia de ecclesiastica hierarchia et de 72 Christi discipulis opuscula, Bononiae 1619 in 4., quod utrumque tamen opus est prohibitum. — Livius Galantes O. Min. Imolensis edidit opus inscriptum: *Christiana theologia comparata cum platonica, cum tota veteri sapientia ethnicorum,* Chaldaeorum nempe, Aegyptiorum et Graecorum ll. 20, Bononiae 1627. — Andreas Perusinus ab Ursiano (Peruzzinus de Orciano in agro brixiensi oppido) reg. Obs. theologus ingenio subtilis et sermone scholasticus in gratiam immaculatae conceptionis Deiparae scripsit opus, cui titulus: *Analysis purissimae conceptionis Deiparae,* Venetiis 1634 in 4., in qua non solum supra 300 auctorum sententia, s. paginae auctoritatibus, rationibus, festivitate, revelationibus divinis miraculisque, sed et auctoritate d. Thomae et ex rationibus adversariorum hoc privilegium b. Mariae V. vindicare nititur[2]). *Ecclesiae jubar* omnes adversariorum tenebras immunitatem clericorum et potestatem Christi ac papae offendentes procul abigens, Florentiae 1617; *Apologia* pro infirmis confessorem petentibus, Patavii 1626. — *Summam Mariologiae* composuit, Panormi 1602; 1623 in f. p. 1. et unica, Placidus Nigidius Siculus quondam e Soc. Jes. († 1640), cujus etiam sunt *in canticum canticorum expositio duplex* de b. V. Maria, Romae 1616 in 4; *in threnos Jeremiae expositiones variae,* Panormi 1628 in 4.

[1]) Cf. Sotvel. in bibl. Script. S. J.
[2]) Cf. Joan. a s. Antonio I, 68.

285. Omnium tamen numerosissimum et gravissimum est agmen *Hispanum,* siquidem in Hispania prae primis floruit theologia scholastica[1]). Illud autem animadversione dignum, usque ad finem seculi praecedentis plerosque commentatos esse sententiarum libros, seculo 17. jam rarius reperiri ejusmodi commentarios primatum obtinente s. Thoma. Hinc in Hispania hoc tempore invenimus tantum Hieronymum Tamarit O. Min. reg. obs. setabiensem ex valentino regno, cujus laudantur *Flores Theologiae* in totum 1. l. magistri sententiarum et meliorem partem secundi, Valentiae 1622 in 4., quo in opere teste Nicolao Antonio[2]) „auctor sui ingenii acumine sic res abstrusas aperit difficilesque quaestiones ac theologiae nodos dissolvit, doctrinamque d. Thomae angelici doctoris et subtilissimi Scoti modeste et perdocte explicat, ut bene scribendi et interpretandi multis esse posset exemplar.« Reliqua duo volumina manserunt inedita. Huic adde Matthaeum de Sousa (Sosa) O. S. Franc. Olisiponensem, qui in salmantina domo primam theologiae cathedram tenuit et optatam diu *articulationem et illustrationem l. 1. sententiarum* doctoris subtilissimi Joan. Duns Scoti publicavit cum fidelissima integritate et puritate literae textualis ejusdem et cujuslibet articuli commentariis et disputatis difficultatibus, quae circa textum scoticum excitantur, Salmanticae 1629 v. 2 in f., opus rarum.

286. S. Thomam commentariis illustrarunt ex ordine Praedicatorum: Jo-

[1]) Julianus de Castelvi et Ladron O. Carm. in academia valentina philosophiae professor *cursum philosophicum* concinnavit per modum commentarii in Aristotelis opera, Valentiae 1624—30 t. 4 in 8.
[2]) Bibl. valent. pag. 173.

annes Gonzales[1]) de Albelda (vel Alvelda) Navarette natus in dioecesis calaguritanae oppido, qui postquam variis in provinciae suae locis et domibus humanas divinasque literas tradidit, Romam accitus (1608) collegii s. Thomae ad Minervam regens institutus est primarius, et post triennium in Hispaniam redux primam in complutensi academia theologiae cathedram promeruit (1612), quam cum laude ad finem usque vitae rexit (1622). Typis edidit *Commentariorum et disputationum in 1. p. Summae s. Thomae de Aq.* v. 2 (in qq. 1—25—43), Compluti 1621; Neapoli 1637[2]). — Balthasar Navarrette Pincianus, Compluti interpres ss. literarum in collegio s. Thomae, primariae dein rector cathedrae theologicae in academia pinciana[3]), tomis 3, quibus titulus: *Controversiae in d. Thomae ejusque scholae defensionem*, Valisoleti 1605, 1609, 1624 in f. (in qq. 1. p. 1—16; 19—25; 27—64). — Commentaria, scholis, quaestiones resolutas super disputationem *de Trinitate* 1. p. s. Thomae publicavit Tarraconae 1602 in 4. Blasius Verdu a Sans, Valentinus ex oppido Cati, vir erga s. Thomae doctrinam optime affectus in eaque versatissimus lectionisque s. Scripturae prope continuae[4]). Artium cathedram in academia valentina moderatus est exeunte sec. XVI; dein theologiae primariam in collegio regio dertusano (1602); quo cum maxima nominis sui fama fungeretur munere ad cathedram ecclesiae dertusensis theologalem vocatus est, quam obivit annis pluribus cum omnium plausu et fructu († c. a. 1626). Praeter alia scripsit relectiones duas, alteram *contra scientiam mediam* et alteram *pro efficacia divinorum auxiliorum*, Barcinone 1610 in 4. — His celebrior est Petrus de Herrera Hispalensis n. 1548, qui in academia salmanticensi primi nominis evasit theologus. Scoti cathedram ibi a. 1593 adeptus est: vacante vero circa finem a. 1604 per obitum Dom. Bannez primaria theologiae cathedra eaque de more disputationi exposita, ad eandem aspirante et concurrente celebri eruditoque Alphonso Curiel cathedrae vespertinae tum moderatore, cui plerique omnium ordinum collegiorumque viri favebant, vicit tamen[1]) atque lauream disputatione reportavit, pro qua victoria ipse Clemens VIII. ei gratulatus esse fertur. Hanc vero cum non vulgari totius academiae laude et magna per Hispaniam fama rexit[2]). A Philippo III. canariensis episcopus designatus (1621) mox (1622) ad sedem tudensem promotus fuit († 31. Dec. 1630). De eo ita scribit insignis Dominicus Gravina[3]): „F. Petrus de Herrera nunc scholasticus insignis, novus Ajoth utraque manu pro dextera utens, in interpretando s. Thoma subtilissimus et in Scripturis sacris exponendis profundissimus; cujus innumerae in scholastica et expositiva theologia lucubrationes nondum impressae manibus omnium teruntur, evolvuntur, avidissime expetuntur.“ Typis prodierunt: In tractatum *de Trinitate* d. Thomae Aq. commentarii et disputationes, Papiae 1627 in 4., opus valde rarum.

[1]) Distingui debet a Petro Gonzalez de Azevedo Palentino, theologiae moralis in academia salmanticensi professore, dein episcopo auriensi (1587), qui obiit praesul placentinus 1606 a. aetatis 77. Reliquit *Elogia ss. Mariae V.* e s. monumentis ordinata cum notis, Salmanticae 1624 in 8. Alterius Joan. Gonzales infra mentio fiet.

[2]) Cf. Echard II, 427; N. Antonius I, 705.

[3]) Cf. Antonium l. c. I, 183.

[4]) Echard II. 437, qui recenset alia ejusdem opera sive philosophica sive ascetica. Cf. Nic. Antonium I, 230.

[1]) Ab a. 1416 semper hanc cathedram victores reportaverant viri docti ex ordine Praedicatorum.

[2]) Cf. Echard II, 467.

[3]) In Voce turturis p. 2. c. 23.

287. Didacus Alvarez[1]) Methymnensis inter divi Thomae interpretes hujus periodi e praedicatorum familia celeberrimus, theologus aetate sua clarissimus, triginta et amplius annos s. doctrinam legit in studiis generalibus burgensi, trianensi, placentino, taurensi, pinciano, gregoriano et romano ad Minervam, in quo ultimo 10 annis regentem primarium egit cum ingenti omnium ordinum plausu magnoque auditorum concursu et fructu. Romae cum Thoma de Lemos in congregatione de auxiliis sub Clemente VIII. et Paulo V. doctrinam sui ordinis adversus patres societatis Jesu propugnavit[2]), qua peracta solutaque disputatione a summo pontifice ad archiepiscopatum tranensem promotus est 19. Martii 1616, eamque sedem ad mortem usque (1635) rexit praesul pietate ac vigilantia inter primos numerandus[3]). Haec autem sunt praecipua ingenii sui monimenta: *Disputationes theologicae* in 1, 2. s. Thomae, in quibus praecipua omnia, quae adversus doctrinam ejusdem et communem Thomistarum a diversis doctoribus impugnantur juxta legitimum sensum praeceptoris angelici explicantur et defenduntur, Trani 1617 in f.; Coloniae Agrippinae 1621 in 4; *de incarnatione divini Verbi* disputationes 80, in quibus explicantur et defenduntur, quae in tertia p. Summae theologicae docet s. Thomas q. 1—24, Lugduni 1614 in 4; Romae 1615; Coloniae 1622; *de auxiliis divinae gratiae et humani arbitrii viribus et libertate* ac legitima ejus cum efficacia eorundem auxiliorum concordia ll. 12, Romae 1610 in f.; Lugduni 1620; Duaci 1635: quorum *Summam* ll. 4 comprehensam edidit Lugduni 1620 in 4; *responsionum ad objectiones* adversus concordiam liberi arbitrii cum divina praescientia, providentia et praedestinatione atque cum efficacia praevenientis gratiae, prout a s. Thoma et Thomistis defenditur et explicatur ll. 4, Trani 1622 in 4; Lovanii 1622 in 8; novis objectis occurrit responsionum l. ultimus; adjecta est de origine pelagianae haeresis et ejus progressu et damnatione per plures ss. pontifices et concilia facta historia ex annalibus cardinalis Baronii et aliis probatis auctoribus collecta (quae prodierat jam Trani 1629 in 4.), Duaci 1635 in 8. *Commentaria in Isaiam prophetam* juxta sensum literalem et moralem cum annotationibus ss. patrum et aliquibus animadversionibus in gratiam praedicatorum in unum collectis, Romae 1599 in 4; 1615 etc. In re morali non minima est Didaci nostri auctoritas. — Gregorius Martinez Segobiensis (n. 1575) a profana militia ad sacram transiens inter aequales ingenii felicitate seu arguendi subtilitate emicuit, factusque est in patrio conventu magister artium et lector ac subinde professor s. theologiae; inde Pinciam missus est ibidem eodem munere functurus in insigni s. Pauli conventu († Vallisoleti 15. Martii 1637). In epitaphio dicitur „doctrinae d. Thomae Aq. fidus assecla et interpres dilucidus.“ Edidit *commentaria super 1. 2. d. Thomae* (in qq. 1—21, 21—89—114), Vallisoleti

---

1) Distingui debet a Balthasar Alvarez S. J., de quo p. 380 a.; a Balth. A. SJ. celebri s. Theresiae directore († 1580); a nominatissimo Emmanuele A. S. J. grammatico († 1582), de quo cf. Sommervogel I, 223—249; a Gabriele A. S. J., de quo infra; Didaco Alvarez S. J. Granatensi († 1618), qui edidit *Summam casuum conscientiae* occurrentium in articulo mortis circa sacramenta, Hispali 1604; et a Jacobo Alvarez de Paz S. J. Toletano insigni prorsus asceta († 1620), cujus opera ascetica, quae Lugduni 1608 et Moguntiae 1614. 1619 t. 3 in f. prodierunt, summi aestimantur, rara et cara (m. 300) sunt. T. 1. continet: *de vita spirituali* ejusque perfectione ll. 5; t. II. *de exterminatione mali et promotione boni* ll. 5; t. III. *de inquisitione pacis* sive studio orationis ll. 5. Iterum prodierunt Parisiis 1875. t. 4 in 8. Cf. Sommervogel I, 252—58; Sotvellus p. 355.

2) Cf. Mangold Reflex. in Alexandri contin. H. E. Cl. Fleurii I, 234—41.

3) Echard II, 481 s.; N. Antonius I, 211; Ughelli Italia sacra VII. 1240.

1617; Toleti (t. 2.) 1622; Vallisoleti (t. 3.) 1637 in f. — Ultimus ex ordine Praedicatorum est Joannes Biescas Aragonus († c. a. 1640), a quo prodiit *Apologia pro doctrina s. Thomae* Ecclesiae sanctae doctoris angelici, Oscae 1636 t. 1. in f., qui complectitur disputationes tantum in priores 11 qq. Contendit Biescas in hac apologia totam s. doctoris sive philosophicam sive theologicam doctrinam eidem fuisse divinitus infusam atque adeo omnem prorsus esse veram[1]).

288. Aliquot s. Thomae interpretes e societate Jesu prodierunt, inter quos celebritatis fama doctrinaeque splendore eminet Didacus Ruiz de Montoya[2]) primis scholae sideribus anumerandus. Natus is est Hispali tamque compositus fuit a prima aetate moribus, ut de eo diceretur, videri eum in Adamo non peccasse. Inter condiscipulos non solum studendi fervore atque profectu, sed et virtutis amore excellebat. Studebat fere de genibus tamquam qui internum magistrum Deum auscultaret. Tam exacte moderabatur animo et linguae, ut nec aetatis fervor, nec ardor disputationis ullum illi verbum commotius aut gestum exprimeret incompositum. Ubi primum diaconus factus est, moralem theologiam Baezae explicuit, inde post annum (1585) Granatae philosophiam auspicatus est, et deinceps Cordubae atque Hispali primam theologiae cathedram totos 20 annos obtinuit, quibus exactis ad privati studii secretum se recepit elucubraturus ea, quibus jam fruimur, quo illum in opere versantem mors occupavit d. 25. Martii 1632 a. aetatis 70. In supremo morbo heroicae plane patientiae dedit specimina ad stuporem vel ipsorum medicorum. Si arteriae pulsus deficiebat, exclamabat: »O aeternitatis dies, ecquando te conspicabor?« Humanarum laudum et sui ipsius summe contemptor fuit; nunquam illi verbum unum excidit ad sui commendationem: nemo eum extra cubiculum nisi ad res necessarias prodeuntem vidit, nemo legem silentii, cujus amantissimus erat, violantem in omni vita: nemo vel momentanei jacturam temporis facientem. Veritatis in re omni assertio et constantissima sincerissimaque defensio fuit in illo prorsus admirabilis. Nullius illum flexit auctoritas unquam; nulla spes, nullus metus infregit, non ipsa regis majestas perstrinxit, ut veritatis testimonium vel leviter coloraret. Ita cum Philippus III. per Lerma ducem petiisset ab eo, ut auctoritate sua Hispalis cives ad tributum novum ipsis impositum solvendum induceret, promittens invicem impetraturum se a romano pontifice veniam imprimendi libri *de auxiliis:* Ruiz tributum injustum declaravit, negavitque se illius patrocinium posse suscipere. Nec minus stupenda erat ejus sapientia atque scientia, et quamvis a seculi hujus negotiis vel a prima pueritia alienissimus, in rebus moralibus peritus erat adeo, ut nonnulli infusam illam divinitus opinarentur. Hinc maximi factus est ab omnibus, et ipse senatus hispalensis illum de rebus gravissimis consuluit. Elogia ipsi tributa atque merita paucis complectitur epitaphium, in quo legimus: »Absolutus sui seculi theologus[1]) per plures annos publice

[1]) Cf. Mich. a s. Joseph I, 533.

[2]) De Gregorio Ruiz p. 396 et de Francisco Ruiz supra II, 1478 egimus: de Caspare Ruiz ad a. 1651 agemus.

[1]) Praetermissis aliorum elogiis sufficiant haec verba Kleutgen, Theologie der Vorzeit vol. ult. n. 44: „Ganz besonders aber zeichnete sich durch Verbindung der positiven Theologie mit der Scholastik im Anfange des 17. Jahrhunderts der Spanier D. Ruiz von Montoya aus.“ Scheeben kath. Dogm. l. 1 n. 1044: Ruiz überholte in den von ihm vollendeten umfangreichen Traktaten an Erudition und Tiefe noch Suarez. Er schrieb nur über die Gotteslehre (in 6 Bdn. F.); sein gediegenstes und großartigstes Werk, überhaupt weitaus das beste über diesen Gegenstand, ist der Band de Trinitate.

docuit. Prudentiae, constantis animi, integerrimae morum disciplinae, mundi et honorum contemptus exemplar . . . Barbarorum, Aethiopum hispaniensium catechesis et baptismi impendendi auctor copiosa animarum fruge[1]). Post illustratas scholas silentio privatae vitae et indefessae ss. patrum lectioni addictissimus. Auxiliatricis gratiae illustrator et defensor acerrimus[2]). Editis de Trinitate, scientia, voluntate, praedestinatione, providentia, visione et nominibus Dei, in quibus nemo hactenus altiorem impressit sulcum, luculentissimis commentariis, dum alia theologica in Ecclesiae obsequium meditatur, ad diuturni morbi et patientiae stipendia veteranus miles a Deo evocatus, sacramentis Ecclesiae rite procuratus discessit in pace etc.« Valde commendandum est, quod de ejus docendi methodo legimus[3]): »Ingenio nunquam abusus doctrinam voluit esse frugiferam et ad populi, in quo versabatur, utilitates aptam. Itaque in gravissimo docendi munere id semper spectavit, ut sacerdotes doctos, sanctos et apostolicis ministeriis utiles hispanae Ecclesiae compararet. Res divinas ita tractabat, ut auditores quae intelligentia perspiciebant, voluntate etiam complecterentur.« Haec vero sunt ejus ingenii monumenta: Commentaria et disputationes in 1. p. s. Thomae *de Trinitate,* Lugduni 1625 in f., praecipuum forte ejus et de hoc argumento opus; ad qq. 23. et 24. ex 1. p. s. Thomae *de praedestinatione ac reprobatione hominum et angelorum*, ib. 1628 in f.; *de ideis, de veritate ac de vita Dei* ad 1. p. a q. 14—24, Lutetiae Parisiorum 1629 in f.; in 1. p. s. Thomae *de voluntate Dei et propriis actibus ejus,* Lugduni 1630 in f.; ad q. 22. et bonam partem q. 23. ex 1. p. s. Thomae *de providentia praedefiniente ac praebente praedestinationis exordium,* ib. 1631 in f.; *de visione et nominibus Dei,* ib. in f.

289. Ex eadem societate praeterea inclaruerunt: Valentinus de Herice Pampilonensis; qui bis philosophiam docuit, et supra 20 annos theologiam tum Vallisoleti, tum Salmanticae († 20. Junii 1626 a. aetatis 55) ediditque tr. IV in 1. p. s. Thomae, scil. *de scientia Dei, de voluntate, de Dei providentia, praedestinatione, de visione Dei*, Pampilonae 1623 in f. — Hunc eodem a. (11. Maj. 1626) praecessit Petrus Hortigosa patria Ocaniensis toletanae dioecesis, qui primus e societate Jesu Mexici theologiam professus est. Reliquit plura inedita: prodierunt *Concilii mexicani decreta,* sessiones et canones, quibus condendis ipse unus ex praecipuis theologis interfuit, Mexici 1627 in f. — Thomas de Ituren gente Navarrus, patria Iturensis docuit philosophiam et aliquamdiu theologiam moralem, tum annis 18 scholasticam († 19. Apr. 1630 a. aetatis 75) et in lucem emisit sub nomine Thomae Pii *commentarios in 1. p. s. Thomae,* Madriti 1619 in f. — Jacobus Granadus, Gaditanus, perinsignis scholasticus, vir omnium quibus convixit opinione, prudentia, doctrina, sanctitate magnus. Theologiam et philosophiam docuit annos 30 atque tam sancte vixit, ut baptismi stolam nullo unquam crimine maculaverit excellentibusque etiam virtutibus ornaverit. Omnes actiones eo referebat, ut quoad homini fas erat, Deo digne sacrificaret. In templi conspectu aperto semper capite pro-

[1]) Respicitur hic ejus *Catechismus* instituendis rudibus, praesertim Aethiopibus ad baptismum, quem imprimendum curavit intra 1597—1601 Reynosus episcopus cordubensis, et cujus ope ad 100.000 Aethiopes baptizati referuntur.

[2]) In op. scil. *de auxiliis divinae gratiae* t. 2 a censoribus vehementer laudato, quod tamen ex decreto sedis apostolicae generali, quo ad servandam inter scholas theologicas pacem aegre compositam editio operum de hoc argumento prohibebatur, ad lucem non prodiit.

[3]) Cordara Hist. S. J. VI. l. 17. n. 208; cf. ap. Sotvel. Script. S. J.

cedebat, et in itinere quovis eminus loco conspecto templum oculis vestigabat, tum detracto sibi pileo pia prece loci Dominum venerabatur. Singulari studio favebat iis, a quibus adversa patiebatur, ut jam passim constaret, non aliud ipsum demerendi potentius inventum esse. Doctrinam suam omni qua poterat arte dissimulabat, et quando cogebatur pro re nata loqui discipulum se magis exhibebat quam doctorem. Non sine sanctitatis fama pie in Domino obdormivit 5. Jan. 1632 a. aetatis 60. Dedit in publicum *commentariorum in Summam Theologiae s. Thomae* t. 8 in f., quorum 3 primi explicant 1. p. (Hispali 1623, Mussiponti 1624); duo sequentes 1, 2. p. (ib. 1631); sextus 2, 2. p. (ib. 1629); duo reliqui 3. p. (Granatae 1633); horum priori insertus est tractatus pius et eruditus *de immaculata Dei genitricis conceptione* seorsim etiam excusus Hispali 1617 in 4. Eminent hi commentarii sagacitate, claritate, nitore[3]). Auctoris vitam adjecit t. IV. Gregorius Hemelmann S. J., Malacitanus, qui et ipse clarus suo tempore erat theologus († 4. Jun. 1637). Ejus sunt: *Disputata theologica* in 1. p. s. Thomae, Granatae 1637 v. 2 in f. Complectitur t. 2. titulos septem multiplici disputatione dissectos ad 1. p. q. 19 art. 1. et 2. et ad q. 21. de omnimoda inconnexione divinae naturae, intellectus et voluntatis cum omni eo, quod Deus non est. Ubi de respectibus realibus transcendentalibus intrinsecis earundem div. perfectionum ad creaturas possibiles, ipsorumque respectuum terminis primariis et secundariis et consectarie de modis rerum in communi: ac demum de exsistentia, quidditate, objecto materiali et formali nec non de infallibilitate divinae providentiae. Curavit quoque editionem tum commentarii Ludov. de Alcasar S. J. in Apocalypsim (de quo cf. p. 483) tum consiliorum seu opusculorum moralium Thomae Sanchez S. J. (cf. p. 596).

290. Ex Augustinianorum familia memoria est dignus Aegidius de Praesentatione et Fonseca Lusitanus, Petri de Fonseca S. J. (cf. p. 148 a.) propinquus, inter praecipua sui ordinis decora singularis doctrinae merito connumerandus, theologiae in conimbricensi academia professor. Fertur magnus Suarez de eo dixisse, unicum se habuise illum studiorum suorum exercitatorem atque ingenii cotem († 1626 a. aetatis 87). Scripsit *Disputationes de animae et corporis beatitudine* ad priores 5 qq. 1, 2. s. Thomae et ad 1. p. q. 12., Conimbricae 1609; 1615 v. 3 in f.; *de immacutata b. Virginis conceptione* ab omni originali peccato immuni ll. 4, ib. 1617 in f. — Denique ex s. Thomae interpretibus magnam nominis famam consecutus est Ludovicus de Montesinos Bellomontanus, qui Compluti primum interpretatus est Aristotelem, deinde omnes fere alios scholae gradus consecutus usque ad supremam theologiae cathedram matutinam sine competitore. Ob ingenii perspicuitatem *clari doctoris* cognomentum adeptus, ea docuit frequentia discipulorum gymnasium plusquam 600 capax implente, ut e foribus ipsis atrioque nonnulli adstarent. Cui muneri per 30 annos ea assiduitate vacavit lubentiaque animi, ut recusatis quibuscunque pontificatibus et inter alios salmanticensi, tenta-

---

[1]) Cf. Sommervogel VII, 323.

[2]) Cf. N. Antonius I, 287., qui de eo narrat: „Miram rem domestici referunt, tractari a se quotidie non sine stupore archetypa ipsa laboriosissimarum lucubrationum ne quidem verbo uno cancellato deletove: adeo nusquam stilum vertebat, sed praesentissima rerum apprehensione muniebat prius ipse viam calamo, quam chartis inprimeret. Cum ederentur commentaria in 1. p. summae Theologiae operaeve ferverent, importuna facta jactura est aliquot exemplaris chartarum, cui reparandae accingens se de novo scriptor ea protulit, quae deperditis paulo post repertis collata summa fide tam rerum quam verborum responderent;" Nieremberg Firmamento religioso p. 616—27.

tus etiam lippitudine ac fere etiam coecus missionem haud procuraverit, sed opera anagnostis usus, quem juxta haberet, quae suggerebat ipse auditoribus dictaret. Morum animi et corporis integritate doctrinam mirifice commendabat, solitus ante matutinarum praelectionum pensum hora integra preces ad Deum effundere ipsumque contemplari. Cogitasse quoque dicitur[1]) de commutanda in religiosam presbyteriali vita idque inter Carmelitas excalceatos, si non retardasset propositum scholae amor († 7. Oct. 1621 a. aetatis 68). Post ejus mortem prodierunt *commentaria in 1, 2. p. s. Thomae*, Compluti 1622 v. 2 in f.

291. Praeter hos s. Thomae interpretes plures alii in theologia scholastica excelluerunt[2]), e quibus primus ni fallimur locus dandus est Thomae de Lemos O. Praed., qui juxta Scheeben[3]) omnium Thomistarum est acutissimus. Natus is est Ripadaviae (vernacule Rivadavia) in Gallaecia intra a. 1545 -1560. Studiis applicitus ita eminuit inter sodales, ut continuo ad tradendas quas acceperat disciplinas eum admoverint superiores. Anno 1590 theologiae lectorem et studii regentem agebat in conventu s. Pauli vallisoletano, aderatque a. 1594, cum graves illae de libro Molinae circa concordiam gratiae cum libero arbitrio inter Jesuitas et Dominicanos exortae sunt controversiae. Hinc ss. Augustini et Thomae de praedestinatione et gratia sensis disquirendis totus incubuit, visusque est maxime idoneus qui in congregationibus de auxiliis cum Didaco Alvarez (cf. p. 659) ordinis suis propugnaret doctrinam: quod et strenue praestitit[4]), adeo ut sibi Clementis VIII. conciliaret gratiam. Nempe Lemosio praeter singularem eruditionem et omnino decoctam ss. Augustini et Thomae lectionem aderant illae aliae dotes, quae in contentionibus theologicis non parum excellunt, vox magna et canora, firma latera, oratio facilis, argumentorum robur, memoria praesentissima, quam nihil objectorum praeteriret, judicium acre, cui nemo facile fucum faceret. Finitis congregationibus Lemosius, qui jam oblatas sibi a rege catholico infulas modeste recusarat, in museum romanum apud Minervam se recepit ac scribendis de gratia juxta doctrinam Augustini et Thomae commentariis totum se dedit. Tribus ante mortem annis oculis ita orbatum ferunt, ut nec praesentes seque alloquentes videret, id tamen dante Deo residui habuit, ut officium divinum et in sacro dicenda legere posset. Demum ad piissimae vitae praemium, ut sperare licet, abiit 23. Aug. 1629 (non 1624, ut nonnulli falso scribunt) a. aetatis 70. (juxta alios 84). Fructum studiorum suorum exhibuit in opere posthumo, „omnium praecipuo scholae thomistarum“ (juxta Scheeben l. c. n. 10), cui titulus: *Panoplia gratiae*, seu de rationalis creaturae in finem supernaturalem gratuita divina suavipotente ordinatione, ductu, mediis liberoque progressu dissertationes theologicae, Leodii (typis ementitis, vere Biterris) 1676 v. 4 in f., opus rarum, cujus t. 1. est isagogicus agitque de Pelagio et sequacibus nimium extollentibus humanum arbitrium, deque aliis id nimium deprimentibus, maxime post vulnus peccati originalis; item de infallibilitate divinarum praedefinitionum salva rerum contingentia et arbitrii libertate. In t. 2. disserit de summa Dei providentia et efficacissima praedestinatione

---

[1]) Cf. Nic. Antonius II, 54; Alph. de Andrada, El Estudiante perfecto.

[2]) Franciscus de Lemos O. S. Ben. matritensis edidit *commentaria super Threnos Jeremiae prophetae*, Matriti 1649 in f.

[3]) Handb. der k. Dogm. l. VI n. 140 a.

[4]) Strenuos quoque habuit adversarios, Greg. de Valentia, Petrum Arrubal, Ferd. de Bastida, Joannem de Salas et Barth. Perez, quibuscum (sibi invicem succedentibus) in 47 disputationibus publicis concertavit. Cf. Echard II, 461 s.; Morgott KL. VII, 1738—41.

sanctorum; t. 3 de influxu Dei in secundas causas naturalis ordinis, ut suas operationes naturales producant, et de viribus creati arbitrii cum solo influxu generali ordinis naturalis ad efficienda opera moralia. In t. 4. denique agit de praevenientis gratiae divinae efficacia, qua Deus operatur in nobis velle et operari pro bona voluntate et de gratia divina, prout habet rationem auxilii[1]). Plura alia volumina (19) ejusdem ad congregationem de auxiliis spectantia manserunt mss. *Acta omnia congregationum ac disputationum,* quae coram ss. Clemente VIII. et Paulo V. sunt celebratae in causa et controversia *de auxiliis divinae gratiae,* quae fere post seculum Lovanii 1702 (typis ementitis) in f. sub ejus nomine prodierunt, non tantae sunt auctoritatis, ut in eorum possit verba jurari. Imo cum nonnulli opere mscr. abuterentur, Innocentius X. hoc edidit decretum 23. Apr. 1654: »Cum tam Romae quam alibi circumferantur quaedam asserta acta manuscripta et forsan typis excusa congregationum habitarum coram f. rec. Clemente VIII. et Paulo V. super quaestione de auxiliis gratiae tam sub nomine Fr. Pegnae olim Rotae rom. decani quam fr. de Lemos O. Pr. aliorumque praelatorum et theologorum[2]), qui, ut asseritur, praedictis interfuerunt congregationibus; necnon quoddam autographum seu exemplar assertae constitutionis ejusdem Pauli V. super definitione praedictae quaestionis de auxiliis ac damnationis sententiae seu sententiarum L. Molinae S. J.: eadem Sanctitas suo praesenti hoc decreto declarat atque decernit praedictis assertis actis tam pro sententia FF. O. s. Dominici quam L. Molinae aliorumque S. J. religiosorum, et autographo sive exemplari praedictae assertae constitutionis Pauli V. nullam omnino fidem esse adhibendam, neque ab alterutra parte seu a quocunque alio allegari posse vel debere, sed super quaestione praedicta observanda esse decreta Pauli V. et Urbani VIII. suorum praedecessorum[1]).« — Strenuo huic vindici theologiae thomisticae adjungimus sodalem Joannem Gonzalez Legionensem (de Leon), virum qua pietate qua eruditione sua aetate clarum, Romae in collegio ad Minervam studii regentem et s. Scripturae interpretem (floruit c. a. 1636), cujus opus Leodii nonnisi 1708 in 4. prodiit hoc titulo: *Controversiae inter defensores libertatis et praedicatores gratiae* tam excitantis quam adjuvantis, tam operantis quam cooperantis, tam sufficientis quam efficacis et de extremis haereticorum erroribus circa eandem, Romae a. 1635 et 1636 publicae catholicorum utilitati expositae: in quibus nec unum exstat verbum, quod non vel ss. pontificum et ss. conciliorum definitionibus vel ss. patrum, praecipue Augustini, Prosperi, Fulgentii, Anselmi, Hilarii et d. Thomae auctoritatibus fulciatur, roboretur, approbetur. Ita titulus[2]).

[1]) D'Argentré in comment. hist. de praed. et reprob. op. Grandin III, 252. de hac ed. scribit: „Cum hi tractatus centum annis (?) post obitum Th. de Lemos nuper in lucem editi sint opera et studio quorundam Jansenii defensorum, hinc nonnulli suspicantur, genuina illius scripta infida manu corrupta fuisse. Quod quidem me latet, nec veri simile videtur.“ Cf. tamen Meyer hist. controv. de div. gr. aux. vind. l. 1. c. 2. Cum nonnulli impugnarent Lemosii opus, quidam PP. ejusdem ord. obtulerunt Innocentio XI. *Memoriale cum vindiciis ll. Th. de L. Panoplia gratiae inscriptorum*, Augustae V. 1682.

[2]) Inter hos theologos nominandus etiam est Jacobus Bossu O. S. Ben. Parisiensis n. 1546, qui omnibus de auxiliis congregationibus interfuit acer moliniani systematis adversarius († 1626), quod etiam nisus est prolixo opere impugnare, morte tamen praepeditus illud absolvere non potuit. Prodierunt ejus *animadversiones* in 25 prop. L. Molinae in Reginaldi opere *de mente s. C. Trid.* etc. p. 1642—2066. ed. 1706. Ejus *diarium* de his congregationibus periit. Cf. Sachs Kirchenl. II, 1131.

[1]) Cf. Meyer in praef. hist. controv. de aux. gr. div. praef. a. 4.

[2]) Hieronymus Gonzalez in romana curia et pontificio Rotae ut vocant senatu

292. Anno 1629 decessit tertius sodalis Joannes de Portugal, qui non eruditione minus et vitae puritate, quam titulis ac regii stemmatis origine clarus, ex regia scil. Briganciorum stirpe satus, inter subtiliores Hispaniae scholasticos sibi nomen fecit. Theologiam in variis illius regni academiis tum in lusitanis docuit cum laude, nec minus e sacris pulpitis inclaruit ac tandem ad Philippi IV. nominationem episcopus visensis factus est (1625). Non omnino quatuor annos in episcopatu transegit verus pater pauperum omniumque virtutum exemplar. Scripsit *de gratia increata et creata* t. 1., qui est de Spiritu s., Conimbriciae 1627 in f., quo in opere, etsi de Spiritu s. solum acturum se promittere videatur, totum nihilominus fere s. Trinitatis tractatum profert. Tomus 2. de gratia creata mansit ineditus (sicut tot alia opera de hac materia in ista periodo) propter sedis apostolicae prohibitionem ad consopiendas acres de hisce quaestionibus controversias promulgatam. — *De augustissimo ss. Trinitatis mysterio* Lugduni 1617 in 8. scripserunt Michael Vasquez de Padilla S. J. Hispalensis, qui nondum sacerdos theologiam scholasticam cum laude Cordubae, deinde Romae, Salmanticae et Granatae professus est († 25. Jul. 1624 a. aetatis 65), ed. sermone seu tractatu Lugduni 1617 in 8., et Martinus de Alviz[1]) primumS. J., dein O. Erem. s. Aug., primariae cathedrae theologicae Compluti rector, vir omnium aequalium judicio in rebus theologicis fama admodum celeber († 1633), cujus exstant tractatus tres, *de altissima scientia, inscrutabili voluntate, investigabili praedestinatione ac ineffabili Trinitate,* Compluti 1632. — Fere idem est argumentum operis Francisci Arriba O. S. Franc., episcopi segoviensis, dein civitatensis, cui titulum fecit: *Opus conciliatorium gratiae et liberi arbitrii creati perfectam concordiam* aeternaeque praescientiae et praedestinationis infallibilitatem etc. *explicans* ll. 4, Parisiis 1622 t. 4. Agit enim in eo de simplicitate divini esse ac personarum trinitate, de coexistentia vera ac reali omnium creaturarum ab aeterno in aeternitate divina, de duplici ordine, sub quo Deus operatur ad extra, et aliis. — Didacus de Alarcon S. J. ex oppido Albacete dioecesis carthaginensis, philosophiae, dein Compluti theologiae professor († 28. Oct. 1634), reliquit *theologiae scholasticae p. 1,* Lugduni 1633 in f. — Pariter primam tantum partem *Summae theologiae* edidit Didacus de Caceres, ord. Hieronymianorum quondam praepositus[1]), Salmanticae 1638 in 8. — Emmanuel de la Cerda O. S. Aug. Olisiponensis, provinciae praepositus, scripsit *quaestiones quodlibeticas* (10), Conimbricae 1619 in f., et commentarium *in orationem Jeremiae,* ib. 1625.

293. Reliqui sunt nonnulli privilegiorum b. Mariae V. vindices[2]), ut Alphonsus de Sanchez Zarzosa rondensis ecclesiae collegiatae canonicus in l.: *thesaurus conceptionis immaculatae V. Mariae Dei genitricis* ex conspiratione totius fere s. Scripturae cum

causarum defensor († 30. Oct. 1609) scripsit docte Glossema seu interpretationem ad reg. VII. cancellariae *de reservatione mensium et alternativa episcoporum,* Romae 1604; 1611; Coloniae 1615 in f.

[1]) Nicol. Antonius II, 91; Ossinger Bibl.-August.

[1]) Exstat quoque ejus *de Noe et arca sacra relectio,* Salmanticae 1635 in 8; et in Quadragesimae et Adventus Evangelia *catena sacra moralis,* Salmanticae 1635 in 8.

[2]) His adde duos quos mox laudavimus, Jac. Granadum et Aeg. de Fonseca, utrumque S. J., et Theodorum Pybes de Adamo O. Cist. s. theologiae doctorem Romanum, qui praeter alias eximias lucubrationes tractatum etiam insignem *de immaculata conceptione divinae puerperae* ingeniose concepit ediditque in publicum. Ita Cistercium bis tertium.

Apocalypsi, Antiquariae 1621 in f. — Joannes Serrano O. Min. Alcazarensis et episcopus acernensis († 1637), cujus *de immaculata prorsusque pura ss. semperque V. genetricis Dei Mariae conceptione ll. 5*, Neapoli 1635 in f. in lucem prodierunt. — Alphonsus Sobrino O. Carm. insignis ecclesiastes († 1628) reliquit *Tratado de la Immaculada concepcion de la V. Maria N. S.*, Hispali 1615 in 4. — Josephus a Jesu Maria O. Carm. ex nobilissima Quirogarum familia, insignis asceta, regulae primitivae toto vitae decursu ad unguem sectator († 13. Dec. 1626), praeter ascetica hispanice edita (Segoviae 1638 et saepe alibi) composuit *Historia de la V. N. Sennora* con declaracion de algunas de sus excelencias, Antwerpiae 1652 in f., opus rarum, Matriti 1656; *Excelencias de S. Joseph* Esposo de N. S. ib. 1612. — Bernardus (vel Bernardinus) de Leon O. Praem. Burgensis doctor salmanticensis, procurator generalis in curia romana nationis hispanicae, vitensis domus abbas († 1627), disseruit *De la Concepcion de N. S.* typis monasterii Vitis, 1626 t. 2 in 4. — Joannes Perlinus S. J. Matritanus, theologiam docuit in regno peruano Limae, Cusci, Quiti, in Hispania Murciae, Compluti, Matriti, demum Coloniae († 31. Oct. 1638), scripsit apologiam scholasticam sive *controversiam theologicam pro magnae matris ab originali debito immunitate* ex ss. literis, conciliis, patribus aliisque theologicis argumentorum sedibus ad rem pertinentium diligenter collectam, Lugduni 1630 in 4. – Petrus Diaz de Aguero, Pincianus, medicinae doctor, ord. hierosolymitani s. Joannis Baptistae sodalis, edidit praeter tractatum *de angelis*, Matriti 1672, *Demonstracion clarisima de la immaculada y purisima Concepcion de la Virgen Maria Nuestra Señora,* ib. 1618 in 4. — Quibus adde ex aliis nationibus plures, quos passim hactenus laudavimus, et insuper cujus nondum facta est mentio: Franciscum Poiré S. J. Gallum n. 1584, theologiae et s. Scripturae professorem († 1637), qui concinnavit *La triple couronne* de la Bien-heureuse V. Mere de Dieu. Tissue de ses principales grandeurs d'Excellence, de Pouvoir et de Bonté, et enrichie de diverses inventions pour l'aimer, l'honorer et la servir, Paris 1630; 1633; 1634 ed. 3. retractata et aucta etc.; 1696 t. 2 in 4; retractata a patribus solesmensibus O. S. B. duce Guéranger ib. 1848 t. 3 in 8; 1858 t. 2; Tornaci 1849 t. 5 in 12, etiam in alias versa linguas, germanice Ratisbonae 1852—63 t. 3, versio sat infelix. Opus ipsum judice Scheeben saepe est ingeniosum, etsi non careat defectibus[1]). Reliquit et alia opera ascetica, inter quae *La Science des Saints* qui est la science de chercher Dieu et de se donner entierement a luy, Parisiis 1638; Lugduni 1665; *La maniere de paier a Dieu le disme et le tribut de la vie* dont il nous donne l'usage, Lugduni 1638.

[1]) Nicht zopffrei, im Übrigen aber geistreich und oft genial: in nachträgl. Bemerk. ad t. III, 1. Handb. der k. Dogm. Cf. Sommervogel VI, 921—925.

II. Theologia positiva et polemica.

294. Plerique ex illis, quos inter Scholae theologos recensuimus, opportunitate oblata etiam dogmata catholica adversus errores sui temporis strenue propugnarunt, ideoque partes theologi polemici minime neglexerunt. Ex *Hispanis* pauci adhuc supersunt, quos praeter illos theologis *polemicis* accen-

seas. Dominicus Garcia Aragonus († 1629) laudabiliter scripsit multaque eruditione, quamvis Joannes Morinus[1]) eum taxet arrogantiae nomine: *Propugnacula validissima religionis christianae* contra obstinatam perfidiam Judaeorum adhuc exspectantium primum adventum Messiae, necnon adversus falsas rabbinorum circa s. Scripturam expositiones ex multis V. T. locis secundum rigorem lectionis hebraicae, Caesaraugustae 1606 in 4. Aliud ejusdem opus praeter quaedam pie et docte lingua vernacula conscripta[2]) est: *Recentiorum variarum et inextricabilium quaestionum ex visceribus l. historialis Genesis et illinc pullullantium discussio,* Caesaraugustae 1624 in f. — Alter fama clarior est Thomas de Jesus[3]) O. Carm. Baeticus, Beaciensis, antea dictus Didacus seu Dia Sanchez Davila. Hic literis ingenium ita ornavit ac dives reddidit, literas ita cum pietate sociavit, famularique ei adeo utiliter fecit, ut in fertilissima virorum cum doctrina, tum vitae ac morum integritate et sanctitate insignium familia aequales sibi paucissimos agnoscat. Novus adhuc inter sodales necdum votis obstrictus consulebatur probabaturque a senibus consilium in rebus domesticis quibusque atque arduis proferens. Italiam veniens Paulo V. adeo se probavit, ut ab eo existimatus sit ante alios idoneus minister deducendi in Galliam, Germaniam Belgiumque sodalium provincias[4]). Decessit Romae 26. Mart. a 1627 magni factus a viris doctis. Eruditionem ejus testantur opera, quorum plura prodierunt collecta sub titulo: *Opera omnia* homini religioso et apostolico utilissima, Coloniae 1684 t. 2 in 1 in f., quae potissimum ad ascesim et vitam religiosam spectant, et inter quae sunt ex. gr. *de contemplatione divina* ll. 6 Antverpiae 1620; divinae seu a Deo infusae *orationis methodus* ll. 4, ib. 1523; *commentaria theologica* in qq. 171—75 2. 2. d. Thomae A.; *Bibliotheca carmelitana* sive nobilium aliquot carmelitanae religionis scriptorum operumque illorum catalogus; *Methodus examinandi* et discernendi spiritualem animae profectum (Coloniae 1623 in 16) etc. Praecipuum[1]) vero est *Thesaurus sapientiae divinae in gentium omnium salute procuranda,* schismaticorum, haereticorum, Judaeorum, Saracenorum ceterorumque infidelium errores demonstrans, impiissimarum sectarum, maxime orientalium, ritus ad historiae fidem 12 ll. enarrans, errores ad veritatis lucem confutans, Antwerpiae 1613 in 4; 1652; melior tamen est editio Coloniae 1684. Rarissima dicuntur ejus commentaria in cap. Non dicatis: *de statu monachorum,* in quibus de natura voti paupertatis, de-

[1]) Exercitat. biblic. l. 1. c. 2.

[2]) Cf. N. Antonium I, 329. Eodem tempore floruit Nicolaus Garcia in urbe patria (Avilae) canonicus et juris canonici professor, cujus exstat insignis et eruditus tr. *de beneficiis,* Taraconae 1609 t. 1; Matriti 1613 t. 2; Antwerpiae 1618; Venetiis 1629; Genuae 1636 in f.

[3]) Alius a piissimo Th. de Jesu, cujus meminimus p. 59a.

[4]) Ita N. Antonius II, 305 s. Cf. plura in Thomae Aq. a s. Joseph diss. historico-theol. de patriarchatu Eliae p. 2. sect. 4. § 3. Henr. a SS. Sacr. coll. script. O. Carm. II, 159—65; Villiers II, 815 ss.

[1]) Feller VIII, 189: „Urbain VIII. et Benoit XIV. faisaient grand cas de cet ouvrage savant et utile: plusieurs écrivains en ont profité;" sed acri censurae illud subjicit R. Simon, et praef. t. 5. op. Perpétuité de la foi legimus: „On convient de bonne foi, qu'il y a dans ce traité quelques mémoires dont la lecture peut être utile, pourvu qu'elle soit faite avec discernement. Mais il y a tant de confusion, tant de faussetés, tant d'ignorance et tant de contrariétés que pour en tirer quelque utilité, il faut savoir la matière mieux que ne la savait l'auteur. C'est cependant sur cet ouvrage, et quelques autres encore plus défectueux, que la plupart de ceux, qui ont écrit depuis cent ans ou environ, ont formé le jugement qu'ils ont fait de la créance et de la discipline des Orientaux touchant les sacrements et les autres articles controversés entre les catholiques et les protestans etc."

proprietate abdicanda, de licentia superiorum praerequisita, de vita communi ac paupertate in communi disserit. Adj. Expositio in omnes fere regulas s. Basilii, Augustini, Benedicti, Francisci etc., praecipue in regulam Carmelitarum pp. 2 in 1 v., Antverpiae 1617 in f. (m. 80). Libro *de la antiquedad* y sanctos de la orden de N. S. del carmen Salmanca 1599, pariter rarus. — Thomas Ramon O. Praed. Aragonus praeter ascetica scripsit *de primatu* s. Petri ap. et ss. pontificum romanorum ejus successorum fasciculum aureum in 3 ll. divisum, in quibus ex plurimis locis utriusque T., ss. conciliorum decretis et antiquis patribus catholicaeque Ecclesiae doctoribus summa apostolicae romanaeque sedis auctoritas et potestas demonstratur, Tolosae 1617 in 4. — Sancius Davila et Toledo (n. 1546, † 1625), aliquamdiu s. Theresiae erat a confessionibus, a qua meruit epistolas accipere, unde ipsius in vita adhuc juvenili virtutum profectum agnoscere licet. Quater academiae salmantinae rector erat et episcopus murcianus, mox giennensis, inde seguntinus, demum placentinus. Scripsit: *De la Veneracion que se debe a los Cuerpos de los Santos y a sus reliquias, y de la singular, con que se ha de adorar el Cuerpo de Jesu Christo N. S. en el Santisimo Sacramento 4 ll.*, Matriti 1611 in f. opus rarum (m. 30). — Antonius Farfan de los Godos Hispalensis O. S. Jo. Hieros. edidit *Discursos en defensa de la Religion catholica* Hispali 1623 contra illuminatorum sectam. — Joan. Falces de s. Stephano Aragonius O. S. Hier. archiepiscopus Brundusinus († 15. Oct. 1636) describit *Methodum ad cognoscendas haereses* Romae 1630 in f.

295. Fortissimum omnium Ecclesiae catholicae adversus protestantium errores propugnatorem habuit hac epocha *Italia*[1]). Is fuit Robertus Franciscus Romulus Bellarminus, patria Politianus, Marcelli II. sororis Cynthiae Cervinae filius die 4. Oct.[1]) 1542 natus. Puer egregiae indolis et pietatis nondum sexennium egressus concionatores aemulans, lineam indutus vestem e superiore loco ad sui similes de acerbis Christi cruciatibus saepissime nec inepte loquebatur. Condiscipulos suos tenera adhuc aetate aedificabat pietate, modestia, diligentia, atque adeo jam tunc veracitati studebat, ut nunquam mendacii vel levissimi reum se agnosceret. Puer noctu ad orandum surgebat, prolixe coram ss. sacramento orabat, mortificationisque gerebat curam. Diligenti opera data grammaticae, humanitati et rhetoricae, graecas literas solerter apprehendit, multumque adolescens delectabatur poesi[2]). Adultior factus ut gravioribus studiis ingenium mira jam eruditione praestans amplius excoleret, Patavium petiit ibique de

[1]) Praetermittimus Joannem Antonium Calvenzanum Mediolanensem, quem card. Frid. Borromaeus cum tribus aliis viris ad incolas vallium dioecesibus comensi et curiensi subjectos misit, ut illos in vera institueret fide: quod tam feliciter praestitit, ut Helvetiorum apostolus nuncupari meruerit, pro quibus reliquit etiam aliquot libellos dialecto ipsorum conscriptos. Peste correptus obiit a. 1630. Cf. Argelati 1. II, 264. — Benedicti de Benedictis parochi ad s. Luciam Patavii († 1631) exstant *jacula Ecclesiae Christi catholicae* ex catholicorum ipsorumque haereticorum assertionibus deprompta, quibus christianae fidei veritas firmissime roboratur et haereticae fidei falsitas certissime refutatur, Venetiis 1608.

[1]) Hinc magno cultu prosequebatur s. Franciscum Assisinatem, cujus memoria ea die recolitur, atque impetravit, ut officium impressionis stigmatum in corpore s. Francisci a sede apostolica approbaretur. Non sine speciali hujus sancti benevolentiae significatione videtur contigisse, quod tam devotus cliens recurrente hujus festi memoria (17. Sept. 1621.) ad coelestem patriam migraret.

[2]) Licet provectiori in aetate musis renunciasset, tamen subinde ad illas rediit, et inter alia hymnum composuit de s. Maria Magdalena: ‚Pater superni luminis' etc., qui dignus habitus fuit a Clemente VIII. in Breviarium recipi.

societate Jesu ineunda cogitavit, illamque revera patre per annum reluctante 20. Sept. 1560 est ingressus. In collegio romano per triennium philosophiae insigni cum profectu operam dedit, licet infirma, imo desperata prope valetudine uteretur. Nondum sacerdos, nec theologus, magno cum fructu atque eloquentiae commendatione variis in locis ad populum dixit. Patavii theologiae vacabat (1567) atque Genuae coram patribus provinciae theses ex philosophia atque theologia magna cum dignitate, sapientia atque eruditione publice defendit. A. 1569 praeposito generali mandante Lovanium latinas conciones habiturus concessit. Postquam a Cornelio Jansenio sacerdos fuit initiatus, opus suum est aggressus avidissimeque audiebatur, etsi subinde concionem protraheret duas in horas. Nonnullos etiam a vera fide devios ad Ecclesiam reduxit, plures vero academicos induxit ad amplectendam vitam religiosam. Prodierunt hae conciones Coloniae 1615; verum Bellarminus conquestus est, eas in hac editione minus fideliter exhiberi. Hinc cura Riverii nova prodiit editio: *Conciones habitae Lovanii* ante a. circiter 40, nunc consensu auctoris publicatae, Cameraci 1617; Coloniae 1617 etc. Primus quoque e societate Jesu ibidem s. Thomae Summam explicavit: inde in memoriam tanti viri cathedra, qua utebatur, asservata fuit Lovanii. Non tamen interea pietatis studium intermittens, custodiae cordis quam maxime advigilabat, ne inanis gloriae tinea scientiae studio innasceretur. Ad eum finem concinnaverat ipse sibi regulas quasdam privatas, juxta quarum tenorem vitam suam omnem instituendam decerneret, quae post ejus obitum inter schedas repertae ad aliorum utilitatem typis mandatae sunt[1]). Fractis autem propter assiduos studii labores corporis viribus patrium post septennium repetiit solum (1576), iisque reparatis Romae pariter primus e societate Jesu praelectiones de controversiis fidei suscepit summa omnium satisfactione accurrentibus undique auditoribus: earum fama mox per alumnos collegii germanici in universa Germania divulgabatur[1]), adeo ut Bellarminus adigeretur illas typis mandare. Non ita tamen studiis erat deditus, ut animarum negligeret curam: confessarii enim munere fungebatur in frequenti collegio romano, atque inter filios spirituales s. numerabat Aloysium, quem in supremo morbo et in mortis agone juvit. Interim a Sixto V., qui ejus opera in cor-

---

[1]) Hae regulae ita sonant: „Cum experrectus lucem primam videris, subeat animum cogitatio, te in hac vita peregrinari: ideo nihil curandum, quam ut itineribus tuis directe ad Deum abeas. Talia vero meditans orabis, ut exoneret te Deus sarcina gravi. In meditatione et re divina hoc age, ut cum Deo unum sis, et quam minimi pendas, si forte in sensu animae non sit voluptas ulla; aestimes vero non ipsum te illum esse, qui celebrat, sed Deum, quem induis, et cujus, tametsi non pro mensura, personam imples. Cum ante tribunal mentis conscientiam excuties, multus eris in caritate erga Deum, et in noxarum disquisitione brevis, quam nihil opus est esse nimiam; ac post mergeris in mari rubro sanguinis Christi. Cum te induis aut pasceris, urgeat te praesentia Numinis. Negotia ne perperam agas, quin ea incipias cum fiducia magna et mente in coelum sublata; probabis eadem prius ad lumen Dei. Horis, quae finem laborum ferent, meditare hilaris atque affabilis esse, et cura, ut vis intentioque animae remittat ad obsequium Dei: ejusdem illustrationes celare memineris, perinde ac si ab illis obscurus esses. Noctu demum, quando cubitum ibis, cogites modum, quo super crucem Christus membra reclinavit propter nos, et cures, ut te somnus occupet stratum super pectoris ejus ss. vulnus."

[1]) Ita ex. gr. scribit Guil. Whitaker, unus e potioribus Bellarmini adversariis, in praef. l. adversus eum editi: „Inter Jesuitas maximum et celebre nomen Rob. Bellarminus . . . qui controversias theologicas summa omnium admiratione acclamationeque tractavit, cujus dictata sic erant studiose ab auditoribus excepta,

rigenda vulgata[1]) utebatur, cum Henrico Cajetano legato pontificio (1590) in Galliam destinatus, ibique per menses septem moratus multa eaque perquam molesta in parisiensi obsidione est passus: qua occasione insignem epistolam apostolici legati nomine ad universos Galliae praesules dedit, ut eos a periculo schismatis revocaret. Sixto V. vita functo 26. Sept. 1590, Bellarminus cum legato Romam reversus est. Sub Gregorio XIV. et Clemente VIII. praecipuas fere partes habuit[2]) in recognoscenda editione vulgatae Sixti V. Post Toleti mortem (1596) Romam accitus est a Clemente VIII. (neapolitanam enim tunc ordinis provinciam moderabatur), ut illius suppleret locum. Pluribus eum auxit summus pontifex muneribus; cum Ferrariam proficisceretur, viae comitem illum habere voluit statuitque, ut ipsius catechismus[1]) in omnibus Italiae ecclesiis et scholis adhiberetur, demum eum cardinalem dixit 3. Martii 1599 hoc elogio: „Hunc elegimus, quia non habet parem Ecclesia Dei quoad doctrinam et quia est nepos optimi et sanctissimi pontificis.“ Cum autem se subtrahere moliretur, sub anathemate vetitus est repugnare. Hinc factum, ut quamvis esset sacra purpura donatus, nihil tamen de pristina modestia mutaverit, suique om-

---

transscripta varieque transmissa, ut quasi κειμήλια quaedam vel ἀποτρόπαια haberentur... et nunc Bellarminus tamquam athleta invictissimus celebratur, quocum nemo nostrum congredi ausit etc.“ Ceterum de his controversiis infra loquemur.

[1]) Jam antea sub Gregorio XIII. in emendanda versionis alexandrinae editione (cf. supra p. 505 annot.) occupabatur. Cum vero Sixti V. editio Vulgatae non sat esset correcta, virique graves post hujus pontificis mortem illam prohibendam esse censerent, Bellarminus, ut Sixti auctoritas sarta tectaque servaretur, Gregorio XIV. consuluit, ut illa editio secundis curis corrigeretur: „Et sic N. (Bellarminus, ita ipse in sua autobiographia) reddidit Sixto P. bona pro malis. Sixtus enim propter illam propositionem de dominio Papae indirecto in totum orbem posuit controversias ejus in indice librorum, donec corrigerentur, sed ipso mortuo s. rituum congregatio jussit deleri ex libro indicis nomen illius. Placuit consilium N. Gregorio Pontifici etc.“ Ceterum quae hic Bellarminus narrat, locum praebuere exceptioni adversus ejus beatificationem, ut liquet ex voto card. Passionei n. 26 ss.

[2]) De partibus, quas in hoc labore habuit Bellarminus cf. Petrasancta in vita l. 2. c. 9; Ungarelli de castigatione vulgatae bibliorum editionis peracta jussu Conc. trid. § 10 ss.; Le Long Bibl. s. p. 1. c. 4. pag. 248. Praefatio editionis clementinae est Bellarmini ipso teste in sua autobiographia: Ghisleri vero refert, Toletum quoque in ea conscribenda habuisse partem.

[1]) Necesse non est pluribus de praestantia hujus catechismi, paris cum Canisii catechismo pretii, loqui. Abunde testantur id tam repetitae editiones (cf. Sommervogel Bibliothèque de la Comp. de Jésus I, 1182—1204). Hinc scribit Dom Guéranger (Mémoire sur la question de l'immaculée conception p. 52): „Tout le monde sait, que le grand Bellarmin, tout couvert des lauriers que lui avait mérités sa magnifique défense de la foi catholique dans les célèbres controverses, ne dédaigna pas, à la prière de Clément VIII. de composer un simple catéchisme pour les enfants, sous le titre de *doctrine chrétienne.* Ce précieux opuscule... fut approuvé par un bref de Clement VIII. du 15. Juil. 1598 ... le même catéchisme recommandé encore dans un bref de Urbain VIII. du 22. Févr. 1633 a été l'objet d'une Constitution spéciale de Bénoît XIV. adressée à tous les Patriarches, Primats, Archévêques ou Evêques sous la date du 7. Févr. 1742 et dans laquelle le Pontife rappelant les paroles de Clément VIII. exhorte avec les plus vives instances ses Frères dans l'Episcopat à l'accepter pour l'enseignement de leurs peuples. On ne saurait donc refuser à ce Catechisme, publié officiellement dans toute l'Eglise et répandu moralement parlant dans le monde catholique tout entier, comme le prouvent ses éditions italiennes, françaises etc., on ne saurait lui refuser, disons-nous, la valeur d'un document incontestable de la croyance de l'Eglise.“ In illius laudem et illud cedit, eum archetypi instar praeluxisse iis theologis, qui schema novi Catechismi a conc. vaticano approbandi elaborarunt. Cf. Coll. conc. lac. VII, 663—666.

nino similis et pauper religiosus et ecclesiae romanae princeps idem semper fuerit, in unum religiosae vitae et sacrae dignitatis munia conjungens. Neque hic stetit pontificis favor, voluit enim, ut Bellarminus quae ad Ecclesiae universalis bonum facerent, libere et sincere sibi aperiret atque indicaret, quod et cardinalis apostolica praestitit libertate[1]). Anno 1602 ecclesiae capuanae archiepiscopus ab ipso Clemente inauguratus est magno hujus ecclesiae bono[2]). Sunt tamen qui putent, eum propterea ad archiepiscopatum capuanum fuisse promotum, ut Roma amoveretur. Quidquid sit de ratione hujus promotionis, certum est, Bellarminum etiam sequenti tempore magna auctoritate apud Clementem VIII. valuisse, ut patet ex pontificis ad illum literis, in quibus praeter alia scribit: »Sensu cordis maximo amplectimur officium, quo fungeris erga nos occasione nativitatis Domini, fuissetque hic sensus major, si declinans consuetudinem hanc aulae colligere studuisses potius, quae peccavimus anno jam exacto, ut de his nos commonitos erudires, quo pacto possemus annum insequentem ab eis repurgati melius auspicari, serviremusque impensius divinae majestati.« Quam sanctissime gregem Bellarminus rexerit, nostrum non est pluribus exsequi; id unum certum est, eum omnes partes optimi pastoris diligenter explevisse erga suum gregem, qui eum tanto amore et veneratione prosequebatur, ut cum illi post Clementis VIII. mortem ad vaticana comitia migrandum esset, illacrimantem totam urbem videret, atque discessurus haec audiret dicentem: »Ne derelinquas nos, pastor bone; ne deseras

---

[1]) Cf. haec consilia prudentia plena in ejus vita l. 3 c. 5. Illis subjecit pontifex suas animadversiones, quas hisce absolvit: „Haec paucula ita cunctim diximus non ad excusandas excusationes in peccatis: sed ut ipse potius misereatur difficultatibus, quibus impliciti in has aerumnas incidimus. Fatemur enim nedum in istis, sed in aliis multis nos, imo in omnibus peccasse et in nulla re muneri nostro satisfecisse nec satisfacere. Roget igitur Deum omnipotentem, vel ut sua divina et efficacissima gratia nobis opituletur, vel quod magis optamus, ut nos ab hoc mortali vinculo absolvat, aliumque subroget, qui omnibus numeris officium sibi injunctum absolvat.“ Minus grata fuere Clementi VIII. tria Bellarmini scripta occasione controversiarum de auxiliis gratiae et Molinae systemate. Cf. Bellarmini ep. in voto card. Passionei apud contin. hist. Fleurii l. 242. § 6. n, 23.

[2]) Hinc **Baronius** ad a. 968 n. 92 laetabundus de hac promotione scribit: „His vero diebus, quibus haec scribimus (quod non tacendum) maximum accessit eidem ecclesiae ornamentum, dum . . . delectus est a ss. D. N. Clemente Papa VIII. ad nobilissimae ecclesiae regimen vir doctissimus ac religiosissimus Rob. Bellarminus S. R. E. card. virtutum meritis toti christiano orbi conspicuus, exoptatus votis, collaudatus suffragiis atque exceptus plausu illud sacro collegio conclamante: *Dignus dignae.*“ Arcta exstitit inter hos duos viros summos amicitia, ut jam vidimus supra de Baronio p. 533 a.: et quanti hic fecerit Bellarminum colligitur ex ipsius ad eum literis. „Testis est Deus, scribit Baronius eum ut Romam veniret invitans, me nihil tam cupere, quam ut simul adsis, quo ego conferam tibi subinde res meas. Statueres profecto in vado naufragum cor meum in pelago demersum flebilium aerumnarum. Et vero si id susciperes consilii, nemo rem iniquius interpretaretur, te ad menses paucos et animo redeundi Romam cogitare. Fecit hoc interdum card. Borromaeus, sanctissimi laudatissimique vir exempli, et multos conspectus tuus recrearet.“ Ita vero occasione operis Bellarmini de controversiis scribit annal. t. 1. a. 53 n. 32: „Est et R. P. **Bellarminus** Politianus (traditionum defensor), qui multos annos in his (controversiis) summa cum laude versatus est Romae publice docens et hoc ipso anno, quo haec nostra cudimus suas de controversiis christianae fidei disputationes adversus haereticos ab eruditis omnibus avide expectatas et jam acceptas et mirifice praedicatas edidit: nobilissimum plane opus, quod instar turris illius, quam David aedificavit cum propugnaculis, ex qua mille pendent clypei et omnis armatura fortium (Cant. 4, 4), in Ecclesia habeatur.“

nos orphanos, sub te quae peccavimus, pater, filii emendabimus.“ In comitiis Pauli V. parum abfuit, quin in summum eligeretur pontificem, sed ipse virum gravissimum suum studium, opem, operam ac clientelam pollicentem, ut desisteret, per sacra omnia hortatus est, nec ei pro hac sollicitudine gratias egit. Paulus V. mox ut electus est, vetuit Bellarminum abire a suo latere, cum vellet plurimum ejus uti consiliis. Nolens vero gregi praeesse, cui non possit se exhibere praesentem, ecclesiae capuanae renunciavit. Maxime ab eo tempore in s. congregationibus occupatus fuit, in quibus libertate apostolica sententiam promebat suam, etiamsi praevideret minus gratam eam fore, plerumque tamen omnes eum ducem sequebantur, ejusque responsa pro oraculis habebant[1]). Qui ejus clientelae se commendabant pro obtinendis beneficiis ecclesiasticis, eos hoc ipso minus idoneos censebat, adeo virtutis habebat rationem. Dum vero ita bono universalis Ecclesiae consulebat, propriam non negligebat salutem. Quotannis secretus ab aliis curis ad silentium et contemplationis studium per mensem (quem in societatis Jesu tirocinio transigebat) confugere erat solitus, pulverem ex negotiis contractum excussurus atque ad reddendam Deo villicationis suae rationem sese comparaturus. Pia sensa et lumina in sacro illo recessu hausta in piissimos redigebat libellos[2]), quos dein publicae dabat luci, et qui etiam nunc devotas animas recreant. In fine cujuslibet anni solemne habuit, rationes componere cum omnibus et quod superesset, statim in pauperes, viduas atque pupillos distribuere, quos nec stare ante se aperto capite, dum stipem precarentur, patiebatur. Anno 1621 propter ingravescentem annis et aegritudinibus aetatem, agebat enim jam a. 79., impetrata ab occupationibus publicis missione die 16. Aug. ex Vaticano secessit in domum probationis societatis Jesu ad s. Andreae, ibique instantis mortis assidue memor, edito hunc in finem libello *de arte bene moriendi*, quem suarum editionum juxta ac vitae terminum esse voluit, ad eam se paravit. Illico coepit ex morbo periculose decumbere febrique defatigari continua. Quare vocato mox sacerdote sacro viatico ad exitum roborari et s. Caroli Borromaei mortis

---

[1]) Cf. Vitae l. 3. c. 5. KL. II, 286 ss.

[2]) Libelli hi dignissimi, qui impense commendentur diligenterque legantur propter ascesim solidam et unctionem spiritus, saepissime prodierunt et sunt: *De ascensione mentis in Deum per scalas rerum creatarum*, Romae 1595 in 24; Antwerpiae 1615; 1618; Ferrariae 1869 (cum reliquis quatuor) etc.: de quo ita s. Franc. Salesius: „Magnus et celeber Bellarminus card. composuit libellum, cui titulus *Scala pro ascensu ad Deum*, qui sane admirabilis erit, eo quod a sapientissimis illis manibus et devotissima illa anima prodiit, quae tot et tam docte in Ecclesiae utilitatem scripsit.“ *De aeterna felicitate sanctorum ll. 5*, Romae 1616; Antwerpiae 1616; 1617; 1668 etc.; *de septem verbis a Christo in cruce prolatis* ll. 2, Romae 1620; Antwerpiae 1620; Coloniae 1620; 1621; 1626 etc.; *de gemitu columbae* sive de bono lacrimarum ll. 3, Romae 1617; Coloniae 1617; 1620; 1626; 1634; 1638 etc. Cum in hoc l. Bellarminus queratur de disciplinae relaxatione in aliquos religiosos ordines sensim introducta, opposuit doctissimus Jac. Gravina O. Praed. l. *Vox turturis* seu de florenti usque ad nostra tempora ss. Benedicti, Dominici, Francisci et aliarum ss. religionum statu, Neapoli 1625. Pro Bellarmino respondit Hugo Ant. Roth S. J. Augustanus (cujus est etiam l. posthumus *Via regia virtutis et vitae spiritualis* omnium religiosorum institutis accomodati, Monachii 1639) in opusculo *Cavea turturi* male contra gementem R. card. Bellarmini columbam exsultanti a theologo veritatis vindice structa, Monachii 1631: ad quod responsionem ex msc. Gravinae excerpsit Aug. Ardinghelus *Congeminata vox turturis* florentissimum sacrorum ordinum statum disrupta cavea anonymi iterato occinentis, Neapoli 1633; Coloniae 1638. Haec Bellarmini opuscula germanice vertit ediditque Hense partim Moguntiae, partim Paderbornae 1868 ss.

lectione ad agonem animari voluit. Invisit eum decumbentem Gregorius XV. ac bis peramanter amplexus sacrum se pro ejus valetudine facturum promisit. Ipse Christi vicarium obsequiosissime reveritus, usurpavit illud centurionis: „Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.“ Sancte, ut vixit, exspiravit die 17. Sept. a. 1621. Hoc elogio inscriptum fuit nomen Bellarmini elencho cardinalium defunctorum: „Vir clarissimus, theologus eminentissimus ac fidei catholicae propugnator acerrimus, haereticorum malleus aeque pius, prudens, humilis ac summe eleemosynarius. Sacrum collegium cardinalium ac universa curia romana tanti viri amissionem non sine lacrimis maxime indoluere.“ Tanta autem virtutis Bellarmini fuit aestimatio[1]), ut iteratis vicibus processus a s. congregatione rituum de vita et miraculis fuerit institutus, ut in beatorum album referri posset.

296. Jam ad Bellarmini opera transeamus. Inter haec omnium consensu eminent *Disputationes de controversiis fidei* adversus hujus temporis haereticos, quarum praestantiam testantur et virorum doctissimorum encomia[1]), etiam protestantium[2]); et repetitae e-

---

[1]) De qua cf. Sotvellum in Bibl. Script. S. J., Marc. Cervini ejus nepos in l. Adumbrata imago solidarum virtutum Rob. card. B., Siena 1622 et alibi; Jac. Fuligatto in vita italice conscripta, Romae 1624; latine versa et aucta ex actis pro ejus beatificatione e relationibus ultra 80 testium juratorum compositis a Petra-Sancta Leodii 1626; et recenter J. B. Conderc Le vén. card. Bellarmin Paris 1893. Omnes tamen hae vitae panegyricae sunt, nondum satis criticae. Cf. Buschbell Aus Bellarmins Jugend hist. Jahrb. XXIII (1902), 52—75; 307—19: coll. Tacchi-Venturi La vocazione del ven. R. B. alla Comp. di G. in Röm. Qtlschr. XVIII (1904) 190—204; Bellesheim Katholik 1904 I, 225—246; 329—347; aliosque auctores; quos recenset magno numero Backer 1, 540 s. Ipse Bellarminus suam vitam breviter descripsit loquens de se in tertia persona. Narrationem vero absolvit hisce verbis: „Haec scripsit N. rogatus ab amico et fratre (Andrea Eudaemonio, de quo infra) a. 1613 mense Junio. De virtutibus suis nihil dixit, quia nescit, an ullam vere habeat. De vitiis tacuit, quia non sunt digna, quae scribantur, et utinam de libro Dei deleta inveniantur in die judicii, Amen. Orate pro me.“ Ceterum haec autobiographia potioribus exceptionibus adversus Bellarmini beatificationem occasionem praebuit, ut patet ex prolixo voto card. Passionei contra eam edito. Prodiit ea Romae 1676 in *Summario positionis* super dubio de virtutibus R. card. B.; et Lovanii 1753 etc. Eam edididerunt etiam Döllinger et Reusch, Bonn 1887 cum annotationibus spiritu in cardinalem averso infectis: quibus remedium apponendum censuit vir plane egregius Dr. Bellesheim hist. pol. Bl. CVI (1890), 1—21; 96—108; 241—54 et 358—70.

[1]) Omnium nomine audiatur Kuhn (Tüb. Qtlschr. 1844 p. 282 s.): „Ueber ihren Werth ist von jeher nur eine Stimme gewesen, und selbst auf der gegnerischen Seite fehlte es nicht an glänzenden Anerkennungen derselben. Eine vollkommene Bemeisterung des Gegenstandes und umfassende Gelehrsamkeit, eine Bestimmtheit und Klarheit der Darstellung wie man sie nur selten beisammen findet, zeichnen seine Disputationen gleich sehr aus. Dazu kommt noch ein anderer Vorzug. Bei Bellarmin findet man keine leidenschaftlichen Ausbrüche, keine Schmähungen und boshaften Verdrehungen der gegnerischen Lehre. Er schreibt mit ruhigem Ernst, mit der Würde des echten Gelehrten und mit einer Urbanität, die den Cardinal der römischen Kirche verräth.“ Ferebatur quidem doctissimus cardinalis du Perron minus aeque de hujus operis pretio judicasse, quo rumore multum affligebatur Bellarminus; verum Perronius vix audita calumnia insignem ad illum scripsit epistolam sinceri amoris et summae aestimationis tesseram, in qua testatur, opera sua has disputationes pro communi utilitate in linguam fuisse versas gallicam. Cf. hanc epistolam in Katholik 1865 II, 43 ss.

[2]) Ita ex gr. scribit Montacutius (praef. ad appar. ad orig. eccl. s. 56): „Vir erat, haud inficior, admirandae industriae, doctrinae, lectionis stupendae Bellarminus, qui ut primus, ita solus immanem illam molem et immensum chaos controversiarum stupenda ingenii dexteri felici-

ditiones[1]), ingens adversariorum numerus, qui contra illas calamum strinxerunt[2]), poena vel mortis ab Elisabeth Angliae regina statuta, si alius ac theologiae magister illas legere auderet, et frequens penes theologos catholicos usus, cum vere dici possit, Bellarmini opus armamentarii instar esse, e quo illi potiora hauserint atque etiam hauriant arma, quibus protestantes impugnent. Prodierunt hae de controversiis disputationes primum Ingolstadii 1586—1593 t. 3 in f.; 1596; Lugduni 1593; 1596; auctae, recognitae et in 4 t. distributae, Venetiis 1596 et 1599; 1602; Ingolstadii 1599 t. 3; 1601 t. 4; Parisiis 1602 t. 4; Coloniae 1605 t. 7 etc. Cum vero editio veneta a. 1596, quam prototypon esse voluit, minus correcta esset praecedentibus, imo valde mendosa, nec aliae satisfacerent Bellarmino, edidit ipse Romae Correctorium hoc titulo: *Recognitio ll. omnium* Roberti Bellarmini ab ipso auctore edita[3]) Romae 1607 in f.; Ingolstadii 1608, secundum quam expressae fuere aliae editiones, ut ed. pulchra parisiensis 1608 v. 4 in f.; 1613 etc. Recusae fuere usque ad tempus, quo vixit Niceron († 1738), centies et vigesies, et etiam nostra aetate Moguntiae 1842 cura cl. Sausen in 8; Romae 1832—42 in 4. Meliores editiones censentur parisiensis 1608; coloniensis 1619; pragensis cum Ebermanni vindiciis a. 1721. Prodierunt quoque cum aliis Bellarminii operibus Venetiis 1721; Parisiis 1619; Coloniae 1617 cum supplemento 1619 v. 7 in f., quae editio plenior est veneta, et haec complectitur t. 1: De verbo Dei scripto et non scripto ll. 4; de Christo capite totius Ecclesiae ll. 5; de summo pontifice capite totius militantis Ecclesiae ll. 5, quod opus parlamento parisiensi admodum displicuit (etiam in bibl. Rocaberti XVIII, 457—691). — T. 2. continet: De Ecclesia tum in conciliis congregata, tum sparsa toto orbe terrarum ll. 4; de membris Ecclesiae militantis, clericis, monachis et laicis ll. 3; de Ecclesia, quae est in purgatorio[1]) ll. 2; de Ecclesia, quae triumphat in coelis ll. 3. — T. 3. agit de sacramentis in genere ll. 2; de baptismo et confirmatione l. 1; de eucharistia et sacrificio missae ll. 6; de poenitentia ll. 4; de extrema unctione, ordine et matrimonio ll. 3. — T. 4. de gratia primi hominis et statu innocentiae l. 1; de gratiae amissione ll. 6; de gratiae reparatione et statu justificationis per Christum ll. 14. — In t. 5. habetur dilucida explanatio in omnes psalmos, magna cum unctione conscripta, quae veram solidamque pietatem spirat, hinc iis, qui ad officii canonici recitationem tenentur, maxime commendatur. Saepissime[2]) ea seorsim prodiit, ut Ro-

tate, artificio singulari excoluit, in ordinem redegit confusum prius: accurata diligentia et multorum annorum studio expolivit: praeripuit ille palmam secuturis omnibus et sibi desponsatam vel destinatam cuicunque laudem abstulit. Nam ab illo, qui tractant controversias ut ab Homero poetae, sua omnia fere mutuantur."

[1]) Eas in *Compendium* contraxit Bonaventura a Carpentoracte, Arelate 1653 in 4.

[2]) Protestantium contra eum opera recensent Sommervogel I, 1165 ss.; Werner, Fr. Suarez 1, 34 ss.; Roskovány 2, 422—6; 524—30; 590. s.; 611; 628. Vere scribit Backer: „Pendant 40 ou 50 ans il n'y a presque point eu d'habiles théologiens allemands Protestans qui n'aient choisi Bellarmin pour le sujet de leurs ouvrages de Controverse." Cf. quoque Fabricium hist. bibl. fabric. II, 104—127.

[3]) Cum nonnemo hujus scripti genuinitatem negasset, illam asseruit Livin. Meyer in hist. congr. de aux. l. 2. c. 20. Contendit autem Passionei in suo voto contra Bellarmini beatificationem, multa et notabilia circa varias opiniones et expressiones fuisse in prioribus editionibus mutata, probabiliter a Valentia.

[1]) Pro hisce ll. defensionem edidit Ludovicus Rogerius S. J. Aretinus, Neapoli theologiae scholasticae, polemicae Posonii professor († 25. Dec. 1602).

[2]) Backer praeter versiones ultra ed. 30 recenset hujus explanationis, argumentum sane manifestum praestantiae illius.

mae 1611 in 4; Coloniae 1611; 1617 etc.; Lugduni 1611, 1618, 1647, 1682 etc. — T. 6. exhibet ejus conciones Lovanii habitas — et t. 7. de scriptoribus ecclesiasticis (c. 400) l., qui etiam saepius prodiit, ut Romae 1613 cum 11 indicibus et brevi chronologia ab o. c. usque ad a. 1612; Coloniae 1613; Parisiis 1617 (cura Jac. Sirmondi, editio praestans), 1630 etc., de quo opere ita scribit Fabricius: „Bellarminus quidem hunc librum in suos duntaxat usus conscripsit, cum theologiam (Lovanii) docere deberet; postea autem, cum in plurium manus venisse intelligeret ac metuendum ipsi esset, ne se inconsulto ederetur, in ultima aetate eum recognovit, expolivit et auxit . . . Atque hic liber Bellarmini singularem apud eruditos, etiam protestantes consecutus est approbationem, ita ut pro meliori ejus scripto habeant, quamvis non sit sine naevis: observant enim eruditi, eminentissimum auctorem multa praetermisisse, dubia ac supposititia scripta pro veris et genuinis venditasse etc.“ Naevos qui reperiuntur [1]), emendavit Labbeus, aliaque supplevit in sua dissertatione philologica et historica *de scriptoribus ecclesiasticis,* quos attigit Bellarminus, in qua cum plurima ad historiam, chronologiam, criticamque ecclesiasticam spectantia explicantur, tum aliorum praesertim Riveti, Coci, Perkinsi, Tossani, Gerhardi, Aubertini, Hottingeri, Maresii errata castigantur: ea habetur in editione parisiensi 1658. 1660 v. 2 in 8., quae cum illa a. 1617 supra laudata optima censetur, dum lugdunensis a. 1663 judice Fabricio vitiosissima est. Casimirus Oudin pariter adjecit *Supplementum de scriptoribus ecclesiasticis* a Bellarmino omissis ad a. 1460 vel ad artem typographicam inventam, Parisiis 1686; A. du Saussay (de quo infra) continuavit opus Bellarmini ab a. 1500 — 1600, quae continuatio prodiit Coloniae 1684, minoris tamen est pretii. Praeter hunc l. complectitur t. 7. de translatione imperii romani ad francos adversus Matthiam Flaccium Illyricum ll. 3 [2]), de indulgentiis et jubilaeo ll. 2, egregius de hoc argumento libellus; responsionem ad l. anonymum contra summum pontificem, refutationem libelli de cultu imaginum, qui falso synodus parisien-

---

De ea scribit Hefele KL. 29: Ein für jene Zeit trefflicher lateinisch geschriebener Commentar . . . welcher sich durch präcise und accurate Fassung der Gedanken, so wie durch ernstes und tieferes Eingehen in den Sinn der heiligen Gesänge auszeichnet und vor gar vielen neuen Psalmencommentarien den Vorzug verdient. R. Simon (Hist. crit. du V. T. l. 3 c. 12): „La méthode que le Card. Bellarmin a suivie dans son commentaire sur les Psaumes est bonne et digne de lui. Il examine le Texte Hébreu qui est l'Original, puis les deux anciennes Versions que l'Eglise a autorisées. Il n'est pas assez Critique, et il ne paroit avoir sçû que médiocrement la Langue Hébraique; de sorte qu'il se trompe quelquefois. Comme il a écrit après Genebrard, il a pris de lui la plus-part de ce qui regarde la Grammaire et la Critique, en y changeant seulement quelque chose. Il y a aussi des endroits qu'il auroit pû expliquer plus à la lettre et selon le sens historique: mais il y a bien de l'apparence qu'il ne l'a pas voulu faire, afin que son commentaire fust plus utile aux Chrêtiens.“

---

[1]) Hist. bibl. fabr. V, 448; Andres VI, l. 4. c. 2: „La continua lettura per quarant'anni degli scrittori sacri, de'santi padri e degli altri scrittori ecclesiastici gli avea dato una piena cognizione, un tatto sicuro ed un fino discernimento per conoscere gli autori, giudicare del loro merito, comprendere le lor opere, e distinguere le vere e sincere dalle supposte ed adulterate. E ciò egli fece con tanta brevità e chiarezza, con tanta precisione e giustezza, con tant'erudizione e tanto giudizio, che il suo libro può dirsi la prima opera veramente critica in questa materia, e come dice il Labbé (in praef. ad lect.), la più utile e la più adattata al profitto della studiosa gioventù, che in questi tempi fosse uscita alla luce.“

[2]) Horum synopsim exhibet Possevinus in bibl. sel. l. 1, c. 22; scripta, quibus hic l. occasionem praebuit, Roskovány II, 450—52. et Sommervogel exhibent.

sis inscribitur; de exemptione clericorum l. 1, judicium de l., quem Lutherani vocant concordia, in quo recenset sex errores et sexaginta septem mendacia; apologiam brevem pro eodem libello; responsionem Matthaei Torti presb. et theologi papiensis, ad l. inscriptum: Triplici nodo triplex cuneus [1]); apologiam pro responsione sua ad l. Jacobi magnae Britanniae regis, cui titulus est: Triplici nodo triplex cuneus etc. Tractatum de potestate summi pontificis in rebus temporalibus adversus Guilelmum Barclaium Romae 1610 et alibi, etiam in Roccaberti bibliotheca maxima pontificia XVIII, 365—456, qui liber pariter plurimis occasionem praebuit ex utraque parte scriptis atque prohibitus fuit a parlamento parisiensi a. 1610; ll. 3 de officio principis christiani. Praeclara quoque est ejus *Admonitio* ad ep. theanensem nepotem suum, quae necessaria sint episcopo, qui vere salutem suam

[1]) Juverit de hac controversia quaedam adnotare. Approbaverat Georgius Blackwell archibresbyter pro catholicis per Angliam constitutus († 12. Jan. 1613, secundum Reusch 25. Jan. 1612), de quo cf. plura apud Gillow A Literary and Biographical History 1, 225—31, juramentum fidelitatis, quod exigebat a subditis etiam catholicis Jacobus I. rex Angliae, sed a sede apostolica reprobatum fuit. Scripsit propterea Bellarminus ad eundem, suum quondam amicum, prolixam epistolam. Respondit non solum ipse sed et rex in l. *Triplici nodo triplex cuneus* sive apologia pro juramento fidelitatis adversus Brevia P. Pauli V. et recentes literas card. Bellarmini etc., Londini 1607; 1609. Opposuit Bellarminus *responsionem* M. Torti (quod erat nomen illius, qui ipsi erat ab eleemosynis) etc. (cf. titulus supra in textu). Hac responsione Jacobus I. offensus opus suum sub nomine proprio iterum inprimendum censuit; quare Bellarminus pro sua responsione edidit *Apologiam*, Romae 1609. Interim haec controversia innumeris scriptis occasionem dedit (cf. Sommervogel I, 1211 ss.). Omissis adversariis acatholicis contra Bellarminum scripsit e catholicis Guilelmus Barclay Aberdoniae in Scotia natus c. 1543, juris professor mussipontanus, postea andegavensis et consiliarius regius († 1605), *de potestate papae*, an et quatenus in reges et principes seculares jus et imperium habeat, quod absolvit ejusdem filius Joannes ediditque (Londini et Mussiponti) 1609; Hanoviae 1612. Huic opposuit Bellarminus tr. *de potestate ss. pontificis* in rebus temporalibus adversus G. B. Romae 1610 (cf. Feret III, 83 ss.). Pro patre stetit filius edito l. *Pietas* sive publicae pro regibus ac principibus et privatae pro G. B. parente vindiciae etc., Parisiis 1612 in 4; cui respondit Eudaemon (de quo infra). Utriusque Barclaii opus prohibitum fuit a congregatione Indicis 26. April 1613; Jo. Barclajus suum tamen agnovit erratum atque Romam profectus (1617) admodum benevole exceptus fuit a Paulo V., et suo quondam adversario Bellarmino, ibique scripsit *paraenesin* ad sectarios de vera Ecclesia, fide ac religione ll. 2, Coloniae 1617 et saepius, germanice Aschaffenburgi 1663. Obiit Romae 1621 relictis aliis op., quae magis ad literas humaniores spectant. Patris sui est etiam l. *de regno et regali potestate*, Paris 1600. Cf. de utroque Feller 1, 399; Hundhausen KL. 1, 1987 ss. Scripserunt etiam contra cardinalem Roggerus Widringtonus catholicus Anglus (i. e. Thomas Preston O. S. Ben. qui scripserat etiam contra Lessium cf. supra p. 630), cui praeter Bellarminum in *Examine* rarissimo occurrit *apologia* Adolphus Schulkenius Geldrensis s. theologiae professor coloniensis et rector universitatis, ad d. Martini pastor († 1626). Coloniae 1613., etiam in blibl. pontif. t. II., qui l. rarus Parisiis manu carnificis igni fuit traditus; necnon Joannes Bede de la Gormandière advocatus parlamenti parisiensis, cujus est *Consultation sur la question:* si le pape est supérieur du roi en ce qui est du temporel avec la réplique du peuple chrétien et royal, Sedani 1615. Ejus quoque sunt: *Les droits de l'église catholique* et de ses prêtres (1615), quos subjicit regiae auctoritati; *de la liberté de l'église gallicane* avec l'échantillon de l'histoire des templiers, Salmurii 1646 (cf. Schulte III, 569); Ludovicus Servin († 1626) alius parlamenti advocatus. Cf. Jos. de la Servière de Jacobo I. Angliae rege cum card. R. Bellarmino super potestate cum regia tum pontificia disputante (1607—1609) thesis, Parisiis 1900. Disputatio erudita et bona. De eodem hoc argumento cf. diss. in Etudes XCIV, (1903), 628—51; E. Timpe die kirchenpol. Ansicht des K. Bellarmin in Sdralek Kirchengesch. Abhandl. III (1905), 1—133.

aeternam in tuto ponere velit, Parisiis 1612 in 8., Romae 1805, cui ed. accessit tr. nunc primum in lucem editus *de ratione formandae concionis*. *Epistolas* collegit et vulgavit Jac. Fuligatti[1]) Romae 1650. *Exhortationes* ejusdem *domesticae* prodierunt Bruxellis. Ejus *de immaculata b. Mariae V. conceptione* votum aliaque ejusdem argumenti fragmenta inedita post definitum dogma collegit, vulgavit, illustravit Xav. M. Bachelet, Paris 1905. *Lettera* al P. Clemente VIII. in materia *della grazia* exhibet Döllinger Beiträge III, 83—87, quam latine saltem ex parte dedit Serry hist. congr. de aux. p. 271. Alios Bellarmini libellos minoris momenti praetermittimus. Iterum prodierunt opera omnia, Neapoli 1856—62 t. 8 in 5 v.; 1872; Parisiis 1870—74 v. 12 in 4. Id unum adhuc in Bellarmini laudem subjicimus, eum tantae fuisse modestiae et humilitatis, ut in edendis suis scriptis a sodalium suorum praesertim Mutii Vitelleschi, Benedicti Justiniani et Andreae Eudaemonis arbitrio penderet. Hisce enim verbis scripta sua transmittebat Eudaemoni, quo prae ceteris utebatur familiariter: „R. P. Andreae Eudaemoni Joanni, ut dignetur videre ista scripta et judicare, utrum sint digna luce an tenebris[2]).“

297. Reliqui Itali longe a Bellarmini eruditione et merito distant. Alexandri a Turre (Turriani) congr. can. later. Cremensis[3]), episcopi scityensis et hierapetrensis († 1622) prodierunt *de fulgenti radio hierarchiae Ecclesiae militantis* ll. 10, in quibus disserit de ordine et majestate rom. Ecclesiae deque cardinalium amplissimo coetu; radios XI—XXIV habes in Roccaberti B. M. P. t. II; Romae 1588 v. 2 in 4; *Triumphus revelatae theologiae de animarum humanarum dignitate* ll. 16, Venetiis 1611. — Aloysius Alberti Patavinus n. c. 1590. O. S. Aug., qui primus ex suo ordine in academia patavina a. 1607 ss. libros est interpretatus († 1628), innotuit tractatu *de reali praesentia Christi in eucharistiae sacramento*, Patavii 1613; *de praedestinatione et reprobatione*, Venetiis 1622. 1623; *disp. an rerum aeternarum detur efficiens causa* et de creatione tum nova tum aeterna, Patavii 1594; *de operibus sex dierum* et de terrestri paradiso, 1618; 1619. — Alphonsus Bavosi Can. reg. ss. Salv. Bononiensis, theologiae lector, congregationis suae praepositus generalis (1616), bis in eodem munere confirmatus († 5. Maj. 1628) composuit *disputationes catholicas*, in quibus praecipue Graecorum quorundam opiniones orthodoxae fidei adversae rejiciuntur, Bononiae 1607 in 4; *controversias miscellaneas*, Venetiis 1580; 1589; Bononiae 1607, scil. e theologia scholastica et morali, et ex philosophia. — Gabrielem Pennotto ord. cler. reg. can. Novariensis „pessime Calviniani omnes oderunt, quod lethales ab eo plagas acceperint[1]),“ propter l. cui titulus: *Propugnaculum humanae libertatis* seu controversiae pro humani arbitrii libertate contra philosophos, astrologos judiciarios et haereticos tuenda et cum certitutine divinae praescientiae, im-

[1]) Hic autor patria fuit Romanus, professione S. J., in qua annos degit fere 60. Scripsit et aliorum biographias († 1653), ut s. Francisci Xaverii, b. Bernardini Realino, Petri Canisii, s. Franciscae Romanae, ediditque ex Codd. antiquissimis *Martyrium* ss. Abundii, Abundantii, Mariani et Joannis, Romae 1638. Cf. Sommervogel III, 1064.

[2]) Cf. Petra Sancta l. 2. c. 5. De operibus Bellarmini cf. Sommervogel 1, 1151—1254 sub n. 55.

[3]) Cf. Celsum de Rosinis in lyceo lat. ill. script. sacri apostolicique ord. cler. can. reg. Salvatoris later. l. 1.

[1]) Dechamps de haer. jansen. l. 2. disp. 8. c. 11. n. 5. Notior tamen est Pennotto propter suam generalem totius ordinis clericorum canonicorum *historiam tripartitam*, Romae 1624 in f.; Coloniae 1645, de qua scribit Feller (VI, 457): „Elle est curieuse et pleine de recherches.“ Cf. Jan. Nic. Erythraeum pinac. 2. imag. 55.

mobilitate divini decreti et efficacia divinae motionis concilianda ll. 10, Lugduni 1624; quod opus ad humanam libertatem tuendam destinatum etiam apud Arminianos vigebat et multorum manibus versabatur, teste Guilelmo Tussio[1]). — Hieronymus Floravantius (Fiorovanti) S. J. Romanus, Urbano VIII. a confessionibus, bonus theologus, latinae, graecae, hebraicae, arabicae, syriacae et hetruscae linguae peritia excultus, quondam etiam theologiae moralis professor († 9. Oct. 1630), scripsit eximie a Franc. Suarez[2]) laudatos *de bb. Trinitate* ll. 3, Moguntiae 1616 in 4; Maceratae 1618 in 4; Parisiis 1624 in 4; Coloniae 1624; quorum primus est contra haereticos, secundus inter scholasticos, tertius contra gentiles. *Explanatio in nonnulla s. Scripturae loca,* Antwerpiae, sed juxta Sommervogel dubium est, num hic liber exstet. — Hujus sodalis Balthasar Chavasse Sabaudus, patria Scalentinus, philosophiae annis 6, et 13 theologiae moralis professor († 20. Sept. 1634), reliquit *de notis certissimis verae religionis* ll. 4, quibus accedit codicillus ad resipiscentes, Ingolstadii 1611 in 4; *professio verae et orthodoxae fidei,* additis commentariis, in quibus plana accurataque ejusdem profertur ratio et evangelicis respondetur illam impugnantibus, ib. 1613 in 4; *Antidote de la Confession de foy des Eglises pretendues reformées*, Lugduni 1616; *de vera perfectaque prudentia* ll. IV, Ingolstadii 1620 t. 2 in 4; Lugduni 1622 ed. auctior. — Balthasar Bologneti O. Serv. B. M. V. Bononiensis, insignis plane concionator, ad cujus conciones tantus quandoque erat populi concursus, ut publica auctoritate ratio concionis audiendae esset praescribenda. Senatus bononiensis ei contulit cathedram theologiae. Magni eum fecit Paulus V., qui illum auctoritate apostolica (1614) generalem ordinis designavit, quo in munere eum confirmavit Gregorius XV, ac demum (1624) Urbanus VIII. neocastrensem episcopum creavit († 1629). Composuit l. inscriptum *dogmata catholicae fidei,* prout cum haereticis illius temporis eadem per Germaniam legati apostolici theologus vel declamando vel disserendo explicaverat[1]): utrum vero prodierit nobis non constat[2]).

[1]) Apud Dechamps l. c. l. 2. disp. 2. c. 15. n. 3.

[2]) Cf. Sotvellum bibl. script. S. J.

298. Jura primatus romani pontificis plures defenderunt. Ita Jacobus Montanari O. S. Fr. theologiae magister et professor in universitate bononiensi, ordinis in curia procurator, vicarius generalis, demum (1617) diu minister generalis totius ordinis. Vir doctrina et pietate magnus, strenue adlaboravit, ut quaque ex parte omnibusque modis vita communis in ordine firmaretur, ob quam multa constituit et scripsit[3]), donec labore magis quam aetate consumptus Venetiis obiit a. 1631. Disseruit *de romanae Ecclesiae principatu et monarchia*, Romae 1608. — Marcus Antonius Capelli O. Min. Conv. Estensis prope Patavium natus. Primum stetit pro re-

[1]) Cf. ap. Markel p. 51 s.; Ughelli, Italia sacra 570; Fantuzzi 2, 241.

[2]) Mentio hic fieri potest etiam Joannis Mariae a s. Joseph O. Carm. Genuensis ex nobilissima Centurionum familia, qui constanter recusato Hiberniae archiepiscopatu in publica solemnique disputatione Lublini habita 1620 Joannem Statorium aliosque Socinianos devicit (Cf. Jo. de Cruce in Fleurii hist. eccl. contin. l. 193. § 10). Hic vir scientia omniumque virtutum fama illustris praeter *acta disputationis* praefatae (Cracoviae 1621) conscripsit *commentaria in theologiam et philosophiam universam* et opera ascetica quam plurima t. 7 Mediolani excusa († 1635). Ita Alex. a s. Jo. de Cruce cf. cit. 199. § 19.

[3]) Ea recenset Sbaraglia p. 374 s., sicut et ascetica, inter quae *Livrea spirituale* complectens doctrinam christianam, regularem, spiritualem, iteratis vicibus editam. Cf. Jeiler KL. VIII, 1828.

publica veneta, sed re melius expensa scripta pro ea in controversia cum Paulo V. reprobavit retractavitque ac deinceps strenue jura pontificis propugnavit († 1625). Praeter alia reliquit[1]) disp. *de summo pontificatu b. Petri* et de successione episcoporum rom. in eundem, Coloniae 1621 in 4, adversus de Dominis et Godefroy; *adversus praetensum regis Angliae primatum* liber, Bononiae 1610 in 4; dissertatio *de appellationibus ecclesiae africanae ad sedem romanam* M. Antonio de Dominis opposita, Parisiis 1622; et tertia vice Romae 1722 curante Joanne Bontonio praemissa diatriba de Capelli vita et scriptis. Haec tria opera prostant etiam in Rocaberti bibl. pontif. t. XVI, 1—252. Adversus Hier. Vecchietti (de quo infra) scripsit l. *de anno primitivo* et tract. *de coena Christi suprema* deque praecipuis vitae ejus capitibus, Parisiis 1625, a Gravesonio quidem impense laudatum, sed „quanti liber ille sit, inquit Petavius[2]), melius intelligo. Est enim imperitiae inscitiaeque plenissimus;" et iterum: „Qua in quaestione tractanda, ut et ceteris non dissimilis argumenti, cum imperitissime versetur; fuit enim quantum ex hoc opere conjici potest, ejus quam instituebat artis apprime rudis." — In tuendis pontificis juribus nimium progressus est Alexander Carriero (Carerius) Patavinus n. 1548, praepositus ad s. Andream, collegii juris consultorum decanus, in scribendo satis mordax († 20. Aug. 1626), in op. *de potestate summi pontificis* ll. II adversus impios politicos et hujus temporis haereticos Patavii 1599 in 4., in quo tuetur „papam habere plenissimam potestatem in universum orbem terrarum tum in rebus ecclesiasticis tum in politicis," ideoque vehementer in Bellarminum invehitur, quod neget pontificem esse rerum omnium dominum, imo ei prae aestu anathema dicit. Prohibitum tamen fuit hoc opus donec corrigatur 19. Jul. 1600, illudque impugnavit Gretser. Disseruit quoque *de somniis* deque divinatione per somnia, Patavii 1575; *de sponsalibus et matrimonio* apud Zitellum IX, 61. — Contra de Dominis insurrexit etiam Zacharias Boverius O. Cap. pedemontanus, Salutiensis, vir famigeratissimus,

De cujus aperto coelitus ore vere salutis ensis utraque parte acutus processit,
Tum ad fidei orthodoxae impios oppugnatores interimendos,
Tum ad interemptos antiquitatis gladio
Seraphicos Capuccinorum alumnos
Et patres vitae restituendos.
Qui tum sanctorum monumenta et patrum exempla evolvit,
Et revolvenda sectandaque calamo scribae velociter scribentis exposuit,
Ipse quoque non vulgaria religiosae vitae exempla reliquit.
Plenus dierum ac bonorum operum...
Obiit Genuae aetatis suae a. 70. religionis 48. d. 31. Mart. MDCXXXVIII[1]).

Edidit inter alia: *Paraenesis catholica* ad M. Ant. de Dominis olim archiep. spalatensem, nunc vero a s. romana Ecclesia apostatam et in Angliam transfugam, in qua examinantur et refelluntur 4 ll. eodem auctore vulgati de re-

[1]) Cf. Franchini, bibl. di scrittori convent. p. 414; Jeiler Kirchenl. II, 1882. „Fuit Capellus ipse, inquit Buddeus Isag. historico-theol. ad theol. univ. l. 2. c. 5. § 8. p. 801 s., ex illorum numero, qui venetorum causam contra Paulum V. agebant et ad imminuendam pontificum potestatem omnes ingenii conferebant vires; deinceps autem mutata sententia studio potestatem auctoritatemque eorum extollendi omnes fere superavit. Documento esse potest dissertatio *de absoluta omnium rerum sacrarum immunitate a potestate principum laicorum* ex lege naturae, Mosis et Christi," quae tamen edita non videtur.

[2]) Epist. II, 21 et ep. 11.

[1]) Hoc est ejus epitaphium; cf. Bernardus a Bononia bibl. script. O. Min. Cap. p. 248; Mazzuchelli, Scritt. ital. 2. III, 1915.

publica christiana et ecclesiastica, Lugduni 1618 in 4; *Censura* in tr. de legitima cardinalium creatione Dominico Veneto ep. Torcellano inscriptum, sed ab eodem M. A. de Dominis in lucem editum, Mediolani 1622; *Demonstrationes symbolorum verae et falsae religionis* adversus praecipuos ac vigentes catholicae religionis hostes, scil. atheistas, Judaeos, haereticos, praesertim Lutheranos et Calvinistas in 5 ll. distributae, Lugduni 1617 in f. (etiam in *Bibl. max. pontif.* t. XX). Primus l. est totus contra atheistas; secundus contra Judaeos; tertius agit de demonstrationibus symbolorum verae religionis in genere; quartus de examine sectae lutheranae et calvinianae ad proposita symbola; quintus de demonstrationibus symbolorum romanae religionis in specie. Quod tamen opus in nonnullis corrigendum censuit s. Inquisitio[1]). *Orthodoxa consultatio* de ratione verae fidei et religionis amplectendae ad serenis. Carolum Stuartum Valliae principem, Jacobi magnae Britanniae regis filium, in communem omnium verae religionis studiosorum gratiam et utilitatem, Matriti 1623 in 4; Romae 1635 in 4. *Annales Minorum Capuccinorum,* Lugduni 1632 et 1639 t. 2 in f., qui pertingunt ab hujus ordinis ortu usque ad a. 1612. Ad a. 1570 multum usus est volumine chronographico collecto ab ejus sodali Francisco a Canobio († 1570) vitae seraphicae speculo, unde illius honorifice meminit t. 1. Tertium adjecit (scil. p. 1. et 2. usque ad a. 1634) Marcellinus de Pise[2]), Lugduni 1676 (m. 120). Scripti sunt hi annales stilo eleganti, sed deest judicium criticum, et cum acriori calamo uteretur in alias s. Francisci sodalitates, prohibiti quondam fuere duo priores tomi, donec corrigerentur, decr. 18. Julii 1651; permissi fuerunt correcti juxta decretum 19. Nov. 1652. Contra illos scripsit Jac. de Riddere (1675) *Speculum* Fr. Min. O. S. Fr., Antwerpiae 1653 (ed. 2.); pro Boverio ejus sodalis P. Carolus ex nobilissima familia de Arembergh[1]), cujus est *Clypeus seraphicus* sive scutum veritatis in defensionem annalium etc., Coloniae 1643; et Marcus Ant. Galitius († 1665) *Dilucidationem speculi apologetici* sive propugnaculum historiae Annalium P. Z. Boverii, Antwerpiae 1653, cui eodem a. Riddere respondit. Illos nostra aetate ad a. 1719 continuavit Pereyvinus de Forli Mediolani 1883 t. 4.

299. His adjungimus quosdam natione *Graecos,* viros eruditos, qui in Italia diu commorati sunt. Inter hos primae debentur Petro Arcudio Corcyrensi, qui decennis Romam venit et omni literarum genere in Graecorum collegio fuit excultus, philosophiae atque theologiae doctor creatus. Cum eruditione prudentiaque excelleret, a Clemente VIII. iterato Moscoviam fuit destinatus, ut quasdam de doctrina controversias componeret, et ad alia quo-

---

[1]) Cf. Döllinger und Reusch die Selbstbiographie des Card. Bellarmin p. 241.

[2]) Hujus, qui natione fuit Gallus, patria Matisconensis, religione Capuccinus, exstant *Moralis encyclopaedia* i. e. scientiarum omnium chorus expendens ss. evangelia, Venetiis 1634—37 t. 1. et 2; Parisiis 1640 t. 3; Lugduni 1656 t. 4. concionatoribus destinata; *commentaria literalia et moralia in Evangelium s. Matthaei,* Lugduni 1656, t. 3 in f. *Vita et gesta Urbani VIII. summi pontificis,* Romae 1645 in 4. Plura cf. in bibl. franc. 312 s.

[1]) Obiit piissimus hic religiosus stirpe nobilissima clarus, clarior virtutibus et spretis honoribus saepe sibi oblatis Bruxellis 5. Jun. 1669. Collegit quoque *flores seraphicos* sive icones, in quibus continentur vitae et gesta virorum illustrium Capuccinorum, qui ab a. 1525 usque ad a. 1612 in eodem ordine miraculis ac vitae sanctimonia floruerunt, Coloniae 1640 t. 2 in f.; Antwerpiae 1640; Mediolani 1648 (m. 70). Cf. Biogr. nat. de Belgique I, 401 —5. — Maximilianus Degendorfiensis O. Cap. *Epitomen* horum annalium germanicam dedit Monachii 1664. Cf. Gaudentius Beitr. p. 278 a.; Jeiler KL. II, 1170—72.

que adhibitus negotia. Cum pontificis venia ritum graecum cum latino commutavit. Aliquot annis ante mortem in terram projectus fuit ab equo atque ita male affectus, ut pedibus uti amplius non potuerit; quotidie tamen in bibliothecam portari voluit, ibique a mane usque ad vesperam studiis vacans remansit[1]). Quando obierit incertum est, vixit[2]) tamen adhuc a. 1632. Plurima reliquit opera, quorum praecipuum est *de concordia Ecclesiae occidentalis et orientalis* in septem sacramentorum administratione, Parisiis 1619; 1626 in 4: quo in opere probare nititur, ecclesias illas antiquissimas in re sacramentaria concordes esse. Quod si alicubi nonnulli abusus vel falsae interpretationes in ecclesiam Graecorum posteriorum schismaticorum opera irrepserint, eos detegit et auctoritate ss. patrum tam graecorum quam latinorum rejicit. Si quid etiam est, quod cum antiquitatem redoleat, difficultatem tamen aliquam patitur, excusat illud auctor et in bonam partem accipit hoc ipso, quod vetustum sit et propterea tolerandum. Frustra vero protestantes ad quendam inter ecclesiam catholicam et graecam dissensum in rem suam provocare ostendit[3]). Idcirco vero etiam opus hoc magni aestimatur, quod plura pretiosa antiquitatis monumenta complectitur. Nimiam tamen stili acerbitatem in illo carpunt viri eruditi[4]). Ita de eo Allatius pronunciat[1]): „Vir pius, integer, veritatis amans, sectariorum hostis, quorum et nomina abhorruit, plus tamen aequo ardentius, et cum posset saepenumero rationibus, injuriis maluit tutari sententiam; sic dum omnia, quaecunque excerpserat, in quocunque argumento dicere studet, plerumque a proposito digressionibus iisque longissimis rem

[1]) Cf. Erythraeum, Pinac. I, 225, qui alterius Arcudii, Francisci cognomine meminit II, 23.

[2]) Ut colligitur ex Allatii l. apes urbanae.

[3]) Contra hoc opus edidit Joannes Baptista Catumsyritus Italo-graecus, canonicus et vicarius generalis crassetanus: *Vera utriusque Ecclesiae concordia,* Venetiis 1632, in qua zelo inconsiderato et minus aequo aggreditur Graecos, unde ejus opera decr. 9. Maj. 1636 fuere quondam prohibita ,exceptis iis, quae ab auctore sunt recognita, Romae iterum edita ac probata.' Cf. Reusch II, 146.

[4]) Cf. Dux, KL. I, 1269, qui praeeunte Feller (I, 237), ita de eo scribit: „Die Grundsätze in den Schriften des Arcudius sind gewiß die richtigen, aber es fehlt in denselben die Ordnung und der Stil ist etwas nachlässig. Alle haben im Ganzen den Hauptzweck, die römische Kirche und ihren Glauben gegen das griechische Schisma zu vertheidigen, ein Zweck der den Verfasser den Mitgliedern letzterer Kirche verhaßt machte, und von Seite ihrer Schriftsteller ihm bittern Hohn und Spott zuzog. Der gelehrte Leo Allatius, selbst ein Grieche, läßt ihm mehr Gerechtigkeit widerfahren, obgleich er meint, des Arcudius Eifer habe an einem Übermaß gelitten." Cf. Andres l. c. 1. c. 5. p. 368; Tiraboschi t. 14. l. 2. c. 1. n. 2; Dupin XVII, 56 ad Allatii censuram provocans. Acrior est censura, quae habetur in op. Perpétuité de la foi t. 4. l. c. 1. (ed. Mig. 3, 24 s.): „Son ouvrage est plutôt une controverse continuelle contre les Grecs, qu'une exposition fidèle de leur doctrine et de leur discipline sur les sacrements: il les accuse souvent mal à propos, et il paraît que la règle de la foi suivant laquelle il examinait les Grecs s'éloignait souvent de la tradition, dans la crainte de s'écarter tant soit peu de ce qu'il avait appris dans l'école, car il n'avait pas d'autre théologie. C'est pourquoi il condamne dans les Grecs plusieurs cérémonies et diverses prières sacramentelles: ce qui ne s'accordait pas avec l'approbation que les papes avaient donnée en plusieurs occasions aux rites grecs. Aussi quoiqu'il eût composé son ouvrage à Rome, où il avait eu des emplois considérables, il ne put l'y faire imprimer, et il l'envoya à Paris. Mais on reconnaît assez qu'on n'en a pas tiré de fort grands secours pour la connaissance exacte de l'église grecque moderne; d'autant même qu'il était très-peu versé dans la lecture des livres grecs du moyen et du dernier âge, quoiqu'elle soit absolument nécessaire."

[1]) De eccles. occid. et orient. perpetuo consensu l. 3. c. 7. § 13.

et orationem perturbat.« — Alia ejusdem opera sunt: *De purgatorio* utrum detur et an per ignem sit, Romae 1632 in 4; *de purgatorio igne* adversus Barlaamum, graece et latine cura Pantal. Lingaridii, ib. 1637 in 4. *Breviarium rituum et caeremoniarum Graecorum; novum antilogium,* graece, Romae 1598 in 4; quod Allatius l. c. acriori censura perstringit, quasi in eo componendo cômpilator se intra ss. patrum terminos non continuisset, et plus sapere sibi visus sit, quam ipse divinus Spiritus voluit, quum vetera immutat, integra obtruncat, perfecta immiscet et de suo addit incompta atque insulsa, neque cum graecis ipsis communia. »Quo pacto, inquit, stomachum sapientibus movit, et opus alias laudabile dehonestavit«[1]). *Menologium graecorum* jussu Basilii junioris imp. const. ante a. 984 conscriptum latine versum, quam versionem Ughelli t. VI. Italiae sacrae inseruit. *Opuscula aurea theologica* quorundam clarissimorum virorum posteriorum graecorum circa processionem Spiritus s., Romae 1630 in 4; 1671, collectio praestans et utilis.

300. Alius est Andreas Eudaemon-Joannes S. J. Cydonius natus in Candiae insula, e Palaeologorum imperatoria familia, qui prima aetate in Italiam venit ac praesertim Romae non modo humanioribus, sed divinis etiam institutus est literis. Philosophiam Romae, Patavii theologiam publice cum laude professus est. Urbano VIII. carus fuit in paucis, unde redux in Urbem Graecorum collegio rector ab illo est praepositus. Magna quoque ut vidimus auctoritate et gratia apud Bellarminum valuit, *de cujus pio obitu narrationem* edidit Dilingae 1621 († 24. Dec. 1625). In fidei controversiis eximie doctus strinxit calamum in varios fidei catholicae hostes ediditque inter alia[1]): *Castigatio apocalypsis apocalypseos* Thomae Brightmanni, Coloniae 1611 in 8; *castigatio* eorum, quae adversus R. Bellarmini controversias scripsit *Lambertus Danaeus* calvinista, Ingolstadii 1605; *epistola monitoria* ad Joan. Barclaium, Guil. filium, de l. ab eo pro patre suo contra Bellarminum scripto (cf. supra p. 693 a.), Col. Agrippinae 1613 in 8; *Refutatio exercitationum* Isaaci Casauboni ll. 2 ad Rob. card. Bellarminum, ib. 1613 in 4; *Defensio Annalium ecclesiasticorum* Baronii . . . adversus falsas calumnias . . . Casauboni etc., Coloniae 1617; *responsio ad epistolam* I. Casauboni, ib. 1612 in 8; *de antichristo ll. 3* adversus Rob. Abbotum, Ingolstadii 1609 in 8; *Apologia* pro R. P. Henr. Garneto, Coloniae 1610; *Responsio* ad c. 4. exercit. I. I. Casauboni, ib. 1615; et ad antilogiam R. Abboti adversus Garneti apologiam, ib. 1615; *Parallelus Torti et Tortoris ejus* Lancelloti Cicestrensis sive responsio ad Torturam Torti pro ill. card. Bellarmino, Coloniae 1611 in 8; *admonitio* ad lectores ll. Marci Ant. de Dominis, ib. 1619 in 8. etc. — His duobus jungendus est Joan. Matthaeus Caryophilus, Cretensis, archiepiscopus iconiensis, qui cum, teste L. Allatio, inter Graecos non posset vitam tuto ducere, Romam reversus in collegio Graecorum literas humaniores docuit († 1636). Scripsit inter alia confutationem Nili thessalonicensis *de primatu papae* graece et latine Parisiis 1626 in 4; et in Rocaberti B. P. M. XIV, 478—555; *refutationem pseudochristianae catecheseos* a Zacharia Gergano *editae,* graece et latine, Romae 1631 in 4; *censuram confessionis fidei* seu potius perfidiae calvinianae, quae nomine Cyrilli patriarchae constantinopolitani circumfertur, ib 1631 in 8; *Vitam s. Nili* ab. Cryptae Ferratae († 1004) forte b. Bar-

[1]) Cf. Zacharias bibl. rit. l. c. 4. a. 1. n. 22.

[1]) Cf. Sotvellum Bibl. Script. S. J.; Sommervogel III, 482—86; Grube KL. IV, 953.

tholomaeo auctore, graece et latine, Romae 1624; in Act. SS. 26. Sept. VII, 283—343; Migne P. G. latine tantum edita LXI, 509—88; et alia a Leone Allatio memorata [1]). — Eodem fere tempore Neophytus Rhodinus, Cyprius, monachus O. S. Basilii, cujus idem meminit Leo Allatius, edidit lingua graeca l. *de septem Ecclesiae sacramentis,* Romae a. 1628; *Panoplia* [2]) ib. 1630; *de processione Spiritus s.* et de primatu papae, ib. 1629; *martyrium s. Mamantis,* accedit de viris illustribus cypriis, heroibus, ducibus, philosophis etc., 1659 etc.

301. In Gallia rem catholicam strenue egerunt e societate Jesu praeter Martinum Vauthier alias Perin dictum († 13. Oct. 1622) — Jacobum Isnard Alvernum († 28. Dec. 1629), cujus praeter *catecheses* (gallice Grenoble 1628) est *La Defense de l'infaillibilité* du S. Siège, Tournon 1622 adversus A. de Vinay pastorem calvinianum — Caesarem Franc. Haraucourt de Chamblay († 26. Febr. 1640) — Leonardum Patornau Salinensem († 17. Maj. 1639) — Ludovicus Richeome Digniensis, propter eloquentiam a nonnemine dictus *Cicero gallus,* vir »sive doctrinam spectes sive prudentiam, sive quae ceteris eminent, pietatem et religionem, merito inter prima societatis gallicae lumina numerandus [3]).« Magno in honore fuit apud Henricum IV., qui tanti libros illius fecit, ut eos inter graviores etiam regni curas studiose lectitarit. Insigni excelluit humilitate, quae ei persuasit, ut *confessionum ll. 4* (ineditos) s. Augustini imitatione conscriberet; quibus ea, quae in se vitiosa credebat, palam fecit, et virtutis hujus studio jam fere octogenarius et pedibus captus, deferri se curabat ad locum patinis detergendis destinatum et trementibus digitis vile ministerium exercebat. Obiit Burdigalae 16. Sept. 1625 octogenario major. Funus decoravit incredibilis hominum omnis generis consursus omniumque senatorum supremae curiae burdigalensis praesentia. Omnia ejus opera (lingua materna exarata) prodierunt Parisiis 1628 v. 2 in f. Plura sunt ascetica, alia apologetica (pro societate Jesu); conciones et sermones, reliqua polemica [1]), e quibus nonnulla adducemus: *La saincte Messe déclarée et défendue* contre les erreurs Sacramentaires de nostre temps, ramassez au livre de l'institution de l'Eucharistie de du Plessis, Burdigalae 1600 v. 2 in 8; Atrebati 1601; *Victoire de la Vérité catholique* contre la fausse vérification du sieur du Plessis, sur les lieux impugnez de faux au livre de la Saincte Messe, Burdigalae 1601 in 8; *L'Idolatrie huguenote* [2]) figurée au Patron

[1]) De eccles. occid. et orient. perpetuo consens. l. 3. c. 7. § 14; Feller II, 369, Erythraeus pinac. 1, 124; Buddeus Isag. historico-theol. l. 2. c. 7 § 10. p. 1408. Cf. supra II, 1324 a.

[2]) Cf. Fabricium Biblioth. graecae t. 11. p. 340. ed. Harl., ubi alia ejusdem scripta recensentur.

[3]) Ejus tamen scribendi ratio fuit secundum Historiam S. J. p. 6. l. 10. n. 102 „non illo quidem nitore, quo postmodum florere gallicus sermo coepit, pro eo tamen, quod tunc maxime probabatur, eloquentiae genere doctorum judicio commendatissima.“

[1]) Cf. Sotvellus p. 572; Sommervogel.

[2]) Prodiit latine: *Idolalatria Huguenotica seu Luthero-calvinistica.* Moguntiae 1613 in 8. interprete Marcellino Bompar S. J. Embrodunensi, qui etiam alios Richeomii tractatus latine vertit († 1623). Epitomen exhibet Werner, Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur der christlichen Theologie IV, 657. ubi ita de hoc opere judicat: Von geringerem Umfange und auch geringerem geistigen Gehalte, mehr witzig und sarkastisch, als gelehrt und gründlich, ist ein anderes Werk, welches gleichfalls eine Charakteristik des Hugenottenwesens im Allgemeinen gibt. Verfasser desselben ist der Jesuit Richeome, welcher den Hugenotten auf ihre Schmähungen über den idololatrischen Papismus antworten will. Locutus autem erat antea Werner de opere

de la vieille payenne ll. 8, Lugduni 1608 in 8; *le Pantheon Huguenot descouvert et ruiné* contre l'auteur de l'Idololatrie Papistique, Ministre de Vauvert, ib. 1610 in 8; *l'immortalité de l'ame* déclarée avec raisons naturelles, tesmoignages humains et divins pour la foy catholique contre les athées et libertins, Parisiis 1621 in 8. — Hunc a. sequenti (19. Mart. 1626 a. aetatis 63) secutus est Petrus Coton Foresianus e dioecesi lugdunensi (n. 7. Martii 1564), insignis quidem theologus polemicus, sed aliis de causis nominatissimus. Post singularem a societate Jesu aversionem, hujus factus est ornamentum. Cum autem in eo eluceret magna dicendi gratia, jussus per quadragesimam a. 1592 publice concionari, tanta id fecit commendatione, ut ex illo nunquam concionari desierit, et omnino tricies et quinquies quadragesimalem concionum cursum absolverit[1]). Saepius cum Calvinistis disputavit[2]), illos acriter voce et stilo insectatus est, hinc saepius gravia subiit discrimina, semel etiam graviter vulneratus est. Gratia valuit apud Henricum IV, qui ei archiepiscopatum arelatensem obtulit, purpuram quoque voluit impetrare, nisi Cotonus modis omnibus obstitisset; filium coronae heredem instituendum credidit. Sua vero apud regem auctoritate nonnisi in religionis catholicae commodum utebatur. Etiam Ludovico XIII. a confessionibus et concionibus fuit. Demum anno 1617 venia impetrata reliquit aulam, atque Lugdunum abiit ad tirocinium sui ut ajebat colligendi causa; verum indefesso zelo gloriam Dei ad finem usque vitae promovit. Solidis plane excelluit virtutibus, sed miraculi instar erat immota ejus animi tranquillitas ac summa divinis in rebus attentio inter innumera licet aulae negotia, inter gravissima pericula, calumnias acerbas, inter acres procellas, quibus agitabatur[1]). Ex pluribus ejusdem operibus[2]), quae partim sunt ascetica, partim apologetica (valida pro societate Jesu), partim polemica, potiora sunt: *Du tres-Sainct et tres-Auguste Sacrement et Sacrifice de la Messe,* des merveilles, figures, verité, antiquité et parties d'icelle. Discours contre les erreurs de notre siècle et les cayers d'un Predicant à Grenoble, Parisiis 1600 in 8; *Institution catholique* où est declarée et confirmée la verité de la foy contre les hérésies et superstitions de ce temps ll. 4, qui servent d'antidote aux quatre ll. de l'Institution de J. Calvin[3]), ib. 1610 v. 2 in 4; opus valde rarum; latine versum a Ludovico Cressolio S. J.[4]), Moguntiae 1618 in 4; *Génève*

Feuardentii *Theomachia calvinistica*, de quo cf. supra p. 416.

[1]) Ita a. 1617. Lugduni habuit 220 conciones publicas ad populum, privatas vero ad familias religiosas tot, ut eum piguerit eas numerare.

[2]) Trium disputationum *acta* edidit, scil. cum Chamiero et Gigord.

[1]) Cf. Sotvellum l. c.; Gramond hist Galliae p. 678 ita de Cotono scribit· „Coton était l'orateur le plus éloquent de son siècle, le religieux le plus désintéressé, le plus modeste; il conserva la vertu au milieu de la contagion de la Cour: c'étoit un lis entre les épines; il étoit très-savant, et sa science ne le cédoit qu'à sa sainteté. Cf. Dupleix, Histoire de Henri le Grand p. 349; Feller III, 111; P. Dorleans S. J. *la Vie du P. Coton* etc., Parisiis 1688 in 4; Roverius de vita P. C., Lugduni 1660; Prat S. J. Recherches historiques et critiques sur la Compagnie de J. en France du temps du P. Coton, ib. 1876 t. 4; Bauer KL. III, 1159.

[2]) Cf. Sommervogel II, 1539—60, ubi etiam recensentur plurimi libri et libelli occasione operum Cotoni scripti.

[3]) Summarium exhibet Fabricius hist. bibl. fabr. III, 364 s.

[4]) Ludovicus Cressolius S. J. Armoricus e dioecesi treconensi († 11. Nov. 1634), nonnulla alia reliquit opera (cf. Sommervogel II, 1654), ex quibus laudat Bona illud, cui titulus: *Mystagogus de sacrorum hominum disciplina,* opus varium, e stromatis ss. patrum et aliorum eruditione contextum, quo Scriptura explicatur, patres illustrantur, scriptores emen

Plagiaire ou vérification des depravations de la parole de Dieu, qui se trouvent ès Bibles de Génève, Parisiis 1618. in f. cum responso ad exceptiones, Lugduni 1619.

302. Stephanus Moquot ex eadem societate Niverniensis, Calvinistarum acerrimus impugnator († 6. Nov. 1628 a. aetatis 57), protestantium inter se discordiam praeclare sciteque depingit[1]) in l. *La guerre ministrale,* ou descouverte de la prétendüe Harmonie et imaginaire fraternité des Calvinistes, Luthériens et autres Sectaires de ce tems, Pictavii 1619 in 8; *L'Examen et Censures des Bibles et de la Confession de Foy* des Eglises prétendues réformées de France: de leur manière d'administrer les Sacremens, et de leurs Prières et Catéchisme, ib. 1617 in 8; *Abregé de l'examen et censures des Bibles et corps de la doctrine* des Eglises prétendues réformées de France, comprise en leur profession de Foy, manière d'administrer les Sacramens et Catéchisme, où les Ministres sont combattus avec leurs propres maximes, et convaincus de conduire les ames droict a l'Athéisme, ostans toute parole de Dieu du monde. A ceste édition sont adjoustées trente manières de corrompre l'Escriture, familières aux Ministres et plusieurs autres de leurs prodigieux paradoxes, Burdigalae 1624 in 8. — Eundem fere scopum persequitur Bernardus Galtier († 6. Apr. 1629 a. aetatis 65) in l. *l'Apocalypse de la Réformation,* ou la Révélation des Mystères de la prétendue réformée (12 discours), Pictavii 1620 in 8., in quibus nititur ostendere Calvinistarum dogmata ad hoc tendere, ut homines abjecta pietate et coelestium rerum cura secundum carnem vivant. — Josephus Malavalette S. J. Ocitanus († 21. Febr. 1632) concionibus suis plures e Calvinianis ad veram Ecclesiam reduxit, et nonnulla opuscula hunc in finem typis mandavit[1]). — His longe acrius in Ecclesiae hostes invectus est Franciscus Garasse Engolismensis, concionator facundus, qui vivacitate sua, salibus atque facetiis innumeros attraxit auditores. Vir erat in pugnando acer, in conversatione vero admodum modestus et mansuetus caritatisque in proximos adeo memor, ut cum Pictavii saeva lues grassaretur, multis precibus exoraverit moderatores suos, ut sibi liceret tabe infectis inservire. Quod cum obtinuisset, in iis demum piis officiis in hospitali domo inter infectos, quos verbo et exemplo moriens hortabatur, sanctissime et religiosissime consumptus est 14. Jun. 1631 a. aetatis 46. Reliquit plura opera, stilo bilioso nimis et acri[2]), theologo minus digno conscripta, quibus adversarios ad iram et vindictam provocavit; desunt quoque judicium et ordo. Inter ea sunt *La doctrine curieuse des beaux esprits* de ce temps, ou prétendus tels; contenant plusieurs maximes pernicieuses à l'Etat, à la religion et aux bonnes moeurs[3]). Pari-

dantur, antiquitas lucem capit, mores instituuntur, Lutetiae Parisiorum 1629 in f.; 1638 v. 2 in 4. „Rerum pulcherrimarum plenum" dicit hoc opus Fabricius, bibliogr. antiquar. p. 167; *Anthologia sacra* seu de selectis piorum hominum virtutibus animique ornamentis, Lutetiae P. 1632 in f.; 1638.

[1]) Alia ejusdem opera cf. apud Sommervogel V, 1269—74.

[1]) Cf. Sotvell., Sommervogel V, 298—300.

[2]) Feller IV, 999 de eo scribit: Ce jésuite, si amer dans ses livres, était doux dans la société; sa colère n'est que dans sa plume: ses actions et sa conduite portaient l'empreinte de la charité. Dans des temps plus modernes, le style de Garasse a provoqué l'imitation de plus d'un homme célèbre. Son livre *les Recherches des recherches d'Etienne Pasquier,* peut être regardé comme les archives, où Voltaire a puisé les injures qu'il a prodiguées a tant d'écrivains. Cf. ejus opera apud Sommervogel III, 1184—94.

[3]) Backer 1, 2033 de hoc opere ait: „Oeuvre d'un style bouffon nullement appropiée à la gravité du sujet. Cf. Kerker KL. V, 93—96.

siis 1624 in 4., et *Apologiam* hujus l. ib. 1624; *La somme theologique des vérités capitales de la religion chrestienne*, ib. 1625 in f.; *Elixir calvinisticum* seu lapis philosophiae reformatae, a Calvino Genevae primum effossus, dein ab Is. Casaubono Londini politus, Charenton 1615 sub nomine A. Schioppii. Instante Sancyrano Summa ejus damnata fuit a facultate sorbonica »quod multas propositiones haereticas, erroneas, scandalosas et temerarias contineat, tum non pauca s. Scripturae et ss. patrum loca perperam citata, depravata et a suo germano sensu detorta, itidem innumera scurriliter dicta ac christiana et theologica scriptione et lectione indigna contineat[1].« — Opus haud inutile, ut repetitae editiones testantur[2]), composuit Jacobus Gualterius (Gaulthier), professor quondam philosophiae et theologiae Turnoni et Lugduni, validus Calvinistarum impugnator († 14. Oct. 1636). Illud inscripsit: *Table chronographique de l' estat du Christianisme*, depuis la naissance de J. Christ jusqu'à l'année 1608, contenant en douze colonnes les Papes et Antipapes, les Conciles et Patriarches des quatre Eglises Patriarchales: les Escrivains sacres et autres Saincts et illustres Personnages: les Empereurs et Roys, tant de notre France, qu'Estrangers, les Autheurs profanes, les Heretiques et les Evenemens de chasque Siecle ou Centurie. Ensemble le Rapport des vieilles heresies aux modernes de la Pretendue Reformation: et douze des principales Verités Catholiques attestées contre le Calvinisme, et de Siecle en Siecle par les s. Peres et Docteurs de ce temps-la, Lugduni 1609 in f.; 1613; 1621; 1626; 1633; 1651; 1673, quae omnes editiones sunt continuatae ad editionis annum usque et etiam auctae; prodiit quoque latine ib. 1616; 1636. Ejusdem auctoris est: *L' anatomie du Calvinisme*, en laquelle sont briefement descouverts et clairement refutez en 200 Dilemmes les principaux erreurs de l'Eglise pretendue Reformée, partie par la propre confession contradictoire de Calvin et de ses Comministres, partie par l'autorité de l'Escriture et des saincts Peres, ib. 1614 in 12; 1621. — Eodem anno (14. Maji 1636) decessit Joannes Arnoux (Arnos, Arnulphus) S. J., patria Riomensis in Avernis, Ludovico XIII. a confessionibus, insignis concionator, cui haud parum debet religio catholica in Gallia, e cujus scriptis[1]) memoria est dignum: *La confession de Foy de MM. les ministres* convaincüe de nullité par leur propre bible, avec la replique à l'escrit concerté, signé et publié par les quatre ministres de Charenton (i. e. Montigni, Durand, du Moulin, et Mestrezat), Parisiis 1617 in 8. Continet hic liber refutationem apologiae confessionis horum ministrorum, qui illam conscripserant contra celeberrimam hujus theologi concionem coram rege habitam (25. Jun. 1617), in qua ostenderat, dogmata Calvinistarum contra catholicos propugnata carere fundamento in verbo Dei. — Contra duos posteriores aliosque ministros pugnavit etiam Alexander Regourdus Castronovariensis, operarius strenuus[2]), qui sectariorum plures ad Christi caulas reduxit. Magna severitate castigabat corpus suum dictitans malle se vicennio citius mori, quam remissa ac tepida vita vivere († 26. Mart. 1635). Ejus ex. gr. sunt: *Demonstrations catholiques* ou l'art de réunir les pretendus Reformez et toute

[1]) Cf. Continuat hist. eccles. Fleurii l. 196. § 10; D'Argentré, collect. judic. II, 202. Feller de hac summa l. c. ait: „L'auteur y dégrade la majesté de la religion par le style le plus familier et le plus bouffon.“

[2]) Sommervogel III, 1272—77.

[1]) Cf. Backer I, 289, qui de hoc auctore scribit: „Les Protestans se déchainèrent avec fureur contre ce religieux.“ Werner Geschichte der apolog. und polem. Literatur IV, 650 s.

[2]) Cf. Backer III, 97.

sorte de sectes a la Creance et a la Communion de l'Eglise Romaine, Parisiis 1630 in 8; *les Ministres combattant la Passion de Jésus* et l'efficace d'icelle, Beziers 1626 pp. 2. — Petrus Biard Gratianopolitanus n. 1565, primus e societate J. canadenses obiit missiones, et extrema ibi passus nihil tamen inhumanum magis quam haereticos anglos expertus est, qui eum captum et in vincula conjectum vix demum nudum in Galliam remiserunt († 19. Nov. 1622). Praeter *Relation* de la Nouvelle France etc. Lugduni 1616; Quebec 1858, et literas de sua missione scripsit *l' autorité de N. P. le Pape* efficacement et clairement verifiée par l' authentique tesmoignage de s. Jerosme et autres Peres, Lugduni 1619 in 4. et 1620 adversus Martinet Calvinistam.

303. Insigne Ordinis Praedicatorum ornamentum fuit Nicolaus Coeffeteau Cenomannus „vir inter primi nominis theologos haeresisque calvinianae debellatores sua aetate celebratissimus linguaeque gallicae purioris parens vulgo dictus[1]." Ea dedit adolescentulus in studiis ingenii specimina, ut non exspectatis statutis collegii interstitiis lector artium institutus a. 1595 annos natus 21 philosophiam jam docuerit. Tam docendo quam concionando magnum sibi nomen peperit, et ab Henrico IV. ascitus fuit praedicator ordinarius. Episcopus dictus dardaniensis a Paulo V. (a. 1617) dioecesim metensem haeresi calviniana infectam sapientissime administravit, et inde 1621 translatus est a rege ad sedem massiliensem: bullas tamen confirmationis non accepit morte ante sublatus 21. Apr. 1623. Ejus opera juxta Dupin[2]) non solum puro sunt scripta stilo, sed docta et solida; catholica dogmata in iis ea, quam merent, majestate tractantur. Ex plurimis ejus scriptis[1]) memoria digna sunt: *Les merveilles de la sainte Eucharistie* discourues et defendues contre les infideles, Parisiis 1605 in 8; *Response* au livre intitulé *le Mystère d' iniquité* du sieur du Plessis, où l'on voit fidellement deduite l'histoire des souverains pontifes, des empereurs et des rois chretiens depuis s. Pierre jusques a notre siècle, Parisiis 1628; *La defense de la sainte Eucharistie et presence reelle du corps du J. Christ* contre la pretendue apologie de la Cene publiée par Pierre du Moulin, ministre de Charenton, Parisiis 1607 in 8; 1617. Plura ex ejus operibus collecta prodierunt, adjecto un nouveau *traité de noms de l' eucharistie,* au quel est refuté tout ce que les ss. du Plessis, Casaubon et P. du Moulin ont ecrit sur ce sujet contre la doctrine de l' Eglise, ib. 1622 in f. Jussu Gregorii XV. scripsit *pro sacra monarchia Ecclesiae catholicae, apostolicae et romanae* adversus rempublicam Marci Ant. de Dominis quondam archiep. spalatensis ll. 4 apologeticos 4 prioribus ejus ll. oppositos, Lutetiae Parisiorum 1623 v. 2 in f., in quibus singula adversarii capita percurrens eadem refellit. In reliquos ejusdem libros plura meditabatur, cum filum abrupit mors immatura. „Quo certe opere, inquit Michael a s. Joseph[2]), nullum in hoc genere prae-

[1]) Echard II, 434; KL. III, 576; Urbain, N. Coeffetau, Paris 1893.

[2]) 17, 62. Plura hic reperies de ejus operibus. Addit vero Dupin: „Il étoit le plus excellent traducteur de son temps, et son style a beaucoup d' élégance et de pureté, selon le jugement de M. de Vaugelas." Etiam Feller ita de ejus operibus scribit III, 12: „La controverse y est traitée avec dignité, noblesse et non avec cet emportement de quelques théologiens de son temps."

[1]) Cf. Niceron III, 6 ss. Nonnulla sunt contra Jacobum Angliae regem, seu potius Casaubonum, vel contra du Moulin et du Plessis.

[2]) L. c. 2, 59. Dupin hujus operis occasione scribit: „Il . . . paroit meilleur critique et plus versé dans l'histoire ecclésiastique que lui (de Dominis), quoiqu'en quelques autres il s'écarte des règles de la véritable critique etc." Marcus Ant. de

stantius exstaret, si licuisset absolvere.« L. 1. et 4. recepit Rocaberti in suam bibl. XVII, 1—393. Margaritae Valesiae, a qua divortium fecerat Henricus IV., rogatu gallice vertit priores 26 qq. 1 p.. s. Thomae, Parisiis 1617 in 4, quod sacra facultas parisiensis aegre tulit censuitque auctorem monendum, ne ultro procederet, viliorem enim reddi tanti doctoris doctrinam, si omnibus passim redderetur pervia[1]).

Dominis Dalmata n. 1566, societatem Jesu est ingressus 1579, in qua docuit eloquentiam, philosophiam et mathesim, atque innotuit, quod primus iridis phaenomena rite explicaverit. Societate relicta 1596, factus est episcopus segnensis, dein archiepiscopus spalatensis. De haeresi accusatus Londinum confugit et ad Anglicanos defecit (1616), suaeque apostasiae mox protulit fructus: edidit enim *Istoria del concilio Tridentino*, nella quale si scoprono tutti gli artifici della corte di Roma per impedire che nè la verità dei dogmi si palesasse, nè la riforma del papato e della chiesa si trattasse, di Pietro Soave Polano (Pauli Sarpi veneti), Londini 1619, cum praefatione admodum mordaci adversus sedem apostolicam. Ipsius opus est *de republica ecclesiastica* ll. 10, Londini 1618—22 t. 3 in f.; Francofurti 1658 etc. (cf. Feret III, 398—402); *Papatus romanus*, l. de origine, progressu atque exstinctione ipsius, Londini 1617 in 4, quem impugnavit Balthasar Nardi, Aretinus, cujus sunt *expunctiones locorum*, qui in l. de papatu rom. ignoti auctoris depravantur, mutilantur, tam falso afferuntur, quam in 1. p. reipublicae eccles. M. A. de Dominis, unde per compendium videntur congestae; animadversiones itidem ad singula impiae illius doctrinae capita, Lutetiae 1618 in 4; Antverpiae 1619, apud Rocaberti bibl. pont. V, 1—108. Suos errores tamen de Dominis publice retractavit agente in primis Gregorio XV., suo quondam condiscipulo et amico, et ad Ecclesiam rediit, imo et Romam se recepit. Cum vero suis literis suspicionem iterum moverit de sinceritate conversionis, in carcerem est conjectus, in quo decessit sacramentis munitus 1624. Perversa, quam tuetur in suo opere, doctrina semper dein in deliciis fuit tot pseudocanonistis. Plurimi scriptores, quorum passim mentionem facimus, eam impugnaverunt: quibus adde praeter Nardi in op. cit. et in *Assertione supremae potestatis R. Pontificis* adversus A. de Dominis, Antwerpiae 1619, Paulum Boudot Gallum, episcopum atrebatensem (n. c. 1571, † 1635) in l. *Pythagorica M. A. de Dominis ... nova metempsychosis*. Ejus quoque sunt tr. *de sacramento poenitentiae*, Parisiis 1601 in 8; *Summa theologica* d. Thomae Aq. recensita, Atrebati in f. etc. Cf. literatura, quae occasione illius l. prodiit, apud Roskovány II, 564—71; Backer II, 1624; Fritz KL. III, 1949.

304. Eidem facultati displicuerunt[2]) plures propositiones de suprema pontificis auctoritate, quas Mich. Mauclerus doctor sorbonicus propugnavit in op. *de monarchia divina, ecclesiastica et seculari christiana* deque sancta inter Ecclesiam et secularem illam conjuratione, Parisiis 1622 in f. — Ex ordine Carmelitarum Calvinistas ore et calamo nec absque plurium lucro impugnarunt in Gallia et in Belgio Anastasius Cochelet[3]) Maseriensis, doctor sorbonicus († Rhemigii 1624 a. aetatis 75), et Jacobus Jacquet Lugdunensis († 1628); ex ordine Capucinorum Daniel a s. Severo »vir maximo ingenio, excellenti memoria, omnium fere linguarum peritia excultus, s. theologiae professor eximius, strenuus catholicae fidei propugnator[4]),« qui periit naufragio (1635). Scripsit praeloque submisit gallico idiomate opus sub hac epigraphe: *Christomachia expugnata,* sive de descensu Christi ad inferos adversus Calvinistas, Lugduni 1618 in 8; *Calvini infernus* adversus Jo. Polyandrum ministrum calvinianum, Antwerpiae. — Irenaeus Avallonensis, strenuus adversus haereticos missionarius, cujus ll. 3 *controversiarum* contra Calvinistas, Hugenottos et anabaptistas prodierunt Lugduni 1626 t. 3 in 4. — Joannes Boucher O. Min. Normannus, concionator regius († 1630;

[1]) Cf. Argentré II, 547; Contin. H. E. Fleurii l. 187 § 102.
[2]) Cont. H. E. Fleurii l. 196 § 74.
[3]) Cf. ib. l. 195 § 40; Feller III, 5.
[4]) Joan. a. s. Antonio I, 290.

secundum alios 1635) praeter *Itinerarium terrae sanctae* piis considerationibus respersum brevi duodecies editum, quod inscripsit *Le Bouquet Sacré* ex floribus praecipuis terrae sanctae compactus, Nancy 1615; Rouen 1692; 1752 etc. et alia ascetica, edidit *le Triomphe de la Religion chrétienne* contenant les resolutions de 366 questions sur la foy et l'Ecriture, Parisiis 1628 in f. — Ex ordine s. Augustini laudatur Augustinus Riuvère tamquam acer Calvinismi adversarius. — Petrus Metezeau (Metezellus) socius cardinalis Berulle in condendo Oratorio, concionator insignis († 17. Mart. 1632) *Theologiam* juxta formam evangelicae praedicationis distribuit, adjectis 120 catechesibus, Lugduni 1624 in f.; *de s. sacerdotio,* ejus dignitate et functionibus sacris ad sacerdotum et omnium, qui orationi, ministerio verbi et curae animarum incumbunt, pia institutio, Parisiis 1631 in 8. — Jacobus Severt Bellijocensis et theologiae doctor navarraeus plurium[1]) est auctor, ut (gallice) *Anacrisis Bibliorum* h. e. examen judiciale et probationes accuratissimae in unumquemque sacri textus l., ut biblia gallica ab haereticis depravata secernantur a bibliis catholicorum et orthodoxorum, Lugduni 1623 in f.; *chronologia historica antistitum lugdunensium,* ib. 1607 in 4; 1627 aucta; 1628 in f.; *controversiae de atheismo et haeresibus recentioribus,* item *de natura et divisione gratiae,* ib. 1611. — Petrus Berger canonicus parisiensis scripsit adversus G. Cassander: *La suffisance de la communion sous une espece,* Parisiis 1630 in 12. — Jeremias Ferrier Nemanus a. 1613 catholicam fidem est amplexus[2]) et ad extremum usque vitae spiritum firmiter retinuit († 26. Sept. 1626). Insigne reliquit opus inscriptum: *De l'Antichrist* et des Marques contre les calomnies des ennemis de l'Eglise catholique, Paris 1615 in f. — Nonnulla reliquit etiam Jacobus Marcel, ex. gr. *Le triomphe de la foy catholique,* Avenione 1637 pp. 2 in 1 v. adversus du Moulin.

305. Sicut *Belgium* protulit Lessium, qui theologis scholasticis exemplar esse possit, ita et exemplar theologis polemicis imitandum protulit Martinum Becanum, cujus opera incomparabili excellunt claritate, quam ipsis conciliant mira notionum distinctio, accurata status quaestionis definitio, limpidissima argumentorum expositio: eoque gratior est haec claritas, quod juncta sit brevitati, quae tamen disputationis soliditati, plenitudini et integritati detrahit nihil. Quare si vel solam disserendi scribendique spectes formam, maxime commendandus est Becanus theologiae tironibus. Natus est autem Martinus Becanus (Verbeeck, van der Beeck) S. J. Hilvarenbecae in Brabantia c. a. 1561. Philosophiam quadriennium, theologiam annos 22 Herbipoli, Moguntiae, Viennae rara cum admiratione et constanti auditorum applausu doctor et magister eximius explanavit e cathedra. Ejus doctrinam humanissima religiosae modestiae comitas exornabat, ut Matthias imperator Martinum ad academiam viennensem illustrandam evocarit. Ferdinando II. erat a confessionibus triennio, isque eum tanti fecit, ut in rebus ad religionem spectantibus semper ejus audiret consilium religioseque sequeretur[1]). Acutissimis colicae doloribus confectus obiit Viennae 24. Jan. 1624 a. aetatis 63. Innumera (c. 49) edidit opuscula, in primis con-

---

1) Zedler, Universallex. XXXVII, 693.

2) Cf. Raess die Convertiten IV, 312 ss. Ibidem p. 240—9 reperies *Narré véritable des raisons* qui ont meu M. François de Laignerot cy-devant Ministre en Bearn de quitter la Religion prétendue réformée pour embrasser la Religion catholique apostolique Romaine, Parisiis 1627 in 8.

1) Cf. Historia S. J. VI. l. 9. n. 45; Sotvellus p. 583.

tra Calvinistas[1]), quorum 38 collecta saepe omnino prodierunt Moguntiae 1610—21 pp. 5 in 4 v.; 1630 posthumis aucta v. 2 in f.; 1649; Parisiis 1632; 1642; Duaci 1634; 1641 et alibi, e quibus potiora et utiliora sunt[2]): *De duplici praedestinatione:* Calvinistarum desperata una, catholicorum orthodoxa altera, Moguntiae 1602 in 8; *de circulo calvinistico* contra Pareum, ib. 1606 in 4; *de officiis angelorum* circa homines, Moguntiae 1603 in 4; *de triplici coena,* calvinistica, lutherana, catholica, ib. 1608 in 8; *de communione sub utraque specie* pro defensione catholicorum contra Husitas, Lutheranos et Calvinistas, ib. 1609 in 8; *de purgatorio Calvinistarum*, ib. 1609 in 8; *privilegia Calvinistarum,* Moguntiae 1611 in 8; controversia anglicana *de potestate regis et pontificis*[3]), ib 1612 in 8; tr. scholasticus (valde rarus) *de libero arbitrio*, ib. 1613; *de invocatione sanctorum* qq. 13, ib. 1617; *de antichristo reformato*, ib. 1608; *de judice controversiarum* (cum *apologia* 1617), ib. 1616 in 12. et (cum aliis Becani opusculis) in bibliotheca max. pontif. Roccaberti t. XVI 432—559; *de Ecclesia Christi itemque de Ecclesia romana*, quae est catholicorum, et de reformata, quae est Lutheranorum et Calvinistarum, ib. 1615 in 8; *de republica ecclesiastica ll. 4* contra M. Ant. de Dominis, Moguntiae 1618 in 8; *Manuale controversiarum* hujus temporis in ll. 5 distributum, 1623, cujus operis maximam utilitatem innumerae testantur ubique locorum editiones. Maximi fit coloniensis 1696 in 12., quae variis controversiis ex operibus Becani est aucta; hujus quoque *compendium*, Moguntiae 1623 in 12. saepissime plane prodiit. *Analogia V. et N. Testamenti,* in qua primum status veteris, deinde consensus, proportio et conspiratio illius cum novo explicatur, Moguntiae 1620 in 8; Lugduni 1621 etc., propter suam utilitatem saepissime alibi editum, recentiori etiam tempore ut Mechliniae 1831, et recepta in cursum Scr. s. ed. Migne II, 9—698. Quamvis vero hoc argumentum posteriori aetate doctius et diligentius fuerit tractatum, non propterea Becani opus pretium amisit suum. *Summa theologiae scholasticae,* Moguntiae 1612. 1619. 1620 et 1623 v. 4 in 4; Lugduni 1621—30 t. 5 in 8. et saepius alibi; aucta duobus tractatibus, uno *de natura theologiae,* altero *de gratiae auxiliis* auctore Gervasio Byonio Cenomanensi, Rothomagi 1657; Parisiis 1658 etc. in f. Et cum tr. *de jure et justitia* ultimo elaboratus, dum Vienna Moguntiam mittitur, in itinere interciderit, alius e magno, ut dicitur in monito ad lectorem, auctore substitutus fuit. In hac summa Becanus saepe nonnisi compendium exhibet eorum, quae fuse Suarez in suis in s. Thomam commentariis disputat. Merito ratione

[1]) Hos praesertim impugnare sibi proposuisse testatur in praef. op. ad Fridericum Balduinum de communione sub utraque specie n. 1, rationem reddens, quare nonnisi aegre in eum calamum arripiat: „Calvinistas hactenus, non Lutheranos, ex quorum numero tu es, hostes mihi delegi.“ Scripsit autem in primis contra Pareum, Phil. Plessaeum etc. Fabricius hist. bibl. fabric. II, 94 diligenter Becani operibus recensitis, et adductis nonnullis adversariorum in eum dicteriis, subdit tamen: „Certe omnino laudanda videtur modestia, qua Becanus in disputationibus suis utitur.“ Cf. Happel Kath. und protest. Christenthum nach der Auffassung der alten kath. Polemik, insbesondere des M. Becanus, Würzburg 1898.

[2]) Cf. Sommervogel I, 1091—1111: Werner, Fr. Suarez 1, 43 ss. Plurimi adversus ipsum scripserunt, quorum plures Roskovány II, 601—4 recenset.

[3]) De damnatione hujus libri a facultate theologica paris. cf. D' Argentré coll. jud. II, 2, 65 ss.; 189 s.; contin. hist. Fleurii l. 190. § 1 ss. ad annum 1613. Prodiit hac de re: *Summa actorum facultatis theol. paris.* contra l. inscriptum: Controversia anglicana de potestate regis et pontificis auctore Mart. Becano, Openhemi 1613. Plura cf. ap. Fabricium l. c. VI, 549 s.; Reusch Index II, 345; Feret III, 251—56. Prima ed. hujus l. Romae fuit prohibita ‚donec corrigatur.‘ Libri occasione hujus opusculi editi cf. apud Backer I, 486 s.

hujus operis a Voëtio[1]) dicitur »unus in theologia scholastica omnibus epitomis et introductionibus praeferendus.«

306. Praeter Becanum e Soc. J. pro fidei causa steterunt: Joannes Walterius Viringius (Wauters van Vieringen) Lovaniensis[2]) n. c. 1570, literarum humaniorum el theologiae professor, dein operarius eximius, qui a rebellibus captus in vincula fuit conjectus decessitque morte per caritatis obsequia contracta (4. Dec. 1622). Disputavit *de triplici coena:* agni, vulgari et eucharistica, Antwerpiae 1617 in 4. — Hermannus Hugo Bruxellensis (n. 1588) occubuit[3]) pariter caritatis militibus impensae victima post piissimam vitam 11. Sept. 1639. Dum Antwerpiae humaniores doceret literas, discipulos hortatus est ut *famam posthumam* praesulum antwerpiensium carmine canerent, Antwerpiae 1611 in 8. et *literas japonicas* a. 1606, *sinenses* a. 1606 et 1607 latine redderent, ib. 1611. Pro Lessii consultatione scripsit *de vera fide capessenda* ad neoevangelicanam synodum dordracenam apologeticos ll. 3 adversus Baltb. Meisnerum Lutheranum et Henr. Brandium Calvinistam, ib. 1620 in 8. Ad Car. Scribani, de quo mox, dedit ep. *de prima scribendi origine* et universae rei literariae antiquitate, ib. 1617, cum prolixis annotationibus, curante C. H. Trotz. Maxime vero innotuit per libellum asceticum saepissime editum *Pia desideria* emblematis, elegiis et affectibus ss. patrum illustrata, ib. 1624. — Thomas Saillius (Sailly) Bruxellensis[1]), socius Antonii Possevini in itinere moscoviensi et comes Alexandri parmensis in expeditionibus militaribus († 8. Martii 1623 a. aetatis 70). — Jacobus Stratius S. J. Antwerpiensis (1559—7. Apr. 1634) — et Joannes Gouda Ultrajectinus (1571—28. Dec. 1630), insignis plane concionator, virtutibus religiosis maxime excellens[2]), plura opuscula flandrice scripta reliquerunt. — Caroli Scribanii († 24. Junii 1629) merita enarrat epitaphium ipsi positum:

D. O. M.
Aeternae memoriae
incomparabilis viri
R. P. Carolo Scribanio S. J.
Quem Bruxella mundo, Antwerpia
coelo dedit,
Postquam
Pontifici Maximo[3])
Caesari[4]), regibus[5]), principibus plurimis,
Domi forisque carus,
Haereticis stilo terribilis,
Animi magnitudine, constantia,
judicio,
Consilio, linguarum peritia, rerum usu
Nulli secundus
Europam totam
Fama sui nominis luculenter implesset,
Dissidia nobilium familiarum, mille
controversiarum arbiter,

---

[1]) Biblioth. stud. theol. c. 6. p. 595.

[2]) Pater ejus fuit Joannes Walteri Viringus medicinae doctor et professor, post uxoris mortem (1593) sacerdos et canonicus atrebatensis († 1616), cujus est *de jejunio ecclesiastico et abstinentia ll. V*, quibus ostendit mutuam medici et theologi affinitatem et in illo mixti generis scripto theologum ac medicum agit, Atrebati 1597.

[3]) Cf. Sotvellus p. 335; Fabricius II, 545; Sommervogel IV, 512—22.

[1]) Plura de hoc viro deque ejus admiranda virtute cf. in biblioth. script. S. J.; opuscula flandrice scripta exhibet Sommervogel VII, 403—8.

[2]) Cf. Sotvellum p. 456; Sommervogel III, 1631—35; van Slee d. Bi. IX, 519.

[3]) Magni eum fecit Urbanus VIII., quod et literis ad eum datis et sacris donariis missis saepe testatus est.

[4]) Ferdinandus II. literis benevolentia plenis eum honoravit, cui etiam fuerat ad confessiones propositus, nisi fractae annis vires impedivissent.

[5]) Philippo II. et Henrico IV., qui cum calumniatores eum urgerent, ut l. *Amphitheatrum honoris* flammis traderet, diplomate regio ad Scribanium misso eum laudavit, et civem gallicum cum solitis privilegiis inscripsit.

Privatae pacis vindex, publicae studiosus
Feliciter composuisset . . .
Prudentia, morum gravitate, vitae integritate,
Religione in Deum, pietate in patriam
Conspicuus
Laudabiliter vixit annos LXIX etc.[1]).

Praeter opera ascetica et apologetica[2]) edidit *Orthodoxae fidei controversa ll. 6,* Antwerpiae 1609—1612 in 8., in quibus agit 1. de Scriptura, traditionibus, judice controversiarum; 2. de apostolicae fidei germanis denuntiatoribus; 3. de reliquiis sanctorum; 4. de miraculis; 5. de cultu et invocatione sanctorum; 6. de imaginum veneratione. — Insigne est opus, cui titulus: *Joannis Calvini noviodunensis nova effigies* centum coloribus ad vivum expressa, qua s. Thomae theologia tota strictim attingitur, Calvini tota fuse refutatur. Accedit digressio de praedestinatione et justificatione: item Calvini confessio de equuleo, Antwerpiae 1622 in f. auctore Nicolao Romaeo Brugensi e Soc. J. Docuit is variis in collegiis societatis Jesu theologiam moralem per annos quatuordecim; agrum hollandicum diu excoluit ac demum ad coelestem patriam abiit 20. Dec. 1632 a. aetatis 69.

1) Cf. de ejus virtutibus et meritis Sotvellus p. 133.

2) Librorum catalogum exhibet Sommervogel VII, 982—90. Celui qui a fait le plus de bruit, inquit Feller II, 548 (ed. a. 1844), est son *Amphitheatrum honoris adversus calvinistas,* Anvers 1606 in 4., qu'il publia sous le nom de Clarus Bonarscius, qui est l'anagramme de son nom. Il n'est pas étonnant qu'on ait dit tant de mal de ce livre. Les artifices et les procédès des calvinistes y sont mis dans un trop grand jour pour ne pas les avoir irrités. Casaubon dit que ce livre aurait pu être intitulé: *Amphitheatrum horroris*, et cela est vrai, mais dans un autre sens qu'il ne l'entendait. Geminum est aliud opusculum sine auctoris nomine editum *Ars mentiendi calvinistica* cum vero commentario Romani Veronensis, Moguntiae 1602.

307. Praetermissis Raymundo des Etroits (de Strictis) S. J. a. 42 concionatore († 27. Jun. 1640) — Francisco van Dusseldorp patricio lugdunobatavo, prius advocato, dein sacerdote et canonico ultrajectino, qui Coloniae 1630 obiit relicto tr. *de matrimonio* non ineundo cum his qui extra Ecclesiam sunt, Antverpiae 1636 — Jacobo Le Noir (Niger) O. Min. (fl. 1624) — Guilelmo de Spoelbergh O. Min. († 1633), qui reliquit opuscula ascetica et conciones morales, Antverpiae 1643 ed. 3. — Thoma de Wiclen († 1630), et Joanne d'Espiennes du Fay (n. 1592; † 21 vel 26. Dec. 1640), memoria digni adhuc sunt Ludovicus de Castro (Duchateau) O. Min. Leodiensis († 1632), cujus exstant aliqua gallice edita, inter quae[1]) contra synodum dordracenam *La Religion prétendue des provinces belges unies desunie,* Scodii 1619 in 8. Erat orator plane eloquens, qui viva voce et scriptis impugnavit Calvinianos batavos. — Balduinus Junius (de Jonghe) O. S. Franc. Dordracensis, Justi Lipsii contubernalis et discipulus, vir pietate ac virtute praeeminens († 13. Apr. 1634), ex cujus operibus potiora sunt[2]): Manuale theologicum *de praecipuis theologiae fundamentis,* Coloniae 1614 in 4; Moguntiae 1615; *de romano pontifice* ll. 3; in bibl. max. pontif. Roccaberti t. V, 642—681 est l. 3, et p. 682—699 est l. 4 de Ecclesia militante, Bellarmini compendia. *Solida christianae fidei demonstratio,* Antwer-

1) Cf. Biogr. nat. de Belg. VI, 223.

2) Horum operum catalogum cf. apud Sbaralea p. 105. Plura sunt ascetica vel conciones etc. De ejus concionibus scribit Dirks hist. littér. et bibliogr. des FF. Min. de l'Observance en Belgique p. 171: Il serait à souhaiter que les sermons du P. Junius fussent connus et répandus dans le clergé, car c'est une mine d'or, riche en doctrine solide et pratique. Ce ne sont point des sermons proprements dits, je les appellerais plutôt dissertations theologiques sur des matières a développer dans la chaire chretienne etc.

piae 1611, pariter ex opp. controversiarum card. Bellarmini desumpta; gallice cura Ducruet, Parisiis 1885 t. 3 in 8; *Scutum catholicae fidei*, Antwerpiae 1632, quod opus distributum est in tractatus 11, in quibus agit 1. de vocatione ministrorum Ecclesiae; 2. de praesentia Christi in Eucharistia; 3. de purgatorio; 4. de observatione legis et ministrorum Ecclesiae, 5. de gratia et libero arbitrio et auctore peccati; 6. de paccato originali, mortali et veniali; 7. de justificatione et merito bonorum operum; 8. de antichristo; 9. de Ecclesia; 10. de praedestinatione; 11. de invocatione sanctorum. — Theodorus Petrejus Campensis, Transisalanus O. Carth. (n. 17. Apr. 1567; † 1640) multa scripsit[1]), nonnulla ab aliis scripta latine vertit; et ex. ss. patribus quaedam concinnavit erroribus sui temporis refutandis utilia; praecipua sunt: *Confessio gregoriana* ex scriptis d. Gregorii M., Coloniae 1597 in 8; 1605; *confessio d. Cypriani et Tertulliani*, veteris Ecclesiae romanae fidem et doctrinam ab a. 1400 dilucide repetens; accedunt antidota pro eadem confessione adversus Lutheranos et Calvinianos, Parisiis 1603; *d. Bernardi*, ib. 1607; *b. Leonis M.*, in qua veteris orthodoxae fidei dogmata explicantur, Coloniae 1604; *harmonica 4 ecclesiae occidentalis doctorum confessio* augustanae, wittenbergicae, smalcaldicae et aliis pseudo-evangelicorum confessionibus opposita; *Catalogus haereticorum* sive de moribus et erroribus haeresiarcharum, schismaticorum etc. usque ad nostram aetatem[2]), opus minus criticum, ib. 1628; 1629 in 4. opus rarum; *chronologia* tam rom. pontificum quam imperatorum seu historia, qua eorundem vitae et res gestae inde a b. Petro usque ad Urbanum VIII. et a Julio Caes. usque ad Ferdinandum II. recensentur, ib. 1626 p. 2 in 1. v.; *s. Brunonis* Carthusianorum partriarchae[1]) *opera omnia*, ib. 1611 t. 3 in 1 v. in f. (m. 60); 1640; notae seu elucidationes breves in 7 Petri Dorlandi *chronici carthusiensis* ll., ib. 1608 in 8. opus rarum, ex quo magna ex parte hausit *bibliothecam carthusianam* seu illustrium s. Carth. O. scriptorum catalogum, ib. 1609. — Cornelius Lancilottus (Lancelotz) O. S. Aug., quem „virtus et doctrina extulit, sed eheu mors acerba sustulit inter officia pietatis aegrum ab aegris reversum a. vitae 48. a. 1622. 13. Cal. Novembris[2]),“ scripsit *Nectar et antidotum* ex operibus s. P. Augustini contra sectarios quosvis ordine alphabetico selectum, ed. ante a. 1613; *s. Aurelii Augustini . . . vita*, Antverpiae 1616; *Lucernam vitae perfectae* . . . juxta regulam d. Augustini patrum auctoritatibus et exemplis fuse illustratam, Antverpiae 1642, opus posthumum cura fratris sui Henrici, de quo infra, absolutum. — Regnerus Mercator Cliviensis impugnavit Chr. Scheibler et flandrice Dionysium Spranhuysen. Decessit peste correptus a. 1636.

308. In *Germania* theologorum polemicorum coryphaeus dici potest Jacobus Gretser (Gretscher) S. J. Markdorfii (prope lacum suevicum) natus 1562, fortissimus athleta ac vigilantissimus veritatis defensor, magnus protestantium malleus, cui laus ingens est in Ecclesia Dei, cujus scriptorum va-

1) Cf. Biblioth. colon. p. 305 s.

2) Joannes Perce O. Min. Leodiensis, qui cum 22 sodalibus zeli apostolici victima peste absumptus fuit a. 1636, opus posthumum reliquit inscriptum: *Haeresis retrograda* seu reductio omnium haeresum modernarum ad veteres a patribus et conciliis damnatas.

1) Joannes de Madariaga Valentinus gente, religiosus Cartusiae Portae coeli († c. a. 1620) scripsit *Vida del S. Bruno* . . . con el origen y costumbres desta sagrada religion, Valentiae 1596 in 4.

2) In ejus epitaphio. Mortuus est in obsequio militum aegrorum. Ejus opera cf. apud Ossinger in bibl. august. p. 493; v. Arenbergh Biogr. nat. XI, 244.

rietatem, multitudinem, eruditionem jure miramur[1]). Absoluto studiorum curriculo ex universa theologia theses publice defendit praeside Gregorio Valentia et praesente Maximiliano Bavariae duce (1587). Ingolstadii philosophiam triennio docuit, theologiam successor datus in hujus cathedra magno Valentia (1592), quam et ipse tradidit (1605) Jacobo Keller, ut totum se scriptioni dedere posset; repetiit tamen cathedram (1609—1615) explicans de moribus doctrinam. Propter insignem doctrinam atque eruditionem a Maximiliano ad colloquium ratisbonense (cf. supra p. 638) cum aliis destinatus est[2]); praecipuas tamen in eo partes habuit Adamus Tanner. Ceterum tota Gretseri vita jugis cum protestantibus pugna erat. Ut minimum decem per diem horas studio vacabat, et ut interdiu animarum quoque saluti impendere se posset, usque in seram noctem studium protrahebat. Neque enim aspernabatur rus excurrere rudes pueros que in salutis scientia instructurus. Ingens erat doctrinae ejus fama, ut undique consuleretur; ipse Bellarminus consilii petendi gratia ad eum literas dedit; Ferdinandus II. post suam in Caesarem electionem Francofurto Monachium adventans illum ad se advocavit magnique fecit ejus *de cruce* opus; Clemens VIII. vero ejus moderatoribus curam de ipsius valetudine peramanter commendavit. Ingenii doctrinaeque ornamentis addidit studium virtutis, orationis praesertim, quae illi jugis inter literas comes fuit. Animo fuit admodum demisso ac modesto, nec ferebat quidquam, quod gloriam redoleret, hinc nonnulli eorum, qui familiarius eo utebantur, fassi sunt, nullum se in ipso vanae gloriae reperisse vestigium. Markdorfienses, qui tali cive plurimum gloriabantur, miserunt Ingolstadium legatos cum mandatis, ut ejus imaginem coloribus conficiendam curarent: hanc nimirum decreverant in aedibus publicis perpetuo servandam, ad communis patriae decus et ornamentum. Ut multum conarentur legati, nunquam ab homine modestissimo impetrare potuerunt, ut se pingi sineret. Jumentum, ajebat, cives mei pingendum curent habebuntque imaginem mei quam simillimam[1]). Considerans industrios in vinea Dei operarios suam incusabat tepiditatem. Erat Ingolstadii, qui pro imposito munere aegrotos invisebat atque in vicinis etiam pagis animarum quaestum faciebat, P. Leonardus Forella, vir simplex et rectus: cum istum domo exeuntem videret Gretserus, non una vice dixisse

---

[1]) Cf. Werner, Franz Suarez 1, 50, secundum quem Gretser omnium Jesuitarum sui temporis forte fuit doctissimus; Dupin, qui fuse de ejusdem disserit operibus suamque recensionem ita concludit: „Gretser étoit certainement un trés-habile homme, qui a beaucoup travaillé sur l'Antiquité Ecclésiastique et prophane. Il est fâcheux qu'il n'ait pas eu plus de Critique, et qu'il ait adopté des Pièces et des Histoires fausses ou douteuses. Il est encore fâcheux que les Controverses l'aient engagé dans des Disputes personelles et particulieres, lui qui étoit très-capable de traiter les choses à fond. Cependant on peut dire que c'étoit un des plus habiles Controversistes de son temps. Il écrivoit avec une grande facilité, et réfutoit ses adversaires avec beaucoup de véhémence. Ce qu'on doit le plus estimer dans ses Ouvrages, est la variété prodigieuse des matières qui s'y trouvent, et l'exactitude avec laquelle il recueille sur chaque matière tout ce qui peut y avoir quelque rapport. Enfin on peut dire que ses Livres sont de bons Mémoires pour ceux qui veulent travailler sur les matiéres qu'il a traitées."

[2]) Buddeus (Isag. l. 2. c. 1. § 14. p. 388), ab hoc colloquio alteram theologiae systematicae periodum penes Lutheranos incepisse tradit. „In eo (colloquio), ita ille, cum Jac. Gretserus, Ad. Tanner, Balthasar Hager jesuitae terminis metaphysicis caliginem nostratibus offundere adniterentur, florere inde metaphysices studium coepit, cum necessitas quaedam id postulare videretur."

[1]) Cordara, hist. Soc. J. p. 6. l. 10. n. 14; cf. vita ed. opp. praemissa.

fertur: »O nos miseros, qui de poenitentia scribimus, disputamus, et longe huic simplici sed animarum zelo flagranti patri meritis apud Deum cedimus; nam ille proxime aggreditur animas Deoque lucratur; nos vero multum nobis praestitisse videmur, si scribamus de ratione animas lucrandi. Tanto igitur eo inferiores sumus, quanto scientia inferior est caritate.« Doctores theologi sua in aula hoc ei perpetuum voluerunt esse elogium: »R. P. Jac. Gretserus Markdorfiensis, Acronianus, S. J., aevi sui scriptor celeberrimus, a. 26 in hac alma universitate docendo confecit; uno linguam graecam, tribus philosophiam, reliquis theologiam professus. Nihil hujus ingenio clarius, memoria fidelius, judicio gravius, labore constantius, lucubrationibus eruditius et fecundius. Sesquicentum fere libris editis academiam ornavit, bibliothecas auxit, Ecclesiam propugnavit. Concionibus interea, exhortationibus, praelectionibus privatis, excursionibus, confessionibus audiendis, consiliis dandis assidue occupatus nihil sui ordinis omisit. Amarunt eum maximi principes, docti ex omnibus provinciis coluerunt, vehementer extimuerunt haeretici: quos magna orbis catholici gratulatione, mira felicitate ac facilitate repressit. Obiit Ingolstadii studiorum contentione exhaustus, virtutum meritis plenus 29. Jan. a. jubilaeo 1625 aetatis 63.«

309. Opera Gretseri omnia[1]), quae vel scripsit vel e tenebris eruta edidit prodierunt Ratisbonae 1734—1741 t. 17 in f. (m. 400). T. I. continentur *de s. Cruce ll. 5,* scil. 1. de ipsa s. cruce, in qua redemptor noster obita morte nos redemit; 2. de imaginibus s. crucis; 3. de apparitionibus s. crucis; 4. de signo s. crucis; 5. de cruce spirituali. Sequitur ad h. t. mantissa, in qua reperiuntur disputatio de vino myrrhato et vasis myrrhinis, apologia pro prima Christi cruce, imagine et signo crucis contra Franc. Junium et syntagma de S. R. imperii sacrosanctis reliquiis et regalibus monumentis, praesertim de quadruplici lancea: dominica, mauritiana, constantiniana et carolina. Hoc opus prae ceteris Gretseri est celebre, luculentum dignumque cedro[1]), in quo hoc argumentum plane exhaurit, unde Petavius de crucis cultu disserens[2]) ait: »Majore nemo hoc copia diligentiaque praestitit, quam J. Gretserus noster tribus de cruce tomis editis, quorum in primo ll. 5 capita omnia controversiae hujus ac quaestionis exhaurit.« »Si quis ex me, inquit ipse in praef. hujus op., sciscitetur, cur de sacrosancta cruce scripserim et quidem tam copiose, tam prolixe, possem fortassis non injuria cum d. Augustino hoc responsum dare: quia de b. crucis mysterio diutius loqui et dulce est et salubre: quid enim dulcius, quid suavius vel cogitari vel dici potest, quam crucis mysterium etc.« Ceterum Gretserus tenerrimo affectu ferebatur erga s. Domini crucem, cujus amorem ab ipsa die nativitatis suae traxisse videbatur, natus enim est non sine omine ipsa Parasceves die. Nimis tamen credulum se exhibet in referendis miris circa crucem gestis. Prodierunt opera omnia *de cruce* Ingolstadii 1600; 1616 in f. — T. II. complectitur: *Graecorum auctorum encomiastica monumenta graeco-latina de s. Cruce,* nunc primum ex variis bibliothecis eruta et in lucem edita, numero 57, scil. ora-

[1]) Cf. horum catalogum apud Heser Catalogus omnium opp. P. G., Monachii 1674; Sommervogel (III, 1743—1809), qui recenset scripta edita 229, inedita 39; Niceron 2, 1 ss. et opp. Gretseri t. 17; acta erud. lips. 1733 p. 180—87; 1734 p. 454—8; 1736 p. 11—13; 165—67; 1739 p. 534—9; 576—80; 1740 p. 149—54; 1744 p. 529—36 etc.

[1]) Muratori diss. 21 de cruce nolana.

[2]) De incarn. XV, 7. Ceterum de hoc. op. fusius agit A. Hirschmann Zeitschr. f. k. Theol. (1896), 256—300.

tiones, homiliae etc. — Ad argumenti absolutionem adjecit t. III., in quo ll. 5 agit 1. de numismatis crucigeris; 2. de expeditionibus cruciatis; 3. apologeticus pro iisdem cruciatis; 4. de usu et cultu crucis adversus haereticos Danaeum, Hospinianum et Marbachium; 5. adduntur hymni et encomia metrica graecorum et latinorum in s. crucem, cum nonnullis appendicibus. — T. IV. consecratus est defensioni rituum ecclesiasticorum. In hoc disserit de *spontanea disciplinarum* seu *flagellorum cruce ll. 3* ex ss. literis sanctorumque probatis historiis potissimum collectis (Ingolstadii 1606 in 4.) cum nonnullis opusculis apologeticis contra aliquos illorum ll. impugnatores. *De sacris et religiosis peregrinationibus ll. 4* (Ingolstadii 1606 in 4; Coloniae 1608); Ποδόνιπτρον seu *pedilavium* ex ss. Scripturae fontibus, veterum patrum et historicorum limpidis fluentis (Ingolstadii 1610) etc. — T. V. continet: *De catholicae Ecclesiae sacris processionibus et supplicationibus ll. 2*, de quo op. Nicol. Serarius „Perutile, inquit in fine op. sui de eodem argumento, R. P. Gretseri nostri *de processionibus opus:* quod si antequam meos istos confecissem libellos, videre licuisset, nae huic manum tabulae nunquam admovissem etc." Gretserus tamen in clausula sui operis advertit de suo deque Serarii labore: „Coluimus eundem agrum, sed diverso fere modo, tametsi eodem fine, qui alius non est, quam divinae gloriae amplificatio et saluberrimae hujus ecclesiasticae consuetudinis ab haereticorum calumniis et contemptu assertio." *De funere christiano ll. 3* (Ingolstadii 1611 in 4.) cum apologia; disputationes duae, altera *de subterraneis animarum receptaculis* contra sectarios; altera *de statu beatorum* (Ingolstadii 1597; 1596 in 4); disputatio *de variis coelis* lutheranis, zwinglianis, ubiquetariis, calvinianis etc. sanctorum vel veris vel fictitiis receptaculis et habitaculis (Ingolstadii 1621); *de festis Christianorum ll. 2* adversus Danaeum, Dresserum, Hospinianum aliosque sectarios (Ingolstadii 1612 in 4); cum auctario seu diss. *pro sacratissima corporis Christi solemnitate et sacros. eucharistiae cultu* adversus Rud. Hospiniani Calvinistae impietatem ac inscitiam (ib. 1612 in 4); *ll. 2 de benedictionibus et 3. de maledictionibus* (ib. 1615 in 4) etc. — T. VI. et VII. complectuntur disputationes contra Hunnium (Ingolstadii 1602) et defensionem rom. pontificum, ut *apologiam pro Gregorio VII. P. M.*, in qua insunt hactenus inedita quaedam pro eodem pontifice[1]) opuscula Bernaldi Constantiensis presbyteri. Accessit de vita et rebus gestis ejusdem Gregorii VII. narratio et relatio historica ex l. 4. Onuphrii Panvini de varia rom. pontificis creatione. Habentur quoque in hoc. t. praeter alia commentarius Pauli Bernriedensis de vita Gregorii VII. (Ingolstadii 1610), volumen epistolarum, quas rom. pontifices Gregorius III., Stephanus III., Zacharias I., Paulus I., Stephanus IV., Adrianus I. et pseudopapa Constantinus miserunt ad principes et reges Francorum Carolum Martellum, Pipinum et Carolum M. (Ingolstadii 1613 in 4); *Mysta salmuriensis* seu mysterium iniquitatis editum quidem a Phil. Mornaeo Plessiaci domino, nunc autem a J. Gretsero revelatum et dilucide explanatum, in quo rom. pontifices a s. Victore M. usque ad Leonem X. defenduntur (ib. 1614 in 4.). — In t. VIII. et IX. *Rob. Bellarmini controversias* tuetur[2]) adversus Witacke-

---

[1]) Sebastianus Tengnagel Geldriensis, tribus imperatoribus a consiliis († 4. Apr. 1636) edidit etiam *monumenta veterum* pro Gregorio VII. aliisque pontificibus, Ingolstadii 1612 in 4., et *defensionem* Gretseri adversus Guldinastum, ib. 1612 in 4.

[2]) Dupin 1. c. ait de hoc. opere: Il rapporte les Objections dans leurs propres termes, et y répond avec précision et avec exactitude. Il y traite souvent les Questions avec plus d'étendue et particulièrement celles qui regardent l'Ecriture sainte

rum, Junium, Danaeum, Sibrandum, Hunnium, Chamierum, Abbotum, Povelum, Dresserum aliosque (Ingolstadii 1607 et 1609 v. 2 in f.). Inserta quoque est disputatio theologica *de sacros. Trinitatis mysterio,* praesertim de processione s. Spiritus contra Hieremiam patriarcham constantinop. (ib. 1598 in 4.). — In t. X. sunt *defensae et illustratae sanctorum vitae,* praesertim s. Ignatii Loyolae (Ingolstadii 1601); *Divi bambergenses*[1]) Henricus imp., s. Kunegundis imp., s. Otto ep. (Ingolstadii 1611). — T. XI. est *apologeticus pro societate Jesu.* — T. XII. agit *de Luthero academico et de Waldensibus.* De priori argumento[2]) edidit ex. gr. l. cui titulus: Lutherus academicus h. e. summus academiarum cultor, amplificator et encomiastes, theologus positivus, scholasticus, casuista, controversista, canonista, legista, medicus, philosophus, logicus, physicus, metaphysicus, ethicus, rhetor, mathematicus, musicus, historicus, poëta, grammaticus, peripateticus seu aristotelicus, stoicus, cynicus, epicureus atque aristippicus (ib. 1610 in 4.). In altera h. t. parte scripta plurium veterum contra Waldenses in lucem profert (Ingolstadii 1614). — T. XIII. *Miscellanea polemica* continet, e quibus mentione digni *de jure et more prohibendi,* expurgandi et abolendi libros haereticos et noxios adversus Franc. Junium et Joan. Pappum aliosque praedicantes Lutheranos ll. 2 (ib. 1603 in 4.) cum supplemento et auctario. *Demonstratio* adversus sectarios praecipuorum quorundam Ecclesiae catholicae dogmatum ex communibus ἐννοίαις h. e. notitiis omnium Christianorum pectoribus insculptis et ex vulgari infimae plebis loquendi consuetudine (ib. 1606 in 8; 1608). Disceptatio utrum verum sit, Zwinglium praecipuum doctrinae suae de eucharistia caput a diabolo didicisse. In aliis ll. impugnat praesertim Jac. Hudericum, Zephyrium, Thomam Wegelinum, Hunnium etc. — T. XIV. plura *Gregorii nysseni et Anastasii sinaitae opera* complectitur (Ingolstadii 1617. Migne P. G. t. 89). — In t. XV. *plures scriptores graecos* ut Georgium Codinum Curopalatam (Parisiis 1625), Leonem imp., Theodorum Abucaram (Ingolstadii 1606; Migne t. 97), Hippolytum Thebanum, Gregorium Thaumaturgum latine reddit vel illustrat, ut historiam Joan. Cantacuzeni (Migne P. G. 153. 154), orationes Simeonis junioris (Migne t. 120), dioptram Philippi solitarii etc.. — T. XVI. complectitur: *In Jac. Aug. Thuani historiarum ll. notationes* lectoribus et utiles et necessariae (Ingolstadii 1614), quod alii tamen tribuunt (et Sommervogel V, 251) Joanni Machault S. J. parisiensi (1561—1619); Διδάγματα linguae graecae et disp. philosophicas, inter quas sunt ex. gr. *de materia et forma eucharistiae* (ib. 1593 in 4.); *de speciebus eucharisticis* (ib. 1594 in 4.). — In t. XVII. adjecta est: *Mantissa duplex ad universum opus,* in qua continentur plura opuscula collecta a Georgio Stengelio (Ingolstadii 1628) ex scriptis Gretseri relictis, vel sub alieno nomine edita, editore et partim quoque auctore aut interprete Jac. Gretsero. Denique notandum est, *lectiones antiquas,* quae sub nomine Henr. Canisii prodierunt (cf. supra p. 517), Gretseri esse, ut colligitur ex iis, quae Backer et Sommervogel (III, 1745) referunt.

sur lesquelles il entre dans un grand détail. Richard Simon (Histoire crit. du V. T. l. 3. c. 17): Ce qui mérite, selon mon avis, le plus d'être lu dans tout ce grand Ouvrage, est la Critique qu'il fait de la Version Allemande de Luther, et des autres Traductions Allemandes de la Bible, où il a beaucoup mieux réussi que dans ses autres Traités etc.

[1]) Cf. Duhr Zeitschr. für kath. Theol. 1889. p. 62 s.

[2]) Cf. Werner IV, 594; scripta contra Gretserum de hoc argumento edita ejusque responsiones apud Roskovány II, 556—8.

310. Gretsero in hac pugna socii strenui fuere Conradus Vetter S. J. gente Suevus, domo Engensis († 11. Oct. 1622 a. aetatis 76), cujus pugnandi ardorem et zelum testantur quam plurima opuscula, quae partim in germanicum vertit, partim ipse (germanice) conscripsit[1]). — Jacobus Keller S. J. Saekinganus n. 1565, qui philosophiam et theologiam tam moralem quam scholasticam cum approbatione docuit. Elector Bavariae, Maximilianus, ejus consiliis operaque in rebus gravissimis haud raro est usus. Sectarios et pseudopoliticos acerrimo stilo et libris egregiis exercuit, praesertim Hunnium et Jac. Hailbrunner, quem in publica disputatione Neoburgi (1615) tam fortiter est aggressus, ut is morbum ipsa nocte contraxerit arenamque deseruerit († 23. Febr. 1631 a. aetatis 63). Inter alia edidit[2]) contra hujus Uncatholisch Pabstthumb, Augustae 1614: *Catholisches Pabstthumb* d. i. Grundlicher augenscheinlicher Beweis, dass allein die Römische Päbtische Lehr gut, alt, Catholisch und Apostolisch seyn, Monachii 1614 t. 2 in f. Adversario suo[3]) exprobat corruptiones 60, mendacia 238, calumnias 51, crassos errores 91. Opus suum dein etiam in compendium redegit, ib. 1616 in 4. Duo vero opuscula anonyma (quorum unum immerito forte Keller tribuitur), quibus Ludovico XIII. merito exprobrat foedera cum Germaniae protestantibus inita, iram parlamenti et facultatis theologicae parisiensis provocarunt, ut ea igni devoverint. Ea tamen praetermittimus sicut et opus ab historicis laudatum *Ludovicus IV. imp. defensus* adversus Bzovium, Monachii 1618; 1620. — His adjungi possunt Hermannus Bosendorff Monasteriensis († 23. Sept. 1623), qui scripsit adversus Conr. Vorstium tria opuscula — Georgius am Ende (Amende) Dresdensis n. 1572, concionator aulicus Viennae († 27. Jul. 1624) — Henricus Schellenberg Augustanus, qui de sacramentis disseruit — Christophorus Mayer Augustanus, disputator egregius, acer juxta ac jucundus, qui philosophiam atque theologiam totis 30 annis Patavii, Brixiae, Graecii, Viennae tractavit et graecensem academiam cancellarius administravit. Cum magna doctrina summam conjunxit animi simplicitatem et modestiam, quae illum Ferdinando II., qui in rebus conscientiae difficillimis ejus opera est usus, carum reddidit († 11. Oct. 1626 a. aetatis 58). Scripsit l. suo tempore celebrem et saepius recusum: *Octo fidei controversiae*, ob quas solas plerique hoc tempore difficultatem habent redeundi ad Ecclesiam manifeste catholicam, nimirum 1. de necessitate bonorum operum; 2. de communione sub una specie; 3. de Christi praesentia in eucharistia; 4. de purgatorio; 5. de cultu et invocatione sanctorum; 6. de cultu ss. reliquiarum; 7. de cultu ss. imaginum; 8. de traditionibus, 1622 in 8; Norimbergae 1626; Coloniae 1629. Cum Joanni Hofer († 1. Sept. 1646) ab academia lipsiensi et Saxoniae electore munus fuisset demandatum hoc opus refutandi, is illius lectione fidei catholicae feliciter agnovit veritatem, eamque est amplexus, imo et ingressus

[1]) Sotvellus et Sommervogel VIII, 617—35, qui eorum 100 recenset. Fuerunt vero plerumque libelli ephemerides, occasione data prompte conscripti, particularis et localis argumenti, hinc admodum rari et oblivioni dati. Vertit autem opuscula Campiani, Gretseri, Heissii etc., scripsit stilo nimis acri adversus Schmidelinum, Hailbrunner etc.

[2]) Cf. Sotvellus p. 373; Sommervogel IV, 981—97; Roskovány II, 558; Zeitschr. für kath. Theol. XIII, 59; Duhr KL. VII, 361—64; Kropf Hist. prov. Germ. super. IV, 38 ss. Pro societate Jesu tuenda adversus protestantium calumnias scripsit *Tyrannicidium* seu scitum Catholicorum de tyranni internecione, Monachii 1611, latine et germanice, in quo ostendit, Jesuitas de hoc argumento nihil aliud docuisse, quam quod magni theologi jam ante docuerant, et vel ipsi protestantes tuentur.

[3]) Cf. cont. H. E. Fleurii l. 190 § 116.

societatem Jesu[1]). — Elias Graff monacensis (29. Nov. 1632). — Balthasaris Hager[2]) Suevi, domo Ueberlingani († 9. Mart. 1627), sunt: *Kleiner Wegweiser zum wahren Glauben* unter einem zweifelhaften und dem wegweiser nicht unlieblich angestellt für die verirrten Christen in 7 Theil abgesondert, Aschaffenburg 1625 in 12; *collatio confessionis augustanae* et oecumenici concilii tridentini cum verbo Dei, Herbipoli 1627, verae et solidae eruditionis monumentum, sed rarissimum, »in quo, inquit Ruland[3]), prima, ut ita dicam, inveni lineamenta theologiae symbolicae, quam nostris diebus miratur orbis in opere symbolico Moehleri.« — Joannes Raphael Cobenzl († 28. Jan. 1627) scripsit[4]) contra Jo. Schnelzigk, Simonem Mannum et Bartholomaeum Rulichium augustanae confessionis ministros.

311. Praetermissis Joanne Saller[5]) Tuzingano († 24. Mart. 1630) — Theodoro Krall († 4. Apr. 1633) — Joanne Friderico Rorich Coloniensi († 14. Dec. 1633), qui valide impugnavit Balth. Mentzerum[6]) — Caspare Lechner Hallensi in dioecesi salisburgensi, qui partim Ingolstadii, partim Pragae philosophiam, theologiam moralem et novennio scholasticam docuit, demum ss. literas est interpretatus, multas reliquit *disputationes* philosophicas et theologicas et Theod. Thummium praeconem tübingensem impugnavit († 31. Mart. 1634) — Jacobo Hack Juliacensi, cujus aliqua exstant[1]) contra Paulum Tossanum Calvinistam heidelbergensem et M. Ant. Hegium († 12. Oct. 1633) — Nicolao Cusano strenuo missionario († 20. Apr. 1636), cujus *Christliche Zuchtschule* Lucernae 1638, saepius prodiit — Adamo Wagner Suevo († 1. Maj. 1638) — in primis adhuc memorandi sunt: Adamus Contzen. Hic patria Juliacensis n. 1575, juxta alios 1573, in academia moguntina ss. literas est professus magna omnigenae eruditionis atque in primis linguarum graecae, hebraicae, syriacae et chaldaicae laude; ubi cum haberet vicinos hinc Calvinianos Heidelbergae, inde Zwinglianos Marburgi doctores Ecclesiam impugnantes, statuit illis se opponere, atque inter duas acies pro orthodoxa veritate depugnare, acri vir ingenio et calamo promptus († 19. Junii, juxta alios 20. Maji, 1635). Varia Bellarmini opera defendit contra castigationes Davidis Parei; hinc gloriabatur cardinalis, se Contzen habere et vindicem et defensorem scriptorum suorum, testatusque est, agnoscere se in scriptis ejus praecipuam quandam pietatis eruditionisque copiam, facilitatem stili, orationis perspicuitatem, gravitatem judicii, cum nervo denique vibrata ingenii acumina. Opuscula quaedam scripsit occasione jubilaei Lutheranorum (1617), duo opera irenica, aliqua exegetica valde rara, ut: *Commentaria in 4 s. J. Christi evangelia,* in quibus sensus literalis et moralis ita explicatur, ut ex ipsis collatione aliorum locorum, conciliis, pontificum decretis, patribus vetustis, interpretibus recentioribus, lingua hebraea, graeca, syra,

---

1) Cf. Sotvellus p. 142; Raess die Convertiten V, 387—98; Veith bibl. august. X, 172 ss.

2) Alius est a Michaele H. theologo Friburgensi auctore tr. *de singularitate antichristi* contra nostri temporis haereticos breviter et ob multarum cum historiarum tum rerum cognitionem necessarii ac seculo huic accommodate conscripti, Ingolstadii 1569; 1580; *Antichristus* sive oratio adversum haereticorum calumniam etc., ib. 1578; duplex quoque responsum adversus Heerbrandum, qui illa duo opuscula impugnaverat.

3) Series et vitae prof. theol., qui Wirceburgi docuerunt p. 56; Sotvellus p. 102; Backer II, 6.

4) Cf. Backer I, 1309; de ejus virtutibus Sotvellus p. 493.

5) Cf. Sotvellus p. 500; Backer III, 502.

6) Cf. Backer III, 334.

1) Cf. Sotvellus p. 372; Sommervogel IV, 10.

philosophia, historia, libris sectariorum prout cujusque loci textus postulat contra gentiles, Judaeos, haereticos veritas aperte vindicetur, Coloniae 1626 v. 2 in f., 1707; *commentaria in epistolam s. Pauli ad Romanos*, in quibus sensus verus ac germanus luculenter exponitur, haereses et errores recentium sectariorum solide convelluntur, necnon moralium discursuum materia concionatorum usui accommodata copiose suggeritur, ib. 1629 in f.; *Daniel* sive de statu, vita, virtute aulicorum atque magnatum, ib. 1630 in 8; 1629 in f.; commentaria in ep. *ad Corinthios et ad Galatas*, ib. 1631 in f. Commendatione quoque dignum est opus eruditum *Politicorum ll. X*, in quibus de perfectae reipublicae forma, virtutibus et vitiis, institutione civium, legibus, magistratu ecclesiastico, civili, potentia reipublicae, itemque seditione et bello ad usum vitamque communem accommodate tractatur contra Machiavelli principia, Moguntiae 1621 in f.; 1629 ed auctior[1]). — Jacobus Bidermann pariter Suevus, patria Ehingensis, vir magni ingenii, eruditionis et doctrinae, qui octennio theologiam Dilingae docuit, inde Romam evocatus theologum societatis et censorem librorum egit a. 17 († 20. Aug. 1639), et praeter libros ad literas humaniores spectantes, *opuscula theologica* 10 (seu theses), *prolusiones theologicas* tres reliquit[2]), quibus pontificis romani dignitas adversus haeresin propugnata est, Dilingae 1624 in 12. opusculum exiguae molis, sed magni pretii, in cujus p. 3. infallibilitatem summi pontificis tuetur. — Demum huc spectat Jodocus Coccius[3]) Trevirensis, molshemiensis academiae cancellarius et ibidem s. Thomae interpres († 25. Oct. 1622), cujus sunt: *Parallelon biblicum* visionis, quae oblata est d. Joanni Apoc. 1. et ejus quae Danieli c. 10, Molshemii 1618; disputatio tripartita *de arcano ss. Scripturae sensu*, ib. 1620; *de vero et falso antichristo*, ib. 1621 in 4; *s. missae sacrificium* per testes veritatis omni exceptione majores ab haereticorum injuriis vindicatum, ib. 1622 in 4; *Dagobertus rex* argentinensis ecclesiae fundator, ib. 1623, diss. posthuma, ab aliis impugnata. Hi omnes erant e societate Jesu.

[1]) Cf. Plura apud Sotvellum p. 5; Sommervogel II, 1399; Brischar P. A. Contzen, Wirceburgi 1879.

[2]) Sommervogel I 1444—56, qui 44 scripta recenset.

[3]) Cf. Sommervogel II, 1255. Ceterum hic distingui debet a celebriori Jod. Coccio, de quo supra p. 447 egimus.

312. Cum his adversus protestantes pugnarunt: Leo Menzel collegii germanici alumnus 15 vicibus rector academiae ingolstadianae († 1633) — Franciscus Agricola in vico Aldenhoviae ducatus Julii natus, pastor primum rodingensis (1570), dein pastor et canonicus ecclesiae sittardiensis, tum decanus ruralis capituli susterensis (1599), qui ingenti zelo propugnandae catholicae fidei et haereseon exstirpandarum flagrabat et urebatur diu noctuque († 4. Dec. 1624). Ejus zeli testes sunt plurima opera[1]), ut *Gründlicher Bericht von dem hochwirdigsten Sacrament des Abendtmals Chr. J.*, Coloniae 1576; *demonstrationum evangelicarum ll. 4*, quibus demonstratur Christum secundum animam revera ad inferna descendisse et piorum animas inde e limbo liberasse, ib. 1578 in 4; *Biblische Instruction von der catholischer Bapstischer Mess*, ib. 1580; *de cultu et veneratione divorum*, tractatus catholici duo, quorum prior de veneratione, posterior vero de ss. imaginibus sanctorum in coelo regnantium pertractat, 1580; 1614 in 12; *de sanctorum reliquiis*, ib. 1581; diatriba evangelica *de conjugio et coelibatu sacerdotum*, an necesse sit, sacerdotes N. T. jure divino in perpetuo coelibatu vivere, ib. 1581 in 12; *de aeterno et vero Deo, nec non indubitato Christo et*

[1]) Bibl. col. p. 79; Floss, KL. 1, 353.

Messia Christianorum ll. 3 adversus Calvinistas, ib. 1583 in 12; 1605; *Wahrhaffter Bericht von M. Lutheri und seiner Consorten in Glaubens- und Religionssachen handgreifflicher Unbestendigkeit, Wankelmuth und Uneinigkeit,* ex dialogo Malcotii ins Hochteutsche gebracht, und merklich gemehrt, ib. 1583 in 8; *Ketzer-Brunn oder Grundwurtzel aller Secten,* ib. 1583 in 8; *de verbo Dei scripto et non scripto,* Leodii 1597 in 8; tractatus *de primatu s. Petri ap. et successorum ejus rom. pontificum,* Coloniae 1599 in 12; etiam in Roccaberti bibl. max. pont. t. XII, 2—111, in quo compendiose exhibet, quae fusius disseruere Bellarminus, Sanderus, Valentia et Stapleton, ut ipse fatetur in praefatione. *De lectione horarum canonicarum; de lectione s. Scripturae ejusque interpretibus orthodoxis,* Leodii 1600 in 12; attestatio ss. patrum tam graecorum quam latinorum, *quod s. Petrus ap. Romae fuerit,* Romanos primus ad fidem converterit, ibi usque ad mortem episcopatum gesserit, Coloniae 1605 in 12., opus praeclarum; *de amplissimis privilegiis et certissimis signis verae Christi in terris Ecclesiae,* 1616; *Ehrenrettung Mariae der Mutter Gottes ll. 6,* Coloniae 1616, in quibus singulos titulos, honores, cultus, templa a catholicis Mariae inscripta tuetur ex Scripturis etc.; *Propugnaculum fidei* seu defensio honoris divini et sanctorum contra haereses hujus seculi, ib. 1614, quod forte est alia editio operis supra citati; et secundum Le Long *commentarius in Evangelium s. Joannis,* ib. 1599 in 8. Scripsit etiam adversus anabaptistas. — Joannes Andreas Coppenstein O. Praed. Mandalensis, vir laboriosissimus otiique prorsus impatiens, post captam armis caesareis Heidelbergam parochus ad s. Petrum ibidem, plura reliquit, quae uno volumine collecta prodierunt hoc titulo: J. A. Coppensteinii O. Pr. *controversiarum inter catholicos et haereticos nostri temporis* ex Rob. Bellarmino *in epitome redactarum* pp. 4, Moguntiae 1624—26; 1643 in 4, p. 1. theomachia contra verbum Dei, Christum et sanctos; p. 2. Ecclesiomachia Luthero-Calvinismi; p. 3. mysteriomachia contra sacramenta; p. 4. caritomachia contra gratiam. — Fridericus Forner (Foerner) Romae in collegio germanico studiis operam dedit. In patriam redux post alia obita munera annis 36 (1594—1630) Bambergae concionatorem in ecclesia cathedrali egit et a. 1610 delectus est in vicarium generalem et episcopum auxiliarem († 5. Dec. 1630). Bonum religionis catholicae plurimum promovit[1]) lucido exemplo, nam sub infula vitam duxit religiosam, zelo indefesso, consiliorum prudentia, legationibus, concionibus et scriptis (18). Praeter conciones, libellos polemicos reliquit *historiam* hactenus sepultam *colloquii wormatiensis* 1557 instituti, Ingolstadii 1624; *palmam triumphalem* miraculorum Ecclesiae catholicae et in primis gl. Dei genitritis V. Mariae ll. 5, ib. 1620, in qua plura de variis sanctuariis reperiuntur; *Panopliam armaturae Dei* adversus omnem superstitionum, divinationum, excantationum daemonolatriam et universas magorum, veneficiorum et sagarum, et ipsiusmet satanae insidias, praestigias et infestationes concionibus Bambergae habitis instructam, ib. 1626 in 4. — Marquard Leo O. S. Franc. Augustanus, philosophiae et theologiae lector (30. Jan. 1633), praeter conclusiones, theses, quaedam opuscula polemica publicae luci dedit[2]), inter quae laudanda sunt: *Enumeratio methodica scriptorum* totius occidentis, meridiei

[1]) Cf. Gams, allgem. d. Biogr. 7, 157; Weber KL. IV, 1586; Willmann hist.-pol. Bl. LXXXVI, 565 ss.: 656 ss.; Steinhuber Gesch. des Coll. germ. I, 252; II, 417. Ejus scripta recenset Schmitt Gesch. des Seminars von Bamberg, p. 161 s. Ejus frater Andreas parochus prope Würzburg interfectus a militibus obiit 1629.

[2]) Veith august. alphab. X, 162 ss.

et orientis ecclesiarum, quibus probatur, non tantum europaeam, sed et africanam, alexandrinam, hierosolymitanam, antiochenam, CP., asiaticam et orientalem ecclesias ante mille annos romanae Ecclesiae ut capiti suo perpetuo adhaesisse, et vicissim Petri successorem, ut pastorem oecumenicum eis invigilasse; accedunt ex chronographia G. Genebrardi centuriae XVI, quibus fidei perpetuitas romanae Ecclesiae demonstratur, ex J. Coccii thesauro haereticorum recentiorum h. e. Lutheranorum et sacramentariorum successio, Ingolstadii 1607. 1609 in 8; *Demonstratio catholica et universalis* S. R. Ecclesiae et ejusdem fidei perpetuae, Lechhusii 1622 in f., qua contra omnes sectarios solide ac perspicue ostenditur, quomodo illa continua, perennis, immobilis, invicta ac catholica perpetuo permanserit omnesque sectas vicerit ac repudiarit.

313. Praetermissis Conrado Gruthero[1]) pastore in ducatu montensi, cujus exstat *Catechismus* — Martino Inningano, qui Lutheranos impugnavit — Joanne Wenceslao Coelestino archidiacono reginohradensi — Joanne Ctibor Kotwa, brunensi et olomucensi, deinde etiam pragensi canonico et praeposito litomericensi († 1637) — quorundam recordemur, qui a protestantibus ad Ecclesiam redierunt catholicam. Ita Joannes Zeschlin cancellarius Wolfgangi Guilelmi, ducis neoburgensis, dominum suum in amplectenda vera fide secutus est (1617) rationesque plane erregias suae conversionis reddidit in opere: *Apologia pro sua fidei professione et peccatorum confessione romano-catholica,* Neoburgi 1625 t. prior. Alter non videtur prodiisse[2]). — Ita et Philippus Eilbracht, relictis Calvini castris, in quibus pastoris munere militaverat, fidem catholicam est amplexus, et sui reditus motiva exposuit[1]) in l. *Via compendiaria ad catholicam Ecclesiam* sive expedita et perspicua ratio ex intricatissimo sectarum hujus temporis labyrintho eluctandi et ad salutarem verae Ecclesiae catholicae communionem accedendi; observata ac descripta Calvini ejusque asseclarum doctrina et confessione propriis eorundem verbis declarata, Coloniae 1627 in 8. — Helferich Ulrich Hunnius, filius famosi Aegidii Hunnii Lutherani acerrimi, diu juris prudentiam magna cum nominis claritate professus, lectione tamen operum Becani inductus in Ecclesiae catholicae sinum rediit. Conversionis suae motiva proponit in l. *Invicta prorsus et indissolubilia 12 argumenta,* quibus convictus atque constrictus relicta lutherana secta catholicam profitetur fidem, Heidelbergae 1631, quae tamen editio mendis scatet, hinc alteram curavit Coloniae 1632, cui accessit evidens demonstratio, quod archihaeresis lutherana maxima sui parte ex antiquissimis haeresibus olim a ss. patribus damnatis, proscriptis et profligatis conflata sit et compilata[2]). Adversus hunc l. scripsere Himmelius et Haberkorn. Obiit Hunnius postquam quadriennio jus canonicum Coloniae exposuit, 27. Mart. 1636. — Joannes Kircher, Tübingensis, edidit insignem *aetiologiam,* in qua migrationis suae ex lutherana synagoga in Ecclesiam catholicam veras et solidas rationes succincte exponit et perspicue, doctisque omnibus et judicandi dexteritate pollentibus pie, accurate et modeste considerandas proponit auctor[3]), Viennae 1640. Con-

[1]) Cf. Hartzheim bibl. col. p. 62.
[2]) Cf. Raess IV, 343—404.

[1]) Raess V, 257—310.
[2]) Cf. Raess V, 329—65. Quodsi opera ejus omnia prohibita fuere decr. 18. Maj. 1618; 19. Jul. 1619, respicit haec prohibitio nonnisi opera ante suam conversionem edita.
[3]) Cf. Raess V, 546 ss. Cf. etiam ib. 200—37 medullam egregii libelli Bernardi Sutholt, egregii jurisconsulti *Causae conjectio,* cur ejurata haeresi calviniana fidem romano-catholicam nuper sit amplexus, Coloniae 1625 in 8.

tra hunc calamum strinxerunt Schragmüller, Calovius et imprimis Dorschaeus. — Non prorsus praetermittendus est Melchior Klesl (Khlesl, Klesel), qui non tam scriptis, quam industria, auctoritate, zelo causam catholicam per Austriam promovit atque innumeros a vera fide devios ad Ecclesiam reduxit. Natus is est Viennae 1553 patre furnario lutherano. Conversatione cum celebri P. Georgio Scherer errorem agnovit atque fidem amplexus est catholicam. Sacerdos ordinatus mox factus est praepositus ad s. Stephanum et academiae viennensis cancellarius, vicarius generalis episcopi passaviensis per Austriam. Dictus est episcopus neostadiensis (1588) et post decennium viennensis, sed nonnisi 1614 voluit in episcopum consecrari. Interim potentissimum egit consiliorum omnium Matthiae imp. administrum atque purpura fuit a pontifice decoratus 1616. Aemulorum tamen conspiratione munere fuit privatus, captivus in Tirolim abductus (1618), interveniente Gregorio XV. Romam deductus, innocens declaratus et honorifice habitus. Ferdinandi II. gratiam iniit atque demum Viennam ei redire licuit († 18. Sept. 1630). Pauca ex ejus scriptis et concionibus supersunt, de quibus cf. Raess[1]) die Convertiten II, 297—337.

314. In *Anglia, Scotia* et *Hibernia* de re catholica meruerunt Eduardus Burton († 1624) — Patricius Anderson Scotus[2]), qui proditus licet et carceres, ludibria atque acerbissima tormenta perpessus, ad 100 juvenes induxit, ut se militiae Christi atque missionibus consecrarent († 24. Sept. 1624) — Thomas Worthingtonus, Lancastrensis, qui pravorum dogmatum odio Duacum migravit, dein Remos, ubi theologiae studium absolvit. In Angliam redux solertem operam tulit Edmundo Campiano, sed captus in carcerem detruditur, mox in exsilium pellitur: exsul patriae non est oblitus, sed in Anglorum collegio Remis theologiam tradidit, Duaci Anglorum collegium rexit, etiam in assistentem archipresbyteri Angliae cooptatus est. Obiit demum grandaevus tiro societatis Jesu sexto sui tirocinii mense (1626) relictis nonnullis de controversiis libris[1]) et annotationibus in s. Scripturam anglice versam, quae prodiit Duaci (cf. supra p. 175). — Eduardus Coffinus (alias Hatton) Exoniensis[2]), captus et ipse per quinquennium in vinculis detentus et 1603 in exsilium pulsus († 17. Apr. 1626) — et Christophorus Holywood (a Sacro Bosco) Dublinensis, post suam e carcere liberationem solers, prudens, indefessus missionum Soc. Jesu in Hibernia per 23 annos praefectus († 4. Sept. 1626), inter cujus opera[3]) mentione digna est Defensio decreti tridentini et sententiae P. Bellarmini *de auctoritate vulgatae editionis latinae* adversus Whitakerum, in qua etiam (fuse admodum) refutatur error sectariorum de Scripturae interprete et judice controversiarum, Antverpiae 1604; de *investiganda vera ac visibili Ecclesia* libellus, Antwerpiae 1604; 1619. — Silvester Noritius (Norris) vineae anglicanae strenuus per annos viginti cultor et scriptor doctus († 16. Mart. 1630), edidit[4]) inter alia praescriptis nominis sui literis initialibus: The An-

---

[1]) Schroedl KL. VII, 791—93. Hammer-Purgstall Khlesl's des Card., Directors des geh. Cabinets Kaisers Matthias Leben t. 4 Wien 1847—51; Kerschbaumer Card. Klesel etc., Wien 1865.

[2]) Cf. Sommervogel I, 313; Bellesheim Gesch. der kath. Kirche in Schottland II, 233.

[1]) Cf. Sotvellus p. 770; Gillow V, 595; Sommervogel VIII, 1219.

[2]) Cf. Sotvellus p. 184; Gillow I, 522; Sommervogel II, 1270.

[3]) Cf. Sotvellus p. 144; Sommervogel IV, 446.

[4]) Cf. Sotvellus p. 741; Sommervogel V, 1808; Gillow V, 189—91.

tidote or *Treatise of thirty controversies* against Sectaries, Audomari 1618. 1619 t. 2 in 4., cum appendice Londini 1621 in 4; *The Pseudo Scripturist*, 1623 in 4 pp. 2. — Jacobus Sharpe (alias Pollardus) Eboracensis, verus fidei confessor[1]) et pro fide exsul († 11. Nov. 1630) — Joannes Clare († 4. Jun. 1628), cujus exstat l. vere egregius, sed rarissimus *The converted Jew*, Antwerpiae 1630 in 4. constans tribus dialogis — Thomas Bacon (Southwell) Norfolciensis[2]), qui Lovanii et Leodii juvenes anglos theologiam docuit († 11. Dec. 1637) edidit que: *Regula viva seu analysis fidei in Dei per Ecclesiam nos docentis auctoritatem*, in qua perspicue solideque ostenditur veram fidem infallibili praesentis Ecclesiae testimonio niti idque sine ullo circularis regressus vitio, Antwerpiae 1638 in 4. — Guilelmus Wright Eboracensis[3]), postquam in Austria philosophiam, mathesim, controversias, theologiam tam moralem quam scholasticam docuerat, redux in Angliam per 30 annos hanc vineam excoluit († 18. Jan. 1639 a. aetatis 77), plura utilia pro fide catholica composuit opuscula. — Thomas Fitzherbertus Staffordiensis (n. 1552) genere erat clarus, carceris perpessione illustrior, qui licet matrimonio esset ligatus, intrepide missionarios et sacerdotes carcere detentos omni qua poterat ope juvabat. Uxore defuncta (1588) totum se mancipavit promovendae religioni sacrosque suscepit ordines atque societatem Jesu est ingressus. Praefuit aliquamdiu missioni anglicanae; dein collegium Anglorum in Urbe annos 22 rexit († 17. Aug. 1640). Inter alia libellum edidit: *An sit utilitas in scelere* vel de infelicitate principis macchiavelliani contra Macchiavellum, Romae 1610 in 8., et praeter alia sive pro Bellarmino sive contra juramentum fidelitatis auctor est operis egregii atque utilis[1]): *A Treatise concerning Policy and Religion*, wherein the infirmity of humane wit is amply declared and the necessity, fruit and dignity of Christian Religion in Commonwealth is evidently shewed, with the absurdity of false religions, many Controversies in Religion discussed; finally proving that the Catholique Roman Religion only doth make a happy Commonwealth, Duaci 1606 in 4; *The second part*, ib. 1610, utrumque valde rarum; ib. 1615; Londini 1696. Hi omnes, quos hucusque recensuimus, erant e societate Jesu.

[1]) Cf. Sotvellus p. 386; Gillow V, 499.

[2]) Distingui debet a celebriori Nathanaele Sotvello, qui *bibliothecam scriptorum Soc. Jesu* ad a. 1675 produxit Romae 1676 in f., de quo t. seq. erit sermo. De nostro cf. ib. 759.

[3]) Cf. Sotvellus p. 321; Sommervogel VIII, 1223; Gillow V, 596.

315. Quibus addantur Jacobus Anderton Lancastrensis, laicus, qui ut securius lateret, sub nomine ascititio Brereley plura adversus protestantes edidit opera[2]). *The Protestants Apologie* for the Roman Church, in 3 divisa pp. 1604, adversus quam scripsit Morton regis capellanus, cui aliam opposuit editionem auctam Anderton 1608; 1615 ed. 3., quae latine reddita est a Guil. Rayner doctore sorbonico. Opus

[1]) Backer I, 1873: C'est un chef-d'oeuvre de logique et de savoir. Secundum Wood, Athenae oxon. p. 538 prodiit altera editio 1615, et tertia pars Londini 1652. Cf. Sotvellum p. 762 et Courtenay ap. Oliver, Catholic spectator 1823, 171—173; Gillow II, 284—88. Distingui debet Thomas a Nicolao F., qui fuit card. Allen a secretis, et licet sacros ordines non suscepisset, tanti factus est a catholicis Anglis, ut episcopatu dignus proponeretur sedi apostolicae, quam dignitatem tamen modeste recusavit († 6. Nov. 1612). Disseruit stilo classico *de antiquitate et continuatione catholicae religionis in Anglia* scripsitque Alani card. *vitam*, Romae 1608; 1638 in 8., libellus valde rarus. Cf. Gillow II, 282.

[2]) Cf. Stephen Dictionary of National Biography 1, 395 s.; Gillow 1, 34—38; Feller 1, 166.

est singulari solertia, optima methodo, stilo sobrio et temperato concinnatum. *The Liturgie of the Masse*, Coloniae 1620, in quo realem corporis Christi in eucharistia probat praesentiam, missam esse verum sacrificium, communionem sub una sufficere specie, caeremonias modo adhibitas ex primitiva derivari traditione. *St. Augustin's Religion* collected from his own Writings', 1620. *Luthers Life* collected from Protestants etc., St. Omer 1624. — Humfredus Leech relictis Anglicanorum castris ad Ecclesiam rediit catholicam. Occasionem praebuit sermo, quem Oxonii habuit 1608 de consiliis evangelicis, et propter quem fuit delatus apud archiepiscopum cantuariensem. Fuga consuluit suae saluti, errores abjuravit atque Romae ordinatus est sacerdos (1612). Missionarium egit deinde in Anglia († 1629). Rationem reddit suae conversionis in l. *A Triumph of Truth*, or Declaration of Doctrine Concerning Evangelicall Counsayles etc., (Duaci vel Attrebati) 1609, ubi 12 adducit conversionis motiva. Gillow IV, 184 refert eum esse ingressum Societatem Jesu, sed Backer et Sommervogel ejus non meminerunt. — Guilelmus Rushworth insignis quoque fuit mathematicus († 1637). — Eduardus Mayhew O. S. Ben., Dintonii in comitatu wiltoniensi non longe a Sarisberia nobilibus ortus parentibus, catholice et pie educatus, duodennis a patre Remos, inde Virodunum ac denique Romam ad studia missus est. Factus sacerdos in Angliam rediit, ubi postquam in vinea Domini 12 annis magna diligentia nec minore cum fructu desudasset, habitum s. Benedicti suscepit a P. Seberto unico westmonasteriensis coenobii superstite monacho (21. Nov. 1607). Exacto adhuc in patria sexennio in Lotharingiam se contulit († 14. Sept. 1625). Scripsit praeter alia anglice tractatum *de fundamentis veteris et novae religionis*, 1608, cui adnexum est *responsum* oppositum tractatui Guil. Grashaw de romanis scriptorum adulterationibus[1]). — Herbert Crost vir nobilis a. 52 natus rediit ad Ecclesiam catholicam, imo ingressus est ordinem s. Benedicti († 10. Apr. 1622) editisque tribus opusculis (rarissimis) inclaruit, quae prodierunt Duaci 1619, in quibus ostendit veritatem Ecclesiae catholicae suamque uxorem inducere nititur, ut ad illam ipsa redeat. — Guilelmus Bishop n. circa a. 1553 e nobili et vetusta prosapia, ad promovendam fidei catholicae in Anglia causam se adjunxit inclito Guil. Allen. In patriam missus in primo appulsu fuit captus (1582), in carcerem conjectus et post triennium in exsilium relegatus. Parisiis substitit atque studiis theologicis iterum vacans in Sorbona doctor creatur. Missionarius in patriam rediit, iterum capitur, in vincula conjicitur, pellitur in exsilium. A clero Romam mittitur in causa archipresbyteri Blackwell, ut hujus urgeret revocationem, sed minus bene acceptus fuit a pontifice (1598). Recuperata pontificis gratia iterum rediit in Angliam, sed denuo capitur et relegatur. Defuncto Harrison tertio archipresbytero et abrogato hoc munere in episcopum pro catholicis Angliae designatur (1623). Multum contulit ad restituendam pacem inter catholicos variis controversiis inter se discordes, sed nondum anno exacto decessit prope Londinum 16. Apr. 1624. Reliquit plura opera[2]) in primis adversus R. Abbot salisburiensem episcopum et Perkins apostatam. Edidit Joannis Pitsei relationum historicarum t. 1. scil. *de illustribus Angliae scriptoribus* (cf. supra p. 574), Parisiis 1619 in 4., cui praemisit doctam praefationem. — Bonaventurae Jascenii (al. Jackson), O. S. Fr. restauratae provinciae anglicanae diffinitoris et guardiani collegii Anglorum duaceni († 1635) exstat

[1]) Cf. Ziegelbauer III, 660.
[2]) Cf. Gillow I, 218—23.

egregius et dilucidus l. Manuductio *ad palatium Veritatis*, Mechliniae 1616. — Multum commovit Calvinianos l. cui titulus *Calvinoturcismus*, i. e. calvinisticae perfidiae cum mahumetana collatio et dilucida utriusque sectae confutatio, Antwerpiae 1597 et 1603 in 8, quem scripsit sub nomine Guilelmi Reginaldi Guilelmus Giffard ex illustrissima et antiquissima familia ortus[1]). Oxonii (1569) et Lovanii literis operam dedit, ubi Bellarminum docentem audiit. Parisios postea, ingruentibus in Belgio bellis civilibus, Romam deinde petiit. In academia mussipontana theologiae doctor creatus est. Variis honorum gradibus functus mundo valedixit ordinem s. Benedicti ingressus, in quo dictus est Gabriel de s. Maria. Verum honores, quos fugit, ipsum non deseruerunt, nam a Ludovico de Lotharingia, cardinali et archiepiscopo remensi, factus est episcopus auxiliaris, et post cardinalis mortem a Galliarum rege (a. 1622) nominatus archiepiscopus († 10. Apr. 1629). — Eduardus Weston Londinensis docuit theologiam Montisregii in Italia et Duaci et obiit canonicus brugensis (1633 vel 1634). Edidit (anglice): *Christianae veritatis probatio*, Duaci 1614 in 4. *Institutiones orthodoxae de triplicis hominis officio* ex notione ipsius naturali, morali et theologica ll. 3, Antwerpiae 1602 et 1609, in quo atheos, politicos, sectarios acriter aggreditur. *Enarrationes corruscationum J. Christi*, ib. 1631. — Georgius Connaeus Scotus Aberdonensis card. Barberini in variis legationibus comes et ad reginam Angliae ab Urbano VIII. legatus missus († 10. Jan. 1640) ab editis libris in epitaphio celebratur.

[1]) Cf. Ziegelbauer l. c. III, 373 s.; Gillow II, 457. Nonnulli ei tribuunt l. editum sub nomine G. G. Rossaei: *De justa reipublicae christianae in reges impios et haereticos auctoritate* ad Henricum Navarraeum et quemcunque haereticum a regno Galliae repellendum, Antwerpiae 1592, qui tamen secundum alios est Guil. Reynoldi, Angli ad fidem conversi vel G. G. Genebrardi. In eo defenditur tyrannicidium et jus populi deponendi reges impios.

316. Ex aliis nationibus reliqui sunt: Laurentius Nicolai S. J. Norvegus[1]), strenuus operarius († 5. Maj. 1622 a. aetatis 84), cujus est *Confessio christiana,* quam christianus populus in tribus regnis septentrionalibus Daniae, Sveciae et Norvegiae constanter confessus est a. a Christi fide suscepta amplius sexcentis, Cracoviae 1604 — Georgius Tyszkiewicz S. J.[2]) gente Podlacha († 14. Nov. 1625) — Hadrianus Sarembius O. Carm. Polonus († 1626) — Bernardus Paxillus, vernacule de Brzezek O. Praed. pariter Polonus, qui in actis capituli generalis Valentiae 1647 habito hoc elogio celebratur: „Totum se ad austerioris vitae observantiam contulit, carnes nunquam edebat, piscibus rarissime vescebatur, solis jusculis et oleribus contentus. Silentii tenacissimus habitui rudi culcitam duram et lectum (durius) adhibebat. Terribilis daemonum exorcista, multos ab obsessorum corporibus fugavit. Splendebat in eo mira sapientia et acrimonia in persequendis haereticorum erroribus, ut ex obstinatissimis centum suis ferventissimis concionibus et disputationibus ad fidem Christi reduxerit. In gravissimis morbis patientissimus tandem non sine magna sanctitatis opinione animam creatori reddidit a. 1630". Scripsit l. ac edidit hoc titulo[3]): *Monomachia pro defensione fidei ss. Tri-*

[1]) Cf. Sotvellus p. 545; Sommervogel II, 1524.

[2]) Cf. Sotvellus p. 297; Sommervogel VIII, 329.

[3]) Cf. Echard, Script. O. Praed. II, 465 et Starovolscius in Ἑκατοντάς Elog. 73 p. 175, qui alia ejus opera enumerat; num vero et ubi prodierint non indicat.

nitatis h. e. duellum seu concertatio ex divinis Scripturis, ss. patrum et doctorum testimoniis, ss. conciliorum decretis, rom. pontificum approbationibus, christianorum imperatorum edictis a temporibus ss. apostolorum in 4 aetatibus centenis deducta successione ad a. Chr. 400, tres personas Patrem et Filium et Spiritum s. esse unum Deum in uniformi ac perpetuo consensu veritatis strenue defendens adversus omnes haereticorum novorum Arianorum objectiones, quas ab Ario et antiquis Arianis solum Patrem Deum naturalem falso asserentibus, Filium consubstantialitate et Spiritum s. Deitate privando depromere solent, simulque adversus schismaticorum Ruthenorum argumenta, quae a schismaticis quoque graecis desumentes, Spiritum s. ex ipso solo Patre procedere Filium excludendo pertinaciter affirmant, Cracoviae 1616 v. 3 in f. — Memoria etiam dignus est s. Josaphat Kunzewitsch O. S. Bas., cum fidem catholicam non solum propugnaverit scriptis, sed et sanguine confirmavit. Natus est Vladimiriae in Volhinia 1580. Relicta mercatura, cui a parentibus fuerat destinatus, ingressus est 1604 ordinem s. Basilii, in quo rigidissimam duxit vitam omnique virtuti deditam. Etsi junior Bytenii monasterio praefectus est, mox factus vilnensis archimandrita, ac demum archiepiscopus polocensis invitus quidem, sed catholicis gestientibus fuit renunciatus (1618). Catholicae unitatis ac veritatis strenuus propugnator totis viribus allaboravit, ut schismaticos haereticosque ad communionem cum b. Petri sede reduceret laetissimo fructu. Efusissimae erat beneficientiae in pauperes et infirmos, in restaurandis ecclesiis, solicitissimus in reformando clero: hinc schismaticorum adeo in se concitavit odia, ut in illum Vitepsci occasione visitationis pastoralis irruerent necique tradiderint 12. Nov. 1623. Urbanus VIII. eum 1643 Beatis accensuit, Pius IX. Sanctis 1867. Plura composuit scripta pro tuenda unione adversus schismaticos, quae tamen perierunt[1]).

317. Denique refulsit in **Hungaria** qui unus instar multorum est, Petrus **Pazmany** S. J. Waradiensis, alter Hungariae apostolus (n. 4. Oct. 1570). Usque ad a. 13. in Calvini secta adolevit, sed ad fidem conversus 1582 post a. quatuor societatem Jesu est ingressus. Romam missus in theologia magistros habuit Bellarminum atque Vasquez, tantosque fecit in literis progressus, ut in academia graecensi summa cum approbatione philosophiam ac theologiam docuerit. Zelo tamen animarum et patriae juvandae impulsus ita se missionibus impendit, ut eximiam suae virtutis et doctrinae commendationem apud omnes quidem, in primis apud Franc. cardinalem Forgaczium archiepiscopum strigoniensem obtinuerit, qui multum ejus consiliis, dum vixit, usus est. Post hujus mortem Matthias imperator eum invitum reluctantemque ab apostolica sede postulavit ad infulas strigonienses, ut labanti per Hungariam orthodoxae religioni humeros supponeret: tristissima enim et ad ruinam vergens erat Ecclesiae catholicae conditio. Haereses quod ante diu coeperat, et terrere perrexit et profligare tum pro suggesto publico in templis, tum privatis congressibus, tum scriptis lucubrationibus. Nobilitatem potissimam tempestiva comitate et sui indulgentia ac morum suavitate ad orthodoxos reduxit. Clerum ad exactam disciplinae ecclesiasticae observantiam instituit legibus, censuris, synodis dioe-

---

[1]) Cf. Guépin S. Josaphat M. et l'église grecque unie en Pologne, Poitiers et Paris 1874; idem Un apôtre de l'union des église au XVII[e] siècle, S. Josaphat et l'église greco-slav. en Pologne et en Russie, ib. 1897/98 t. 2; Jac. Susza Cursus vitae et certamen martyrii b. Josaphat etc., Romae 1665; Pelesz KL. VI, 1832; Likowski die ruth.-röm. Kirchenvereinigung genannt *Union von Brest* 1896, übertragen von Paul Jedzink, Freiburg 1904.

cesanis, quas quotannis habuit, et nationalibus binis (1630 et 1633), disciplina, repurgatione morum ipse integritate venerabilis, disciplinae rigore formidandus, honoris divini fervidus. Hinc ob meritorum magnitudinem postulante Ferdinando II. ab Urbano VIII. sacra purpura donatus est a. 1629. In futurum quoque de religionis catholicae bono in patria sua sollicitus plura condidit atque fundavit seminaria, e quibus unum Viennae ab ipso Pazmanaeum dictum modo adhuc floret, et universitatem tyrnaviensem (postea Buda-Pestinum translatam). Decessit magnus hic vir et Hungariae apostolus[1]) 19. Martii 1637. Ex ejus scriptis[2]) commemoranda in primis sunt: *Dissertatio an unum aliquod ex omnibus lutheranis dogmatibus romanae Ecclesiae adversantibus Scriptura s. contineat,* Posonii 1631 in 4; *Hodegus* seu *Dux ad veritatem*[1]), in quo ostenditur vanitas sectarum catholicae fidei adversantium ll. 15, ib. 1613 et 1637 in f.; Tyrnaviae 1760 in f.; saepe editus, est enim splendida fidei catholicae apologia, quae causam catholicam maxime promovit et protestantium contradictionem provocavit. *Controversiae fidei,* Viennae 1616 in 8. Ejus *epistolas* collegit ediditque J. F. Miller, Budae 1822 t. 2; plenius academia scientiarum Buda-Pestinensis 1873; opera omnia hungarice et latine universitatis pestinensis nomine facultas theologica. Tomus I. qui Budae 1894 prodiit complectitur ejus *Dialecticam,* quam quondam professor graecensis juxta scripta logicalia Aristotelis exposuit, opus prolixum, accuratum, forma scholastica sed arida concinnatum. Stilo utitur classico in lingua patria, quam plurimum excoluit et limavit, unde dictus est ‚Hungariae Cicero': quare literae hungaricae multum ei debent novaque ipsarum aetas ab illo coepit. — Michael Veresmarti[2]) prius fanaticus praeco calvinianus, gradatim opera praesertim Petri Pazmany veritatem agnovit atque demum ad Ecclesiam rediit, pro qua dein admodum strenue verbis scriptisque decertavit, necnon et multa est passus († 1645).

---

[1]) Cf. Sotvellum p. 690: Vita seu elogia card. Pazmany, Viennae 1660; Werner, Franz Suarez 1, 23 s., qui de eo dicit: „Er war die mächtigste Stütze Ferdinand II., eine Säule und Zierde der ungarischen Kirche, ein thätigster Förderer katholischer Sittung in Ungarn;" Mailath, Geschichte der Magyaren v. 4. p. 259: „Wer Pazmann nicht groß nennt, hat keinen Sinn für Größe oder ist in Parteigeist versunken. Als er auftrat, war die katholische Geistlichkeit arm, gedrückt, eingeschüchtert, gering an Zahl; als er starb, war die magyarische Hierarchie reich, mächtig, angesehen, muthig, unterrichtet. Die protestantischen Theologen waren vor Pazmann gelehrter als die katholischen; mit Pazmann beginnt die Gelehrsamkeit der magyarischen katholischen Theologen und keine Glaubenspartei hat einen Mann aufzuweisen, der sich mit Pazmann messen könnte. Als Pazmann auftrat, fand er Ungarn protestantisch; als er starb war es katholisch." Prolixam tanti viri biographiam scripsit (hungarice) Frankl (Fraknòy) Pázmány Péter ès kora Pestini 1868—72 t. 3: succinctius, sed bene eam dedit Schwicker P. Pázmány etc., Köln 1888. Cf. et Zeck KL. IX², 1737—1743.

[2]) Sommervogel ea recenset sub 34 num. etiam conciones, quae nostro adhuc tempore leguntur magnique fiunt. Ex iis 22 lingua patria sunt conscripta.

[1]) Hungarice conscriptus. „Zur Bekehrung der Akatholiken, ita Schrödl Kirchenl. VIII¹, 260, schrieb er den *Wegweiser zum Himmel,* ein Werk, das der protestantischen Religion in Ungarn mehr geschadet, als hunderttausend spanische Krieger zu schaden vermocht hätten, ein Werk, das durch Gelehrsamkeit, Dialectik, Schönheit des ungarischen Stiles, anziehenden Wechsel der Gegenstände u. geistreiche Behandlung des Stoffes die allgemeine Bewunderung erregte und große Bekehrungen zur Folge hatte." Numerantur ad 92 e nobilitate familiae hujus libri lectione ad reditum in Ecclesiam impulsae. Opera contra Pázmány edita cf. apud Roskovány II, 553—6.

[2]) Plura de eo cf. in hist. polit. Bl. 1889. II, 287 ss.; 432 ss.

III. Disciplinae ad ss. literas spectantes.

318. Magnum esse numerum theologorum scholasticorum, quos *Hispania* protulit, vidimus, sed forte non paucioribus gloriatur s. Scripturae interpretibus, inter quos aliqui nostra adhuc aetate magni fiunt[1]). Initium ducimus a Joanne de Paiva conimbricensi, s. theologiae doctore et canonico lamecensi, qui hermeneuticae specimen dedit opere inscripto: *Doctrinale s. Scripturae* omnes illius sensus tum literales tum mysticos, necnon canones h. e. regulas interpretandi ac intelligendi ss. literas, phrases praeterea, modosque ac versiones ll. 23 complectens, Conimbricae 1631 in f. — *In universam Scripturam scholia* habemus Joannis Mariana S. J. Natus is est Talaverae in dioecesi toletana (1536). Maximo ingenio, peracri judicio, singulari memoria, multorum annorum studio omne disciplinarum genus diligentissime excoluit, et ad s. theologiam raram omnium liberalium artium et historiae tum ecclesiasticae tum profanae cognitionem adjunxit. Romae nondum sacris initiatus (1561) quadriennio ss. literas interpretari coepit; anno 1569 concessit Parisios et magna nominis celebritate in illa academia d. Thomam Aquinatem quinquennio exposuit. Morbis tamen impeditus coactus est studiorum cursum vel interrumpere vel remittere et animum ad leniora studia transferre. Itaque in Hispaniam rediit 1574 atque Toletum secessit, ubi vitam studiis semper intentam ad decrepitam usque senectutem protraxit decessitque 17. Febr. 1624 prope nonagenarius. Multa passus est ingrata in provecta aetate; cum enim in tractatu *de monetae mutatione* graves flagellaret abusus, reus de crimine majestatis actus senex 73 annorum monasterio Franciscanorum includitur[1]). Nostra aetate posita ei fuit statua 27. Maj. 1888 in sua patria. Ex ejus operibus[2]) ad rem nostram sunt: *Scholia in V. ac N. T.,* Matriti 1619 in f., Parisiis 1620 in f. et saepius cum notationibus Emanuelis Sa et Petri Lanselii, Antwerpiae 1624 v. 2 in f. et alibi. Haec magni faciunt Richard Simon[3]), Dupin, Polus, qui ait[4]): „Scholia exigua quidem mole, sed usu non contemnenda et cum judicio exarata“ etc.; *tractatus 7 tum theologici tum historici,* videlicet 1. de adventu b. Jacobi ap. in Hispaniam, propter quem tr. opus hoc ali-

---

[1]) Praetermittimus Antonium Bacelar (Barcellos) O. Min. Lusitanum, cujus est Evangelium Apologeticum pro consanguineitate s. Jacobi cum Chrysto D. (vernacule), Conimbricae 1631 in 4. — Isidorum Barreira lusitanum, cujus est Tr. *das Significaões das plantas,* flores e frutos que se referem na sagrada Escritura, Olisipone 1622.

---

[1]) Cf. Sotvellus p. 476; Garzon El P. Juan de Mariana y las escuelas liberales, Matriti 1889.

[2]) Catalogum cf. ap. Sommervogel; Andres dell' Origine etc. t. 6. l. 1. c. 5. p. 333 advertit: „Poco ha scritto in teologia il Mariana; ma in quel poco si è fatto conoscere un profondo e severo theologo. Il Mariana era per così dire un theologo critico: versato nelle antiche lingue e negli studi d' erudizione, benchè allevato e cresciuto nelle scuole, non potè mai gustare lo stilo scolastico etc.“ Cf. ib. p. 561.

[3]) Hist. crit. du N. T. c. 42: Hist. crit. du V. T. 1. 3. c. 12: „On peut dire que Mariana est un de plus habiles et de plus judicieux Scoliastes que nous ayons sur la Bible. Il est vrai que la connaissance qu'il avoit des Langues Grecque et Hebraïque, n'étoit que médiocre: mais la pénétration de son esprit et sa grande application suppléent en quelque façon à ce manquement. Il choisit d'ordinaire le meilleur sens, et il n'est pas même ennuyeux dans les différentes interprétations qu'il rapporte.“ In eundem fere sensum scribit Dupin 17, 131.

[4]) Praef. v. 1. Synopsis crit.

quamdiu (usque ad Benedictum XIV.) in indicem fuit relegatum; 2. de editione vulgata ss. bibliorum[1]), in quo prudenter quidem, sed energice exaggeratas illas de vulgata opiniones, quae suo tempore inter theologos hispanos vigebant, impugnat, atque genuinam et vere catholicam de ejus auctoritate sententiam egregie stabilit; 3. de spectaculis, ubi pugnam taurorum reprobat; 4. de monetae mutatione in pejus; 5. de die et anno mortis Christi, in qua tuetur Christum mortuum esse 25. Mart. a. aetatis 34; sed judice Petavio ep. l. III ep. 14, multa eo in tr. sunt falsa et pugnantia; 6. de annis Arabum cum nostris annis comparatis, quem pariter Petavius l. c. non magni facit; 7. de morte et immortalitate ll. 3, Coloniae 1609 in f. In lucem quoque protulit Lucae tudensis episcopi *de altera vita fideique controversiis* adversus Albigensium errores ll. 3, Ingolstadii 1612 in 4; Matriti 1619. Quasdam annotationes reliquit in nonnullos s. Isidori Hispalensis libros, quae receptae fuere in editiones Grialii et Arevali. Denique ejus tr. *de ponderibus et mensuris,* Toleti 1599 in 4; Moguntiae 1611 etc. laudat Tournemine l. c., quem „idcirco aliis ejusdem argumenti scriptis praeposuit, quod ceteris perspicuitate praecellat, et veterem supputandi rationem ita exposuerit, ut multos Scripturae nodos feliciter dissolvat, nihilque credi exigat a moribus nostris nimis semotum.“

[1]) Hunc laudant R. Simon Hist. crit. du V. T. l. 3. c. 18, et Andres l. c. c. 2. p. 442 s. „Il Mariana è entrato in particolare ad esaminare più profondamente la materia: fa la rivista del testo ebraico e delle versioni, e vi osserva ciò che può esser soggetto di qualche censura; e venendo alla vulgata ei riconosce alcuni difetti, e ne rileva i pregi; spiega il senso del concilio tridentino nel dichiarare autentica la vulgata; propone il metodo di farne una corretta edizione, e molti punti svolge spettanti questo argomento con giudiziosa accuratezza e con religiosa libertà.“ ‚Elegantem ac rarissimam‘ eam diss. dicit Tournemine. Cf. Cornely l. c. n. 254.

319. Celebritatem tamen suam Mariana magis debet aliis operibus, quae huc minus spectant, scil. *Historiae de rebus Hispaniae ll. XX,* Toleti 1592 in f. Editio originalis est admodum rara, desunt enim plerisque exemplaribus ll. V, quos exemplaribus, quae adhuc supererant, postea adjecit; Toleti 1595; alios V iterum addidit, adeo ut sint XXX, Francofurti 1609 v. 2 in f. (in ea pertingit usque ad mortem Ferdinandi Catholici 1516); Moguntiae 1605 v. 2 in 4; demum adjecit *Summarium* ad historiam Hispaniae eorum, quae acciderunt annis sequentibus (ad a. 1612); Moguntiae 1619 in 4. Omnia Hagae 1733 v. 4 in f. Novis veluti curis retractatum correctum et auctum, hinc latinae editioni praeferendum edidit hoc opus lingua hispana: *Historia general de España* desde su primara poplacion, hasta el año de 1516 en 30 libros, Toledo 1601 v. 1 in f., longe melior et emendatior editio altera 1608; 1617 etc.; egregia et splendida est illa, quae prodiit Matriti 1780 cura bibliothecae regiae v. 2 in f., nec spernenda altera Valenciae 1783—1796 v. 9 in f. aucta annotationibus et vita Marianae; omnes vero praecellit editio matritana 1817—22 v. 20 in 4; 1851. Ratione hujus operis scribit Andreas Schottus, eum Thucydidis prudentiam et Taciti acumen diserto admodum gravique stilo complexum fuisse unum[1]).

[1]) In bibl. hisp. N. I, 732. Cf. etiam Baronium ad. a. 688; Feller V, 544, ubi ait, neminem eo propius ad Livii scribendi rationem accessisse. Et iterum: „Mariana comparable aux plus fameux historiens de l'antiquité, supérieur au président de Thou pour la noblesse et pour l'élégance du style, est encore plus juste et plus impartial que ce célèbre historien;“ Düx Kirchenl. VI[1], 864; Schrödl ib. IV, 42. (ed. 1.) hoc opus dicit „in Bezug auf ächte Beredsamkeit, Erzählungsstil, Darstellung und Diction klassisch.“

Aliud **Marianae** opus illudque famosum est: *De rege et regis institutione* ll. 3 ad Hispaniae regem catholicum, Toleti 1599 in 4. (editio originalis et rara), quod puerilibus clamoribus, innumeris calumniis et malevolis accusationibus in societatem Jesu occasionem dedit[1]), »in quo, ut ait **Tournemine** in praef. edit. comment. Menochii, loquens de nece Henrici III. Galliarum regis ea scripsit, quae lacrimis eluere debuerat; opus, si illa demas, eximium et ad informandum principem aptissimum.« Opus hoc urgente oculatissima aula parisiensi igni traditum, suppressum demum fuit etiam in simplici Hispania[2]). Ceterum calumnia est, Societati Jesu propter Marianae opus ejusdem opinionem, licitum esse regem, qui tyranni more se gerat, occidere, tamquam doctrinam ejus propriam venditare, cum Aquaviva praepositus generalis eam sub excommunicationis poena sodalibus prohibuerit. Libellus ei tributus *de erroribus*, qui in forma gubernationis S. J. occurrunt ab aliis editus 1625, Genevae 1631, est valde dubius, vel saltem interpolatus. Prohibitus legitur decr. 17 Jun. 1617.

320. Huic adjungimus Thomam **Malvenda** OP. Setabi apud Valentinos a. 1566 ortum, qui graecam hebraicamque solus nullo usus praeceptore sibi linguas comparavit. Regularis disciplinae, quam tironem agens hauserat, toto vitae decursu adeo tenax fuit, ut nec a quotidianis nocturno diurnoque tempore chori muniis ceterorumque pensis unquam abfuerit, seu lectionum seu concionum habendarum causa. Mira illi memoria, acre judicium, perspicax ingenium, ea vero in scribendo facilitas, ut quodcunque mente conceperat, prompto ac nitido stilo nulla litura emaculato feliciter exprimeret, quod ejus contestantur autographa. Quadrienno philosophiae cathedram est moderatus, decennio theologiam praelegit. Stilo utebatur presso ac nitido sed nervoso, eique in tradendis disciplinis, sacris praesertim et divinis, displicebat sermonis ruditas aut barbaries. Cum in annalibus et romano martyrologio Baronii quaedam minus probaret, scripsit ad eum a. 1600 epistolam, qua ingenue quae sibi non placerent exposuit. Baronius vero Thomae miratus diligentiam et perspicaciam ejusque candore captus et solertia, plurimum exinde eum coluit, ac ut Romam arcesseretur, apud magistrum ordinis F. Hieron. Xavierre instantius egit. Romam igitur venit Thomas eoque monente plura doctissimus cardinalis in annalibus recensuit et mutavit. Adhibitus quoque fuit ad missalia et breviaria ordinis corrigenda et recensenda, ad scribendos ejusdem annales, quos etiam collegit, sed ne publicarentur, expresse cavit. Prodierunt tamen inscio invitoque auctore Neapoli 1627, iique exhibent opus non elaboratum et indigestam plane molem (ad a. 1246) fabulosa quoque complectentem, quae ultimam exspectabat manum. Partes habuit in expurganda bibliotheca ss. patrum parisiensi a. 1589 ed. Margarino de la **Bigne**, ejusque *annotationes* insertae fuere editioni parisiensi a. 1605. Item operam suam contulit ad *librorum prohibitorum indicem expurgatorium,* qui Romae prodiit 1607 sub nomine Joan. Mariae **Brassichelensis** Mag. s. Pal. p.

---

[1]) Cf. Michael Ztschr. f. k. Theol. XVI (1892) 556—567, qui bene notat: Uebrigens ist der ganze Mariana- und Tyrannenmordspectakel eine der ungezählten Schandflecke unserer neueren Geschichtschreibung, ein Denkmal ihrer Kritiklosigkeit und Oberflächlichkeit. Praeclare de hac controversia disserit Pilatus (Dr. V. Naumann) in op. der Jesuitismus, Regensburg 1905 sect. X. p. 195 ss.

[2]) „Les réimpressions, inquit Backer II, 1088, qui ont été faites n'étant point entières, n'ont pas de valeur.“ Ed. moguntinam 1605 curarunt juxta Prat editores calviniani. Cf. **Balmes**, der Protestantismus verglichen mit dem Katholicismus III, 52; Reichmann S. J. KL. VIII, 795—800.

63—293. In Hispaniam rediit 1608. Novam demum bibliorum versionem et breviores in ea commentarios sive scholia ad literalem maxime sensum hebraicique textus notitiam conducentia meditatus est, quo vulgatam veram assereret et authenticam. Verum ejus labores abrupit infida mors, quae illum medio in cursu sistere jussit atque abripuit a. 1628 d. 7. Maji aetatis 63. Pervenerat usque ad. Ez. 16, 16, cum viribus se destitui sensit mortemque proximam imminere. Perceptis igitur summa cum animi devotione sacramentis translationem bibliorum, quam susceperat, sibi proferri voluit propriaque manu praefationem inscripsit et subscripsit notis suis lectori praefigendam. Tum morti se componens inter ardentissima ad Deum suspiria piam efflavit animam. Ceterum ejus opera studiose collegit servavitque Isidorus Aliaga O. Praed., archiepiscopus valentinus, qui Thomam comitem sibi individuum et commensalem selegerat, a quo postmodum tradita fuere magistro ordinis F. Thomae Turco in lucem edenda, cujus sollicitudine et impensis totius ordinis cura Casparis Dinghens O. Pr. († 1678) Lugduni tandem t. 5 in f. prodierunt 1650 hoc titulo: *Commentaria in s. Scripturam* una cum nova de verbo ad verbum ex hebraeo translatione variisque lectionibus etc.[1]). Acri censurae eam versionem subjecit Rich. Simon[2]), scholia tamen lectione digna judicat. Calmet in sua bibliotheca s. scribit: „Commentaria magni reputata literali sensui inhaerent; at rara sunt; haec enim editio tota fere Lugduni igne periit. Ejus methodus vertendi de verbo ad verbum ac prorsus superstitiose hebraicum textum plurimis in locis ad voces barbaras, obsoletas et ad libitum excogitatas auctorem adegit, quas sane nunquam lectores assequerentur, nisi aliae in margine clariores et latiniores substitutae fuissent.“ Aliud magnum opus et fructum studii 12 annorum praelo subjecit hoc titulo: *De antichristo ll. 11,* Romae 1604 in f., quod laudant atque commendant Villalpandus, Pineda, Possevinus, Suarez, Schottus, Torniellus, Lorinus, Aldrete, Scholanus, Scioppius. Illud postea recensuit, ditavit atque in triplum auxit, Valentiae 1621; Lugduni 1647. *De paradiso voluptatis*, Romae 1605 in 4., quod commendat Calmet. Utrumque tractatum Dupin[1]), qui prolixam illius exhibet synopsim, egregium dicit. Prior certe est admodum eruditus, in quo innumeras pro natura ipsius argumenti veterum opiniones de antichristo ab ejusdem primo ortu usque ad interitum diligentissime prosequitur: ex quibus

---

[1]) Cf. plura ap. Echard II, 454 ss.

[2]) Hist. crit. du V. T. l. 2. c. 20: „Cette Version est si barbare et si bizarre, que si l'Auteur n'avoit en même tems ajoûté de petites Notes en forme d'eclaircissemens sur sa traduction et des Remarques pour l'explication du Textre, elle seroit entièrement inutile; parce que les mêmes defauts qui se trouvent dans la Version d'Arias Montanus sont encore en plus grand nombre dans celle de Malvenda. Et ainsi ceux qui voudront avoir des Traductions de la Bible purement Grammaticales pour apprendre la Langue Hebraïque, pourront se servir de la Version de Malvenda, qui leur tiendra lieu en même tems de Grammaire et de Dictionaire.“ Cf. l. 2. c. 1. et l. 3. c. 12. Similia habent Polus in praef. synops. critic., Andres l. c. p. 513. Cherubinus vero a s. Joseph biblioth. crit. sacrae v. 3. disp. 1. art. ult. opus auctoris nostri potius laudat scribens: „Nos ex hujus operis lectione non parum juvari, non modo tirones posse, sed et doctores, libere asserimus: non solum enim textus hebraici proprios idiotismos manifestat, sed et ceteras interpretum expositiones summo studio ac diligentia prosequitur: aliorum quoque expositiones recitat, suo identidem adjuncto judicio ac tandem varias singularum pene vocum significationes detegit, ita ut concordantias hebraicas egregie subministret.“ Cf. Le Long Bibl. sacrae p. 1. c. 4. p. 296 s.

[1]) 17, 86—93. Qui de hoc argumento eodem fere tempore scripserint cf. apud Werner Gesch. der apol. und pol. Lit. 4, 558.

tamen, si pauca excipias, pleraque merae sunt conjecturae sat incertae.

321. Plerosque V. T. libros prolixis commentariis illustravit Caspar Sanctius (Sanchez) S. J. Centumputeolanus vere politus interpres. Literas humaniores docuit per 30 annos, tum s. literas in complutensi collegio est interpretatus. Nunquam est visus irasci aut animo commoveri, nunquam vocem solito amplius extollere. Innocentem vitam[1]) nulla unquam graviori culpa maculatam sancto fine clausit 16. Nov. 1628 a. aetatis 75. Edidit commentarios *in quatuor ll. Regum et duos Paralipomenon*, Lugduni 1623 in f.; Antwerpiae 1624, qui prae ceteris aestimantur[2]); *in ll. Ruth, Esdrae, Nehemiae, Tobiae, Judith, Esther, Machabaeorum*, Lugduni 1628 in f.; *in l. Job*, ib. 1625 in f.; *in cantica canticorum* cum expositione Ps. 68, quem in canticis respexisse videtur Salomon, ib. 1616 in 4; *in Isaiam prophetam* cum paraphrasi, ib. 1615 in 5; Antwerpiae 1616; Moguntiae 1616 in f.; *in Jeremiam proph.* cum paraphrasi, Lugduni 1618 in f.; *in Ezechielem et Danielem proph.* cum paraphrasi, ib. 1619 in f.; *in 12 prophetas minores et Baruch*, ib. 1618; 1621 (*in Zachariam proph.* seorsim ib. 1616 in 4.), qui commentarii in prophetas majores et minores aestimantur; *in actus apostolorum:* accessit disputatio de s. Jacobi itemque Petri et Pauli ap. in Hispaniam adventu, ib. 1616 in 4; Coloniae 1617. De eo scribit Calmet in s. bibliotheca: „Eruditus est (Sanctius), sapiens, solidus, literae inhaerens et omnium quos noverim interpretum praestantissimus[1]). Ejus commentarium in Reges omnia ipsius opera superare facile creditur[2]).‟ Et Cornely introd. p. 682: „Mirum est quanta cum sagacitate difficultates, quas nostro hoc seculo rationalistae contra V. T. libros historicos movent, quodam modo praeviderit et quanta cum eruditione plerasque jam in antecessum solverit.‟

322. In *Genesim* commentariorum et observationum moralium t. 3 in f., Lugduni 1618. 1621. 1627 et iterum 1633, edidit Benedictus Fernandez S. J. Lusitanus, Borbensis, zelo animarum insignis celebrandaeque b. Virginis gloriae, ut ejus scripta testantur, studiosus († 8. Dec. 1630 a. aetatis 67), distinguendus a sodali[3]) Antonio Fernandez († 14. Maji 1628), cujus sunt commentarii *in visiones V. T.* cum paraphrasibus capitum, ex quibus eruuntur, Lugduni 1617; 1622; 1662 in f.,

---

[1]) Cf. Sotvellus p. 280; Sommervogel VII, 524; N. Antonius I, 532 s.

[2]) Reinke (Einleit. zu den messian. Weissagungen 1, 30): „Er war ein Mann von inniger Frömmigkeit, großer Gelehrsamkeit und scharfer Urtheilskraft und stand daher im großen Ruf.... Seine Erklärung der Bücher Samuels und der Könige werden am meisten geschätzt.‟

[1]) Feller VII, 417: „Le sens littéral (in his commentariis) est solidement développé, en même temps que l'auteur ne néglige ni le sens mystique, ni le sens allégorique. Son commentaire sur Isaïe est incontestablement un des meilleurs que nous ayons sur ce prophète.‟ Ita et Andres l. c. c. 3. p. 561 et Fabricius in hist. bibl. fabr. I, 261; IV, 25.

[2]) Praetermitti non debent quae occasione etiam hujus interpretis sapienter advertit Perrone praelect. theolog. t. 3. p. 2. c. 3. a. 2: „Satis est specimen sumere ex commentariis super prophetas Casp. Sanctii, ex commentario ven. Bellarmini in Psalmos et P. Berthier pariter in Psalmos, Bernardini a Piconio in epistolas s. Pauli aliorumque passim, qui pietatem ubique et unctionem plane coelestem spirant. Si quis hos conferat cum expositionibus Semleri, utriusque Rosenmülleri, Kuinoelli etc. deprehendet, tantum intercedere illos inter et istos discrimen, quantum intercedit medullam inter et ossa, spiritum et corpus, coelum et terram. Ecquid aliud exspectes ab iis, qui nonnisi terrena sapiunt?‟

[3]) Bibl. hisp. nova recenset alios 7 Antonios Fernandez, quorum unum pariter Lusitanum supra laudavimus p. 598.

opus admodum rarum. — Ex Genesi c. 49. exposuit Bernardus de Ribera O. Cist. in suo *Jacobi Testamento,* quod continet novas et eruditas expositiones 12 prophetiarum, quas protulit Jacob patriarcha, dum moriens ultimum vale filiis diceret, Hispali 1624. — Immensum opus in s. Scripturam suscepit Franciscus da Piedade Maciel O. Praed. colligens selectas ss. patrum doctorumque classicorum in totum historialem utriusque sacrae paginae textum expositiones, sed prodiit tantum tomi primi *in opera sex dierum p. I.* continens opera unius diei ac tria millia selectarum expositionum, Neapoli 1636 in f. — Cosmas Magalianus (Magalhaens) S. J., Bracharensis, qui quaestiones de moribus 10 annis explicavit, et Conimbricae s. Scripturam est interpretatus († 9. Oct. 1624 a. aetatis 73), scripsit commentarios[1] *in canticum primum Mosis,* Lugduni 1609 in 4; *in Mosis cantica et benedictionem patriarcharum* commentariorum ll. 4, ib. 1619 in f.; *in s. Josue historiam* commentariorum t. 2, Turnonii 1612 in f.; *in s. Judicum historiam* explanationes et annotationes morales, Lugduni 1625 in f. opus rarum; operis hierarchici sive *de ecclesiastico principatu* ll. 3, in quibus epistolae tres b. Pauli ap., quae pontificiae vocari solent, commentariis illustrantur, ib. 1609 in 4.

323. Libros Regum commentariis illustrarunt Ludovicus de Vera Limae natus, ibidem S. Thomae interpres et vicarius generalis, ordinis s. M. de Merc. Red. capt., Limae 1635 in f., et Franciscus de Mendoza[2]) S. J., Olisiponensis, nobilitate generis, omnigena literatura, morum vitaeque innocentia summis par viris: pietatem cum lacte, cum doctrina virtutem imbibit. Floruit in eo inde usque a primis annis modestia, pax, puritas, tranquillitas, rerum humanarum despicientia. Ingenium ei fuit acre, motus cogitationis celeres, expediti, judicii maturitas, memoriae vis ingens: ad haec omni genere literarum affatim abundavit. Conimbricae docuit philosophiam, s. literas interpretatus est Eborae. Coelum migravit 3. Jun. 1626 a. aetatis 54. Prodierunt *commentariorum ac discursuum moralium in Regum ll.* t. 3 varia ac jucunda eruditione necnon discursibus moralibus ad omnem concionum materiam utilissimis instructi[1]), tomus I. Conimbricae 1621; Olisipone tomus II. 1624; dein Lugduni 1622—1625—1631 t. 3 in f.; Coloniae 1633. 1634 v. 3 in f. etc., quae Caspar Fernandez S. J. († 22. Jun. 1640) Lusitanus, prosequi moliebatur, sed perficere non potuit. Prostat tantum *Sceptrum davidicum* seu in 1. et 2. caput l. 2. Regum in varios discursus explanatio, Eborae 1685 in 4. Aliud Mendozae opus est *Viridarium sacrae et profanae eruditionis,* Lugduni 1631; 1632 in f.; Coloniae 1633 in f.

324. Libro Job lucem attulerunt Hieronymus de Cruce O. S. Hier. in suo *Job evangelico* seu elucidatione l. Job ex placitis stoicochristianis, Caesaraugustae 1638, et praesertim Joannes de Pineda[2]) S. J. Hispalensis.

---

[1]) Cf. Sotvellus p. 161; Sommervogel.

[2]) Alius ab hoc est Franciscus de Mendoza et Bovadilla cardinalis et archiepiscopus valentinus (1508—1566), qui scripsit *de vera et naturali quadam cum Christo unitate,* quam per dignam Eucharistiae susceptionem fideles consequuntur, qui tractatus quamvis nunquam editus videatur, satis tamen innotuit, ut patet ex controversiis hujus sententiae occasione motis, de quibus cf. Vasquez in 3. p. d. 204. c. 1; de Lugo de euchar. d. 12. s. 5; Suarez in 3. p. t. 3. disp. 64. s. 3; et de eo ait Nic. Antonius I, 448: „Quo quid magis eruditum, doctum, ingeniosum, elegans ac undique perfectum conficere humana industria valeat, non facile dixerim.“ Francisci Sarmiento de Mendoza supra p. 348 a. meminimus.

[1]) Cf. Sotvellus p. 237; Sommervogel V, 899.

[2]) Alius hic est ab eo, cujus meminimus p. 303 a.

Aristotelem Granatae priusquam per aetatem sacerdotio posset initiari triennium, deinceps Hispali biennium feliciter exposuit; d. Thomam Cordubae biennium; s. literas 18 annos ibidem, tum Hispali, tum demum Matriti. Constitutus est visitator omnium per regnum bibliothecarum et censor librorum. Ipsi commissum munus colligendi *Indicem ll. prohibitorum* (scil. in Hispania) *et expurgandorum* 1612, et iterum 1632 *novum Indicem*. Vixit autem usque ad decrepitam aetatem semper in studiis, semper reipublicae bono intentus, necnon de profectu in virtute sollicitus, hinc veri religiosi perfectum fuit exemplar. Piissime obiit in Domino hoc patriae et sodalitatis suae immortale decus ac ornamentum, ut vocatur a Nic. Antonio, 27. Jan. 1637 senex 80 annorum. Quanti factus fuerit, liquet exinde, quod cum Eboram transiret, a pleno magistratu fuerit exceptus, oratione salutatus ac parieti ad memoriam inscriptum: *Hic Pineda fuit*[1]). Edidit hic profundus et eruditus divinae Scripturae interpres commentariorum *in Job* ll. 13, Matriti v. 2 in f. 1597 — 1601; Coloniae Agrippinae 1600—1603; Hispali 1602; Venetiis 1705 etc., opus septuplici instructum indice et communi eruditorum etiam protestantium suffragio laudatum[2]). Calmet commentarium dicit „diffusissimum quidem, sed probatissimum, in quo nihil praeterit indiscussum. Unum istud opus pro omnibus ejusdem generis haberi potest.“ Ad suos in Salomonem commentarios *Salomon praevius* i. e. de rebus Salomonis regis ll. 8, Lugduni 1609; Moguntiae 1613 in f., de quo opere ita Calmet: „Quoad Salomonis regnum et quoad omnia ipsum spectantia J. Pineda legendus, qui de Salomone scripsit. Opus hoc maximi et elegantissimi ccommentarii loco habetur.“ Praelectio sacra *in cantica canticorum*, Hispali 1602 in 4; commentarii *in Ecclesiasten* l. unus, ib. 1619 in f., de quo Calmet: „J. Pineda S. J. eximium commentarium in Ecclesiasten vulgavit, eximiis prolegomenis instructum, ubi quaestiones omnes in idem opus resolvuntur. Hujus auctoris opus non merum tantummodo commentarium exhibet; post textum enim Vulgatae versio, quam appellat, veneta succedit, sicut et altera Roberti Shirvode; deinde variantes ex hebraeo, ex optimis interpretibus derivatae; versio paraphrasis chaldaicae per Cirvellum et Zamoram sicut et alterius paraphrasis chaldaeae per Petrum Costam. His omnibus accedit versio syriaca et arabica ac tandem catena patrum graecorum, latine omnia. Excipit totum opus amplissimum auctoris commentarium, quod sane omnium loco haberi

[1]) Cf. plura apud Sotvellum p. 490. et in Ludovici de Tero epistola de morte et virtutibus P. Joannis de Pineda; Fell S. J. KL. X, 8; Nieremberg Varones illustres de la Comp. de J. Bilbao 1891, VII[2].

[2]) Wiseman Zusammenhang zwischen Wissenschaft u. Offenbarung, Vortr. 10. § 21: „Noch größere Empfehlungen werden von dem gelehrten und geistreichen (Protestanten) Schultens (Job cum nova vers. et comment. perpetuo Lugduni Bat. 1737 t. 1. praef.) dem spanischen Jesuiten Pineda gespendet, dessen Noten über Job er anerkennt, dass sie ihm seine Arbeiten bedeutend erleichtert haben.“ Etiam a Delitzsch commendatur Commentar ü. d. Buch Job Lipsiae 1876 ed. 2 p. 23. Andres l. c. l. 2. c. 3. p. 563: „Sembrerà troppo diffuso il Pineda al veder gli impiegare sì grossi volumi su i piccoli libri di Giobbe et dell' ecclesiaste: ed io infatti vorrei reciderne alcune quaestioni poco importanti per la biblica illustrazione; ma all' osservare, che niente vi si tralascia senza soddisfacente discussione, e che quelle sole opere possono servire per molte in quelle materie, gli si perdona con piacere la diffusione, e si ricevono con grata riconoscenza i molti e bei lumi che in essi sparge forse con qualche prodigalità. Il medesimo Pineda è autor classico su quanto spetta il regno di Salomone, e la sua opera è un eccellente commentario di molti passi di vari libri della Scrittura.“ Cf. de Wette, Das Buch Job. p. XXIII.

commode potest[1]).« — In eundem l. (Ecclesiastes) commentarium habemus Joannis Fernandez O. Praed. Aragonii († 1625), in quo vulgata ad verbum cum originali hebraeo confertur et probatur, eam omnes alias excellere versiones, Romae 1621 in f. — Canticum canticorum magnifice exposuit Ludovicus de Ponte (de la Puente, du Pont) vir piissimus et inter praecipuos ascetas hujus seculi numerandus. Natus is est Vallisoleti 11. (secundum Sotvellum 10.) Nov. 1554; Societatem Jesu ingressus 2. Dec. 1574 post longam animi fluctuationem magna prae primis Fr. Suarii modestia, dum disputationi praesideret, allectus. Praeclarum exinde in omni virtutum genere progressum fecit sub disciplina Balthasaris Alvarez celebris plane ascetae[2]), et tirocinio absoluto in studiis, in quibus longo post se intervallo condiscipulos omnes reliquit propter promptum ingenium, acre judicium, animi ardorem. Saepius novitiorum magistrum egit, sed tenui vel nulla valetudine utens coactus est abrumpere docendi cursum et animum ad ea scribenda applicare, quae longo usu, assidua meditatione, perpetua sui mortificatione didicit. Excellebat, ut alias praetereamus virtutes, virginea modestia, humilitate et coelesti prudentia, quam hauriebat ex assidua oratione: aliquoties enim integras noctes coram Sanctissimo transigebat[3]). Piissime obiit 17. Febr. 1624 a. aetatis 70. Reliquit praeter alia: *Expositio moralis et mystica in canticum canticorum* continens exhortationes sive sermones de omnibus christianae religionis mysteriis atque virtutibus, Coloniae 1622 t. 2 in f.; Parisiis 1622 (m. 80); *Obras espirituales*, Matriti 1690 t. 5 in f., inter quae eminent notissimae ejusdem *meditationes*, saepissime editae, recenter a P. Lehmkuhl Friburgi 1889—90 t. 6; *Guia espiritual*, en que se trata de la Oracion, Meditacion y contemplacion: de las divinas visitas y gracias extraordinarias: de la mortificacion y obras heroycas que los acompañan, Vallisoleti 1609 in 4; *de la perfection del Christiano* en todos sus estados, ib. et Pampelone 1612—16 t. 4 latine, Coloniae 1615—17 t. 4 in 3 v. (m. 70). *Tesoro escondido* en las enfermedades y trabajos, Hispali 1672 in 32; *Sentimientos y avisos espirituales* ib. 1671 in 16; latine versum a P. de Baenst, et curante Vinc. Gasser ep. brixinensi iterum editum Brixinae 1870.

Thomas de Beira O. S. Franc. Lusitanus edidit considerationes literales et morales *super Jeremiam*, Olisipone 1633; *in Jonam* commentarios una cum paraphrasi poetica, Oriolae 1623 in 4. — Praetermisso Jo. Tremiño Alicantino, qui 50 fere annos tam in schola quam in ecclesia docendo et concionando impendit — Alphonsus de Padilla O. Minim. dedit commentaria, annotationes et discursus ad mores complectentia *in Habacuc proph.*, Matriti 1657 v. 2 in 4; Sulzbachi 1674 in 4; Romae 1702.

325. Ad N. Testamentum transeamus. Primus nobis occurrit Antonius Perez[1]) O. S. Bened. oriundus ex op-

1) Bibl. sacra pp. 70. 78. 87.

2) Posuit gratissimus discipulus magistro suo admirabili († 25. Jul. 1580) monumentum aere perennius in *Vita* classica hispanice scripta, Matriti 1615 in 4; latine interpretibus M. Trevinnio et C. Bovio. Scripsit et aliam insignem *Vida maravillosa de la ven. V. Doña Marina de Escobar*, Valladolid 1665, ad a. scil. 1624, quo ipse obiit: reliqua adjecit ipsa Marina; Matriti 1766 t. 2 in f.

3) Cf. Sotvellus p. 570; Sommervogel VI, 127 ss.; J. May Der ehrw. Lud. de Ponte, s. Leben und s. Schriften, Dülmen 1902; Fell S. J. KL. X², 184—6.

1) Alterius Antonii Perez mentionem infra faciemus. Hieronymus Perez reliquit inter alia (cf. bibl. hisp. n. I, 596) *Summam theologicam*, Matriti a. 1637 v. 2 in 4. Is vero distingui debet a celebriori Hieronymo Perez O. b. M. de Merc. subtilissimo s. Thomae interprete, ut testan-

pido sancti Dominici de Silos, vir suo aevo in scientia theologica clarus. Praefectus generalis fuit benedictinae congregationis per Hispaniam renunciatus, episcopus dein vigellensis in Catalonia: inde ad ilerdensem sedem, demum ad tarraconensem metropolitanam ecclesiam fuit translatus († 1. Maji 1637 a. aetatis 78). Eruditionem ejus testantur luculenta opera: *Authentica fides Matthaei*[1]) controversiis agitata et discussa, Barcinone 1632; *Authentica fides quator evangelistarum* controversiis catholicis discussa et agitata adversus omnes haereticos, ethnicos, philosophos, Lugduni 1626 in 4; *Authentica fides apostolorum et epistolae ad Romanos,* ib. 1626 in 4; *Authentica fides Pauli super* 1. et 2. ep. ad Corinthios controversiis catholicis agitata et discussa, Barcinone 1632 in f.; *Pentateuchus fidei* ll. 5: de Ecclesia, de conciliis, de Scriptura s.; de traditionibus sacris; de romano pontifice, Matriti 1620 in f. Quaedam ex l. 1. et 2. et l. 5 de rom. pont. habes apud Rocaberti bibl. pont. IV, 669—808. *Laurea salmantina,* sive certamina scholastica (10) et totidem interjecta expositiva, ac relectio de cruce Christi pro acquirenda laurea salmantinae academiae sive magisterii gradu et pileo ejus insigni, Salmanticae 1604 t. 2 in f. — Integrum volumen in f. *annotationum* in c. 13. sacros. evangelii secundum Joannem, quod tamen complectitur tantum primam partem, reliquit Gregorius B a p t i s t a pariter O. S. Ben. Lusitanus, Conimbricae 1621; reliquae duae partes manserunt ineditae.

326. Plures Pauli epistolas illustravit Augustinus d e Q u i r o s S. J. Illiturgitanus, quae civitas hodie Andujar dicitur[1]). Sacras literas interpretatus est undecim annos. Vir erat doctrinae, sed in primis prudentiae, modestiae, comitatis omniumque virtutum religiosarum laude insignis († 13. Dec. 1622 a. aetatis 56). Scripsit *Commentarios exegeticos literales* in postremum canticum Moysis, Is. c. 38. canticumque Ezechiae, prophetas Nahum et Malachiam, b. Pauli epistolas ad Ephesios et Colossenses et bb. Jacobi[2]) et Judae canonicas, Hispali 1622 in f.; Lugduni 1623 in 4. — Ludovicus d e T e n a, Baeticus, Accitanus, erat s. theologiae doctor complutensis, ingenii praestantia eruditioneque nulli hominum aetatis suae doctorum existimatione secundus. Primum Aristotelem, Scotum dein interpretatus est, mox pomeridianam, indeque principem theologiae cathedram moderandam suscepit. Obiit[3]) dertusanus episcopus 26. Sept. 1622. Plane insignia sunt ejus *commentaria et disputationes in ep. d. Pauli ad Hebraeos,* Toleti 1611; 1617 in f., recepta

tur ejus *commentaria in 1. et 1, 2. Summae*, Matriti 1548. Cf. II, 1377. — Alius A n t. P e r e z (vulgo Antolinus) O. S. Bas. edidit *Catenam selectam veterum Patrum* in loca quaedam divi Matthaei explanata literaliter et moraliter, Barcinone 1632; Matriti 1643 in f. De nostro cf. Nic. Antonius 1, 150; Ziegelbauer t. III. c. 4. § 5.

[1]) Josephus G a r c i a O. Cist. († 1622) teste Le Long *in aliquot psalmos Davidis* et *in Evangelium s. Matthaei* commentatus est, Pampelonae 1612 in 4.

[1]) Cf. S o t v e l l u s p. 96.

[2]) In eandem hanc epistolam *exegeticam juxta et paraeneticam commentationem* scripsit Didacus D a z a S. J., Compluti 1626 in f., quem Gabriel Vasquez tanti fecit, ut subtiliora et difficiliora theologiae capita cum ipso conferret († 16. Oct. 1623 a. aetatis 44). Plura cf. ap. S o t v e l l u m p. 169. Jussu card. Bern. de Sandoval composuit *Indicem* ll. prohibitorum ac expurgandorum Matriti 1612 in f.; Genevae 1614. — Pariter et Balthasar P a e z O. SS. Trinit. Olisiponensis († 1638) reliquit *in epistolam s. Jacobi* commentarium Lugduni 1626 ed. 3. aucta. Praeterea *commentaria in canticum Moysis Ex. 15,* cum annotationibus moralibus, Olisipone 1618 in f.; Antwerpiae 1619; in canticum magnum Moysis: *Audite coeli quae loquor* Deut. 32, Olisipone 1620 t. 2; in canticum Ezechiae Is. 38, ib. 1622 in f.

[3]) Cf. Bibl. hisp. nov. II, 65.

quoque inter criticos sacros. „Hoc Ludovici nostri opus, scribit Mich. a. s. Joseph[1]), communi sapientium suffragio sane probatum est, nec facile invenias, qui aptius de eodem argumento disseruerit; quamvis noster ea linguarum peritia prorsus caruerit, sine qua vix credunt critici posse quemquam s. literas apte exponere. Auctoris consilium fuit, ut tirones theologi in promptu haberent argumenta et responsiones, quibus argumenta et difficultates sibi in Scriptura et maxime in epistola ad Hebraeos propositas solverent. Quare sicut recte Calmetus observavit, plurimas in medium quaestiones adducit[2]), non raro etiam ab Apostoli textu alienas, quas scholastico quidem stilo, sed erudite tamen resolvit. Ratiocinatione potius quam auctoritate rem conficere consuevit; nec id tribuendum putamus cum Calmeto temporum illorum conditioni, quae optimis patrum editionibus caruit; nam si hoc auctoris genio placuisset, ad manus habei et patrum opera etsi minus correcta, ex quibus hauriret magnam testimoniorum copiam.‹ Nimis diffusa, laude tamen digna[3]) est ejus *Isagoge in totam Scripturam,* sive de s. Scripturae existentia, quidditate et qualitatibus, integritate textus hebraici, de singulorum ll. auctoritate et auctoribus idiomateque, quo scripti sunt, Barcinone 1620 in f.

327. Denique[4]) nonnulla s. Scripturae loca illustravit Martinus de Roa S. J. Cordubensis († 5. Apr. 1637) in opere[1]): *Singularium locorum et rerum ll. 5*, quibus insuper duo alii ll. adjuncti sunt: *De die natali sacro et profano* unus; alter *singularium item locorum l. 6.,* in quibus cum ex sacris, cum ex humanis literis multa ex gentium Hebraeorumque moribus explicantur, Lugduni 1604 et 1634 v. 2 in 8; 1667. — Ludovicus Ballester S. J. Valentinus († 1. Maj. 1624 a. aetatis 82) s. Scripturae admodum studiosus collegit *Onomatographiam* sive descriptionem nominum varii et peregrini idiomatis, quae alicubi in latina vulgata occurrunt pp. 2, quarum 1. continet nomina praecipua rerum V. et N. T. per ordinem alphabeticum digesta; 2. vero omnia insignium personarum cum distinctione temporum, quibus personae istae floruerunt, Lugduni 1617 in 4; accessit *Hierologia* sive de sacro sermone continens summam atque compendium positivae theologiae fere omnia, quae in s. Scriptura tractantur, attingens, innumera ejus loca linguae hebraicae praesidio explicans et tamen ea methodo omnia tradens, qua tam hebraei sermonis periti quam expertes in studio theologiae positivae multum proficere possint. Omnia vero, quae in ea tractantur, 4 ll. continentur: 1. de substantia divina; 2. de substantia corporea non vivente; 3. de substantia corporea vegetativa; 4. de substantia corporea sensitiva, ib. 1617 in 4.

328. Aliquot interpretes *Italia* quoque protulit, inter quos eminet Benedictus Justinianus (Giustiniani) S. J. Genuensis, de quo illud memoriae proditum est, eum, cum adolescens in quodam dramate, dum convictor esset in collegio germanico Romae, partes s. Catharinae ageret, tanta repente in ipso theatro cupiditate incensum fuisse imi-

---

[1]) Bibliogr. crit. III, 252.

[2]) Hoc carpit Rich. Simon, Hist. crit. des principaux comment. du N. T. 38.

[3]) Welte, Kirchenlex. III, 490 (ed. 1.): „Erst die Isagoge etc. von Ludov. de Tena und die Praeludia isagogica ad s. Scripturae intelligentiam von Antonius a Matre Dei (Lugduni 1649) machten ihm (Sixtus senensis) seine Vorzüge etwas streitig.“

[4]) *Commentarium in Apocalypsim* Petri a Jesu Maria O. b. M. de Merc. theologi doctissimi prodiisse 1671 ex auditu refert Nic. Antonius Bibl. hisp. nov. II, 203.

[1]) Alia ejusdem op. quae huc non spectant cf. ap. Sommervogel VI, 1887—1896.

tandi virtutes illius sanctae virginis, cujus personam sustinebat, ut illico decreverit mundo nuncium remittere et Deo se totum in societate Jesu consecrare. Doctrinis omnibus maxima felicitate decursis theologiam Tolosae, Messanae et Romae multos annos magna cum ingenii et sapientiae opinione tradidit, tum praecipuas Italiae civitates concionibus illustravit. Summi pontificis quoque fuit theologus et ecclesiastes. Obiit demum Romae plenus dierum ac meritorum in collegio poenitentiariae, quod annis amplius 20 magna trium pontificum approbatione gubernarat 19. Dec. 1622. Magnam nominis famam promeruit[1]) suis *in omnes b. Pauli Ap. epistolas explanationibus,* Lugduni 1612—1613 t. 2 in f., et *in omnes catholicas epistolas explanationibus* in f., Lugduni 1621, quae fere tantum ex patrum sententiis contextae sunt adeo erudite, ut cum Estii interpretatione perfectum absolutumque harum epistolarum exhibeant commentarium[2]). Eae sunt sat rarae et carae (m. 200). — Alius ab eo est Fabianus Justinianus Genuensis congr. Orat. et episcopus adjacensis in Corsica († 5. Jan. 1627), cujus sunt: *Commentarius de s. Scriptura,* ejusque interpretibus, Romae 1614 in 8; *Index universalis materiarum biblicarum* cum *Elencho auctorum, qui in s. biblia etiam in versiculos data opera scripserunt,* ib. 1612 in f., opus plenum erroribus bibliographicis; *Tobias explanationibus historicis et documentis moralibus illustratus,* accedit tr. 1. de saevitia peccati; 2. de superbia ejusque gradibus ac remediis, Romae 1620 in f., Antwerpiae 1629 in f.

329. *Commentarios in Pentateuchum,* Romae 1619; *in ll. historicos et prophetas omnes, et Machabaeos,* ib. 1625 in f., *in IV Evangelia,* ib. 1619 in f.; *in actus apostolorum,* epistolas Pauli et aliorum apostolorum, item et in Apocalypsim, ib. 1619, reliquit Fabricius Paulutius (Pauluzzi, Paulucci) primus episcopus civitatis Plebis (Pieve † 1625). — Franciscus Pavone S. J. Cantanzariensis, vir divinae gloriae et salutis animarum sitientissimus, sanctitatis opinione omnibus venerandus († 25. Febr. 1637), Hermeneuticae specimen dedit in opere, cui titulus: *Introductio in sacram doctrinam,* opus perutile tum ad concionandum, tum ad studia peragenda et scripturalis et scholasticae et moralis et canonisticae et controversisticae theologiae, Neapoli 1623 in 8; p. 2. de definitionibus isagogicis sive de naturali theologia; quo in opere facillima methodo omnes humanae disciplinae habentur, quantum satis est et ad eruditionem et ad intelligentiam Scripturarum ss. et ad uberem nobilioremque materiam concionum, ib.

---

1) Cf. Sotvellus p. 110; Sommervogel III, 1490.

2) De his ita R. Simon, qui ejus commentarium excellens dixit. Hist. crit. des principaux comment. du N. T. c. 42: „Sa méthode est judicieuse, en ce qu'avant que de venir à une explication étenduë de son texte, il en donne une paraphrase exacte, où il n'employe que les paroles, qui sont nécessaires pour en ôter l'obscurité . . . il a ajoûté des notes separées, où il expose au long la pensée de s. Paul, en y mêlant plusieurs choses qui regardent la Theologie, principalement celle des anciens Ecrivains Ecclesiastiques, qu'il fait profession de suivre sans s'arrêter aux nouveaux. C'est pourquoy il évite autant qu'il est possible les disputes qui étoient de son temps entre les Catholiques et les Protestans, les laissant à ceux qui y étoient plus exercés, que luy, parce qu'il n'avoit pas lu les livres des hérétiques.“ Advertit dein, eum sensa Augustini et s. Thomae praeferre sententiis patrum graecorum, non tamen satis esse criticum in suis citationibus additque: „Mais après tout, il y a très-peu de Theologiens scholastiques qu'on puisse comparer avec ce savant Jesuite, soit pour la connaissance qu'il a euë des Livres Sacrez, soit pour sa grande érudition dans l'ancienne Theologie.“ Cornely l. c. n. 254 notat omnes laudare, praesertim paraphrasim quam commentario ipsi praemittit, quamvis ea haud raro parum accurate textum reddat.

1625; p. 3. de canonibus isagogicis, sive de sacrae interpretationis ratione: quo in opere methodo facillima exhibetur artificium plenum ad quemcunque Scripturae locum interpretandum et historice et mystice ac multiplex ad concionandum eruditio, ib. 1626. Ipsius praeterea sunt[1]): Commentarius dogmaticus sive *theologica interpretatio in Pentateuchum:* novum artificium ad intelligentiam theologiae tum literalis tum mysticae ss. Scripturarum et ad parandam nobilem materiam pro concionibus et ad usum controversiarum, Neapoli 1635 in f.; opus rarum; *Commentarius dogmaticus,* sive theologica interpretatio in evangelia, novum artificium etc. ib 1636 in f. — Libros Regum commentatus est Joannes Hieronymus Sopranis S. J. Genuensis[2]), vir eximia doctrina praeditus, philosophiae et theologiae professor atque s. Scripturae interpres, cui illud mirum Deo sic disponente contigit, ut mente ad tempus exerraret uno in objecto cetera rectissime cordatissimeque sapiens († 11. Nov. 1629 a. aetatis 57). Post ipsius obitum cura Fabii Ambrosii Spinulae editus est: *Commentarius in Davidem* complectens ex 1. et 2. l. Regum fortunatam davidici regni partem una cum digressionibus de re vestiaria Hebraeorum et de funeribus, Lugduni 1643 in f. Ad opus morale Vincentii Filliucii (de quo infra) adjecit appendicem, in qua sunt tractatus *de pensionibus, de spoliis clericorum, de alienatione rerum ecclesiasticarum;* Filliucii laborem de beneficiis et simonia recognovit Lugduni 1625 in f. 1634.— Psalmos quatuor interpretati sunt: Franciscus de Primis, theologiae doctor, *in Psalterii davidici difficilores versus expositio,* Mediolani 1624 in 12. — Joannis Baptistae Rossi congr. cler. Somaschorum, Genuensis, est *Commentarius in Psalterium* per hebdomadam ad formam breviarii romani, Venetiis 1627 in 4. Scripsit etiam *de divinis officiis,* Placentiae 1607 in 4. — Dominicus Ginnasius (Ginnasi, Gimnasi) Bononiensis, juris utriusque doctor, et post alia munera honorifica archiepiscopus sipontinus, sub Clemente VIII. nuncius apostolicus et demum 1604 cardinalis († 13. Mart. 1639 a. aetatis 89), cujus opera prodierunt Romae 1636 v. 2 in f. atque complectuntur inter alia piissimas *interpretationes in Psalmos* et *annotationes doctissimas in Pentateuchum.* Tanto rigore servabat jejunium, ut cum medici consulerent saltem morti proximo, ut illud relaxaret, respondit: »Cur me per biduum vultis solvere quadragesimam, quam annis 80 amplius sartam tectamque servavi[1])?« — Camillus Pulsictus O. Camald. Theanensis edidit Expositiones *in omnes Psalmos Davidis,* Venetiis 1628 in 4. — Ipsum *Psalterium* vaticanum ex antiquissimo cod. typis dedit 1619 Joannes Baptista Bandini Florentinus, ad. s. Petri canonicus (n. 1551, † 18. Sept. 1628). — *Librum Sapientiae* exposuit Laurentius de Ponte (Aponte) O. Cler. min. Neapolitanus[2]). Ex 4 quos medidatus est t. *in Ev. s. Matthaei* duo prodierunt Lugduni 1641 († 26. Oct. 1639). — *L. Ecclesiasticum* explicuit Octavianus de Tufo S. J. Neapolitanus († 29. Dec. 1639 a. aetatis 51), Lugduni 1628 t. primus in f. (rarus) complectens cc. 1—18; Coloniae 1629; Viennae 1669; continuationem mors intercepit. Prolegomena commendat Calmet in bibl. s. p. 93. — Berlingheri Ventimiglia († 1629) Siculi *paraphrases in utramque ep. ad Corinthios*

---

[1]) Cf. Sotvellus p 240; Sommervogel VI, 390—95.

[2]) Sommervogel VII, 1387 s.

[1]) Cf. Eggs purpura docta l. 5 § 77; Fantuzzi IV, 156 ss.

[2]) „Il a laissé, scribit Feller VII, 69., un grand nombre d'ouvrages qui eurent de la célébrité et furent honorés de l'estime des savants. On cite surtout une *Vie de David,* qui fut très-bien accueillie du public.“

sicut in ep. *ad Romanos et Timotheum* excusae sunt Panormi 1643 in 4. — Thomas Massucci (Masutius) S. J. Recinetensis, vir vere pius vereque doctus, qui in Poloniam missus philosophiam et octennio theologiam docuit († 1636), edidit: *Paulus Apostolus* seu vita s. Pauli ap. historice et dogmatice explicata ll. XV, Lugduni 1633 in 4. — Quibus addantur Vitalis Zuccoli O. Carm. Patavinus, abbas († 1630), cujus exstant homiliae *in Marcum,* Venetiis 1604 in 4; *in Lucam*, ib. 1619. — Hippolitus Averoldi O. Cap. brixiensis luci dedit *Icones* nonnullas ad pleniorem abstrusissimam literae l. Apocalypsis intelligentiam, Brixiae 1638. — Josephus Speranza congr. Orat. Fanensis († 1639), cujus sunt. *Scripturae selectae* variis translationibus et ss. patrum sententiis sacrorumque interpretum ... expositionibus *elucidatae* ad usum concionatorum, Parisiis 1631 in f., Lugduni 1641. — Antonius Giggeus, Mediolanensis, doctor ambrosianus, qui latine vertit *commentarios hebraicos Rasi, Aben Esrae, et Levi Gerson,* quibus adjecit et varias lectiones et expositiones suas, Mediolani 1620 in 4. — Nec omitti debent duo origine Orientales, scil. Joannes Hesronita e monte Libano, interpres regius parisiensis, qui quinque ll., qui vulgo dicuntur Salamonis, e syriaco latine vertit; ex arabo Pentateuchum, et Sergias Risius pariter Maronita, archiepiscopus damascenus († 1638), qui jussu s. congregationis de propaganda fide curavit *Biblia sacra arabica* ad usum ecclesiarum orientalium, quae primum prodierunt Romae 1771 t. 4 in f.

330. In *Belgio* quoque ss. literarum studia floruere. Quatuor[1]) universas vel fere integras Scripturas illustrarunt. Ita Franciscus Haraeus (van der Haer), Possevini comes in legatione moscovitica et canonicus lovaniensis († 1632), cujus plura exstant ope-

---

[1]) His addi potest Laurentius Beyerlink Antwerpianus n. 12. Apr. 1578, qui primum mercaturam egerat, qua relicta in universitate lovaniensi philosophiae operam dedit. Dein rhetoricam docuit et etiam philosophiam canonicos regulares monasterii a Bethlehem nuncupati. Mox ab episcopo antwerpiano praefectus est seminario, dictus canonicus, librorum censor et archipresbyter et a Paulo V. protonotarius apostolicus. Laboribus attritus decessit jam 7. Jun. 1627. Continuavit ut diximus p. 303 adnot. Chronicon Petri van Opmeer; collegit *Biblia sacra variarum translationum*, V. T. vulgatae editionis, translationis ex hebraeo Sanctis Pagnini; translationis romanae ex Septuaginta: chaldaicae paraphrasis translationis in Pentateuchum; ceterorum librorum versionis novae Franc. Vatabli (vel potius tigurinae), N. T. vulgatae editionis, translationis ex syriaco Guidonis Fabricii Boderiani; translationis Bened. Ariae Montani et translationis Desiderii Erasmi ex graeco, Antwerpiae 1616 vol. 3 in f. *Apophthegmata Christianorum*, ib. 1608; *Promptuarium morale* super Evangelia totius anni ib. 1616 t. 3. Notior tamen est hic auctor propter opus, cui titulus: *Magnum theatrum vitae humanae,* h. e. rerum divinarum humanarumque syntagma catholicum, philosophicum, historicum et dogmaticum: nunc primum ad normam polyantheae cujusdam universalis per locos communes juxta alphabeti seriem ... dispositum: novis titulis et catholicae fidei dogmatibus, rerum quarumvis definitionibus . . . locupletatum; insuper ab haeresi variisque erroribus repurgatum ac copiosissimo indice illustratum, quod opus Conrad. Lycosthenes primum collegit, Theodorus Zwinger in ordinem redegit, auxit terque edidit (primum Basileae 1565 t. 5 in f.), hujus vero filius iterum auxit et emendavit: idem praestitit Beyerlink qui illud expurgavit a protestantium erroribus inscripto operi titulo, quem dedimus. Prodiit post ipsius mortem Coloniae v. 8 in f. 1631; Lugduni 1656: 1666; 1678; Venetiis 1707. „C'est un indigeste amas de faits et de doctrines, une effrayante accumulation de matières religieuses, politiques, historiques et morales, où l'on rencontre çà et là au milieu d'un déluge de détails inutiles, quelques indications précieuses sur l'état des lettres, des sciences et des moeurs au XVI. siècle." Ita Biogr. nationale II, 408.

ra[1]), ut *Biblia s. vulgatae ed.* cum expositionibus priscarum vocum literalibus et mysticis, Antwerpiae 1629 in f.; *Epitome catenae aureae* in IV Evang. d. Thomae scholiis illustrata, ib. 1625; *expositio ss. patrum in epistolas Pauli*, ib. 1615 in 8; *Olympiades et fasti* concordi serie historiae sacrae et non sacrae usque ad Christum passum, Coloniae 1602 in 4; iterum Antwerpiae 1614 in 4; *Chronologia brevis* ab o. c. ad Christum passum clare demonstrans Jesum nazarenum esse Messiam Dan. IX. praenunciatum, ib. s. a.; *Antiquitatum liturgicarum arcana*, Duaci 1605 t. 3 in 8; *compendium* ex Lipomano et Surii t. VII de vitis SS., Antwerpiae 1591; *Annales ducum* seu principum Brabantiae totiusque Belgii t. 3 (usque ad a. 1609), ib. 1623. — Petrus Lansselius S. J. Gravelinganus, vir pius et eruditus magna pollens linguarum orientalium peritia. Praecipuas Germaniae bibliothecas lustraverat, et ob eximiam eruditionis famam accitus est jussu Philippi IV., ut in matritensi academia linguas doceret († 16. Aug. 1632 a. aetatis 52). Edidit: *Biblia sacra vulgatae editionis* .. cum scholiis plurimum auctis et emendatis Joan. Marianae et notationibus Em. Sa . . . addito supplemento etc., Antwerpiae 1624 v. 2 in f.; 1625; *S. Dionysii Areopagitae opera omnia*, quae exstant; una cum ejusdem vitae scriptoribus nunc primum graece et latine conjunctim edita. Accesserunt s. *Maximi scholia*, nunc primum latinitate donata et *Georgii Pachymerae paraphrasis in epistolas*, Lutetiae Parisiorum 1615 in f. (etiam t. 1. bibl. magnae PP. Dispunctio calumniarum, quae s. Justino M. inuruntur ab Is. Casaubono, Paris 1615 in f.; in Migne P. G. VI, 15—208. — Notior jam est Jacobus Tirinus S. J. Antwerpiensis (1580—1636) propter suum *commentarium in V. et N. T.*, Antwerpiae 1632 v. 3 in f. saepe admodum recusum[1]), receptum in Biblia magna et maxima ed. de la Haye; recentissime Taurini 1882—84 iterum editum cura P. Brunengo. Nonnullae editiones auctae sunt tabula Palaestinae, iconibus vasorum, vestium sacrarum etc. et (ut editio a. 1702) commodo chronico sacro a mundo condito usque ad excisam urbem et templum hierosolymitanum per Titum, prolegomenis de antiquis ponderibus et monetis Hebraeorum, Graecorum et Romanorum collatis cum modernis Italorum, Hispanorum, Gallorum, Belgarum etc. ex Roberto Cenali, Q. Rhemo Fannio, Aulo Gellio, Columella, Agricola, Buddeo, Alciato, Clavio, Villalpando, Mariana, Alcazario etc., de mensuris et vasis, de mensuris longitudinum ex iisdem auctoribus; explicatione idiotismorum seu proprietatum linguae hebraicae et graecae, quae saepius in Scripturis occurrunt. Accedunt indices percommodi scil. 1. auctorum quos in commentario citat; 2. nominum et rerum; 3. controversiarum, quas vel haeretici, vel Judaei, vel Mahommedani vel politici in dubium vocant, sed ex ss. Scripturis hoc in commentario probantur; 4. apparentium contradictionum, quae in hoc commentario componuntur et conciliantur; 5. materiarum pro evangeliis totius anni in usum concionatorum[2]). Certe propter expositionis brevitatem, adjectos indices aliaque additamenta valde utilis est hic commentarius iis, qui accuratioribus studiis vacare non possunt[3]).

---

1) Cf. van Slee allg. d. Biogr. X, 313.

1) Cf. Sommervogel VIII, 48—52; Fabricius hist. bibl. f. I, 264.

2) Quare Backer III, 1129, C'est, inquit, une petite Bibliothèque universelle et raisonnée.

3) Plura quidem carpit Simon Hist. crit. des principaux comment. du N. T. c. 44, ut defectum criticae, philologiae, excursus polemicos etc. subjicit vero: „Mais nonobstant ces petites imperfections son commentaire mérite l'estime, qu'on en fait ordinairement: il suffit à ceux qui se contentent d'une connaissance médiocre de l'Ecriture."

331. Notissimus vero est Cornelius a Lapide (van den Steen) S. J. patria Eburo Bucholdianus (Bocholt), qui sacram linguam et divinas literas Lovanii plus a. 29 publice docuit, unde Romam accersitus easdem ibi summa cum celebritate nominis complures annos interpretatus est, donec cathedrae renuncians totum se ad scriptionem convertit. Quo tempore quale instituerit vitae genus, nullis aptius quam ipsiusmet verbis describemus. »Hosce meos labores et fructus, inquit ipse Deum alloquens, omnia studia, omnem doctrinam, omnem commentationem tuae gloriae, o sacrosancta Trinitas et trina unitas, consecravi, optavique, ut omnis mea actio, omnis passio, totaque vita non esset aliud, quam continua laus tua. Tu menti meae ab olim te revelasti, ut te unum aestimarem et quaererem, cetera omnia velut exilia, inania et fugacia flocci ducerem et fastidirem. Quocirca aulas et oras fugio: silentium et secessum mihi jucundum aliisque non inutilem sequor cum s. Basilio, Gregorio, Hieronymo. cujus sanctam Bethleem ab eo in Palaestina sollicite quaesitam ego Romae inveni. Olim junior egi Martham, nunc in devexa aetate magis Magdalenam ago et adamo, memor instantis aeternitatis. Cellae (quae mihi fida, amica, tota terra carior est adeoque coelum terrestre videtur) et silentii solius sum incola; cellicola et sacri musei assecla, coelicola esse contendo, sanctae contemplationis, lectionis, scriptionis otium, imo negotium persequor. Deo uni et trino, ejus oraculis et inspirationibus excipiendis, meditandis, celebrandis incumbo, ad Christi pedes sedeo, ut ab ore ejus pendulus verba vitae hauriam, quae deinde in alios effundam[1].« Omnibus votis exoptabat martyrium, ut colligimus inter alia ex verbis, quibus commentarium in quatuor prophetas majores absolvit: »O prophetae Domini, fecistis me prophetiae vestrae et doctoralis laureae participem; facite, quaeso, et martyrii, ut et ego veritatem, quam a vobis hausi, aliosque docui et conscripsi, sanguine meo obsignem. Nec enim ante perfectus et consummatus erit doctoratus meus, nisi hoc sigillo pariter claudatur. A 30 prope annis vobiscum et pro vobis lubens volensque continuum subeo martyrium religiosae vitae et martyrium aegritudinum, martyrium studiorum et scriptionis; impetrate, obsecro, mihi pro coronide et quartum martyrium sanguinis. Exhausi pro vobis spiritus vitales et animales, exhauriam et sanguinem. Omnis laboris mei per tot annos exantlati, quo vos Dei gratia explicui, illustravi et novo sermone loquentes et prophetantes effeci ac vobiscum quasi prophetavi, vestrum mihi quasi prophetae stipendium, martyrium dico, a Patre luminum aeque ac misericordiam obtinete.« Mox se ad B. Virginem deinde ad ipsum Salvatorem convertens eandem gratiam enixe efflagitat. His ille studiis sanctimoniae intentus piissimam religiosissimamque vitam sancto fine clausit 12. Mart. 1637. Integram fere Scripturam exceptis Psalterio et l. Job interpretatus est, ejusque commentarii in singulos libros, quibus saepe utiles praemittit interpretationis canones, saepissime prodierunt, aliquoties etiam collecti, Antwerpiae 1681 v. 10 in f. (haec editio aestimatur); Venetiis 1708 v. 16; 1740 v. 11; Antwerpiae 1714 v. 11; Coloniae 1732 v. 11; etiam recentiori aetate[1]), ut Lugduni 1840 v. 11 in 4; Melitae 1843—1856 v. 10 in 4. (haec editio complectitur Pinedae commentarium in Job et Bellarmini in Psalmos); Parisiis 1855 v. 20 in 4; Neapoli 1854—1860 v. 18 in 4. (cum Pineda et Le Blanc in Psal-

[1]) Plura de ejus virtutibus cf. ap. Sotvellum p. 157. Cf. etiam *Collection des Précis Historiques* du P. Terwecoren, Bruxellis 1857, 610—614; 631—645.

[1]) Cf. Sommervogel IV, 1511—26.

mos); Parisiis 1857 v. 20 in 8. cum Pinedae commentario in Job et Bellarmini in Psalmos; iterum 1859 v. 22 in 4. cum *memoriali praedicatorum,* seu eorum synopsi, quam Perrone, canonicus, confecit ediditque ib. 1864 v. 2 in 4. Hae repetitae editiones sat clare horum commentariorum utilitatem (praesertim pro concionatoribus) manifestant. Dicimus utilitatem, cum non negemus, nonnulla in illis desiderari, si ratio tantum habeatur interpretationis a l omnes hermeneuticae regulas rigide exactae: subinde est prolixior, sensus non literales, tropologicum scil. et allegoricum, fusius persequitur, non tamen propterea caret pretio, praesertim in Pentateucho et epistolis paulinis, nam in his sensui literali magis inhaeret. Hinc merito a viris doctis magni aestimatur[1]).

332. Adversus protestantium corruptelas testimonia controversa secundum librorum Scripturae ordinem vindicavit Joannes van der Broeck (Paludanus) Mechlinensis[1]), clarus ecclesiastes, Lovanii viginti annos theologiae et exegesis professor, bis (1607 et 1615) universitatis rector, pastor ad s. Petri et plebanus, qui juvenis tamen haesit lateri Michaelis Baji († 20. Apr. 1630 a, aetatis 64). Titulus operis est: *Vindiciae theologicae* adversus verbi Dei corruptelas, Antwerpiae 1620 v. 2 in 8. De praerogativis b. Virginis disserit in (raro) *apologetico mariano,* Lovanii 1623 in 4. *Officina spiritualis* sacris concionibus adaptata, ib. 1624. — Pentateuchum alio^que libros sacros commentatus est Cornelius Jansenius, vir doctus quidem, sed tristissimae famae propter haeresim, cujus exstitit auctor et parens[2]). Natus is est Accojae

¹) „Nach allgemeinem Urtheile, scribit Alzog KL. II¹, 880, werden übrigens die Commentarien über den Pentateuch und über die paulinischen Briefe für die gelungensten unter allen exegetischen Arbeiten dieses gelehrten Jesuiten gehalten. Dieselben sind offenbar am meisten durchgearbeitet, und erscheinen darin die Fehler des ungebührlichen Abgehens von den strengen Gesetzen der Auslegung, allzugroßer Anhäufung eines oft gar zu entfernt liegenden Materials, ermüdender Weitschweifigkeit verhältnissmäßig weniger fühlbar. Die in sämmtlichen Commentarien bekundete Kenntniß der orientalischen Sprachen ist eine nur mäßige." Reinke, die messian. Weisungen t. 1. introd. § 11. p. 30: „Diese Commentarien (in quatuor prophetas majores) sind noch mit Nutzen zu gebrauchen, da der Verfasser nicht blos einen großen Scharfsinn besaß, sondern auch die früheren Ausleger, namentlich Sanchez und die Kirchenväter fleißig benutzt hat. In sprachlicher Hinsicht ist dieser Commentar nicht ausreichend; auch enthält er manches Unnöthige in den typischen, moralischen und anagogischen Erläuterungen." Cf. Cornely l. c. n. 254; R. Simon Hist. cr. des princ. comment. du N. T. c. 44.

¹) Alius ab eo est Arnoldus Paludanus O. Min. r. obs. minister provincialis per Flandriam, cujus est tr. *de foro animae* i. e. de potestate, quam habent sacerdotes confessarii tam regulares quam seculares juxta conc. tridentini formam legitime approbati, Leodii 1636. — Franciscus Paludanus (van den Broeck) Antwerpiensis pariter O. S. Franc. reg. obs. minister provincialis († 1631), de quo cf. Dirks Hist. lit. et biobliogr. des FF. Min. de l'Obs. . . . en Belg. p. 151. — De Michaele Paludano († 1652) infra agemus. — De aliis cf. Biogr. nat. de Belg. X, 507.

²) Continentur ejus haereses l. alioquin erudito, cui titulus: *Augustinus,* in quo haereses Pelagii contra naturae sanitatem, aegritudinem, medicinam recensentur, Lovanii 1640; 1652, cui editioni adjectum est *Parallelum erroris Massiliensium et opinionis quorundam recentiorum.* Ultimo tamen vitae suae instanti declaravit: „Sentio aliquid difficulter mutari posse; si tamen romana sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, et illius Ecclesiae, in qua semper vixi usque ad hunc lectum mortis, obediens sum. Ita postrema mea voluntas est. Actum 6. Maji 1638." Hoc est illud opus, quod tot turbarum causa exstitit, damnatum ab Urbano VIII. bulla 6. Martii 1641, et e quo depromptae sunt notissimae illae quinque propositiones saepius a romanis pontificibus (Innocentio X. 31. Maji 1653; Alexandro VII. 16. Oct. 1656 et 15. Febr. 1664, a Clemente XI.

pago Bataviae prope Leerdamum (1585). Absolutis studiis Lugduni Batavorum et Lovanii Lutetiam Parisiorum se contulit (1604), ubi maxima utebatur Sancyrani familiaritate, a quo haeresis venenum hausit. Lovanium rediit (1617) ac post biennium s. Scripturae cathedram obtinuit. Academiae nomine bis legatus ivit in Hispaniam adversus Jesuitas, tandem factus est episcopus iprensis (1636), sed jam 1638 fatis cessit peste correptus. Scripsit: *Pentateuchus* sive commentarius in 5 ll. Mosis, Lovanii 1639; 1641; 1644; 1677 in 4; Parisiis 1649; 1661 etc. Editus est post mortem auctoris, discipulorum prius calamis exceptus. Quamvis vero ab auctore non ita formatus fuerit, ut ederetur, brevisque sit et succinctus, eximium tamen eum dicit Calmet[1]): „Brevis est, solidus nec sane ineptus, ut nullius unquam erroris suspicio in opus crearetur.“ *Analecta in Proverbia Salomonis, Ecclesiasten, Sapientiam, Habacuc et Sophoniam*, Lovanii 1644; 1649 in 4; *Tetrateuchus* seu commentarius in 4 evangelia, Lovanii 1639 in 4; 1641; Parisiis 1643, 1649 etc. Reliquit etiam aliqua scripta polemica occasione controversiarum cum Gisberto Voëtio[1]). — Jansenii magister et Baji amicus Jacobus Jansonius, Amstelodamensis, theologiae doctor[2]) et s. Scripturae interpres lovaniensis (1595), cui concredita fuit etiam cathedra ad refuntandam Lessii doctrinam instituta, et s. Petri ejusdem urbis decanus († 30. Jul. 1625), reliquit[3]): *Enarrationes in Job*, Lovanii 1623; 1643 in f.; *commentarius expositivus* in Psalmos et cantica biblica, ib. 1597; *expositio iterata in Psalmos* (a priori diversa), ib. 1610 in 4; 1640 in f. etc.; *commentarios in cantica canticorum*, ibid. 1596; 1604 in 8; Ingolstadii 1605; *commentarios in Joannis evangelium*, opus posthumum ed. cura Jo. Masii, Lovanii 1631 in 8. *Liturgica* seu de sacrificiis materiati altaris ll. 4, cum sacri canonis expositione, ib. 1586; 1604. — Felicissimo exitu *in acta apostolorum* laboravit Bartholomaeus Petri (Peeters, Petrus) Duaci 1622 in 4. Erat patria Brabantus, Lintriensis, philosophiae professor lovaniensis, ubi Lessium habuit discipulum, dein theologiae et s. Scripturae professor duacenus, post Estii mortem (1613) hujus in cathedra sucessor. Fuit et canonicus audomarensis, regni collegii provisor. In doctrina de gratia Thomistarum profitebatur sententiam († 1630 a. aetatis 85). Edidit Estii commentarium in canonicas epistolas, illumque absolvit, cum Estius pervenerit tantum ad 1. ep. Joan. 5, 6, Duaci 1614. 1616 t. 2 in f. Edidit praeterea Vinc. Lirinensis

---

16. Jul. 1705) damnatae. Copiosissimam literaturam, cui opus occasionem praebuit cf. apud Roskovány II, 757—830; IV, 860—62; VI, 581. s.; 658—68; 893—96; X, 407. s.; 429; 569. s. — Subjectionis genuinitatem recentiori aetate negavit A. Vandenpeereboom in l. C. Jansénius . . . sa mort, son testament, ses epitaphes, Brugis 1882; eam contra illum tuetur Cam. Callewaerit in diss. Jansenius . . . ses derniers moments, sa soumission au St. Siège d'après des documents inédits, Lovanii 1893. Cf. Michael Zeitschr. f. k. Theol. XVIII (1894), 748—51. De Jansenio cf. praeter quamplurimos Alph. Le Roy Biogr. nat. de Belg. X, 105—30; Feret III, 175 ss.

[1]) In bibl. s. Feller IV, 576. ejus commentarios dicit „pleins d'erudition et écrits avec netteté;“ ita et Dupin 17, 193. Laudat illos etiam R. Simon Histoire crit. etc. du N. T. c. 44, carpit tamen, quod Jansenius aliquoties verba Scripturae nimis suis accommodaverit praeconceptis opinionibus.

[1]) Cf. Roskovány II, 614.

[2]) „Si Janson, inquit Feller IV, 579, suivit quelque temps ce système (Baji), il le combattit ensuite par diverses thèses qu'il a soutenues publiquement.“

[3]) Cf. Le Long, biblioth. s.; Feller l. c. de his commentariis scribit: „Les commentaires sur l'Ecriture et ce qu'il a donné sur la liturgie, prouvent qu'il était bien loin d'avoir les connaissances nécessaires pour réussir dans ce genre de travail.“

Commonitorium[1]) additis notis ac. diss. apologetica, ib. 1611 in 12; s. Thomae *summam* (cum Fr. Sylvio et aliis), ib. 1614; 1623 in f. ed. ad cod. msc. collata et annotationibus criticis illustrata. Apostolicae sedis *definitiones* veteres de gratia cum annotationibus historicis. Eodem op. continentur ep. s. Coelestini P., Leonis M., Gelasii, capitula ab apostolica sede missa episcopis Galliae etc. ib. 1616; 1627 ed. aucta[2]). — Commentarios Estii et Cornelii a Lapide in compendium redegit[3]) Joannes Gorcomius Silvaducensis quondam protestans († 1628) Antwerpiae 1619 in 8., quod iterum prodiit sub titulo *Medulla paulina*, Parisiis 1623 in 8; Lugduni 1776, in qua sequitur Estii de praedestinatione opinionem. — Petrus Stevart Leodiensis n. 1519 in academia ingolstadiana theologiae professor, saepius rector magnificus atque a. 1604 procancellarius, de religione, academia et civitate per 35 annos optime meritus (usque ad a. 1610), demum canonicus leodiensis et vicarius generalis († 1624 a. aetatis 75) scripsit *brevem explicationem VIII priorum cc. epistolae ad Romanos*, Ingolstadii 1586 in 4; *commentaria in priorem epistolam Pauli ad Corinthios*, in quibus pleraque fidei orthodoxae dogmata ab haereticorum corruptelis vindicantur, ib. 1594 in 4; 1600; *in posteriorem ad Corinthios ep.*, ib. 1608; *Exegesis in epistolam ad Ephesios*, ib. 1593; 1603; *in epistolam ad Philippenses*, ib. 1595 in 4; *in utramque epistolam ad Thessalonicenses*, ib. 1609 in 4; *in utramque epistolam ad Timotheum*, ib. 1610—11 t. 2 in 4; *explicationem VII priorum cc. epistolae ad Hebraeos*, ib. 1588 in 4; *commentarium in epistolam d. Jocobi*, ib. 1610. Edidit *Manuelis Calecas ll. 4 adversus graecos* cum annotationibus aliosque 17 scriptores veteres, qui habentur t. VII. antiquarum lectionum Henrici Canisii[1]). — Hubertus Phalesius OSB. Bruxellensis obiit in odore sanctitatis subprior affliґhemensis († 1638), qui editionem novam curavit

[1]) Commonitorium hoc bene vertit gallice Guilelmus Ruzé (Ruzaeus) n. c. 1520, doctor parisiensis 1553, sententiarius (1550) et universitatis rector. Caroli IX. institutor in literis fuit, tribus Galliae regibus a confessionibus, demum episcopus andegavensis (1572; † 28. Sept. 1587). Versio prodiit Parisiis 1581, et commendatur a fidelitate et a stilo. Cf. Feret II, 202 s.

[2]) Cf. A. C. De Schrevel Biogr. nat. de Belg. XVI, 839—47. Ibidem p. 850 mentio fit Caroli Petri (Peeters.) Antverpiensis (1633—1703) O. Praed., qui Rotterdami a. 30 missionarium egit. Reliquit *conciones* thomisticas, Antverpiae et Coloniae 1693—98 t. 3.

[3]) Alia ejusdem opera cf. in Andreae bibl. belg.

[1]) His adde Antonium de Balinghem S. J. Audomaropolitanum concionatorem (n. 1571; † 24. Jan. 1630), qui plurimos libellos asceticos edidit et *Scripturam sacram* in locos communes morum et exemplorum novo ordine distribuit... ad usum concionatorum cum interpretatione difficiliorum, Duaci 1621 t. 2 in f. Cf. Sommervogel V, 831—41. — Matthiam Navaeum Hasbanum, Eburonem, in tornacensi cathedrali canonicum, qui praeter alia reliquit *annotationes* in summae theologicae et s. Scripturae praecipuas difficultates, Tornaci 1640 t. 2 in 4. — Philippum Bosquier O. Min. n. 1561 Montibus Hannoniae († 1636) acrem nimis ecclesiasten, qui recudi curavit (absque judico critico et vim inferens textui, cf. Ehrle Zeitschr. f. k. Theol. VII 1883, 393) *Speculum vitae s. Francisci* et sociorum ejus, Coloniae 1623 in 8. Reliquit et Problema Bosquierianum seu quaestionem perplexam: *Pilatus quis et cujus*, ib. 1624. Cf. Dirks pag. 177—85. — Eustachium Gault Orat. strenuum sodalem, episcopum massiliensem, qui post electionem mox decessit 13. Mart. 1640. Praeter alia describit *Généalogie des Hérodes*, cum annotationibus admodum utilibus ad dilucidandas varias Evangeliorum et actus apostolorum difficultates, novamque curavit editionem *Terrae sanctae* Adrichomii. Ejus frater Joannes Baptista pariter Oratorii sodalis et in episcopatu massiliensi successor († 23. Maj. 1643) laborum tam apostolicorum quam literariorum individuus fuit socius. Decessit in odore sanctitatis actumque est a clero gallicano de ejus beatificatione. Cf. Biogr. univ. XVI, 580.

concordantiae Lucae brugensis, Antwerpiae 1642, quae juxta ed. Insulis 1837 factam adhuc per Galliae et Belgium adhibetur.

333. E *gallis* praetermissis Andrea Alleret O. Min. (juxta Sbaralea O. Cap.) Segusiano, cujus *notae in universam Scripturam* prodierunt Seduni 1625 t. 2 in f. — Claudio Rangolio (Rangueil) O. Minim Crespejensivalesio († 1625), qui publici juris fecit *commentarios in ll. Regum* cum permultis utilibus quaestionibus ad difficiliorum locorum explicationem adhibitis; Parisiis 1621—1624 t. 2 in f., cujus t. 1. est prohibitus — Aegidio Camarto O Minimorum generali Reteliensi († 1624), qui erat adeo excellentis memoriae, ut N. T. graece et latine ordine retineret Tertullianum poetasque memoriae mandaverit et cui praeter alia debemus: *Elias Thesbytes* sive commentarius de rebus Eliae prophetae, in quo plura tam de ipso, quam de Israelitarum religione disputantur et constituuntur, Parisiis 1631 in 4. — Joanne de Reyroles, illius sodali[1]) et Joanne Garnerio[2]) — Guilelmo Ader Lombariensi, medico († 1630), cujus est l. Enarrationes *de aegrotis et morbis in Evangelio*, Tolosae 1620, etiam in criticis sacris t. VII., in quo inquirit, num arte medica sanari potuerint illi aegroti, quos Christus sanasse legitur, atque negative respondet: quod si potuissent ope medica sanari, sanationem a Christo effectam nihilominus fuisse saltem quoad modum miraculosam — Petro Bardin Rotomagensi, academiae socio, qui dum alium vellet mortis periculo eripere ipse periit († 1637), cujus sunt *Pensées morales sur l'Ecclesiaste*, Parisiis 1629. 1632; Rotomagi 1640; Essai sur l'Ecclesiaste de Salomon, ib. 1626, quorum stilus est neglectus — Petro de Besse (n. 1567; † 11. Nov. 1639) insigni concionatore, Sorbonae doctore et canonico s. Eustachii[1]), qui edidit *Biblia latine et gallice* e versione DD. lovaniensium, Parisiis 1608; *Concordantias* generales emendavit, ib. 1611; *Psalterium davidicum* servata d. Hieronymi translatione auctore Raynero Snoygondano correxit, ib. 1617, 1646. — Polycarpo de la Rivière O. Cart. (1640), cujus est *L'eloquent amoureux* ou Saintes pensées sur le Cantique de Salomon, l. ut videtur ineditus, sicut alia ejusdem op. historica. Prodierunt tantum opuscula ascetica. Ab hoc alius est Lud. de la Rivière O. Minim. (fl. 1631). Unus magis innotuit Joannes Lorinus S. J. Avenionensis (n. 1559), vir apprime doctus, qui philosophiam Romae, theologiam et literas ss. Lutetiae, Mediolani, Romae cum laude professus est († 26. Martii 1634). Magnis ornabatur virtutibus ardentique flagrabat animarum zelo: hinc effecit, ut Avenione singulis hebdomadis verba ad Judaeos fierent, eaque ratione multos ad lucem Evangelii sequendam induxit. Haec ejus opera[2]): *Commentarii in Leviticum*, in quibus praeter exactam sensus literalis explanationem, variarum tum editionum, tum lectionum collationem cum vulgata, phrasium Scripturae atque vocabulorum disquisitionem mystici omnis generis sensus ex patribus graecis latinisque traduntur, Lugduni 1619 in f.; Antwerpiae 1620; *in librum Numeri*, Lugduni 1622; *in Deuteronomium*, ib. 1625 in f.; 1629; *in librum Psalmorum*, Lugduni 1612—14—16 t. 3 in f.; 1617; Coloniae 1619; Moguntiae 1688; etc.; *in Ecclesiasten* et Psalmum 67., Lug-

---

[1]) Hunc adducit Le Long etiam sub nomine Derey. Scripsit in *Zachariam quaestiones literales et morales* in f., Parisiis 1631.

[2]) Cujus citat Le Long *commentarium in 4 evangelia*, Parisiis 1631 in 8.

[1]) E. Faye L'abbé P. de Besse, étude litteraire; Le Long Bibl. s. p. 330; 458; 545.

[2]) Cf. Sotvellus p. 469; Sommervogel V, 1 ss.

duni 1606 in 4; 1613; Moguntiae 1667; Coloniae 1624 etc.; *in Sapientiam* Lugduni 1607 in 4; Moguntiae 1608; *in acta apostolorum*[1]), Lugduni 1605 in f.; 1609; Coloniae 1617; 1621; *in catholicas 3 b. Joannis et 2 b. Petri epistolas*, Lugduni 1609; 1621 in f.; Moguntiae 1610; *in catholicas bb. Jacobi et Judae ap. epistolas*, Lugduni 1619 in f.; Moguntiae 1622 etc. »Ejus opera, inquit Mich. a s. Joseph, eruditione ubique abundant, sed prolixitate minime carent, qua proprios auctor sensus obscuriores quodammodo reddit[2]).«

334. His ex aliis nationibus addantur Georgius Witweiler Brigantinus, collegii germanici alumnus, canonicatu renunciato ingressus est societatem Jesu (1586; † 18. Jul. 1633), qui praeter opera catechetica reliquit[3]) ad fidelium aedificationem *Psalter Davids* Sampt den Canticis Latein und Teutsch mit kurzer richtiger Auslegung pp. 3 Constantiae 1617—18. — Leander a s. Martino (al. Joannes Jones) O. S. B. Londinensis n. 1575. Erat parentibus editus anglicanis in Britannia, et cum ingenio esset florentissimo praemature studiis applicitus. Insignierat ipsum natura et naturae parens ea vultus gratia, formae elegantia, ingenii subtilitate, judicii acrimonia, magna eloquentiae vi, quae supra pene hominis naturam viderentur. Contigit saepius, ut propter eximiam eruditionem in disputationibus publicis in summa frequentia universitatis de industria nostro juveni et quidem ex tempore disputandi et argumentandi occasio et licentia a professoribus praeberetur tanta omnium cum approbatione, ut fama dein latius sparsa magni etiam principes ad eum audiendum disputationibus interessent. Verum quam gratum id ceteris, ita deinceps professoribus odiosum fuit, cum juvenis talia in medium afferret argumenta et quidem summe theologica adversus magistrorum doctrinam, quibus solvendis nemo omnino professorum sufficeret, et perurgente juvene omnes obmutescerent. Conclusum proin secreto consilio juvenem innocentem universitate solemniter excludere, imo ut haereticum ejicere frustra illo deprecante et veniam rogante. Ope cujusdam theologi societatis Jesu in Hispaniam aufugit. Fidem catholicam et religionem s. Benedicti (1599) amplexus in academia duacena linguam docuit hebraicam; creatus inde fuit[1]) congregationis anglicanae O. S. Ben. praeses generalis († 27. Dec. 1635). Ejus opera et studio prodierunt: *Biblia s. juxta editiones ante correctionem clementinam vulgatas* cum glossa ordinaria primum a Strabone Fuldensi collecta, nunc novis explicationibus locupletata, cum postillis Nicolai de Lyra necnon additionibus Pauli Burgensis et Matthiae Doringi replicis. In fine cujusque tomi adjiciuntur correctionis romanae loca insigniora a Franc. Luca Brugensi collecta cum ejusdem Leandri conjecturis, Duaci 1617 v. 6 in f.; Antwerpiae 1634 (m. 120) editio omnium optima judice Le Long. Adjecit praeterea plures et antiquos tractatus, analyses, parallela, tabulas chronologicas et prosographicas cum indicibus copiosissimis, ut merito haec editio dici

[1]) De hujus commentarii praestantia cf. R. Simonis judicium supra p. 484 annot.

[2]) Bibliogr. crit. III, 110. Ita etiam Feller, R. Simon l. c., Dupin 17, 132; Kaulen KL. VIII², 152; Cornely p. 682: „Commentarius quoque in Psalmos, quamvis justo sit prolixior, non est spernendus: multas enim et egregias in illo patrum explicationes collectas habes, ut pro Catena fere inservire possit.“

[3]) Cf. Lauchert allg. d. Bi. XLIII, 655; Sommervogel VIII, 1186. — Philippus Caroli, Germanus, Neoburgensis, prius Lutheranus, dein 1629 catholicus († 1638) nonnulla ad exegesim spectantia reliquit, quae cf. in Le Long bibl. s.

[1]) Plura cf. ap. Ziegelbauer, p. 2. c. 1. sect. 3; Gillow III, 660—6.

possit theologorum et concionatorum thesaurus. Socium operis habuit Joannem de Gallemart[1]). Edidit praeterea *conciliationem locorum specie tenus pugnantium totius s. Scripturae*, Duaci 1623 in 8., cujus auctor est Seraphinus Cumiranus (supra p. 84), Leander per epitomen explicator et illustrator; *Sacra ars memoriae* ad Scripturas divinas in promptu habendas memoriterque addiscendas accommodata, 1623 in 8; *Arnobii ll. 7 disputationum adversus gentes* cum Godescalchi Itenvecchii notis electis, ib. 1632 in 8; *historia et harmonia conciliorum*, Francofurti 1618 in f.; *bibliotheca seu speculum mundi* Vincentii Bellovacensis, 1624 v. 4 in f.; *Otium theologicum tripartitum* sive amoenissimae disputationes de Deo, animabus separatis, earum variis receptaculis trium magnorum auctorum Barth. Sibyllae, Jo. Trithemii, Alph. Tostati, Duaci 1621 in 8. — Arthur Pitts (Pitsaeus) Anglus, in collegio Anglorum romano presbyter ordinatus et in Angliam missus cum aliis 20 sacerdotibus, captus (1582) et in exilium est missus. A Lotharingio cardinali et remensi archiepiscopo factus est dioecesis cancellarius et liverdunensis decanus († c. 1635). Ejus est *in quatuor J. Chr. Evangelia et Acta ap. commentarius*, Neapoli 1603; Duaci 1636 in 4. — Georgius Kaldi S. J. patria tyrnaviensis, natione Hungarus, insignis ecclesiastes († 30. Oct. 1634 a. aetatis 64), quem Cardinalis Pazmany maximi fecit, in linguam hungaricam vertit s. Scripturam[1]), quae versio prodiit Viennae 1626 in f., Budae 1782. *Conciones* ejus partim prodierunt (hungarice) Posonii 1631 in f.

[1]) Erat Gallemart gente Hanno s. theologiae doctor, professor duacenus et regii seminarii praeses († 1625), qui collegerat *decisiones ac declarationes* ill. card. concilii trid. interpretum praesertim secundum correctionem P. de Marzilla, Duaci 1618; 1655 in 8. Porro illorum card. congregatio l. prohibuit 6. Jun. 1621, quod declarationes multas aut suspectas aut sane non authenticas contineret; item ejus *declarationes* card. conc. trid. interpretum ex ultima recensione cum citationibus Jo. Sotealli et remissionibus Aug. Barbosae: quae tamen prohibitio modo sublata est.

[1]) N. Testamentum aethiopice vertisse cum Ludovico Caldeira legitur Ludov. de Azevedo S. J. Lusitanus, qui a. 28 missionarium egit in Aethiopia († 1634). Versio tamen periisse videtur persecutionis tempore.

IV. Patrologia.

335. Hac quoque epocha nondum multi in eruendis illustrandisque ss. patrum operibus versati sunt, sed jam illustriores illis, quorum in praecedenti mentionem fecimus. Horum dux est Fronto Ducaeus (du Duc, le Duc) S. J. Burdigalensis (n. 1558; † 25. Sept. 1624) theologus insignis, ingenii elegantis, maturi et critici jam judicii[1]), singularis modestiae multiplicisque sapientiae et eruditionis, qui tamen in

[1]) Ita Backer I, 1666: Le P. du Duc était très-versé dans tous les genres d'érudition; mais sa partie principale était la connaissance de la langue grecque et la critique des auteurs. Schrödl Kirchenl. IV, 2065: Er besaß in der griechischen Sprache große Kenntnisse, schrieb einen guten lateinischen Stil, zeichnete sich durch Erudition aller Art, besonders auf dem Felde der kirchlichen Alterthümer und der alten vorzugsweise griechischen Väter und Kirchenschriftsteller aus, galt seiner Zeit für einen der besten Herausgeber und Übersetzer der Schriften der Väter und erfreute sich der Anerkennung seiner Verdienste von Seite nicht nur der Katholiken, sondern auch der Protestanten. Et revera cum acceptissimum fuisse

omni studendi contentione virtutis pietatisque fuit memor, cibatione unica per diem contentus. Post eloquentiae per octennium et ss. literarum per septennium explicationem aggressus est ss. patrum opera recensere, notis illustrare, graece latineque recudere. Praemisit: *Inventaire des faultes, contradictions, faulses allegations du sieur du Plessis*, remarquées en son livre de la sainte Eucharistie par les theologiens de Bordeaux, Burdigalae 1599 in 8. (bis eodem a.); t. alter prodiit ib. 1601, cum refutatione errorum Calvini de justificatione, lib. arbitrio et bonis operibus. Responsioni Plesii opposuit: *Refutation* de la pretendue verification et response du Sieur du Plessis etc., en laquelle sont traitez les plus principaux points de la religion controverse de notre temps, ib. 1602 in 8. Bibliothecae patrum Margarini de la Bigne adjecit auctarium hoc titulo: *Bibliothecae veterum patrum* seu scriptorum ecclesiasticorum, Parisiis 1624 t. 2 graecolatini in f. Edidit praeterea: *S. Gregorii Nysseni opuscula* nonnulla graece et latine, Ingolstadii 1595; 1599 in 8; *Zonarae in canones ss. apostolorum et ss. conciliorum commentarii*, graece et latine, Parisiis 1612; 1618 in f., qua in ed. correxit versionem latinam. *S. Gregorii Nysseni opera omnia,* ib. 1605 t. 2 in f.; 1615. Postquam ediderat seorsim plura s. Jo. Chrysostomi opuscula, *s. Joannis Chrysostomi opera omnia* nunc primum graece et latine edere coepit, de qua editione scribit Montfaucon in praef. suae ed.: „Non minorem diligentiam in colligendis Chrysostomi operibus (ac Savilius) exhibuit Fr. Ducaeus ex S. J. nostras, qui tamen paribus fortasse destitutus facultatibus et auxiliis in diuturnum tempus extractum opus fato praeoccupatus absolvere non potuit. Verum magnam ille et arduam rem est aggressus, ut scil. non modo graeca Chrysostomi perinde ac Savilius ederet[1]), sed etiam singulis operibus homiliisque latinam interpretationem aptaret: qua in re strenuam ille operam navavit, interpretationes quippe editas e regione graecorum posuit, sed emendatas et ad fidem graecae orationis concinnatas. Si quae vero offendit nondum latine translata opera (erant autem hujusmodi bene multa), haec ille de graeco convertit et quidem tam accurate et eleganter, ut inter optimos interpretes jure numeretur. Ejusdem porro eruditae notae[2]) reperiuntur in fine 1., 4. et 6. t. Similes haud dubio notas in 5. t. destinabat, at vita functus rem perficere nequivit. Editionem frontonianam incepit Fredericus Morellus 1609, absolvit Claudius[3])

etiam protestantibus, patet ex *Scaligerianis poster.*, ubi legimus: „Fronto Ducaeus est honestissimus Jesuita. Omnes illi senatores parisienses amant Ducaeum, etiam Casaubonus, sed dolent esse Jesuitam.“ Quanti eum fecerit Casaubonus patet ex hujus ad ipsum epistolis 416. 552. 560.

[1]) Hic eodem fere tempore (1603) t. 8 in f. s. Joan. Chrysostomi opera sed graece tantum edidit.

[2]) De his ita Rich. Simon ap. Backer l. c. „Elles renferment une critique judicieuse, d'excellentes recherches, tant sur les livres Mss., que sur les imprimés. Il serait à souhaiter que nous eussions un s. Chrysostome entier de la main de ce Jesuite.“ Et iterum: „Les notes de ce sçavant Jesuite sont excellentes et elles donnent une grande connaissance des Ouvrages de s. Chrysostome, étant remplies d'une infinité de belles remarques critiques.“

[3]) Praetermitti hic non debent eruditi et celebres hi duo typographi fratres Fridericus Morellus, regius linguae graeceae in universitate parisiensi professor († 27. Jun. 1630), et Claudius M. († 16. Nov. 1626), qui annis fere singulis auctoris alicujus veteris sive classici sive ecclesiastici opera edebant, quibus in primis Fridericus adjicere solebat praefationes, annotationes, lectiones variantes etc. Qua in re secuti sunt Friderici patris sui exemplum. Erat is typographus regius tantae eruditionis et auctoritatis, ut viri docti certatim ipsi suorum operum editionem

t. 6 in f., qui s. Doctoris opuscula et commentarios in V. T. complectuntur; deinde a. 1633 idem Cl. Morellus commentarios V. T. sex in f. t. ad fidem commelianae edit. emisit. Anno autem 1636 integram novam Chrysostomi operum editionem 12 in f. t. atque 11 vol. publicam fecit etc.,« quam emendatiorem priori dicit; Francofurti 1698; 1723. Versionem operum s. Jo. Chrysostomi latinam ediderat ib. 1613 t. 6 in f., Antwerpiae 1614, de qua ita scribit Labbe: »Ex latinis editionibus, quae hoc seculo emerserunt, ea mihi maxime probatur, utpote omnium absolutissima, quae a. 1613 prodiit Parisiis castigata studio R. P. Fr. Ducaei.« Eidem Ducaeo debemus: *s. Joannis Damasceni opera,* Parisiis 1613; 1619 in f.; *Nicephori Callisti ecclesiasticae historiae ll. 18* in 2 t. distincti, ac graece nunc primum editi: adjecta est latina interpretatio Joan. Langii cum graecis collata et recognita, ib. 1630 v. 2 in f.; in Migne P. GL. t. 145—147. *Theodori Balsamonis expositio in canones,* ib. 1618 in f.; 1621. Reliquit praeterea annotationes in quamplures veteres scriptores, ut in Tatianum, Irenaeum, Pacianum, Athenagoram, Clementem alex., Gregorium thaumaturgum, Basilium, Hieronymum, Paulinum Nolanum, Theophilum etc., quae passim receptae sunt in horum operum editiones, aliaque veterum opuscula edenda curavit[1]).

336. Non minoris eruditionis, diligentiae sollertiaeque in eruendis illustrandisque antiquitatis monumentis fuit Ducaei sodalis Andreas Schottus, Antwerpiae natus 12. Sept. 1552. Anno 1576 direpta ac foedata bello flammisque patria Duacum secessit, tum Lutetiam, ubi in doctorum hominum atque ingeniorum celebritate vixit in familiam adscitus Augerii Busbequii, Ferdinandi et Maximiliani II. Caesarum apud Turcarum imperatorem quondam legati. Biennio elapso a patre in Hispaniam missus haesit primum Matriti et Compluti, unde Toletum (1580) progessus super competitoribus graecarum literarum cathedram in academia obtinuit, et in familiam a Caesare Quiroga ejus urbis archiepiscopo et Cardinali vocatus, triennium ei adhaesit. Tum ab episcopo turiasonensi ad academiam caesaraugustanam instaurandam accitus (1584) eloquentiam ibi, linguam graecam et historiam romanam docuit. Magna hoc tempore benevolentia fruebatur doctissimi Antonii Augustini, archiepiscopi tarraconensis[1]), qui studia sua cum ipso communicavit. Cum interim accepisset Antwerpiam a parmensi duce Alexandro Farnesio arcta obsidione premi, voti religione se adstrinxit societatem Jesu ingressurum, si carissimam patriam cum Deo ac rege suo in gratiam redire contingeret. Antwerpia capta votum complevit (1586), Gandiae, deinde Romae artem rhetoricam docuit triennio, demum in patriam reversus totum studio se dedit, praeclarisque exhibitis virtutum exemplis occubuit 23. Jan. 1629. Vir fuit ob candorem animi et bonitatem ac mansuetudinem naturae, quam religiosa modestia ac comitate exornaverat, ipsis etiam fidei hostibus carus et in pretio ac veneratione[2]). »Maximum inter omnes suo seculo literarum commercium coluit. Quoad politiorem literaturam, omnesque eruditi ad ipsum ex omnibus Europae plagis referebantur ipsumque quasi suum centrum spectabant. Et sane omnibus dotibus instru-

---

concrederent († 17. Jul. 1583). Ab his typographis haec operum Chrysostomi editio morelliana appellatur. Cf. Biogr. univ. 30, 109—11; Mittaire vitae typogr. paris.

[1]) Cf. Sommervogel III, 233—49 sub n. 39; Fr. Oudin apud Niceron 30, 103—38.

---

[1]) Hujus *laudationem funebrem* edidit Tarraconae 1586.

[2]) Sotvellus p. 56.

ctus erat necessariis ad respondendum utiliter eorum exspectationi eorumque indigentiae, multa eruditione et honestate, candore, sinceritate, generositate, solida pietate et summo studio quosvis homines cujuscunque regionis et religionis sibi demerendi et literarum perfectionem promovendi[1].« »Vir fuit de latinis graecisque literis ac tam sacris quam externis praeclare meritus[2]), ad literarum studia promovenda natus[3]), qui numquam fessus scribendo fuit aut satur legendo[4]), in quo praeter pietatem in Deum, animi candorem, humanitatem et multam accuratamque doctrinam inexplicabile prorsus et incredibile quoddam studium fuit rem literariam omnimodis adjuvandi[5]).« Ex plurimis operibus[6]) potiora quae huc spectant sunt: *Photii constantinop. bibliotheca* sive lectorum a Photio librorum recensio, censura atque excerpta e graeco latine reddita scholiisque illustrata, Augustae Vindelicorum 1606 in f., deinde cum textu graeco Hoeschelii, Coloniae 1611 in f.; Rothomagi 1653, ed. optima. Versio tamen latina non satis accurata a nonnullis censetur, neque enim integra dicitur esse Schotti, sed ex magna parte discipuli non satis periti. Pauli Orosii *adversus paganos historiarum* ll. 7 vetustorum librorum auxilio a mendis vindicati et annotationibus illustrati opera et studio Fr. Fabricii, addita nunc demum Ludov. Lautii et A. Schotti recensio: quibus accessit ejusdem Orosii apologeticus contra Pelagium de arbitrii libertate, Moguntiae 1615 in 8; 1663; b. Hieronymi presb. stridonensis *epistolarum selectarum ll. 3,* Tornaci 1610 in 12; b. Ennodii ticinensis ep. *opera,* quae reperiri potuerunt omnia, partim edita nunc primum, partim emendata notisque illustrata, Tornaci 1611 in 8; *catena patrum graecorum* in proverbia Salomonis Theod. Peltano S. J. theologo interprete; *in Ecclesiasten* b. Gregorii thaumaturgi *metaphrasis* graecolatina; *in canticum canticorum* Mich. Pselli paraphrasis, scholiis ipsius illustratae, Antwerpiae 1614 in 8; s. Basilii... Caesareae Cappadociae archiep. *opera,* quae ad nos latine pervenerunt, omnia denuo ad exemplaria graeca recensita, emendata et epistolis locupletata, Antwerpiae 1616 in f.; S. P. N. Cyrilli alex. archiep. *Glaphyra in Pentateuchum,* scita et elegantia commentaria in quinque priores Moysis ll., graece et latine, ib. 1618 in f.; s. Isidori Pelusiotae *epistolae* hactenus ineditae de locis s. Scripturae moribusque formandis, graece et latine, ib. 1623 in 8; Parisiis 1638 in 8.; *Adagialia sacra N. T.* graecolatina selecta atque exposita etc., Antwerpiae 1629 in 4. Plurium praeterea opusculorum ss. patrum editionem in Bibliotheca magna patrum, quae Coloniae prodiit 1618—1622, curavit. *Catalogus scriptorum religionis S. J.* auctore P. Ribadeneira 2. ed. plurimorum scriptorum accessione locupletior, ib. 1613, ed. admodum rara; *catalogus catholicorum s. Scripturae interpretum* serie ll. biblicorum, Coloniae 1618 in 4; *Hispaniae illustratae* seu rerum urbiumque Hispaniae, Lusitaniae, Aethiopiae et Indiae scriptores varii, Francofurti 1603 t. 2, quibus Pistorius 1606 t. 3. et Franciscus Schottus[1]), nostri frater, 1608 t. 4.

[1]) Ita Baillet, Jugements des savants; Feller VII, 468: „C'était un homme laborieux, franc, généreux, poli, officieux. Les hétérodoxes l'ont autant loué que les catholiques . . . tous ses écrits sont remarquables par un grand fonds de savoir.“

[2]) Vossius, de scient. mathem. c. 70 sect. 29; de philol. c. 6. s. 2.

[3]) David Hoeschel in notis ad Photii bibl., Lipsius ep. V, 89.

[4]) Aub. Miraeus in bibl. eccl.

[5]) Phil. Rubenius l. 1. Elect. c. 12. Cf. Saxius, Onomasticon liter. ad a. 1577.

[6]) Cf. Sommervogel VII, 865—904 sub n. 71. Pleraque quae sive composuit, sive illustravit, spectant ad historiam profanam, literas humaniores etc.

[1]) Hujus Francisci juris consulti et senatoris antwerpiensis sunt *Itineraria*

adjecit (opus rarum m. 100). Tribuitur ei, sed forte immerito, *Bibliotheca Hispaniae* seu de academiis et bibliothecis; item elogia et nomenclator clarorum Hispaniae scriptorum, qui latine disciplinas omnes illustrarunt t. 3 distincta, Francofurti 1608 in 4. Edidit et *opera* Ludovici Granatensis (cf. p. 362) t. 3, Coloniae 1628. 1629.

337. *Operum s. Prosperi Aquitani* editionem curavit Joannes Olivarius (Olivier) [1]) Gandavensis († 1624), Duaci 1577 in 8; Coloniae 1609, ed. mendis inquinata; 1630; Romae 1611. — *Cassiani opera* cum admodum prolixis et eruditis, sed forte subinde superfluis commentariis, ed. Alardus Gazaeus O. S. Ben. atrebatensis (1566 —1626), Duaci 1617 v. 2 in 8; cum notis auctioribus [2]), Atrebati 1628; Parisiis 1642, Lugduni 1677 etc. — Joannes Savaron laicus quidem publicis functus muneribus († 1622) bonam reliquit editionem *operum C. Solii Apollinaris Sidonii,* Parisiis 1599; 1609. Meruit quoque de urbe patria ed. *Antiquités de Clermont,* Clermont 1607, 1662 in f., opus accuratum et doctum, in quo exhibet episcoporum claromontanorum catalogum [3]). Composuit et Tr. *contre les duels* etc., 1610. — *S. Optatum milevitanum* illustravit Gabriel Albaspinus (Albaspinaeus, Aubespine) ex illustrissima familia editus, aurelianensis episcopus, qui „multis virtutibus, doctrina, ingenio, consilio, acritate mentis, navitate, canonum veterum decretorumque scientia et praeclari ingenii dotibus, praecipue vero humanitate, misericordia et liberalitate erga pauperes insignis ac fere incomparabilis fuit. Famulorum aegrotantium curam ipse habuit eosque crebro invisit. Nihil ei prius nihilque antiquius fuit, quam copias pauperibus suas easque ingentes elargiri, illos ipsos uberiores ac pinguiores suos fructus vocitans. Saepe etiam piis hominibus dixit, si gravior annona incumberet, non ea tantum, quae in numerato haberet, cum egenis communicaturum, sed omnem insuper suppellectilem suam, et abacum et currum et sacrarii sui aurum atque argentum omne oppigneraturum. Imo post mortem suam nihil de familiae claritate, nihil de dignitatibus, nihil de virtutibus suis praedicari voluit, praeter unicam in pauperes misericordiam: eamque sibi fore dulcem naeniam, funebrem pompam ac monumentum aere perennius putavit. Obiit a. 15. Aug. 1630 Gratianopoli [1]).“ Prodierunt autem Optati milevitani opera cum notis et observationibus Albaspinaei Parisiis 1631. Huic editioni, quae vitiosa est, accesserunt etiam ejusdem *de veteribus Ecclesiae ritibus observationum ll. 2* ac notae (admodum eruditae) in concilium eliberitanum (receptae a Mansi in coll. conc. II, 1—406) et quosdam alios antiquos canones et aliquot Tertulliani ll. ed. jam Lutetiae Parisiorum 1623 in 4; postea in epitomen redactae et notis illustratae Helmstadii 1657 et 1672. Magni fiunt hae observationes a viris eruditis [2]). Scripsit quo-

Italiae rerumque romanarum ll. III, Antwerpiae 1625 ed. 4., quod auxit ll. 4, qui *Germaniae iter* continent, Coloniae 1620 in 12; item p. 3. Galliae et Hispaniae itinera complectens. Obiit 17. Mart. 1622.

[1]) Alius a Seraphino, cujus supra p. 577 mentionem fecimus; et a Joanne de Bosco, qui Olivarius cognominabatur, O. Coel. atque abbas erat monasterii Beaulieu, propter acrimoniam in concionando in custodiam conjectus Romae († 28. Aug. 1626). Edidit *bibliothecam floriacensem,* Lugduni 1605.

[2]) Cf. de hac edit. Schoenemann in sua bibl. II c. 2; de Cassiano ad a. 1617.

[3]) Cf. Niceron Mém. XVII.

[1]) Ita Fabricius hist. bibl. fabr. I, 76 in compendium redigens descriptionem felicis ejus obitus, quae Optati editioni praemissa est.

[2]) Feller I, 310: „Ouvrage qui respire l'érudition la plus profonde et la connaissance la plus vaste des antiquités ecclésiastiques.“ Etiam aliud ejusdem de Eucharistia opus dicit très-savant.

que *Ancienne police de l'Eglise sur l'administration de l'Eucharistie* et sur les circonstances de la Messe, Parisiis 1629; 1655 in 8; iterum cum observationibus et auctoris elogio, Neapoli 1770 in 4. *Responsio* ad ep. Nic. Rigaltii, qua (hic) nititur ostendere laicos olim eucharistiae sacrificium obtulisse, Parisiis 1630. Laudat eum Dupin[1]) propterea maxime, quod ipse primus fuerit, qui accurate exposuerit antiquam Ecclesiae disciplinam in administrandis sacramentis poenitentiae et eucharistiae aliosque ecclesiasticos ritus. Coeperat editionem *operum Rabani Mauri,* quam Antonius de Henim episcopus yprensis († 1. Dec. 1626) dein curavit, quaeque prodiit Coloniae 1627 pp. 6 in f.

338. Jacobus Spanmüller S. J. Bruggensis, hinc Pontanus dictus, natione Bohemus, vir in humanioribus potissimum literis si quis unquam exercitatus, quas etiam plurimis[2]) promovit libris († 25. Nov. 1626 a. aetatis 84), edidit s. Cyrilli patriarchae alex. *commentarios in 12 prophetas min.*, graece et latine, Ingolstadii 1607 in f.; Joannis Cantacuzeni ex-imperatoris *de rebus ab Andronico Palaeologo* imp. constantinopol. necnon a se gestis historiarum ll. 4, ib. 1603 in f.; Theophylacti Simocatti ex-praefecti et observatoris coactorum, *historiarum ll. 8*[1]); Georgii Phranzae *chronicorum de ultimis orientalis imperii temporibus ll. 3,* latine tantum; Georgii Trapezuntii *ep. ad Joan. Palaeologum imp.*, ib. 1604 in 4; Philippi Solitarii *Dioptra* i. e. regula sive amussis rei christianae 4 ll. per dialogum explicata (latine); Nicolai Cabasilae ll. 6 *de vita in Christo;* ejusdem *oratio contra foeneratores;* Joannis Carpathiorum episc. *capita hortatoria* sive documenta spiritualia 191; Philophei patriarchae CP. *laudatio in pontifices et orbis terrarum magistros* (graece et latine); adjectae sunt disputatiunculae duae Mich. Glycae, ib. 1604, etiam in bibliotheca magna Patrum; Simeonis junioris, theologi, presbyteri et praepositi monasterii s. martyris Mamantis ad Xylocercum *orationes 33 de fide et moribus tum christianis tum monasticis;* ejusdem *l. amorum* seu commentationum scil. capita moralia 228. Accesserunt scholastici cujusdam dialogus de Deo; quorundam ascetica sive de disciplina monachorum; quorundam capita sive canones; Simeonis archiepiscopi thessalonic. commentariolus de divino templo, omnia latine, ib. 1613 in 4. — Richardus Gibbons S. J. natione Anglus, patria Wellensis, mathesin professus est a. 17, philosophiam 10, theologiam scholasticam tres, literas ss. aliquandiu explicuit et haec in Italia, Hispania, Lusitania, Gallia, Belgio (†

---

[1]) 17, 135, ubi prolixam horum operum exhibet synopsim. De notis in Optatum et Tertullianum ait: „Il suffit de dire qu'elles sont toûjours pleines d'ésprit et d'érudition, quoiqu'elles ne soient pas toutes justes. En général, prosequitur deinde, on peut dire que l'Aubespine donnait trop à ses conjectures, qu'il concluoit trop facilment qu'un usage étoit universel de quelques passages particuliers, ou de quelques pratiques observées dans certaines Eglises, et qu'il se fondoit quelquefois sur des ouvrages supposez ... mais au reste, il avoit beaucoup lû et medité les anciens canons, et fait des observations et des recherches très-utiles sur l'ancienne discipline de l'Eglise; en sorte qu'on peut le considérer comme le premier des modernes qui s'en soit formé une juste idée. Pour ce qui est de son style, il écrit assez bien en Latin et en François et donne un tour agreable à ces matieres, qui d'ellesmême sont sèches et épineuses."

[2]) Cf. Sommervogel VI, 1007—19; Hoche Allg. d. Bi. 26, 413. Ejus *progymnasmata purae latinitatis* (ed. t. 4 1588—94) adhibita fuere in scholis sec. adhuc XVIII. De prudenti quodam ejusdem responso circa studia humaniora cf. Bremer S. J. in Zeitschr. f. k. Theol. XXVIII (1904), 621—31.

[1]) Editio castigatior et glossario graeco-barbaro auctior studio et opera Caroli Annibalis Fabroti J. C., Parisiis 1647 in f.

28. Jun. 1632 a. aetatis 83). Edidit opera veterum quorundam ut: *Historia admiranda* de J. Christi stigmatibus s. Sindoni impressis ab Alph. Paleoto explicata complectens M. Vigerii S. R. E. card. de praecipuis incarnati Verbi mysteriis *decachordum christianum*; ejusdem lucubratio de instrumento dominicae passionis, Duaci 1607—8 t. 2 in 4, 1616 in 4; d. Aelredis rhievallensis quondam in Anglia ex ord. Cist. abbatis et d. Bernardi contemporalis *opera omnia*, ib. 1616 in 4; 1631; 1654; d. Amedei ex monacho Cist. episc. Lausaniae *de Maria virginea matre* homiliae 8 recognitae etc., Audomaropoli 1613 in 12; *B. Gosvini* celeberrimi aquicinctensis monasterii ab. VII. *Vita* a duobus diversis ejusdem coenobii monachis separatim exarata, è veteribus mss. nunc primum edita, Duaci 1620 in 12. Edidit quoque recentiorum quorundam opera ut *historiam anglicanam ecclesiasticam* Nic. Harpsfeldii (cf. supra p. 108); Duaci 1622; Toleti *de instructione Sacerdotum* et peccatis mortalibus ll. 8, Duaci 1608; 1613 etc.; Jo. Nider O. Pr. *Praeceptorium,* Duaci 1611 in 12; Riberae *in ll. 12 prophetarum commentarios*, Duaci 1611 etc.[1]) — Nicolaus Chamart O. Praem. abbas edidit Philippi de Harveng Eleemosynarii, ab. Bonae Spei, *opera omnia* cum notis, Duaci 1621. — Vincentius Ricardus[2]) cler. reg. Neapolitanus, theologus insignis edidit *Matthaeum Cantacuzenum* et *Eusebium caesariensem* graece et latine annotationibusque illustravit, Romae 1624; s. Procli *analecta* sive orationes, epistolas etc. commentariis aucta, ib. 1630 in 4 etc. — Pius Rubeus O. Hier. Placentinus *commentarios* scripsit *in res gestas s. Hieronymi* seu ad operum examen seu ad controversiarum solutionem, Comi 1623 in f. — Plurium veterum auctorum scripta annotationibus illustravit Franciscus Juretus, Divione n. 1553, canonicus lingonensis († 1626); plerasque tamen igni tradidit. Supersunt adhuc ejus in s. Ivonis carnotensis *epistolas annotationes*. — Martius Milesius Sarazanius jurisconsultus romanus s. Damasi *vitam* et *opusculu* cum annotationibus edidit, quae editio recusa fuit Parisiis 1672.

[1]) Cf. Sommervogel III, 1404—8.

[2]) Alius a Nicolao Riccardi O. Pr. januensi n. 1585 in Hispania egregie instituto, qui mox ad docendum adhibitus primam s. Thomae cathedram Pinciae obtinuit (1613) et ad celebriores sacri pulpiti actiones, quasi certatim accitus fuit. Cum corporis esset mole pingior et obesus monstrum vulgo (praeeunte ut ferunt Philippo III) vocitari solebat et ab Italis ‚il Padre Mostro,' quod nomen ei haesit. Romae quoque magno concursu et plausu primarius regens theologiam docuit. Ab Urbano factus est s. palatii magister (1629), et pontificius concionator. Eloquentiam ejus passim aequales laudant († 30. Maj. 1639). Reliquit praeter alia *Ragionamenti sopra le litanie di N. S.* Romae 1626 t. 2; *Historiae concilii tridentini emaculatae synopsis*, ib. 1627 in 16. multaque inedita, ut commentarios in s. Scripturam, disputationes breviores in d. Thomam etc. Cf. Echard II, 503; Zeck KL. X, 1169.

V. Historia ecclesiastica.

339. De *chronologia* disputarunt: Hieronymus Vecchietti, Florentinus, in mathematicis, linguis et quaestionibus chronologicis admodum versatus, qui innotuit opere erudito, cui titulus: *de anno primitivo ab exordio mundi ad annum Julianum accommodato* et de sacrorum temporum ratione ll. 8, Augustae 1621, in quo inter alia tuetur contra apertam Scripturarum auctori-

tatem totiusque antiquitatis atque universae Ecclesiae sensum, Christum postremae vitae suae anno pascha legale non celebrasse, neque in ultima coena usum esse pane azymo[1]). Hinc ejusdem opus in librorum prohibitorum indicem decr. 2. Dec. 1622 relegatus atque ipse auctor in carcerem conjectus fuit; verum dein liberatus[2]) tranquille Romae vixit ad seram usque aetatem, obiit enim a. natus 83, sed quo a. incertum[3]). Haec vero summa operis adeo famosi[4]): In 1. l. discutitur, quodnam fuerit exordium temporis et quae forma primi anni ab Adamo constituti, cujus s. Scriptura meminit; in 2. demonstratur veritas successionis in temporibus V. T., postquam exposuit auctor illud Genesis 6, 2: *Videntes filii Dei filias hominum,* quaeque ad Nimrod et historiam Job pertinent; in 3. asserit geminam epocham prioris adventus J. Christi, praedicationis et mortis ejus: exponit 70 hebdomadas Danielis, necnon et circumstantias omnes coenae postremae cum ratione paschatis celebrandi. L. 4. inscribitur de gratia evangelica; in 5. persequitur auctor ea, quae post Evangelium consecuta sunt, in 6. postremae successiones expenduntur; in 7. indicia omnia postremi temporis in Apocalypsi expressa afferuntur. Exhibet 8. tabulas chronologicas et astronomicas[5]). — Henricus Harvillaeus a Grangia Palatiolaea O. Cap. Gallus, olim marchio de Palaisseau, vir insigni eruditione et evangelicarum virtutum praestantia nobilitatus, admirandi spiritus concionator, Deo et hominibus multum amabilis[1]) praelis dedit: *Isagoge chronologica* h. e. introductio ad cognitionem temporum et rerum, quae exstiterunt ab orbe condito usque ad a. 1620 v. 2 in f. In 1. t. complectitur solide et veluti more scholastico omnes difficultates, quae reperiuntur circa summas et motus praecipuos temporis constituendos; 2. vero complectitur ea, quae pertinent ad historiam, Parisiis 1624. 1626. — Henricus Philippi S. J. Luxemburgensis, philosophiam, theologiam et ss. literas in universitatibus graecensi, viennensi, pragensi professus est. Ferdinando III. regi a studiis et a confessionibus fuit († 30. Nov. 1636). Opera ejusdem sunt[2]): *Introductio chronologica* sive opusculum de computo ecclesiastico ad chronologiam accommodato, Coloniae 1621 in 4; 1637; *generalis synopsis sacrorum temporum* continens seriem ab o. c. ad Constantini M. imperium ss. literarum intelligentiae accommodata, ib. 1624 in 4; quaestiones chronologicae *de annis Domini, Julianis et Nabonassari et aera mundi judaica apte inter se componendis,* in quibus et calendarii romani explicatio cum epactis, calendis, nonis, idibus et initiis mensium Graecorum, Syro-chaldaeorum, Aegyptiorum, de feriis, cyclis lunae, solis et indictionum; itemque modus construendi tabulas connexionis aerarum, ib. 1630 in 4; quaestiones chronologicae *de annis nati et passi Salvatoris*[3]), ib. 1630 in 4; *chronolo-*

---

[1]) Cf. de hac controversia Perrone, Prael. theol. t. 8 de euch. an. ad n. 334.

[2]) Cf. Tiraboschi t. VIII, l. 1, c. 5 § 2. Hinc falsum est, quod referunt Dupin, Feller aliique, eum in carcere contabuisse.

[3]) Ex Allatii apibus urbanis colligitur eum adhuc vixisse 1632. Plura de eo cf. ap. Erythraeum Pinac. p. 1.

[4]) Contra illud scripsit Mich. a s. Joseph in bibliogr. crit. II, 425 ss. et Marcus Antonius Capelli (supra p. 699) *de coena Christi adversus aegyptium auctorem* (ita se appellavit ipse Vecchietti, quod bis Aegyptum peragraverit multosque codices inde retulerit) *anni primitivi*, Parisiis 1625.

[5]) Cf. Calmet in bibl s.

[1]) Jo. a s. Ant. in bibl. fr. II, 57.

[2]) Cf. Sommervogel VI, 681—84; Biogr. nat. de Belg. XVII, 338.

[3]) Etiam Laurentius Susliga S. J. Pultoviensis († 16. Apr. 1640) publicae disputationi proposuit praeside Decker velificationem seu theoremata *de anno ortus et mortis Domini* deque universa J. Christi in carne oeconomia, Graecii 1605 in 4. Prodiit etiam cura Keppleri *de J. Chr. Servatoris vero anno natalitio* consideratio

giae V. T. accuratum examen, ib. 1637 in 4; *Manuale chronologicum V. T.,* Antwerpiae 1635; Tr. *de Olympiadibus,* cum notis et quaestionibus chronologicis *in duos ll. Machabaeorum,* Coloniae 1637 in 4; notae et questiones chronologicae *in ll. Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Esdrae, Nehemiae,* ib. 1637 in 4; in *ll. Tobiae, Judith, Esther necnon prophetas majores et minores,* ib. 1637 in 4. — Immensum opus aggressus est Alphonsus Maldonado O. Praed. Hispanus, Vallisoletanus, in 24 partes distribuendum, *corpus* nimirum *historicum,* chronologicum et chronicon ab exordio mundi ad sua usque tempora, cujus volumen primum tantum excusum fuit hoc titulo: *Chronica universal de totas las naciones y tiempos* con diez y seys tratados de los puntos mas importantes de la chronologia, Matriti 1624 in f., quo continentur priores 4 pp. usque ad a. 737 ante Christum. Sunt autem illi tractatus: De los años que hubo desde la creacion del mundo hasta el nacimiento de Christo; de las hebdomadas de Daniel, del consulado en que nació Christo; del año, mes y dia de su muerte; de la genealogia de Christo, de la autoridad de Beroso y de Flavio Dextro. Cautius in hoc studio versatus esset, si Berosi Anniani fabulis nimiam non adhibuisset fidem, est enim illud Dextri chronicon hominis sane imperitissimi ab hispano aliquo nebulone confictum [1]).

340. De chronologia illi quoque disputarunt, qui *V. T. annales* texuerunt. Inter hos eminet Augustinus Tornielli Novariensis, n. 1543, ante ingressum in Barnabitarum ordinem (1569) medicinae doctor et Gregorius dictus, ter dein sui ordinis praepositus generalis (1579. 1593 et 1600). Oblatas sibi infulas mantuanam et casalensem constanter recusavit († 10. Junii 1622). Laudantur ejus *Annales sacri et profani* ab orbe condito ad eundem Christi passione redemptum, Mediolani 1610 v. 2 in f.; Francofurti 1613; 1616; Antwerpiae 1620 (editio 4. recognita et sexcentis in locis aucta, editio bona); Coloniae 1622; optima editio Lucae 1757 v. 4 in f. aucta per P. Negri ejusdem ordinis. Illa praecipue ei debetur laus, quod primus sategerit difficultates chronologicas, geographicas et historicas, quae in divinis literis occurrunt, clare, exacte eruditeque solvere. Ejus annales commentarii instar sunt [1]) librorum historicorum V. T. — Jacobus Salianus S. J. Avenionensis (n. 1557, † 23. Jan. 1640), vir vitae integritate atque indefesso labore conspicuus, theologiae moralis, dein ss. literarum interpres, pariter confecit *Annales ecclesiasticos V. T.,* in quibus res gestae ab o. c. ad Christi Domini nativitatem et mortem per annos fere singulos digeruntur et explicantur: quibus connexi sunt annales Assyriorum, Babyloniorum, Persarum, Graecorum atque Romanorum, quantum ex sacris profanisque scriptoribus agnosci atque ordinari potuerunt [2]), Lutetiae Parisiorum 1619—1620 t. 6 in f.; 1625; 1641 (editio 4.), Coloniae 1620. Horum tomus 1. complectitur mundi exordia; 2. perpetuam historiae Exodi, Levitici, Numerorum, Deuteronomii,

---

novissimae sententiae L. Susligae, Pragae 1606.

[1]) Cf. Petavius ep. II, 19.

[1]) Tiraboschi l. c. l. 2. c. 1. § 15: „Egli fu il primo, che si accingesse a dare alle stampe un'opera di tale argomento, in cui con buon metodo e con sana critica raccogliendo e ordinando i diversi passi della s. Scrittura, aggiuntavi l'autorità dei più gravi antichi scrittori, ci diede una Storia seguita ed esatta del V. T., che è sempre stata ed è tuttora in gran pregio tra gli eruditi. Ei fu perciò molto stimato non solo tra' suoi, ma anche da s. Carlo Borromeo etc." Cf. Dupin 17, 58; Feller, Niceron 11, 134 ss.

[2]) Cf. Backer III, 498, qui advertit: „Cet ouvrage suppose beaucoup de recherches et d'érudition, mais il manque quelquefois d'exactitude et de critique."

Josue item Judicum ac Ruthae narrationem; 3. refertur ad 1. et 2. et dimidiam partem l. 3. Regum et 1. ac 2. Paralipomenon; 4. agit de utroque regno Hebraeorum a Roboamo ad Zorobabelem; 5. ll. Esdrae et Machabaeorum magna ex parte explicat; 6. utrumque l. Machabaeorum et 4 evangeliorum historiam in suos digerit annos. *Annalium ecclesiasticorum V. T. epitome*, Lutetiae Parisiorum 1635 in f., Coloniae 1638; Rothomagi 1646; 1655 etc., ad quam conficiendam coactus est amicorum precibus, tum aliorum molimine, qui ejus Annales contrahere nitebantur aut certe contracturos se minitabantur. Tres annos ei impendit, nonnulla errata, quae in annales irrepserant, in ea emendavit multoque cum judicio illam confecit[1]). *Enchiridion chronologicum* sacrae et profanae historiae a mundo condito ad Christi Domini ascensionem i. e. annalium ipsiusque epitomes medulla, Parisiis 1636 in 12. — Andreas Hojus Brugensis, in academia duacena linguae graecae professor († c. 1626), auctor exstitit op.: *Historia sacra et profana ab o. c. ad Christi Domini natalem*[2]), cui appendicis loco accessere chronologia ex ll. historiarum Pauli Orosii et dissert. 3 (de Mardochaeo, Juda Machabaeo et pharisaeis), Duaci 1629 in f.

341. *Historiam Ecclesiae universalis*[3]) descripsit Abraham Bzovius (Bzowski) O. Praed. (ante suum in ordinem ingressum Stanislaus dictus) natione Polonus, patria Prosoviciensis n. c. 1567. Puer annos nondum 15 egressus uno fultus Joan. Eckii enchiridii praesidio calvinianos errores a magistro propinatos a se depulit, sed et sodales et condiscipulos eodem usus enchiridio nonnullisque, quae puer olim audierat in catholicorum concionibus tenebatque memoria, vel incontaminatos servavit vel etiam ad fidem catholicam reduxit, invitis licet eorum parentibus frendentibusque Calvinistarum antesignanis. Ordinem Praedicatorum ingressus datus est insigni viro F. Bartholomaeo Premislensi, alteri scil. suae gentis Basilio, verbi Dei praeconi celeberrimo comes individuus atque discipulus, a quo miram hausit dicendi vim ac energiam, quam ab inde contra

[1]) Cf. Fabricium hist. bibl. fabr. II, 422 s.

[2]) Simile opus edidisse Fr. Haraeum supra diximus p. 785.

[3]) Sui temporis historiam ecclesiasticam scripsit Alphonsus Fernandez O. Praed. Hispanus, patria Placentinus: *Historia ecclesiastica de nuestros tempos*, que es compendio de los excellentes frutos, que en ellos el estado Ecclesiastico y sagradas Religiones han hecho, y hazen en la conversion de idolatras y reducion de hereges y de los illustres martyrios de varones apostolicos, que en estas heroicas empresas han padecido, Toleti 1611 in f. Ejus est etiam: *Concertatio praedicatoria pro Ecclesia catholica* contra haereticos, gentiles, Judaeos et Agarenos per epitomen in annales distributa, Salmanticae 1617 in f. — Antiquae Ecclesiae historiam, sed plane spuriam ac figmenta complectentem (cf. Petavius ep. II, 19), edidit Franciscus de Bivar O. Cist. Matritanus († 1636) hoc titulo: Flavii Lucii Dextri barcinonensis *Chronicon* omnimodae historiae commentariis apodicticis illustratum. Adjecit *Apologeticum* pro eodem Dextro contra Gabr. Pennotum cler. reg. historiae tripartitae auctorem, Lugduni 1627 in f.; Marci Maximi ep. caesaraugustani *continuatio Chronici Fl. L. Dextri* una cum additionibus s. Braulionis, Tajonis et Valderedi caesaraug. item episc. commentariis apodicticis illustrata, Matriti 1652 in f. Cf. Nic. Antonius in bibl. hisp. n., Acta sanctorum t. 4. Aug. p. 429; Schüz, commentarius criticus de scriptis et scriptoribus historicis p. 104. Aliud ejusdem opus est: *SS. patres vindicati* a vulgari sententia, quae illis in controversia de immaculata Virginis conceptione imputari solet, Pinciae 1618 in 4; Lugduni 1624. *De veteri monachatu*, opus eximium, quod ipse inchoavit (l. 1 et initium l. 2.), Thomas Gomez O. Cist. absolvit, constatque ll. VI t. 2 Lugduni 1662. Lingua vernacula scripsit sanctorum O. Ci. aliorumque vitas lingua vernacula Pinciae 1618. — Augustinus Manno Orat. edidit *selectas historias* rerum memorabilium in Ecclesia Dei gestarum, Romae 1612 in 4.

peccatores et haereticos in concionibus exhibuit. In Italiam exinde missus, studiis sic incubuit, ut Mediolani postea philosophiam, ac Bononiae etiam theologiam praelegerit, praecipuosque 1. et 3. p. s. Thomae tractatus commentariis suis illustrarit. Postea reversus in patriam conciones ad populum habuit magno omnium concursu et plausu nec minori fructu, philosophiamque et theologiam ibidem professus est, atque strenue lingua et calamo rem catholicam in Polonia promovit. Post plures annos Romam rediit, totumque se dedit evolvendis Baronii analibus eosque in epitomen contrahendis, qui labor cum a plurimis probaretur, cumque hoc Bzovii studium innotuerit Paulo V., jussus est a summo pontifice prosequendis Baronii annalibus incumbere. Hinc serio manum admovit operi collectisque Baronii ruderibus, excussis pontificiis archivis, collatis scriptoribus antiquis aut aequalibus haec volumina in lucem dedit: *Historia ecclesiastica* ex ill. Caesaris Baronii S. R. E. card. annalibus aliorumque virorum ill. ecclesiasticis historicisque monumentis, Romae 1616 in f.; Antwerpiae 1616; Coloniae 1617, cui ed. adjecta est historia sec. XIII. auctore Matenesio. *Annalium ecclesiasticorum* post Baronium t. 13—21 (ab a. 1198—1572), Romae 1616—29; Coloniae 1621—30 t. 7; 1641 t. 8; Romae 1672 t. 9. (posthumus). Horum ultimi sunt valde rari. Cf. Hilgers der Index pag. 547 ss. Bzovium aggressus est Georgius Herwart (seu potius Jac. Keller S. J., de quo cf. supra p. 738) l., cui titulus: *Ludovicus IV. imperator defensus*, Bzovius injuriarum postulatus, quod eundem gravibus calumniis onerarit (t. XIV), Monachii 1618. 1619. pp. 3 in 1 v. in 4. Hinc Bzovius agente Bavariae duce coactus est quandam veluti retractationem tomo illi addere et in nova ejusdem editione (a. 1623) ea omittere, quae bilem moverant. Plures plura in eo reprehendunt, ut ex gr., opus illud annales potius complecti dominicanorum quam ecclesiasticos, cum Bzovius totus sit in rebus domesticis efferendis ac dilatandis. „Illud saltem non ab Herwarto solum, scribit Schüz[1]) sed etiam ab aliis in Bzovio reprehenditur, quod festinantiore atque oportuerat calamo sit usus, et operam suam properarit magis, quam accurarit. Certe si ad criterii trutinam solertius tum sua scripta tum auctores, ex quibus sua deprompsit, Bzovius expendisset, pauciora quidem scripsisset, sed et in pauciores naevos offendisset.“ Postquam horum nonnullos indicavit ita absolvit: „Nihilominus licet eruditiorum criticorum judicia Bzovio usquequaque non faveant, negari tamen minime potest, quod ejusdem annales insignibus veterum monumentis et documentis ex tabulariis romanis et instructissima bibliotheca vaticana depromptis abundent, quibus historia ecclesiastica plurimum possit illustrari.“ Praeter alia opera edidit Bzovius: *Romanus pontifex* seu de praestantia, officio, auctoritate, virtutibus, felicitate rebusque praeclare gestis summorum pontificum a D. Petro ad Paulum V. commentarius in 3 ll. divisus, Coloniae 1619; Parisiis 1622 in f. Quae ad primatum et infallibilitatem rom. pontificis spectant recepit Rocaberti in suam bibl. pont. I, 1—574. *Paulus V. Burghesius P. O. M.*, Romae 1624 in 4; *vita s. Cunegundis* Poloniae reginae, ib. 1633; *nomenclator* sanctorum professione medicorum, ib 1621; Coloniae 1624. Decessit Bzovius Romae 31. Jan. 1637. — Dionysius Mudzaerts O. Praem. Tylburchius[2]), Belga, praepositus Vallis s. Mariae et s. Catharinae Bredae († 19. Nov. 1635) concinnavit *De Kerckelycke Historie* a Christi nativitate

[1]) L. c. p. 114 s. Cf. Feller II, 276; Andres t. VII, p. 731. Excusant Bzovium Echard II, 488 ss.; Graveson p. 3 Hist. eccl. t. 8 colloq. 5.

[2]) Cf. Fr. Waltmann van Spilbeek Biogr. nat. de Belg. XV, 337—40.

usque ad a. 1622, Antwerpiae 1622, pp. 3, quarum 1. complectitur historiam a Christo n. ad a. 800; 2. continuationem ad a. 1622; p. 3. historiam Ecclesiae in sua patria. Adjecit et p. 4. complectentem historiam ab o. c. et hinc prodiit titulo ampliato ib. 1624. Scripsit et lingua patria *vitam s. Norberti,* ib. 1630.

342. Laude dignissimus est Aubertus Miraeus (Le Mire) vir multae doctrinae et eruditionis et de ecclesiasticis antiquitatibus optime meritus. Natus is est Bruxellis 30. Nov. 1573. Auditor erat celebris Justi Lipsii[1]) fere continuus atque interioris admissionis discipulus et amicus. Decurso studii theologici curriculo mox eminere coepit. Per annos aliquot episcopo antwerpiensi Jo. Miraeo patruo suo fuit a secretis atque ab eo ad magni momenti negotia adhibitus. Defuncto patruo (1611) erat a sacris principum Alberti et Isabellae, pastor ac bibliothecarius aulae, protonotarius apostolicus et postremo a morte Joannis Delrio (1624) nominatus est cathedralis ecclesiae antwerpiensis decanus atque episcopatus vicarius generalis († 19. Oct. 1640). Collegit ediditque ipse *Rerum toto orbe gestarum chronica a Christo nato* auctoribus Eusebio episc. caes., b. Hieronymo presbytero, Sigeberto gemblacensi monacho, Anselmo gemblacensi abbate aliisque cum auctario ab a. 1200—1608, Antwerpiae 1608 in 4. Non solum propter hanc editionem bene meritus est, sed propter plurima alia opera. „Hoc enim unum agebat maxime ut ἀνέκδοτα hactenus et cum blattis tineisque luctantia in lucem aspectumque publicum proferret, ut Ecclesiae statum ac regimen ob oculos poneret: ut sacrorum ordinum initia progressusque erueret: ut principatuum Belgii origines hactenus abdita recluderet idque non ex conjecturis aut fabellis popularibus[1]), sed ex probatae notae historicis ac chronographicis, quin imo ex ipsis principum diplomatis aut archivis plurima ingenti labore ac sumptu collegit et publici juris fecit[2]).“ Hinc Lipsius eum vocat „solem Belgarum inter tot sidera, caliginem, torporem, frigus pellentem.“ Etiam in epitaphio dicitur „studiis scriptisque clarissimus, qui ordinibus religiosis origines, analibus gesta, piis fundatoribus famam, historiis lucem, scriptoribus per elogia vitam, patriae claritudinem, ecclesiae huic decus asseruit.“ „Magnam ejus eruditionem, addit Moreri[3]), ornabant solida pietas animique grata lenitas, quae omnium amorem ipsi conciliabant. Hic character in ejus quae nobis supersunt operibus satis manifestus est.“ Praeterea edidit[4]): *Notitia episcopatuum orbis universi,* Antwerpiae 1611; 1613 in 8; *politia ecclesiastica* sive de statu religionis christianae per totum orbem ll. 4, Coloniae 1609 in 8; Lugduni 1620; *Geographia ecclesiastica,* in qua provinciae, metropoles, episcopatus sive urbes episcopali titulo illustres alphabeti serie digestae leguntur, Lugduni 1620 in 12; *notitia ecclesiarum Belgii,* in qua

1) Magistri sui *vitam* ex ipsius potissimum scriptis concinnavit, Antwerpiae 1609.

1) Advertit tamen Baillet in op. Jugements des Savans, eum in suis elogiis illustrium Belgii scriptorum (Antwerpiae 1602 in 12; auctius edita 1609 in 4.) amorem quodammodo coecum in patriam et populares patefacere. Eruditionem ejus et indefessum studium laudat, sed majorem desiderat in eo accurationem et judicium criticum. Cf. etiam Feller VI, 85. Alph. Wauters in Biogr. nat. de Belg. XIV, 882—95.

2) Ita Valer. Andreas in bibl. belg.

3) In dictionario maj. gall.

4) Opera (39) recensent Niceron 7, 277 ss.; Foppens bibl. belg. 1, 107 ss; prae primis cf. B. C. de Ridder A. Le Mire, sa vie, ses écrits, mémoire historique et critique praemio donata ab academia belgica 1863 in Mém. des savants étrangers t. XXX.

tabulis donationum longa annorum serie digestis sacra Germaniae inferioris historia recensetur, Antwerpiae 1630 in 4; editionem auctiorem et correctiorem inscriptam *Opera diplomatica et historica*, quae hoc et alia ejusdem opera ad Belgii historiam spectantia complectitur, curavit Joan. Franc. Foppens, Bruxellis 1722—48 t. 4 in f. (m. 60); *Bibliotheca ecclesiastica* sive nomenclatores septem veteres s. Hieronymus, Gennadius massil., s. Isidorus hispal., s. Ildephonsus tolet., Honorius augustodunensis, Sigebertus gemblacensis, Henricus gandavensis cum Miraei auctariis et scholiis, Antwerpiae 1639 in f.; *bibliothecae ecclesiasticae* pars altera sive de scriptoribus ecclesiasticis ab a. 1494 usque ad sua tempora, opus posthumum ib. 1649 in f., nova et aucta editio per Joan. Albr. Fabricium, qui Miraei diligentiam merito laudat, Hamburgi 1718 in f. *Origines monasteriorum benedictinorum* per Belgium, Antwerpiae 1608; *Carthusianorum* per orbem universum, Coloniae 1609 in 8; *ordinum equestrium* ll. 2, Antwerpiae 1609 in 4; *virginum ordinis B. M. V. annunciatae*, ib. 1618 in 4; *ordinis carmelitani*, ib. 1610 in 8; *ordinis Augustinianorum*, ib. 1611 in 8. gallice; *canonicorum regul. O. S. Aug.* Coloniae 1614 in 8; *originum monasticarum* ll. 5, ib. 1620; *chronicon ord. praemonstratensis*, in quo initia ejus progressusque ac viri celebres coenobiaque commemorantur, ib. 1613; *chronicon benedictinum* sive benedictinorum coenobiorum origines, ib. 1614; *de congregationibus clericorum* in communi viventium, ib. 1632; *de collegiis canonicorum*, ib. 1615 in 8; *de windesimensi, lateranensi, aroasiensi* et *congregationibus aliis* can. reg. O. S. Aug., Bruxellis 1622 in 8.

343. *Romanorum pontificum*[1]) *gesta* enarrant Ludovicus de Bavia, Matritensis († 1628), vir modestia illustris atque doctrina, qui prosecutus est historiam pontificum, seu potius universalem a Gundisalvo Illesca[1]) usque ad Pii V. tempora olim 2 t. perductam, addita *Tercera parte de la Historia pontifical y catholica desde Gregorio XIII. a Innocenzio IX.*, scil. de rebus toto orbe gestis ab a. 1572—1591, Matriti 1608; 1613 in f., Barcinone 1609; *Quarta parte de la Historia pon-*

[1]) De Francisco a Coriolano O. Cap. supra p. 647 egimus. — Didacus de Cea O. S. Franc. Hispanus, patria Agudensis dioecesis toletanae († 1640) edidit dum Romae esset: *Archielogia sacra principum apostolorum Petri et Pauli ll. 2*, 1636 in 4, quorum prior apologeticus archielogicas d. Petri continens defensiones (apud Rocaberti VIII, 1—227); posterior est archielogicus de praerogativis, virtutibus, sanctitate, doctrina, praedicatione dd. Petri et Pauli, deque triumphali eorum sub Nerone martyrio et sacro apud Vaticanum sepulchro. *Thesaurus terrae s.*, quem seraphica Min. religio de Obs. per trecentos et amplius a. religiose custodit et fideliter administrat, Romae 1639. Alios ejusdem ll. cf. in Bibl. franc. 1, 296. — Joannes Nicolaus Alidosi Pasquali Bononiensis plurimis libris ad historiam pertinentibus de patria meritus, inter alia descripsit etiam: *I sommi pontefici*, Cardinali, Patriarchi, Arcivescovi e Vescovi bolognesi dall' a 270. sino al 1621, Bononiae 1621 in 4. Cf. Fantuzzi I, 192. — Hieronymus Aleander junior dictus (n. 29. Jul. 1574; † 9. Mart. 1629) vir admodum versatus in antiquitate sacra et profana, praeter alia elaboravit *refutationem conjecturae* anonymi scriptoris (Jac. Gottfredi) de suburbicariis regionibus ac dioecesi episcopi romani, Lutetiae P. 1617 in 4; *assertionum catholicarum ll. 3*, Romae 1628. Scripsit etiam ep. ad Jo. Morinum *de variis exemplaribus* necnon characteribus Samaritanorum; de aliis siclis Samaritanorum simulque de Pentateucho samaritano etc., quas Morinus edidit in suis Antiquitatibus Ecclesiae or., Londini 1682 p. 142 ss. Cf. Adelung 1, 540.

[1]) Is primus inter hispanos secundum Nic. Antonium historiam ecclesiasticam est aggressus. Priores duo t. suae historiae pontificalis, quam perduxit ad a. 1570., prodierunt Salmanticae 1574; Caesaraugustae 1583; Burgis 1592; Matriti 1623 in f. etc. Scripsit et *theologiam mysticam*, Matriti 1573. Obiit c. 1580 vel 1583.

tifical y catholica, scil. de rebus gestis ab a. 1591—1595 Matriti 1613 in f. Opus prosequutus est Marcus de Guadalaxara et Xavier O. Carm., Caesaraugustanus († 15. Jan. 1630), adjecta 5. p. *de Pauli V. vita*[1]), Caesaraugustae 1614; Matriti 1630, quae tamen p. decreto 23. Aug. 1634 in indicem relata fuit „donec corrigatur." Universum opus prodiit Matriti 1652 t. 5 in f. Continuavit illud (ab a. 1623—44) adjecto t. 6 ib. 1678 Jo. de Banos et Velasco († 1682). — Andreas du Chesne (Quernaeus, Quercetanus, Querceus, Duchenius, Chesneus, Chesnius), Turonensis n. 1584, chronographus regius, pater dictus historiae Galliae, quamvis matrimonio junctus, indefessa diligentia totum se studiis dedit, et ab a. 18. vitae suae usque ad mortem tristissimam, nam curru obtritus interiit 30. Maj. 1640, innumera plane opera, historica praesertim et genealogica, in lucem dedit, e quibus huc spectant: *Histoire des Papes jusqu' a Paul V.*, Parisiis 1616 v. 2 in 8; 1645 in f.; aucta (usque ad Innocentium X.) t. 2 in 1 v. et emendata filii sui cura, 1653; quae tamen non magni aestimatur; *Januariae Kalendae* seu de solemnitate anni tam ethnica quam christiana, ib. 1602 in 12; *bibliotheca cluniacensis*[2]) complectens ss. patrum cluniacensium vitas, miracula, scripta, statuta, privilegia etc. collecta a Martino Marier edente cum notis A. Quercetano, ib. 1614 in f.; *Petri Abaelardi et Heloissae conjugis ejus opera* nunc primum edita e mss. codic., ib. 1616 in 4; *Alcuini abbatis opera*, ib. 1617; *Bibliothèque des auteurs qui ont ecrit l'histoire et topographie de la France*, ib. 1618; aucta ultra 200 scriptoribus, 1627 in 8., l. minoris pretii; *historiae Normannorum scriptores antiqui*, res ab illis per Galliam, Angliam, Apuliam, Capuae principatum, Siciliam et Orientem gestas explicantes ab a. Chr. 838—1320 ex mss. codd. ib. 1619 in f. Ex 3 pp. prima tantum prodiit, quae est rara (fr. 120), etiam inter scriptores Historiae Francorum. *Series auctorum omnium*, qui de Francorum historia et de rebus francicis cum ecclesiasticis tum secularibus ab exordio regni ad nostra usque tempora scripserunt[1]), Parisiis 1633; 1635 et cura filii sui 1663; recepta a J. Alb. Fabricio in *Isagogen* in historiam scriptorum historiae gallicae. Est specimen magnae collectionis scriptorum historiae Francorum, quam meditabatur 24 t. constantem. Ea demum coepit prodire inscripta: *Historiae Francorum scriptores coaetanei*, quorum plurimi nunc primum ex variis codd. msc. prodeunt, alii vero auctiores et emendatiores, ib. 1636—41 t. 3 in f. (usque ad Hugonis et Roberti tempora). 4. et 5. t. usque ad Philippi IV. dicti pulchri tempora adjecit ejus filius Franciscus[2]), ib. 1641 et 1649, collectio pretiosa. „Summam profecto, inquit Schüz[3]), si quis alius laudem aeternamque posteritatis memoriam

---

[1]) Cf. Nicol. Antonium, qui ei etiam 4. p. tribuit (et prodiisse scribit Caesaraugustae 1612), in qua habentur *vita et gesta Clementis VIII. et Leonis XI.* usque ad a. 1605.

[2]) Feller 2, 539: „Recueil utile et rare, qui contient d'excellentes pièces pour l'histoire de l'abbaye de Cluny et ses dépendances."

[1]) De nostro auctore scribit Feller: Du Chesne était un des plus savants hommes que la France ait produits pour l'histoire, surtout pour celle du Bas Empire. Il communiquait libéralment ses recherches, non seulement à ses amis, mais encore aux étrangers.

[2]) Franciscus D. regius historiographus (n. 1616, † 1693), praeter ea quae jam laudavimus, edidit quoque *Histoire des cardinaux français*, Parisiis 1660. 1666 t. 2 in f., quam ejusdem pater hortante Richelieu coeperat et in 4 t. distribuere cogitaverat: prodierunt tantum duo priores. C'est un ouvrage, inquit Feller l. c. mal fait, mal digérére et encore plus mal écrit.

[3]) In comment. crit. de scriptis et scriptor. historicis p. 124.

sibi vindicavit semperque vindicabit Du-Chesnius, quod incomparabili prorsus industria (qualem nemo hactenus impenderat) tam vasta scriptorum eousque ignotorum ac delitescentium volumina tandem in apricum felicissime produxerit: unde sepulta hactenus antiquitatum notitia, utut per innumeras prope schedas chartasque dispersissima, copiosius veraciusque possit eruderari et elucidari.« Scripsit quoque plurium sanctorum vitas, quas dein ediderunt Camusat, Labbe, Mabillon et Bollandistae. Post ejus mortem reperta sunt ultra centum volumina analectorum, quae propria manu descripserat.

344. Tristis plane famae est Paulus (antea Petrus appellatus) Sarpi O. Serv. b. M. V. Venetus n. 1552, ordinem ingressus a. 1565, qui a. aetatis 27 jam praefuit sodalibus provincialis munere, et postea fuit procurator generalis. Orta controversia inter Paulum V. et rempublicam incredibili audacia et pertinacia potestatis civilis usurpationes pluribus scriptis propugnavit reipublicae theologus, quae merito fuere prohibita, ipse vero excommunicationem pontificis incurrit. Spargebatur fama, quod abitum ad reformatos, imo defectionem reipublicae ab Ecclesia catholica meditaretur. Decessit hic scriptor[1]) ab apostatis praesertim et similis genii viris encomiis magnis elatus 24. Jan. 1623. Paetermissis ejus scriptis occasione illius controversiae editis, quae collecta prodierunt Venetiis 1677—86 t. 5 in 16., eum ideo hic adducimus ob suam *Historia del concilio Tridentino*, quod sub nomine Petri Suavis Polani Londini primum prodiit 1619 in f., cura apostatae de Dominis; saepius edita est, in varias versa linguas, in gallicam ab alio apostata le Courayer. Ea spiritu maligno est infecta, stilo duro, implexo, insipido conscripta, erroribus historicis et theologicis maculata, sed in deliciis hujus concilii adversariis, cui Pallavicino suam opposuit historiam. Cf. Ehses hist. Jahrb. XXVI (1905), 299—313.

345. De ecclesia *gallicana* meruerunt Joannes Chenu edita *chronologica historia archiepiscoporum bituricensium et Aquitaniarum primatum,* Paris 1621 (ed. 2.) in 4; *historia chronologica episcoporum et archiepiscoporum Galliae*, Parisiis 1621 in 4. et praesertim Claudius Robert vicarius generalis et archidiaconus cabillonensis (n. 1564; † 1636) edita *Gallia christiana* 1625 v. 1 in f., quod opus dein fratres Ludovicus et Scaevola Sanmarthani ita auxere, ut plurima complectatur volumina, ut infra dicemus. — *Notitiam chorographicam episcopatuum Galliae* delineavit Parisiis 1625 in f. Petrus Bertius (Berts.) Beverensis, Flander n. 14. Nov. 1565 († 11. Oct. 1629), philosophus, philologus et geographus. A pseudosynodo dordracensi damnatus et a cathedra suspensus, quod sectae arminianae adhaesisset, Lutetiam commigravit, ubi postquam a Ludovico XIII. in cosmographorum regiorum numerum cooptatus est, in Ecclesiae catholicae sinum a. 1620 rediit[1]), ediditque *orationem*, qua rationem reddit, cur relicta Leyda Parisios commigrarit et haeresi repudiata romanocatholicam fidem amplexus sit, Antwerpiae 1621. — Gallo-Flandriam illustravit Joannes Buzelin S. J. († 15. Oct. 1626 a. aetatis 55) Cameracensis „vir egregia suavitate morum, ss. historiarum atque annalium calentissimus, diligentissimus investigator antiquitatis,« in opere *An-*

[1]) Cf. Balan Fra Paolo Sarpi, Note, Venetiis 1887; Tiraboschi VII, 1, 448 ss., qui testatur eum summopere versatum fuisse in mathematica, optica, astronomia aliisque disciplinis physicis, hinc magnis encomiis ejus studia et ingenii inventa prosequitur.

[1]) Cf. Raess die Convertiten IV, 500 ss.; Foppens II, 953, qui plura ejusdem scripta recenset, quae tamen huc non spectant.

nales gallo-flandricae, in quibus per annos fere singulos ab a. plus quam MCCC ea omnia narrantur, quae per Gallo-Flandriam evenere, aut infra fines suos aut extrave Gallo-flandri gesserunt: ac denique regum Franciae, qui supremum hic dominium habuere, comitum Flandriae, ad quos haec pertinet ditio, et tornacensium atque atrebatensium episcoporum, qui praesertim sacrum in hanc regionem habent imperium, series ac successio contexitur, Duaci 1624 in f. Mox secuta est *Gallo-Flandria sacra et profana*, ib. 1625 in f. Eo in opere describuntur urbes, oppida, regiunculae, municipia et pagi praecipui gallo-flandrici tractus, horumque omnium locorum antiquitates, religio, mores, sacra aedificia, piae fundationes, principes et magistratus proponuntur, ib. 1625 in f.

346. De historia ecclesiastica *Angliae* meruit Richardus Broughton oriundus e Great-Stukley, qui studiis operam dederat in collegio Anglorum rhemensi, quibus peractis (1593) missionarium egit usque ad mortem (1634) in patria sua, Oxonii praesertim, ac etiam Richardi Smith episcopi chalcedonensis atque vicarii apostolici vicarius fuit. Scripsit enim *Ecclesiastical Histoire of Great Britaine*... whereby is manifestly declared a continual succession of the true Catholike Religion, which at this day is professed and taught in and by the Roman Church, Duaci 1633 t. 1. et unicus complectens priora quatuor secula; *A True Memorial* of the antient, most holy and Religious State of Great Britain, florishing with Apostles, Apostolical Men, Monasteries, Religious Rules and Ordres in great Number in the time of the Britons and Primitive Church of the Saxons, Londini 1650; *Monasticum Britannicum* or a historicall Narration of the first Founding and flourishing State of the ancient Monasteries, religious Rules and Orders of Great Brittaine in the Tymes of the Brittaines and Primitive Church of the Saxons, ib. 1655, opus posthumum ex ejus schedis editum, hinc minus accuratum; *Resolution of Religion* ... conteyning a demonstration of the necessitie of a divine and supernaturall worshippe, Antwerpiae 1603 p. 1 et unica; *The Judgment of the Apostles* and of those of the First Age in all points of Doctrine questioned betweene the Catholikes and Protestants of England, as they are set down in the 39 Articles of their Religion, Duaci 1632 in 8. — Petrus Lombard, Waterfordiensis n. 1554 tanto fructu Lovanii studiis operam dedit ut ‚primus' universitatis proclamaretur. Praepositus factus est cambracensis (1594) et a Clemente VIII. electus archipiepiscopus armacanus (1601). Cum ecclesiam suam adire non posset, Romae commorabatur, ubi partem haud ultimam habuit in congregationibus de auxiliis. Molinae sententias minus probabat. In aliis quoque negotiis adhibitus fuit, atque de bono patriae suae admodum sollicitus in id incubuit, ut iterum octo per Hiberniam episcopi instituerentur. Scripsit *de regno Hiberniae* commentarium, Lovanii 1632, qui Caroli I. Angliae regis adeo succendit iram, ut illum in suo regno prohibitum vellet. Ad textum originalem expressum iterum edidit cum docta introductione et auctoris vita cardinalis Moran 1868. Obiit[1]) Lombard a. 1625. — *Historiam ecclesiasticam gentis Scotorum* ll. 19 scripsit Thomas Dempsterus[2]), Bononiae 1627 in 4., in qua

---

[1]) Cf. Bellesheim Gesch. d. k. Kirche in Irl. II, 283; 322 ss.; III, 688; KL. VIII, 134 ss.

[2]) Alius ab eo est Franciscus Dempster S. J. Scotus, rector collegii Scotorum Romae, cujus sunt *epistolae* 10 anglice conscriptae apologeticae Menzeis professori theologiae aberdensi inscriptae 1668; et Joannes D. Themistor dictus, juris doctor, universitatis parisinae ter rector et reipublicae venetae bibliothecarius, ob fidem exsul († c. 1590).

viri sanctitate, literis, dignitatibus toto orbe illustres, et familiae etiam scoticae in varias urbes transmissae et praecipue Placentiam recensentur. Praemiserat jam a. 1622 ib. ad eam *Apparatum*, cum *menologio Scotorum* seu martyrologio scotico et *nomenclatura* scriptorum scotorum, opus rarum (fr. 45). Natione fuit Thomas Scotus, natusque est 23. Aug. 1579 inter 29 filios et filias 24. In Galliis, Belgio, postmodum in Italia vitae reliquum exegit, atque defunctus est Bononiae 6. Sept. 1625, ubi aliquot annos literas humaniores docuit. Celebratur quidem praestans illius memoria, adeo ut diceret, nescire se, quid sit oblivio, et infracta laboris assiduitas (quatuordecim horas quotidie studiis impendisse fertur): ast vehementior illius lingua et proprii judicii obstinatio ab iisdem non parum arguitur: unde procul dubio factum, ut ejusdem pariter calamus in varios errores et figmenta abriperetur: neque magna est ejus in historicis auctoritas[1]), imo Labbeus Dempsterum compellat fabularum omnium consarcinatorem, fraudulentarum ineptiarum toties convictum, popularium suorum sanctorum numerum ultra verum augentem, fabulas in patriae suae gratiam consarcinantem, scriptorem immodestum et conviciatorem, cujus in plerisque vacillet fides[2]). Quantopere nitatur patriae suae gloriam tueri, patet vel exinde, quod in *Scotorum scriptorum nomenclatura* Bononiae 1622 ed. 4. (ed. 1. ib. 1619) recenseat scriptores 1603, sanctos 679, beatos 81, papas 5, cardinales 14, patriarchas 4, apostolos gentium 63, monasteriorum extra Scotiam fundatores archiepiscopos et episcopos 257, abbates extra Scotiam 192; academiarum fundatores 11 etc.; sed inter Scotos recenset Anglos et Hibernos. Inde enata est controversia acris et biliosa cum scriptore hiberno anonymo, cujus liber cum Dempsteri responsione prohibitus fuit a congregatione Indicis 27. Oct. 1623.

347. Magni fiunt Joannis Adolphi Cypraei, quondam lutherani pastoris slesvicensis, sed a. 1633 ad fidem catholicam conversi, *Annales episcoporum slesvicensium* unius verae, sanctae et apostolicae Ecclesiae statum, quoad ejus originem, propagationem ac mutationem in regno Daniae ac finitimis Slesvici et Holsatiae ducatibus, aliasque res quovis seculo in Ecclesia ac politia admirandas vereque memorabiles illic gestas ac perpetratas breviter et dilucide complectentes ac explicantes, Coloniae 1634 in 8. »Quo libro, inquit Mollerus in sua Cimbria literata p. 119, cum cetera nihil doctius nihilve accuratius in Cimbriae nostrae hactenus prodierit historia, omniaque in illo summa fide et diligentia enarrentur, ac veterum testimoniis aliisque monumentis fide dignissimis confirmentur, summas merito utrique[1]) auctori incolae Chersonesi hujus universi debent gratias.« — Vincentius Blascus[2]) de Lanuze scripsit *Historias ecclesiasticas y seculares de Aragon,* sive magni operis Hier. Zuritae aragonensium annalium supplementum ex quo ille desiit ad a. 1618, Caesaraugustae 1622 t. 2 in f. Rationem autem in suo opere habuit in primis historiae ecclesiasticae, quam ille pene neglexerat.

348. De missionum historia plures fuere solliciti. Antonius Govea O.S. Au-

¹) Cuperus t. 4. Aug. act. SS. in vita s. Ichardi n. 9.

²) Cf. Schüz l. c. p. 174 s.; Biogr. univ. 11, 68 ss. secundum quam natus est parentibus catholicis; Niceron 21, 370 ss.

¹) Inchoaverat nimirum illum Paulus ejus pater, absolvit vero Adolphus noster, qui ea, quae jam pater elaboraverat, complevit correxitque. Cf. Raess, die Convertiten etc. V, 437 ss.

²) Alius a Ludovico Fernandez Blasco Tertii O. S. Fr., qui disputavit *de universali redemptione per Christum,* Compluti 1613 in f.

gustini Lusitanus regius fuit concionator, dein Goam missus lector theologiae et Alexii Menesii archiepiscopi goani in visitatione ecclesiarum malabaricarum comes. Anno 1602 ab Indiae prorege missus est ad Persarum regem Schach Abbas et ab hoc a. 1608 ad Paulum V. Creatus est episcopus cirenensis pro Perside et constitutus visitator apostolicus pro illis regionibus. Post multos labores in patriam cogitabat redire, sed in itinere a piratis captus a suis amicis magno nonnisi pretio fuit redemptus († 1631). Scripsit praeter alia lingua patria *Jornada de Arcebispo de Goa* D. Frey Aleixco de Menez , . . quando foi às Serras do Malavar e Lugares em que moram os antigos Christianos de s. Thoma e os tirou de muitos Erros e heresias em que estavam e redusio a nossa santa fe catholica e obediencia da santa Igreia Romana da qual passava de mil annos, que estavam apartados, Coimbra 1606 in f.; *Relaçoens da Persia e do Oriente,* Olisipone 1609; *Histoire Orientale* des grands progres del Eglise catholique, apostolique et Romaine en la reduction des Anciens Chretiens dits de S. Thomaz, de plusieurs autres schismatiques et haeretiques a l'union de la vraye Eglise; Conversion encor de Mahometains, Mores et Payens par les bons devoirs du RR. S. D. Alexis de Menezes etc., Antwerpiae et Bruxellis 1609; Coloniae 1611. — Petrus Morin S. J. Parisiensis († 1625), cujus praeter scripta hagiographa est *Histoire de ce qui s' est passé ès royaumes de la Chine et du Japon* tirée des lettres escrites ès années 1619. 1620. 1621, Paris 1625 in 8. — *Literas annuas* (a. 1603 et 1614) prolixas ex Japone, necnon et de persecutione a. 1612 ibidem excitata scripsit Gabriel de Matos S. J. Lusitanus a. 20 in Japonia strenuus missionarius († 1633), Moguntiae 1607 et Romae 1617 etc. — Item et Matthias Couros S. J. Lusitanus, missionarius, bis provinciae praepositus et administrator apostolicus, qui eodem decessit anno (29. Oct. 1633), de quo cf. Sommervogel II, 1578. — Joannes Baptista Bonelli S. J. laudensis, missionarius, rector macaensis et Tonquini visitator, quam visitationem inter pericula obiit innumera († 4. Nov. 1638), reliquit *Lettere annue* del Giappone degl' a. 1625—27, Romae 1632. — *Literas annuas* S. J. a. 1594 et 1595 concinnavit et Sebastianus Berettari S. J. Florentinus († 22. Jul. 1622), Neapoli 1604; *literas* a. 1596, ib. 1605; a. 1597, ib. 1607. Composuit quoque ex notitiis ineditis, quas collegerat Petrus Roterigius S. J. praepositus provincialis in Brasilia, aliisque monumentis fide dignis lusitano idiomate ll. IV *vitam* Jos. Anchietae S. J., Lugduni 1617 in 8; Coloniae 1617. — Willebrordus Van der Heyden S. J. Brabantinus, per Hollandiam missionarius († 3. Dec. 1638) missionum historiam per illas regiones ab a. 1566—1637 narrat In Verhaal von den verrigtingen der Jezuiten in Friesland, Leuwarden 1842 in 8. — Henricus Mirwart O. Min. conventus leodiensis guardianus concinnavit *Abrégé des vies, martyres et miracles des 27 premiers martyrs* au royaume du Japon etc., derivatum ex chronica Marci Olisiponensis, Leodii 1628. — Christophorus Burrus Mediolanensis S. J. missionarius Concincinae regnum aliasque orientales regiones petiit, in quibus munus apostolicum exercuit. In Europam reversus transiit ad Cistercienses. In academiis conimbricensi et olisiponensi magnam suo nomini peperit famam († 1632). Scripsit *Relazione della nuova Missione* delli Padri della C. d. G. al Regno della Concincina, Romae 1631; latine Viennae A. 1633; eaque in alias fuit versa linguas. — Petrus de Moreion S. J. Hispanus a. 50 per Indias et Japoniam missionarius, martyrum socius (p. 1633), plures scripsit de persecutionibus in Japonia contra christianos excitatis *relationes*, quae passim prodi-

erunt. — Petrus Chirino S. J. oxunensis, diu admodum in insulis philippinis missionarius († 16. Sept. 1635) pretiosissimam (300 m.) reliquit *Relacion de las Islas Filipinas* i de lo que en ellas han trabajado los Padres de la C. d. J., Romae 1604, Manilae 1890, receptum in opus giganteum *The Philippine Islands* 1493—1898, Cleveland, Ohio, U. S. A. 1903 ss. Ex ejus mscr. collegit Fr. Colin, de quo infra, *Labor Evangelica* de los Obreros de la C. d. J., Barcinone 1900—2 t. 3 in 4. — Franciscus Solier S. J., Lemovicensis, insignis asceta († 16. Oct. 1628) collegit *Histoire ecclesiastique des isles et royaume du Jappon,* Parisiis 1627 t. 2 in 4., cujus op. t. 2. est rarus (m. 80). Ediderat jam antea quaedam ex missionariorum literis de his regionibus. — Ejusmodi literas edidit quoque Nicolaus Trigault S. J. Duacenus in illis regionibus missionarius († 14. Nov. 1628), et ex iis composuit *de expeditione apud Sinas* suscepta a Soc. Jesu ll. V, in quibus sinensis regni mores, leges atque instituta et nova illius ecclesiae difficillima primordia accurate ac summa fide describuntur, Augustae V. 1615 in 4; 1623; Lugduni 1616 etc.; *de christianis apud Japonios triumphis* sive de gravissima ibidem contra Christi fidem persecutione exorta a. 1612 usque ad a. 1620 ll. V. etc., Monachii 1623 in 4. — Joannes dos Santos (de Sanctis) O. Praed. Eboracensis salutis animarum sitiens aethiopica regna penetravit. Annos undecim ibidem pro dilatanda fide transegit. Rediens a. 1607 ad sodales scripsit: *Varia historia de cousas notaveis do Oriente* e da christianidade que os religiosos da ordem de predegadores nello fizerao pp. 2, Eborae 1609, »opus singulare, judice Echard II., 427, locisque ac urbibus in s. Scriptura designatis agnoscendis non parum utile.« Edito op. ad caros suos Aethiopes reversus est vixitque adhuc a. 1622. — Petrus Paez S. J. prope Toletum natus, dum in Abessiniam proficisceretur, in Turcarum manus incidit et nonnisi post sexennium soluto pretio redemptus est. Demum (1603) in Abessiniam pervenit atque missioni praefuit decessitque 1622. Reliquit *Historiam Ethiopiae* ll. 4 lingua lusitana conscriptam, quae demum prodiit in op. C. Beccari S. J. Rerum aethiopicarum scriptores occidentales inediti a sec.. XVI—XIX t. 2. et 3. Romae 1905—6. — T. 4. ibidem habes Em. Barradas S. J. (fl. 1621) *tr. III historico-geographicos* Aethiopiae. — Quibus adde Raymundum Ribes O. Praed. laicum conversum, natione Gallum, qui pietate actus loca invisit sancta atque scripsit *Relacion del Viage de la Santa Ciudad de Hierusalem* y otros lugares adjacentes en la misma Tierra Santa, Barcinone 1627 in 8. — Bernardum de Carolina O. Min., cujus exstat *Viage a la santa Ciudad de Gerusalem* et nueva descritione suya y de tota la Terra santa y peregrination al santo monte Sinai, Neapoli 1632.

349. De singularibus dioecesibus scripserunt e Gallis: Joannes Cousin (Cognatus) canonicus tornacensis († 1636) *Histoire de Tournay* ou 4 livres de chroniques, annales et démonstrations du christianisme de l'évêché de Tournay, Duaci 1619. 1620 t. 2 in 4., opus eruditum, minus tamen accuratum. In l. *de prosperitate et exitio Salomonis,* ib 1599, bene sperat de regis hujus poenitentia. — Carolus de Saussaye canonicus aurelianensis parochus dein canonicus parisiensis († 1621), concinnavit admodum eruditos *annales ecclesiae aurelianensis* ll. 16 cum tr. de veritate translationis corporis s. Benedicti ex Italia ad monasterium floriacense, Parisiis 1615 in 4. — Joannes Paulus le Jau (le Cocq) canonicus poenitentiarius et vicarius generalis ebroicensis († 1631) collegit *seriem episcoporum ebroicensium,* Eburovici 1621; scripsit quoque tr. *de summi pontificis auctoritate* adversus apologeticas Sim. Vigorii objectiones.

ib. 1621 in 8. — Jam antea Gabriel de la Charlonie (Carlonius) exhibuerat *engolismenses episcopos,* Engolismae 1597 in 4. Auxit quoque *Recueil en forme d' Histoire* de la ville et des comtes d'Engoulême, auctore Franc. Corlieu ib. 1629, 1631. — Hippolytus Donesmundus O. S. Franc. Mantuanus italice narravit historiam ecclesiasticam patriae suae ll. 10, Mantuae 1612. — Jacobus Merck scripsit *Chronik des Bisthumbs Constanz* d. i. eine kurtze Beschreibung aller Constantzischen Bischöffen wie und wann jeder Bischoff regiert, was sich unter jeder Regierung denkwürdiges zugetragen hab. Constantiae 1627, liber rarus. — *Vitas episcoporum plocensium* narrat Stanislaus Lubienski ex antiqua et nobili prosapia ortus, qui honorificis muneribus auctus decessit episcopus plocensis a. 1640 relictis aliis operibus, quae collecta prodierunt Antwerpiae 1643 in f. cum ejusdem vita.

350. Monasteriorum vel ordinum historiam illustrarunt haud pauci. Josephus Mozzagrugno can. reg. ss. Salv. et abbas collegit *narrationem rerum gestarum canonicorum regul.*, in qua praeter eorum originem . . . praecellentiam, reformationes in universum, praecipue recensentur reformatio ejus ord. can. reg. congregationis ss. Salv. O. S. Aug., necnon privilegia, leges, viri clari ex probatissimis auctoribus etc. ll. 8, Venetiis 1622, tamen olim prohibita 1624, l. rarus. — Prohibita adhuc est ex eadem forte ratione, scil. ob laesam ex nimio proprii instituti amore caritatem christianam, Prosperi Stellartii O. S. Aug. tornacensis († 10. Aug. 1636) *Augustinomachia* sive vindiciae tutelares pro s. Augustino et Augustinianis ll. 2, Lugduni 1613 in 8. Alia ejus opera sunt: *Nucleus historicus* regulae s. Augustini ad servos Dei, Antwerpiae 1618 in 8; *fundamina et regulae* omnium ordinum monasticorum et militarium, quibus religionis status a Christo institutus ad IV. usque sec. producitur et omnes ordinum postmodum conscriptae promulgantur, Duaci 1626 in 4; *annales monastici* sive chronologia ll. XVII totidemque seculis distincta, ib. 1627 in 4; *de coronis et tonsuris* paganorum, Judaeorum et Christianorum ll. 2, ib. 1625. Hisce tamen operibus deest judicium criticum. Ipsius non est opus inscriptum (Henr. Lancillotto tribuendum) *Paralleli LXXIII Augustini romano-catholici et Augustino-mastigis haeretici,* quibus orthodoxa d. Augustini et novella sectariorum doctrina ac fides ex diametro opponitur, ib. 1618 in 8. — Ejus sodalis Nicolaus Crusenius Trajectensis, visitator apostolicus ord. praemonstratensis per Flandriam, commissarius generalis per Bavariam, visitator per Bohemiam, Austriam et Styriam, Ferdinando II. a consiliis et historiographus caesareus († 10. Nov. 1629), composuit *Monasticon augustinianum,* in quo omnium ord. sub d. Augustini regula militantium, praecipue tamen eremitarum, can. praemonstratensium, Dominicanorum, Servorum b. M. V., Hieronymianorum, Ambrosianorum, Crucigerorum, Trinitariorum, Guilelmitarum, Brigittinorum aliorumque fere 50 origines et incrementa explicantur, in 3 pp. divisum, in quarum 1. agit de fundatione ord. augustiniani; in 2. de dispersione, in 3. de collectione ac restauratione; Monachii 1623 in f., opus rarum, eruditum, cui tamen deest judicium criticum. — De eodem ordine meruit Joannes Marquez O. S. Aug. Toletanus, primariae cathedrae theologicae in academia salmanticensi moderator, regius ecclesiastes, vir plane eloquens et admodum excultus, plurium operum auctor († 16. Jan. 1621), in op. *Origen de los PP. Eremitannos de S. Augustin* y su verdadera institucion antes del gran Concilio Lateranense, Salmanticae 1618 in f., quem l. impugnavit Gabr. Pennottus, defendit Fr. Bivarius et

Th. Herera. *El Gobernador Christiano deducido de la vidas de Moysen y Josue* etc., Salmanticae 1612; 1619; Pampelonae 1615; Bruxellis 1664 et saepe alibi. — Felix Milensius O. S. Aug., Neapolitanus, vicarius erat generalis et visitator apostolicus ordinis per Germaniam. Interfuit[1]) comitiis ratisbonensibus (1608) et vixit adhuc a. 1633. Concinnavit Alphabetum *de monachis et monasteriis* Germaniae ac Sarmaticae citerioris O. Eremit. S. Aug., Pragae 1613 in 4., opus rarum. Alia reliquit opera (cf. Ossinger p. 590), inter quae *de quantitate hostiae* contra errorem Oswaldi l., in quo historia seefeldensis de admirabili sacramento explicatur, Pragae 1604 in 4. — Joannes de Grijalva (Gryalva, Grixalva) O. S. Aug. natione Hispanus, diu rexit conventum mexicanum, scripsitque *Cronica de la orden de N. P. S. Augustin* en las provincias de la Nueva España en quatro edades desde el año de 1533 hasta el de 1592, Mexico 1624, opus rarissimum (venditum pro frcs. 1000). — Antonius de la Calancha (Calasche) O. S. Aug. patria Peruanus, Limae professor et prior conventus truxillensis scripsit *Chronica moralizata* del O. de S. Aug. en el Peru, Barcelon 1638 in f. opus rarissimum (m. 250), summique momenti pro historia ecclesiastica et civili regni peruani, cui P. Cordova 1653 alterum adjecit t. *De Certitudine immaculatae V. Mariae conceptionis,* Limae 1629.

351. Joannes Lopez O. S. Dom. natione Aragonus e Borja civitate ortus n. 1524, vir fuit pietate singulari et eruditione clarior quam dignitate vel muniis. A Philippo II. electus episcopus cotonensis (1595), inde translatus est a Clemente VIII. (1598) ad ecclesiam monopolitanam in Apulia, a qua tamen post decennium missionem ob provectam aetatem impetravit a Paulo V. Vixit usque ad a. 1632. quo decessit pius senex a. aetatis 108. Composuit Tercera parte *de la historia general de s. Domingo* y de su orden de Predicadores, Pinciae 1613, cui pp. adjecit 4. 5. et 6, quae complectitur Historia de los santos canonizados y beatificados de la orden de Predicadores, ib. 1615—22 in f. P. 1. et 2. scripserat Ferd. de Castillo († 1593) Matriti 1584—92. Collegit quoque *epitomen SS. PP.* per locos communes, qui ad virtutum et vitiorum tractationem et ad fidei nostrae mysteriorum expositionem pertinent et ad sacras conciones[1]) etc., Romae 1596 t. 4 in f.; Venetiis 1605 t. 5 in 3 v. etc. — Augustinus de Witte O. Min. Bruxellensis ad literas redegit *Genealogiam* amplissimam s. Francisci, in qua omnes scil. viros sanctitate, dignitate, virtute vel doctrina illustres per suos annos recensuit, Bruxellis 1627. Hausit suas notitias ex B. Pisani l. conformitatum, ex Marci olisip. chronico, P. Rodulfi historia seraphica, Fr. Gonzagae Historia ser. religionis, Waddingo etc. *Origines et descriptiones conventuum* provinciae inf. Germaniae tam fratrum quam sororum, Antwerpiae 1629 in 4. — Jacobus Polius O. Min. strict. obs. Marcoduranus (Düren), guardianus oppenheimensis, provinciae coloniensis Diffinitor, provinciae Thuringiae visi-

[1]) Piper Röm. Qtlschr. V (1891), 54—61: 151—158.

[1]) Alius ab eo est Didacus Lopez Ulisiponensis O. S. Aug. insignis ecclesiastes, hydruntinus episcopus († 7. Jun. 1635), cujus prodierunt Tr. *sobre los Evangelios* de la Quaresma, Matriti 1615. 1617 t. 2 in 4; Pampelonae 1620: sobre los Evangelios que se dicen *en las festividades de los Santos*, Matriti 1622. — Alius quoque est Didacus Lopez S. J. Lusitanus in academia eborensi primarius theologiae professor et academiae cancellarius († 1649), qui scripsit *Harmoniam Scripturae divinae* emodulans actiones laudabiles vel vituperabiles virorum et feminarum A. aut N. T. relatas, expositas ad mores a XXIV doctoribus per sonos alphabetico ordine dispositos etc., Ulyssipone 1646 in f.; Lugduni 1646.

tator composuit *Chronicam prov. coloniensis* ex monumentis undique collectis, Coloniae 1618; *Epitomen chronologicam* de erectione, progressu et statu coloniensis provinciae, Coloniae 1628; *Historicam descriptionem* s. Mariae Beuricensis supra Treviros, ib. 1640; ... *s. montis Calvariae* prope Arcocileram, ib. 1640; ... *s. Montis Pessulani* ad Rhenum, Moguntiae 1646; *b. Virginis in Bethleem* prope Berchheim, Coloniae 1646. Scripsit et *Exegeticon historicum s. Annae* Coloniae 1640; *Historia ss. Joachim et Annae,* Herbipoli 1652, libellus ideo mentione dignus, quia meminit indulgentiae concessae[1]) a Thoma (Ruscher) episcopo auxiliari moguntino († 8. Aug. 1510) pro quibusdam orationibus in honorem immaculatae conceptionis b. M. V. etc. — Joannes de s. Maria O. S. Franc. Excalc. in aula regia admodum acceptus composuit *Cronica de la Provincia de S. Joseph de los Descalzos* de la orden de los Menores de S. Francisco y de las provincias y custodias, que dellas han salido, Matriti 1615—18 t. 2 in f., opus valde rarum. Ex hujus chronici p. 1. l. 1 c. 12—31 hauserunt Acta SS. *vitam Petri de Alcantara*, quae latine reddita ib. legitur 19. Oct. VIII, 657—700. Eam Bollandistae magni faciunt, quod auctor noster s. Petro coaevus haberi possit, vir esset gravis, sanctus et doctus atque muneribus, quae gessit et recusavit, praeclarus, et quia ex opere spiritus s. Petri perfectissime elucet. Eam praeferunt ejusdem vitae prolixiori inscriptae: *Vida y excellentes virtudes* y milagros del S. Fr. P. de Alcantara, Matriti 1629. Alia ejusdem opera sunt: *Relacion del Martyrio* que seis Padres descalzos Franciscanos, tres hermanos de la Compañia y diez y siete Japones Christianos padecieron en Japon, Matriti 1601; 1628, quae latine concepta Romae 1599 primum edita fuit, ut videtur, cum additionibus Fr. Peña. Ejus Tr. *de Republica y Policia Christiana* para Reyes y Principes y para los que en el gobierno tienen sus veces, ad Philippum III., Matriti 1615; Barcinone 1616. 1618, admodum placuit vel Paulo V., qui illum una atque altera vice magna cum voluptate percurrit, hinc saepe fuit editus et brevi omnium fere Europae populorum lingua donatus. Obiit auctor noster 1622. — Lucas de Montoya O. Minim. Matritensis populari sermone scripsit *Cronica general* de la orden de los Minimos de s. Fr. de Paula, Matriti 1619. — Ex eodem ordine Franciscus Lanovius collegit *chronicon generale O. Minimorum*, acta s. Francisci a Paula et successorum generalium capitula, conventuum origines, viri illustres, tres priores regulae, quae necdum prodierant, bullarium ab a. 1416 —1627, Lutetiae 1635 in f., opus rarum (m. 80).

352. Cherubinus Mirtius Trevirensis Sublaci ordinem s. Benedicti est ingressus atque vota professus 13. Oct. 1592. Decanus bisque tironum spiritualis magister est constitutus atque 1631 abbas titularis decessit. *Chronicum sublacense* ex vetere renovatum, emendatum et auctum concinnavit 1628, quod demum Petrus Crostarosa Romae 1885 typis dedit. Antea jam collegerat ex archivio utile (sed ineditum) *Bullarium Sublacense*[1]). — Fridericus Planck O. S. Ben. Landshutanus, prior monasterii anhusani († 1634), hujus *Annales* collegit, quod cum Itinerario suo prodiit 1791 in Placidi Braun Notitia, hist. lit. t. I. — Sigmundus Dullinger O. S. Ben. abbas monasterii seonensis vir admodum eruditus et industrius sui monasterii scripsit chronicon seu *descriptionem,* quam edidit Carolus Stengel Augustae 1620. Reliquit et dis. inscriptam *Trithemius sui ipsius vindex,* qua eum vindicat a magiae ca-

[1]) Cf. Katholik XXXI (1905), 319 s.

[1]) Cf. Ehses Pastor bonus XIV (1901 —2), 423 s.

lumnia ei impacta ob suam Steganographiam (cf. II[3], 1168). Obiit 28. Oct. 1634. — Clemens Rayner O. S. Ben. auctor est op. *Apostolatus Benedictinorum* in Anglia seu disceptatio historica de antiquitate ord. Bened. nigrorum in regno Angliae. Accedunt concord. regul. s. Dunstani et statuta monast. Lanfranci, Duaci 1626 (m. 66). — Marcus Antonius Scipio O. S. Ben. Placentinus edidit *Elogia omnium abbatum* sacri monasterii casinensis, Neapoli 1630; castigata et aucta 1643, »opus insigne, non quidem puerilibus nugis refertum, inquit Ziegelbauer hist. lit. O. S. Ben. IV, 567, ut plurimum ea tempestate elogia solebant esse, sed historica majestate et pulcherrimo elocutionis ornatu contextum.« *Elogia* in centum heroas O. S. Ben., Placentiae 1643, opus pariter commendatione dignum. — Ignatius Firminus de Hibero O. Cist. Durandum apud Complutenses interpretabatur lauream que theologis solemnem tulerat, cum a Philippo II. renunciatus est in perpetuum Fiteri, quod celebre est Navarrorum coenobium, abbas. De ordinis sui historia sollicitus Bernardum Villalpandum sodalem expensis suis per omnia Galliae monasteria circummisit, ut hunc in finem colligeret monumenta. Edidit *Exordium minus* (ut vocant) O. Cist. pluribus locis auctum et notis illustratum, Fiteri 1610; *Exordia s. O. Cist.* alterum a s. Roberto, s. Alberico et s. Stephano pridem ejusdem ord. fundatoribus ante 500 a., alterum ante a. 400 ab anonymo hactenus monacho claravallensi, sed revera a s. Helinando accurate conscripta, Pampelonae 1621 (juxta N. Antonium 1631), opus admodum rarum. — In Studien und Mittheil. aus dem Ben.- und Cist.-O. XXII (1901), 418—27 et 599—610 prodiit cura B. Bretholz Moraviae archivario *Tabula omnium monasteriorum s. O. Cist.* conscripta per fratrem Joannem Rozanensem olim professum coronoviensem, nunc vero obedientiae vinculo monasterio welegradensi adstrictum († 13. Dec. 1621). Adjecerat seriem abbatum welegradensium (ineditam). — Simeon Eustachius Kapihorsky Kuttenbergae in Bohemia sub finem sec. XVI. natus ordinem cisterciensem est ingressus a. 1616. Missionarii munus in districtu curimensi gessit et in decanum urbis Curimae fuit promotus ejusdemque senatum populumque ad fidem reduxit avitam (1627). Factus dein est decanus chlumecensis (1630). In coenobium revocatus ejusdem administratorem egit. Quo anno obierit, non liquet. Scripsit *historiam* monasterii sui sedlecensis ab ejusdem origine a. 1143—1628 secundum abbatum successionem, sed merito historicis res patrias universaliter pertractantibus accenseri potest. Prodiit l. (rarus) Pragae 1630 in f. Jure autem notatur, quod nimis aperte, forte calumniose, absque necessitate male gesta *abbatum fratrumque* detegat, adeo ut ea historia videatur opus apostatae sedlecensis vel hominis haeresi infecti[1]). — Joannes Dressel O. Cist. abbas ebracensis († 5. Apr. 1637) concinnavit *Diarium,* in quo sui monasterii fata narrat tempore tristissimi belli tricennarii (ab a. 1631—35), quod primum coepit edere Fr. Hüttner in Studien u. Mittheil. aus dem Ben.- u. Cist. Orden XXVI (1905), 76 ss.

353. Christophorus Besoldus Tubingensis n. 1577, in patria academia juris professor magnae auctoritatis, diuturno et diligenti s. Scripturae et operum ss. patrum studio, lectione piorum librorum, in primis libelli de imitatione Christi, et familiari conversatione cum sacerdotibus catholicis veritatem agnovit fidei catholicae, quam etiam est amplexus (1630), suaeque conversionis rationem reddidit in op.: *Christlich und erhebliche Motiven,* warumb Chr. Bessold . . . vornehmblich da-

[1]) Balbinus Boh. doctae II, 93.

für gehalten, daß der Recht u. Einig Seligmachende Glaub, allein in der Röm. Cath. Kirchen anzutreffen etc., Ingolstadii 1637. 1639. 1642; iterum ob suum pretium et utilitatem Augustae 1828. Ingolstadium vocatus docuit jus romanum, dumque ageretur de eo promovendo ad cathedram in celeberrima universitate bononiensi, decessit 15. Sept. 1638. Innumera edidit vel reliquit scripta (ad 92); pleraque spectant jus[1]): hic vero nominandus est propter haec opera: *Prodromus* vindiciarum ecclesiarum Würtembergicarum, 1636: *documenta rediviva monasteriorum praecipuorum* in ducatu wirtenbergio sitorum, Tübingae 1636 in 4; *virginum sacrarum monimenta* in principum würtembergicorum ergastulo literario injuste detenta, Tubingae 1636; *Synopsis rerum ab o. c. gestarum,* Argentorati 1626 in 12. *Historia urbis et regni hierosolymitani,* regum item siculorum, Argentorati 1636 etc. — Petrus Grisius (le Gris) can. reg. Suessionensis praeter *chronicon* breve abbatialis canoniae s. Joannis, Suessione 1617 in 8; Parisiis 1628 ed. 3. aucta, scripsit historiam *de clericis regularibus,* ib. 1620; et *historiam clericatus et monachatus* seu omnium ordinum religiosorum, ib. 1634 in 8. — Franciscus d'Oresmieux CR. Atrebatensis, abbas s. Eligii prope Atrebatum († 29. Oct. 1639) scripsit *vitam s. Vindiciani ep.* Cameracensis et atrebatensis, necnon et *chronicon abbatum* et virorum illustrium monasterii s. Eligii et prioratuum annexorum, in Act. SS. 11. Mart. II, 75—84. — Petrus a Beeck praepositus s. Adalberti Aquisgrani († 1624) in op. *Aquisgranum* sive historica narratio de regiae S. R. I. et coronationis regum Rom. sedis Aquensis civitatis origine ac processu, 1620, plus praebet quam inscriptio innuit: nam erudite stilo tamen obscuro narrat fundationem ecclesiarum, monasteriorum etc. civitatis. Disserit de Carolo M., de consiliis et comitiis ibidem habitis, de motibus et turbis religionis occasione excitatis, et quidem ex optimis fontibus, qui jam anno 1656 tristi incendio perierunt[1]). — Hieronymus Marullus Consentinus eques O. S. Joan. hieros. narrat *Vite de' gran maestri* della s. religione di s. Giovanni Gieros., Neapoli 1636. — Petrus Lopez de Altuna O. SS. Trin. reliquit Primera parte *de la cronica general* del Orden de la ss. Trinidad, Segoviae 1637 in f. — Bernardinus a s. Antonio O. Red. SS. Trin. Olisiponensis, qui simul atque iterum suae praefuit provinciae († 5. Jul. 1638) exhibet *Epitomen* generalium redemptionum captivorum, quae a fratribus O. SS. Trin. sunt factae, Olisipone 1625. Descripsit quoque lingua vernacula vitam plurium sodalium scriptorum. — Joannes Baptista Tufo O. Cler. reg. Theat. Aversanus dictus est a Sixto Acerrarum episcopus a. 1587. In episcopatu nihil industriae studiique praetermisit, quo muneri ad unguem responderet. Cum Philippus II. cogitaret de eo promovendo ad sedem archiepiscopalem hydruntinam (Otranto), recusavit hunc honorem, imo renunciavit sedi suae (1603) decessitque Neapoli 13. Jun. 1622. Concinnavit *Historia della Religione de' PP. Cherici Regolari,* in cui si contiene la Fondazione e progresso di Lei a quest' a. 1609, Romae 1609 in f., cui adjecit ib. 1616 *Supplemento* in f. Ea tamen non plene satisfecit sodalium votis, quod non esset satis integra. — Joannes Wielewicki S. J. Polonus († 24. Jul. 1639) collegit *Historicum diarium* domus professae cracoviensis S. J. ab a. 1579—1637, quod prodiit Cracoviae inter Script. rer. pol. Cracoviae 1881—89 t. VII—XIV. — His adde Augustinum Brunum O. Min.

[1]) Cf. Raess V, 310—27; Niceron XXI, 226—37; Jugler Beitr. zur juristischen Biogr. I, 85—125; Kirchenl. II, 526.

[1]) Cf. Haagen Allg. d. Biogr. II, 243 s.

Sicilianum, coenobii hierosolymitani custodem († 1623), qui scripsit *Peregrinaggio* di Terra santa utilissimo per quelle Persone, che non ci son stati mai, Panormi 1622. — Jacobum Faucquenberghe capellanum s. Petri Leodii, cujus est *Le tressaint et tres devote voyage de Jerusalem* faict descript et mis en 4 livres, 1612. — Etiam Joannes Van der Linden O. S. Alex. († 26. Febr. 1638) descripsit lingua patria iter suum hierosolymitanum, quod suo tempore vulgatissimum factum est et vicies saltem prodiit, Antverpiae 1644 etc. — Necnon et Franciscus a Secli O. Min. theologiae lector et suae provinciae minister in *Viaggio di Gerusalemme,* Lecco 1638, quo in op. distinctam exhibet perfectamque notitiam locorum ss. et descriptionem regionum Syriae et Palaestinae brevemque tr. de ritibus, erroribus et moribus quarundam nationum infidelium et schismaticarum etc.

354. Sanctorum gesta[1]) enarravit Heribertus Rosweidus S. J. Ultrajectinus (n. 21. Jan. 1569), auctor eruditus et elegans, vir judicio acer, stilo robustus, omnibus disciplinis et doctrinis politus ac perfectus[2]). Jam a prima adolescentia quaedam in eo semina apparuerunt, quae indicarent, quantus olim futurus esset in eruenda antiquitate ecclesiastica, praesertim in vitis sanctorum ab oblivione vindicandis. Nam Duaci cum philosophiae navaret operam, quibus diebus commilitones ambulatione se relaxabant, ipse ad vicina monasteria evolabat, atque mss. codices diligenter scrutabatur. Philosophiam et ss. literas Duaci et Antwerpiae professus est, sed missione impetrata animum ad scribendum appulit, plerasque Belgii bibliothecas lustravit excussitque. Morbum contraxit apud hominem morbo contagioso laborantem, quem continuatis per totam noctem excubiis ad bonam mortem praeparaverat, illique succubuit 4. Oct. 1629 a. aetatis 60. Praeter alia haec ejus opera[1]): *Fasti sanctorum*, quorum vitae in belgicis bibliothecis mss., item *acta praesidialia ss. martyrum Tharaci, Probi et Andronici* nunc primum integre edita, Antwerpiae 1607 in 8. Hoc in opere adumbrat magnam Sanctorum historiam, quam in 19 t. distribuendam mente conceperat, simulque illius specimen praebet: verum illam exsequendam morte praeventus Bollando aliisque reliquit sociis. Quam adumbrationem et specimen cum legisset Bellarminus, quaesivit, qua aetate is esset, qui ista promitteret. Ubi didicit jam annos fere 40 habere, sciscitatus est, an esset ei exploratum, se ad 200 annos esse victurum. Neque enim, inquit, minori spatio temporis ab homine uno res tanta perfici pro dignitate potest. *Martyrologium romanum* ad novam Kalendarii rationem et historiae ecclesiasticae veritatem restitutum Gregorii XIII. jussu (a Baronio) editum . . . Novissimae et correctissimae huic editioni seorsim accedit *vetus romanum martyrologium* a cardinale Baronio desideratum unacum *martyrologio Adonis* ad mss. exemplaria recensitum, Antwerpiae 1613 in f. Seorsim etiam prodiit Antwerpiae 1613. Censuit Rosweidus, hoc esse vetus illud martyrologium, cujus jam meminit Gregorius M. ep. ad Eulogium alex. Quam

---

[1]) *Theatrum crudelitatum haereticorum* describit Antverpiae 1587; 1588 Richardus Verstegan Londinensis, poeta et antiquarius, laicus, qui propter fidem Antverpiam transiit, solicitusque fuit pro versione et diffusione librorum catholicorum per Angliam (cf. Gillow V, 566 ss.). Opere illo gravem incurrit Elisabethae iram, qua agente aliquamdiu a Galliae rege in carcerem fuit conjectus. Decessisse traditur c. a. 1636 a. aetatis 87.

[2]) Bollandus in praef. gen. in vitas SS. c. 1 § 6.

[1]) Cf. Sotvellus p. 334; Sommervogel VII, 190 ss.; Acta SS. Jan. I praef. § 6; A. Weis allg. d. Bi. XXIX, 281 ss.

opinionem acerrime impugnarunt Henricus Valesius, Fronto, Beck, mitius Florentini. Secundum Bollandum illud est tantum ejusdem epitome, secundum Sollier delineatio martyrologii Adonis. Alia editio prodiit cura Dominici Giorgi Romae 1745 in f. annotationibus illustrata[1]). *Vitae patrum.* De vita et verbis seniorum sive historiae eremiticae ll. 10 auctoribus suis et nitori pristino restituti ac notationibus illustrati, ib. 1615 in f.; 1628; in Migne B. L. LXXIII. LXXIV, opus doctum et egregium; Lugduni 1617 in lingua vulgari; *Joannis Moschi pratum spirituale* cum notis, Antwerpiae 1615 in f.; D. Eucherii episcopi lugd. *de contemptu mundi* ep. paraenetica ad Valerianum cognatum; ib. 1612 in 12; *d. Eucherii de laude eremi* ad Hilarium lerinensem monachum libellus; ib. cum notis 1621 in 12; *d. Pauli Nolani opera*[2]) . . . accedunt notae amoebaeae Frontonis Duaci et vita ejusdem auctore Fr. Sacchini, ib. 1622 in 8. Lingua vernacula scripsit *historiam ecclesiasticam a Christo ad Urbanum VIII.* cum speciali historia ecclesiae belgicae, ib. 1623 v. 2 in f.; *vitas sanctorum,* ib. 1619 v. 2 in f.; auctiores 1629; 1641; praeterea contra Casaubonum pro Baronio, contra Jacobum Capellum, et dissertationem (latine) *de fide servanda haereticis* ex decreto concilii constantiensis, in qua quae de Huso historia est, excutitur, ib. 1610 in 8. Reliquit et alia opuscula polemica, pluribus scriptis stetit pro Thoma a Kempis vero l. de imitatione Christi auctore.

355. Diligentes hagiographi pariter fuere duo alii. Philippus Ferrari Alexandrinus O. Serv. b. M. V., qui morum probitate atque insigni eruditione[1]) summam in suo ordine praefecturam (1604. 1606. 1624) promeruit († 1626). Ex ejus operibus[2]) huc spectant *Topographia in martyrologium romanum,* in qua loca omnia in martyrologio memorata describuntur, et sancti, qui in iis floruerunt, subjiciuntur et multa adjiciuntur, Venetiis 1609 in 4; *Catalogus sanctorum Italiae,* Mediolani 1613 in 4; *catalogus generalis sanctorum,* qui in martyrologio romano non sunt, Romae 1625 etc. — Alter est Matthaeus Raderus S. J. Tirolensis, patria Inichingensis (1561—1634) doctissimis id aetatis viris Justo Lipsio, Martino Delrio, Welsero aliisque etiam a fide vera alienis propter eruditionem admirandus[3]). Ejus sunt praeter alia[4]): *Bavaria sancta,* Monachii 1615, 1624, 1627 t. 3 in f.: iterum Dilingae et Augustae 1704, opus praestans vel a Leibnitio collaudatum; *Bavaria pia,* Monachii 1628 in f.; Dilingae et Augustae 1704, opus utrumque rarum (m. 60), complectens 178 sanctorum et 32 beatorum vitas; *Viridarii sanctorum partes 3* ex latinis, italicis, graecis depromptae, Monachii 1614; *s. Joannis Climaci l. ad religiosum pastorem,* qui est de officio coenobiarchae, ib. 1614

[1]) Cf. plura in Sollerii praef. ad Usuardum c. 2; Rossi Roma Sotter. II p. XXVII ss.

[2]) Le Brun in praef. suae edit. „Quintam ... editionem a. 1622 Antwerpiae curavit et typis plantinianis commisit Herib. Rosweydus S. J. vir pius et eruditus: sed tot occupationibus implicatus, ut cum tempus non sufficeret, aliorum saepe studiis uti cogeretur et succedaneam dumtaxat imponeret manum.“

[1]) Posita fuit ipsi in celeberrima ambrosiana bibliotheca imago tamquam viro praestantissimo ac de re literaria optime merito. Cf. Merkel, speculum virtutis et scientiae O. Serv. B. M. V.

[2]) Tiraboschi l. c. l. 2. c. 1. § 16: „In esse si vorrebbe dagli eruditi una più avveduta critica e un più rigoroso discernimento.“

[3]) Cf. Sotvellus p. 596. Inter plurimos discipulos tres eminebant, de quibus ita carmine pangit:

„Tres ego discipulos numero de mille trecentis:
Stengelium lepidum, Drexeliumque pium,
Atque Bidermannum, qui nunc est alter Aquinas,
alter Aristoteles, Tullius atque Maro.“

[4]) Cf. Veith bibl. aug. V, 139 ss.; Sommervogel VI, 1371—82.

in 8; postmodum *opera omnia,* Lutetiae Parisiorum 1633 in f.; *Chronicon alexandrinum* (vulgo paschale) idemque astronomicum et ecclesiasticum a Sigonio, Panvinio aliisque passim laudatum partimque graece editum, nunc integrum graece cum latina interpretatione vulgatum, ib. 1615 in 4; Coloniae 1618; *Petri Siculi historia Manichaeorum* seu Paulicianorum ex ms. cod. bibl. vatic. graece cum latina versione, Ingolstadii 1604 in 4; *Acta sacros. et oecumenici concilii VIII. constantinop. IV.* nunc primum ex mss. cod. graece cum latina interpretatione edita notisque passim illustrata, ib. 1604 in 4, recepta in concil. collectionem Labbei et Cossartii.

356. Alii hagiologi[1]) sunt Thomas Messingham, cujus exstat *florilegium insulae sanctorum* seu vitae et acta sanctorum Hiberniae, quibus accesserunt non vulgaria monumenta h. e. s. Patritii purgatorium, s. Malachiae prophetia de summis pontificibus aliaque nonnulla, Parisiis 1624 in f. (m. 60). — Sed de Hiberniae sanctis plurimum soliciti erant H. Ward et Christophorus Fleming O. S. Franc. Hibernus n. 17. Apr. 1599. Hic in collegio Hibernorum duaceno studiis operam dedit, inde transiit Lovanium (1617) vestemque s. Francisci induit. Hortante P. Ward sodali totum se dedit colligendis monumentis editis et ineditis ad Hiberniam spectantibus. Pragam missus est ad regendum ibidem Hibernorum collegium: mox tamen aufugere est coactus adventantibus Saxonibus, sed fugiens incidit in manus rusticorum calvinistarum, qui eum rosarium recitantem cum Hoar diacono crudeliter interfecerunt. Ejus opera demum Lovanii 1667 prodierunt inscripta: *Collectanea sacra:* quae complectuntur praeter alia veterum scripta vitam et opuscula Columbani Bobbiensis (cf. Nomencl. I, 585 ss.). Vitas sanctorum passim receperunt Bollandistae et Colgan[1]). — Ipse Hugo Ward O. S. Fr. Ultonensis patria Hibernus Waddingi discipulus Lovanii theologiam est professus, sed totus erat illustrandae historiae patriae deditus, atque inter sodales studia historica, hagiographica praesertim, plurimum fovit et promovit. Ipse ostendit ad sec. X. usque Scotiae nomine designatam fuisse Hiberniam, hinc erronee Dempsterum et Camerarium tot viros illustres inter Scotos recensuisse, quibus merito Hibernia gloriatur. Dum instaret colligendis monumentis morte fuit praeventus a. 1635. Ex ejus scriptis prodiit tantum *Acta,* martyrium, liturgia antiqua et patria *s. Rumoldi* (Rombaud, qui fuit sec. VIII. episcopus dubliniensis et Mechliniensium apostolus), Mechliniae 1634; ex recogn. Thom. Sirini Lovanii 1662. Ejus mscr., quibus universam fere Hiberniae historiam illustrat, bene usi sunt Colgan et O'Clery, quorum infra recurret mentio[2]).

357. Joannes Vastorius Suecus, protonotarius apostolicus, canonicus warmiensis et bibliothecarius regius, auctor est op. *Vitis aquilonia* seu vitae sanctorum, qui Skandinaviam ac praesertim regna Gothorum Sueonum olim rebus gestis illustrarunt, Coloniae Agrippinae 1623 in f., opus rarum (m. 60), quo continentur etiam ss. pontificum epistolae in Sueciam datae, quod Ericus Benzelius emendatum et notis illustratum iterum edidit Upsalae 1708. — Henricus Murer O. Carth. in Carthusia ittingensi, Badenae in Argovia n. 2. Mart. 1588 († 28. Febr. 1638), sollicite historiae patriae mo-

[1]) Praetermittimus Antonium Contini congr. Montis Oliv., cujus prodiit *Vita di s. Teresa di Gesù,* Fondatrice etc., Romae 1638.

[1]) Cf. Bellesheim Gesch. der k. Kirche in Irl. p. 693.

[2]) Cf. Bellesheim l. c. III, 692.

numenta conquisivit multaque de ea opera mscr. reliquit. Inter alia collegit *Helvetiam sanctam* d. i. Schweytzerisch oder Eydgenössisch Heyligenbuch, seu Paradisus sanctorum Helvetiiae florum, Lucernae 1648, opus imaginibus illustratum, cui tamen deest accuratio critica. Reliquit multa inedita (24), quae indefessam ejus diligentiam testantur[1]. — Henricus de Vroom notior sub nomine Sedulius O. S. Franc. Clivensis n. 1547, exsul propter Belgicae bella aliquamdiu Oeniponti theologiae lector, provinciae tirolensis O. S. Franc. fundator et primus praepositus, provinciae etiam belgicae bis minister provincialis († 1621), scripsit[2] *historiam seraphicam* vitae bb. P. Francisci As. illustriumque virorum et feminarum, qui ex tribus ejus ordinibus relati sunt inter sanctos, item illustria martyria FF. Min. prov. inferioris Germaniae ab haereticis religionis christianae ergo crudeliter interfectorum, Antwerpiae 1613 in f.; *praescriptiones* adversus haereses Ecclesiam romanam et rom. pontificem impugnantes, ib. 1606, fructus studiorum 25 a.; et *Apologeticum* adversus Alcoranum Franciscanorum (auctore Erasmo Alber) pro libro *conformitatum* auctore Barth. d'Albizzi ib. 1607. Cf. supra II³, 761. — Ejus sodalis Cornelius Thielmans Bruxellensis († 1634) aliquot sanctorum sui ordinis vitam flandrice desripsit, et *acta sociorum s. Francisci* et consororum s. Clarae. Item vitae bb. Pasch. Baylon, Petri de Alcantara, Nic. Factoris, Franc. Titelmanni, Coletae et Joannae Valesiae reginae Franciae, Antwerpiae 1617. — De sacro ordine cisterciensi plurimum meruit Chrysostomus Henriquez O. Cist. Matriti n. 1594. Magna enim sedulitate brevique tempore (decessit enim jam 23. Dec. 1632, anno quod vix credas 39) multa et magna opera fere ordinis sui historiam spectantia edidit[1], inter quae praecipua sunt: *Fasciculus SS. ord. cist.,* Bruxellis 1623 t. 2 in f., quibus continentur ascetarum gesta, ordinis exordium, incrementum, progressus, praecipuarum abbatiarum fundationes, ordinum militarium origines (m. 60); *thesaurus evangelicus* seu de viris sanctitate egregiis congregationis hispanicae; item *relatio illustrium virorum,* quos ordo cisterciensis habuit in Hibernia nostro aevo, Matriti 1619 in 4: *Coronae sacrae ord. Cist.* sive de reginis et infantibus, qui habitum hujus ord. sumpserunt, Bruxellis 1624 in 4; *Sol cisterciensis in Belgio* sive de viris sanctitate illustribus sacrae Villiarensium eremi, ib. 1622 in f. *Bernardus immaculatus* ll. 2 h. e. de ejusdem certa sententia circa Deiparae conceptionem, s. Joannis sanctificationem in utero materno, et animarum beatitudinem ante universalem corporum resurrectionem, ib. 1624 in f.; *Menologium cisterciense* notationibus illustratum; accedunt seorsim regula, constitutiones, privilegia ejusdem ordinis ac congregationum monasticarum et militarium, quae cisterciense institutum observant, Antwerpiae 1630 t. 2 in f. (m. 80): *Phoenix reviviscens* seu ord. cisterciensis scriptorum Angliae et Hispaniae series ll. 2, Bruxellae 1626 in 4 (m. 30). — Albertus Le Grand O. Praed. Armoricus, Morlacensis collegit *Les Vies des Saints de la Bretagne Armorique ;* ensemble un ample catalogue chronologique et historique des Evesques d'icelle . . . Avec les fondations des abbayes, prieurès et monastères, Nannetis 1636; 1659 et 1680 ed. auctae . . . Rennes 1901 ed. 5. emendata et aucta, quae laudem meret[2]. Auctor obiit intra a. 1640—44.

[1]) Cf. Meyer de Knonau Allg. d. Bi. 23, 60.
[2]) Cf. Dirks pag. 132—37; hist.-pol- Bl. CXIII (1894), 425—30.

[1]) Cf. Bibl. hisp. nova I, 253; Visch, qui in bibl. script. S. O. Cist. ad 40 ejusdem op. recenset.
[2]) Cf. Fr. Camenen, qui in Études XC

358. His addantur Joannes Petrus Glussianus (Giussano) Mediolanensis prius medicus et medicinae doctor, qua professione, imo et seculo renunciato, a s. Carolo presbyter fuit ordinatus atque ita sancto archiepiscopo adhaesit, ut integram pene vitam cum ipso transegerit. Mirum igitur non videbitur, si Glussanus sedulus fuerit viri Dei imitator. Sacrum Oblatorum institutum amplexus dignitates omnes, imo et infulas episcopales sibi oblatas constanter recusavit († 1623). Plures reliquit sanctorum vitas[1]), inter quas *Vita di S. Carlo Borromeo* ll. IX stilo eleganti pie et docte concinnata Romae 1610; 1679 in 4; Brixiae 1613; *Risposta a sei quesiti* intorno la s. Messa, Milano 1624; Tr. *della Penitenza,* ib. 1593; *Politica Cristiana* spiegata in X Libri, ib.; *Istoria evangelica*, Venetiis 1601 etc. — P. Merula Parmensis († c. 1630) collegit *Santuario di Cremona,* nel quale si contengono non solo le Vite de' Santi di tutte le Chiese e di quelli, i cui corpi in alcune di esse si riposano, ma anche le Reliquie e cose notabili di ciascuna di esse, quod iterum prodiit Cremonae 1627; *Raccolta de' Cremonesi* in santità insigni[2]), Brescia 1624 ed. forte prior. — Paulus Aemilius Sanctorius archiepiscopus prius consentinus, dein urbinas († 1635) collegit *Acta SS. Petri et Pauli* ex s. Scripturis, Romae 1597 in f. opus admodum rarum stilo elegantissimo concinnatum; in Act. SS. 29. Jun. VII, 2—33. — Plurium sanctorum vitas descripsit Virgilius Cepari S. J. Italus, in universitatibus parmensi et patavina theologiae professor, concionator etiam libenter auditus, in causis sanctorum et beatorum ita bene versatus, ut ejus auctoritas magni fieret a Benedicto XIV († 14. Mart. 1631). Saepe omnino prodierunt et in alias linguas versae sunt: *Vita del b. Luigi Gonzaga,* Romae 1606 etc.; 1862 cur. P. Boero S. J., cui ed. adjecta sunt *scripta* s. Aloysii; *Vita del b. P. Francesco Borgia,* Romae 1624; Monza 1884 t. 2 in 16; *Vita di Giovanni Berchmans,* Romae 1627 etc.; 1865; Prato 1882; *Vita di s. Francesca Romana,* Romae 1645; 1675; *Vita della Serafica V. s. Maria Madelena de' Pazzi* Firentina, Romae 1669. Reliquit et aliquot opuscula ascetica, ut *Della vera e della onesta amicizia,* Plasencia 1630. — Cornelius Curtius O. S. Aug. Belga, provinciae belgicae praepositus, visitator et vicarius generalis provinciarum Austriae et Bavariae, Ferdinandi II. historiographus et consiliarius († 9. Oct. 1638 a. aetatis 48) narrat *vitas ss. Ruperti et Virgilii* antistitum salisburgensium, Ingolstadii 1621; *quinque virginum,* Coloniae 1636; *s. Nicolai de Tolentino* et aliquot beatorum ordinis s. Aug., Antwerpiae 1637; *Elogia* quorundam virorum illustrium O. S. Aug., ib. 1636 cum figuris etc. — Ejus sodalis Georgius Maigret[1]) pariter Belga, Bulloniensis, theologiae doctor provinciae Germaniae inferioris praepositus, definitor et visitator (n. 1573; † 15. Maj. 1633) praeter multa ascetica opuscula concinnavit *Iconographiam Martyrum O. Er. S. Aug.,* quae hujus ord. Martyrum (27) complectitur vitas, Leodii 1620; aucta prodiit inscripta *Martyrographia augustiniana,* Autverpiae 1625 in 12. Prodierat jam gallice cum iconibus Leodii 1612.

359. *Archaeologiam christianam* ex-

(1902), 818—38 fuse hanc novam recenset editionem.

[1]) Cf. Argellati 1, 693—96.

[2]) Cf. Affò Scritt. parmeg. V, 10, ubi plura ejusdem opuscula pia recenset.

[1]) Nepos ejus fuit Athanasius Maigret etiam O. S. Aug. theologiae doctor, quam et in variis docuit conventibus (n. 1608; † 5. Jun. 1686). Scripsit *Les Grandeurs de l' Eucharistie* mises en lumière et demontrées pour confondre les hérétiques, enemis de Dieu et de sa gloire, Leodii 1661 in 12. Cf. de utroque Eug. Duchesne Bibl. nat. de Belg. XIII, 165 ss.

coluerunt nonulli[1]), quorum agmen ducit Antonius Bosio[2]) (Bossius) n. c. 1576, quem non immerito doctissimus archaeologus De Rossi *Romae subterraneae Columbum* appellat: nam vix septem et decem annos natus reperit (1593) magnum coemeterium antiquum, ac deinde primus labore vere herculeo atque sagacitate plane stupenda Christianorum veterum cryptas et coemeteria in terrae visceribus latitantia rimatus est. Quandoque per plures dies integros atque etiam noctes in iis degebat. Ea dein descripsit[3]) in opere *Roma sotterranea*, quam post ejus mortem Joan. Severanus Congr. Orat.

[1]) Quaedam reperiuntur etiam in scriptis Joannis Friderici Mathenesii, qui historiarum et linguae graecae in academia coloniensi fuit professor, collegiatae s. Cuniberti canonicus et parochus, 1607 protonotarius apostolicus. Cum sacramenta peste infectis administraret, caritatis victima occubuit 24. Aug. 1622. Inter alia scripta reperiuntur *de luxu et abusu vestium* nostri temporis discursus XL ex ss. Scripturarum gravissimorumque auctorum fontibus deducti, Coloniae 1612; *Peripateticum christianum* i. e. de processionibus, Coloniae 1619 etc. Cf. Hartzheim bibl. col. p. 171; Merlo allg. d. Bi. XX, 583.

[2]) Cf. Bosii laudes apud De Rossi in op. eruditissimo, quo illius vestigia premens et studia perficiens topographiam, historiam et chronologiam coemeteriorum veterum christianorum describit: *La Roma sotterranea cristiana* Roma 1864 praef. c. 5 ss. et in op. recensione, quae legitur in Civiltà cattolica 1865 v. 1. p. 108 s., hist. pol. Blätter LXVII (1871), 434, ubi dicitur: „Die Roma sotterranea dieses durch Muth, Ausdauer, Gelehrsamkeit und Frömmigkeit ausgezeichneten Mannes war das Ergebnis fast 35jähriger Studien im Innern der Katakomben selbst.“ Dippel KL. II, 1128 s. De continuatoribus hujus operis Aringhi, Bottari etc. suis locis agemus. Cf. Valeri Cenni biografici di A. Bosio, Romae 1900.

[3]) Cf. tamen quod attinet imaginum descriptarum accurationem sagax judicium Jos. Wilpert die Katakombengemälde und ihre alten Copien, Friburgi 1891; hist. pol. Bl. 1898 II, 483, qui notat imagines saepe non esse fideles et veraciter expressas: et tamen tot archaeologos in suis conclusionibus illis inniti.

adjecto l. quarto edidit Romae 1634 in f., latine, pluribus immutatis et omissis non sine operis damno; 1651 et alibi. Immensae fuit eruditionis, prout testantur mss. ingentia volumina, quae modo adhuc Romae in bibliotheca vallicellana asservantur, in quae contulit quidquid ad hoc argumentum spectans legerat sive in codd. mss. sive in eruditorum omnis generis libris[1]). Obiit a. 1629. — Nonnulla ad archaeologiam spectantia reperiuntur in Julii Caesaris Bulenger (Boulenger) per a. 12 S. J. Galli, patria Lodunensis, viri in omnium scientiarum genere versati et eruditi (n. 1558, † 1. Aug. 1628) *opusculorum systemate* Lugduni 1621 v. 2 in f. Priori continentur ll. 3 de instrumento templorum, in quorum 1. agitur de veste pontificum, episcoporum et sacerdotum; in 2. de donariis, in 3. de forma templorum, in quibus difficillima quaeque Anastasii bibliothecarii l. de vitis pontificum continentur, explicantur. Altera p. complectitur ll. de triumpho, de circo romano ludisque circensibus, de theatro et de venatione circi. Alii auctoris ll. plane eruditi spectant potius ad archaeologiam omnis generis profanam. Scripsit[2]) etiam *diatribas* ad Isaaci Casauboni exercitationes adversus Baronium, Lugduni 1617 in 4; *Historiarum sui temporis ll. XIII* (ab a. 1560—1612), Lugduni 1619 in f., et adversus Duplessis Mornay de eucharistia (m. 30). — Josephus Vicecomes (Visconti) Mediolanensis, professor antiquitatum ecclesiasticarum in collegio ambrosiano, card. Friderici Borromaei gratia floruit, vir enim erat

[1]) Ejus avunculus Jacobus Bosius Mediolanensis Ord. eq. melit. scripsit: *Istoria della s. Religione dell' illustriss. milizia di s. Giovanni Gierosolimit. ll. 40*, Romae 1594; iterum 1602. 1621. 1630. 3 v. in f., quae historia ab eruditis aestimata, pertingit ad a. 1571; continuata fuit ad a. 1688, Venetiis 1740 v. 2 in 4.

[2]) Cf. Sommervogel II, 366—372.

doctus et multijugae lectionis scriptor († 1633). Elaboravit: *Observationes ecclesiasticae de antiquis baptismi ritibus ac caeremoniis*, Mediolani 1615 in 4; Parisiis 1618 in 8., quod opus sacra eruditione est refertum veterumque patrum lectioni lumen affert, atque ideo laudatur a Mehrningio[1]), et omnium doctorum collegii ambrosiani suffragiis et consensu receptum fuit. Complectitur ll. 6, quorum in primo agitur de variis baptismi nominibus, baptisteriis, aquae baptismalis consecratione, loco et tempore baptismi, susceptoribus et testibus; in 2. disserit de baptismo infantium, catechizatione baptizandorum, impositione nominis, renunciatione, datione palii, fidei professione, tactu narium, aurium, oculorum et linguae, exorcismo, insufflatione, manus impositione, unctione, signo crucis, salis catechumenorum et verbis *Ingredere, fili;* in 3. de competentibus, poenitentibus, confessione, jejunio, abstinentia ab uxore et balneis, symboli traditione et recitatione, capitis et pedum ablutione, electis et scrutiniis; in 4. de actionibus baptismalibus, speciatim ecclesiae exornatione, pecunia sacerdotibus dari solita, litaniis, forma baptismi, nuditate et mersione baptizandorum, nominum recitatione, precibus et psalmis; in 5. de caeremoniis post baptismum, ut osculo, inunctione, candida veste, mystico sive sacro velamine, calceis, 10 siliquis, cereo, pace, confirmatione seu eucharistiae sumptione, corona capiti imposita, melle et lacte, concione seu sermone, cereis agni coelestis imaginibus, convivio et festo anniversario diei, quo quis baptizatus fuerit[2]). Simili ratione scripsit *de ritibus confirmationis,* Mediolani 1618 (cum praecedenti m. 60); *de antiquis missae ritibus*, ib. 1620 in 4; *de missae apparatu* ib. 1626 in 4, opera rara et cara[1]). — Demum mentio fieri potest Nicolai Alemanni (Alamanni), Anconitani, qui origine Graecus, Romae in collegio Graecorum studuit. Carus exstitit Urbano VIII., factusque est praefectus bibliothecae vaticanae (1614) et archivi castri s. Angeli († 24. Juli 1626). Innotuit pluribus operibus: *Dissertatio de dextrae laevaeque manus praerogativa* ex antiquis pontificum nummis Paulum Petro ap. praeponentibus; *Syntagma de parietinis lateranensibus* a. card. Barberino rēstitutis, Romae 1625 figuris aeneis illustratum; 1756, quo in op. multa antiqua Ecclesiae monumenta evolvit eruditeque expendit: nonnulla tamen majori libertate

---

[1]) Histor. baptism. p. 180. 192. Tiraboschi l. c. § 8. de hoc et reliquis operibus scribit: Opere tutte rimirate tuttora come utilissime per la grande erudizione con cui sono scritte, e per le belle e nuove ricerche, che in esse ci mette inanzi l'illustre autore.

[2]) Fabricius l. c. VI, 195 s. qui ib. p. 514 alterius Vicecomitis, nomine Zachariae O. Barn. pariter Mediolanensis meminit, qui edidit: *Complementum artis exorcisticae,* Venetiis 1600; 1636; Coloniae 1608; 1628 (cum aliis opusculis ejusdem generis); Mediolani 1618; cum litaniis, benedictionibus et doctrinis novis, exorcismis efficacissimis ac remediis copiosis in maleficiatis expertis, in 3 pp. divisum, quarum 1. dicitur doctrinalis, 2. benedictionalis, 3. exorcismalis. Opus tamen prohibitum decreto 7. Jul. 1704.

[1]) Prolixam illorum synopsim exhibet Dupin XVII, 92 ss. quam ita absolvit: „Cet Auteur avoit fait une étude particulière des Rites, et nous a donné là-dessus des choses très-curieuses et fort recherchées tant pour l'Ecclésiastique que pour le Prophane. Il est fâcheux qu'il se soit souvent appuïé pour établir l'antiquité des Cérémonies sur des Monumens supposés ... Ce qui fait qu'il s'est trompé en rapportant à ces premiers temps des Cérémonies qui n'ont été en usage que longtemps après. Il est encor un autre défaut assés commun dans la plûpart des Auteurs qui ont traité des Rites: sçavoir que trouvant une Cérémonie pratiquée, ou un usage établi pendant quelque temps et dans quelques Eglises, il la rapporte comme une coûtume générale de tous les temps et de toutes les Eglises. Au reste il écrit d'un stile qui convient à sa matiere, c'est à dire avec beaucoup de simplicité, de netteté, de méthode et même de pureté.“

quam deceat, scribit, ut censet Mich. a s. Joseph[1]); *Procopii historia arcana*[2]), notis illustrata Lugduni 1623; etiam inter opera Procopii (absque notis), Parisiis 1663; seorsim Colonia 1669.

360. De historia *literaria* praeter Aubertum Miraeum (p. 823), A. Du Chesne (p. 825), Th. Dempster (p. 831), A. Schottum (p. 806) etc. meruerunt Thomas Gratianus O. S. Aug. Leodiensis, provinciae belgicae praepositus († 19. Apr. 1627), qui auctor est. op. *Anastasis Augustiniana*, in qua scriptores O. Erem. s. Aug., qui abhinc seculis aliquot vixerunt una cum neotericis in seriem digesti sunt, Antverpiae 1613 in 8, quam ejus sodalis Petrus Loy († 1658) continuavit: sed continuatio non videtur prodiisse. — Jodocus Mezler O. S. Ben. in monasterio sangallensi natus in oppido Andelsbuch prope lacum brigantinum a. 1574, studiis vacaverat Dillingae et Romae. A suo abbate in pluribus adhibitus fuit negotiis: praefuit et celebri bibliothecae, sagacis enim erat ingenii et in historia sangallensi admodum versatus († 7. Apr. 1639). Reliquit *de viris illustribus s. Galli* ll. 2, quos recepit Pez in thesaurum anecd. novissimum I. 3, 555. Multa reliquit inedita ad historiam spectantia. — Emmanuel Roman Pincianus O. Carm. († 1630) l. Joannis de Carthagena O. Min. (cf. supra p. 396) *de ortu progressu et viris illustribus O. Montis Carm.*, Antverpiae 1620, vertit atque locupletavit: Elucidaciones varias de la *Antigüedad, Dignidad y Escritores illustres* de la orden del Carm. Sequitur El Indice alphabetico de las cosas mas notables de la antigüedad de la O. d. C., Matriti 1624; cum additionibus 1628; 1630.

[1]) Bibliogr. crit. III, 354 ss.

[2]) Cf. Erythraeum Pinac. 1, 70; Siber de Alemannis § 45; Morus bibl. pic. 1, 75—77.

VI. Theologia practica.

361. Hac periodo duo occurrunt pontifices illustres Paulus V. et Gregorius XV., quorum ille antea Camillus Borghese dictus natus est Romae 1550. Juri operam dederat Perusii et Patavii atque aliquandiu advocatum egerat. Factus est vicelegatus bononiensis, a. 1596 creatus cardinalis a Clemente VIII. Munere fungebatur vicarii pontificis Romae atque 16. Maj. 1605 electus est in Leonis XI. successorem. Celebri controversiae de auxiliis finem imposuit silentio utrique parti indicto dataque licentia utramvis sequendi sententiam. Acris orta est controversia inter ipsum et rempublicam venetam, quae plurimis in utramque partem occasionem dedit scriptis aegreque fuit composita. Plures approbavit vel promovit pias congregationes, fovit missiones, urbem aquaeductibus, vaticano porticu aliisque magnificis aedibus ornavit. Decessit[1]) 18. Jan. 1621. — Paulum V. excepit mox 9. Febr. 1621 Alexander Ludovisio Bononiensis, qui voluit Gregorius XV. dici. Sollicitus fuit de missionibus instituta congregatione de propaganda fide, Ignatium Loyolam et Franciscum Xav., Aloysium et Stanislaum Kostka, Theresiam et Philippum Nerium aliosque Sanctorum catalogo inseruit; bibliothecam vaticanam auxit magna librorum copia bibliothecae palatinae sibi dono datae a Maximiliano Bavariae duce post captam Heidelbergam. Industrius admodum fuit, sollers verosque retulit triumphos brevi sui pontificatus duratione, obiit enim jam 8. Jul. 1623. Approbavit reformationem celebris con-

[1]) Cf. Wurm KL. V, 1643 s.

gregationis Maurinae: constituit Conclavis ordinem, qui modo adhuc servatur probavitque suffragationem secretam. Ejus decisiones collegit Oliverius Beltramini († 1624) atque commentario illustratas edidit Venetiis 1623 in f.

362. Romanorum pontificum epistolas decretales collegit edititque Laërtius Cherubini[1]) Spoletanus († 1626), quae collectio dicitur *Bullarium magnum* complectiturque Bullas pontificias a Leone I. ad Sixtum V., Romae 1586; auctum 1617 v. 3 in f. Tertiam editionem, quam inceperat, curavit ejus filius Angelus Maria Cherubini O. S. Ben., quae complectitur bullas Pontificum usque ad Urbanum VIII., Romae 1634 v. 4 in f. — In selectas ss. pontificum constitutiones *epitomen* et *theoremata* elaboravit Joannes Baptista Scortia S. J. Genuensis († 1627), theologiae moralis professor, Lugduni 1625 in 4, cujus etiam exstant *de sacrosancto Missae sacrificio ll. 4*, quibus ex theologica doctrina, canonico civilique jure, rerum gestarum probata narratione et chronologia universa, quae ad tantum mysterium pertinent, explicantur et probatissimis testimoniis confirmantur[2]). Lugduni 1616 in 4. — Petrus Matthaeus advocatus et historiographus Henrici IV. (n. 1563, † 12. Oct. 1621) praeter plura ad recentiorem historiam Galliae spectantia edidit *summam constitutionum pontificalium* seu rerum in Ecclesia romana gestarum a Gregorio IX. ad Sixtum V., Lugduni 1588 in 4; *annotationes* in f. etc. „In epistola ad Sixtum V. praefixa suae summae profitetur meditari se novam collectionem sub titulo *Septimi Decretalium* h. e. continuationis constitutionum a summis pontificibus post Extravagantes editarum a Sixti IV. tempore ad ipsum Sixtum V. Et revera paulo post prodiit *Septimus* ille *decretalium* . . . card. Cajetano dicatus, Francofurti 1590, quem tandem lugdunenses bibliopolae in ed. corporis canonici a. 1622; 1671 post Extravagantes communes collocarunt. Ei operi non modo auctoritas publica deest, sed alia non pauca in eo desiderantur et quantum ad titulum et vel magis quantum ad rem ipsam. Primo enim si Clemens V. collectioni suae titulum illum *Septimi Decretalium* convenire putavit, hic jam non septimus l., sed post additas Extravagantium duas collectiones decimus decretalium dicendus esset. Deinde nec ll. nec titulorum ordinem in prioribus collectionibus servatum tenuit auctor, et novos magno numero titulos inseruit, quorum plerique ad aliquem ex decretalium titulis referri potuissent exemplo aliarum compilationum minorum. Denique si quis accurate cuncta perpendat, facile deprehendet et utilia praetermissa et minus necessaria huic operi fuisse intexta[1]).“ His vitiis addit Gibertus in prolog. p. 1. tit. 24. corp. juris can. longe plura

[1]) Plura de eo cf. ap. Erythraeum Pinac. 3, 361. — Flavius Cherubini confecit Bullarii *compendium*, Lugduni 1624 in 4. — Laurentius Empoli O. S. Aug. († 9. Nov. 1632) ordinis sui procurator generalis collegit ejusdem *Bullarium*, Romae 1628 in f.

[2]) „Opus, inquit Sala (praef. gen. in Bonae op. p. LXXVII) plurima quidem rerum liturgicarum notitia refertum, et eruditis plus saperet, si majori fuisset cum criterio discussum: sua tamen laude non est destituendus auctor, qui fere primus post Durantum brevi methodo singulas missae partes mysticis, historicis ac theologicis observationibus illustrat.“ Defectus autem artis criticae, quam desiderat Sala, cernitur in usu decretalium pseudosidorianarum aliorumque quorundam apocryphorum scriptorum.

[1]) Ita Doujat praenot. canon. l. 4 c. 26 n. 2. 3. Ceterum Romae sub pontificibus Gregorio XIII., Sixto V. et Clemente VIII. a praelatorum congregatione multum laboratum fuit in compilando l. VII. decretalium sed compilatio nunquam prodiit vel edita mox fuit suppressa. Cf. Michael a s. Jos. IV, 141—44; Kober KL. VII, 1890—92.

alia. Ceterum hic liber prohibitus est a congregatione Indicis 18. Jun. 1610, et in recentioribus ed. corporis juris canonici Richter et Friedberg omissus.

363. Plures hac in periodo operam juri canonico navarunt [1]), et quidem in *Gallia* Franciscus Pithou [2]), Petri, de quo p. 299 egimus, frater († 1621 a. aetatis 77), qui operam suam ad juris canonici editionem, cujus ib. meminimus, contulit; ceterum propter alia opera, quae ad theologiam non spectant, notior. — Antonius Fabricius Bleynianus, Delphinas, non juris tantum scientia, sed linguarum, etiam hebraicae, itemque mathematicae disciplinae peritia, religione et aequitate commendatus (1569—1626) scripsit praeter *introductionem* in theoriam et praxin beneficiorum ecclesiasticorum Turoni 1616 in 4. *institutiones theoreticas et practicas,* seu rudimenta juris canonici, quod opus diu post ipsius mortem vulgatum est Valentiae 1660 studio antecessorum valentinensium [3]). — Ambrosius Gaufrerus (le Gaufre), natus in agro cenomanensi a. 1568 post studia Lutetiae peracta, antecessor in academia cadomensi creatus, atque ab episcopo bajocensi magnus ibidem vicarius, officialis item et academiae ipsius vicecancellarius dictus est. Rebus quam honoribus gestis illustrior gloriam sibi comparavit per gloriae fugam, occultandae perinde ac colendae virtutis studiosus. Cum Ecclesiae reique publicae utilissimam per annos ferme 30 operam navasset, obiit 23. Nov. 1635 anno aetatis suae 67. Ejus nepotum cura in lucem exiit *Synopsis Decretalium,* seu ad singulos Gregorianae collectionis titulos methodica omnium juris utriusque mutationum distinctio, quod opus ex commentariis ad institutiones Lancelotti ab eo antea dictatis, magna ex parte depromptum videtur. Desunt sub finem tituli de poenitentiis et remissionibus, de sententia excommunicationis, de verborum significatione et de regulis juris [1]). — His celebrior est Janus sive potius Joannes a Costa (vulgo de Lacoste) Cadurci natus et per quinquennium Cujacii discipulus [2]), qui Cadurci (1593) et dein Tolosae (1598) jus utrumque tanta eruditione ac subtilitate, tamque limato judicio per annos 30 docuit, ut non modo a bituricensi et bononiensi academia expetitus, sed ab ipso summo pontifice ingentibus praemiis oblatoque consiliarii munere Avenionem invitatus sit. Sed eam stationem ut desereret, nonnisi amore patriae adduci potuit, cui restitutus est 1630. Decessit vero 28. Aug. 1637. Multa scripsit in jus praesertim canonicum: selecta tantum quaedam (docta et solida) opera in lucem emissa sunt studio Francisci de Launay, scil. *in decretales Gregorii IX.* (non omnes, sed selectos) summaria et commentarii, Parisiis 1676 in 4; Lipsiae 1778 t. 2 in 4. *Historia originis et progressus redituum ecclesia-*

---

1) Praetermittimus Matthaeum Marechal, qui disseruit *de patronatu* — Andream Lipski a Lipe Polonum, qui decessit episcopus cracoviensis a. 1631, de quo cf. Schulte III, 771.

2) Refert Mabillon de studiis monast. p. 2 c. 6 de eo: „Quondam D. Fr. Pithoeus testatus est P. Sirmondo, catholicam religionem se fuisse amplexatum evolvendo veteres Ecclesiae patres, et praesertim Vincentium Lirinensem adversus haereses, cum adhuc Genevae ac Heidelbergae moraretur, et solitum fuisse reliquis religionis protestantium sectariis caecitatem ac pervicaciam exprobrare, ipsis objiciendo praefatum Vincentii lirinensis opusculum.“ Id constat ex vita Petri Pithoei.

3) Cf. Doujat, praenot. canon. V, 9.

1) Doujat l. c.

2) Distingui hic debet a Joanne Costa patria Aragonensi, qui Caesaraugustae edidit 1591 l. *de conscribenda rerum historia,* opus aestimatum ab eruditis, quod continet brevissima et absoluta praecepta. „Vir erat, inquit Antonius I, 680, non solum humanioris totius literaturae, sed et utriusque juris eximie peritus.“

sticorum, italice Venetiis 1768 t. 2, gallice Francofurti 1684.

364. De *re beneficiaria* [1]) scripsit Vincentius Cabot Tolosanus in academia a. 22 professor († 1621 vel 1622) in tr. *de beneficiis* in t. 2. op. Dartis; reliquit etiam *variarum juris publici et privati disputationum* ll. 2, Parisiis 1598, in quibus inter alia de episcoporum electione agit. — Laurentius Bochel (Bouchel) parlamenti parisiensis advocatus magni nominis († 1629; juxta alios 1630) collegit[2]): *La bibliothèque canonique* contenant par ordre alphabétique toutes les matières ecclésiastiques et bénéficiales qui ont été traitées par L. B . . . dans sa somme bénéficiale, à laquelle ont été ajoutés dans le même ordre plusieurs traités, arrêts, réglements, déclarations, ordonnances et notes sur les mêmes matières selon l'usage présent, cura Claudii Blondeau, parlamenti advocati, Parisiis 1689 v. 2 in f. cum aliis ejusdem operibus. — Michael Roussel composuit *historiam pontificiae jurisdictionis* ex antiquo, medio et novo usu juxta ss. patrum et conciliorum decreta et scripta: atque historicorum eccles. et aliorum ex diversis nationibus relationes: adhibita praxi forensi Galliae, Hispaniae et plurimarum orbis christiani gentium etc., Parisiis 1625; 1645, in qua ostendit illius exercitium fere idem esse atque olim: quod tamen opus prohibitum est decr. 4. Febr. 1627. — Guilelmus Bernardon canonicus et vicarius generalis cabillonensis († 15. Aug. 1628) scripsit *de l'indifference* sur le Devoir des Ecclésiastiques et de la Résidence qu'ils doivent aux Charges où ils sont appellés, Lugduni 1622 in 8; *du Concours* et de la Résidence des Curés et de la pluralité des Bénéfices, Parisiis 1625 in 8. — Joannes Baptista Filesac parisiensis Sorbonae doctor et decanus († 27. Maj. 1638) edidit *Paroecia* sive de parochiarum origine necnon de missa parochiali, Parisiis 1608; *de sacra episcoporum auctoritate* [1]), ib. 1606; *de sacrilegio laico commentarius* seu veteris ecclesiae gallicanae querela, ib. 1603, scil. quod laici possideant bona ecclesiastica iisque fruantur; *syntagma de poenitentia*, ib. 1633 in 8; *de idololatria magica*, ib. 1609 in 12; *Selectorum* ll. 6, ib. 1621; 1631 in 4., in quibus agit inter alia de confessionis auricularis usu et praxi apud veteres christianos, de ss. imaginum radiato capite, de funere vespertino; *de prisco et vario ritu observatae* apud christianas gentes *quadragesimae*, ib. 1600; 1614, quae posteriora opera a selecta eru-

---

[1]) De eodem argumento scripserunt ex Hispanis Antonius Quintanadveñas Burgensis, alius ab eo, cujus infra faciemus mentionem, proregum Siciliae consultor, demum senator italicus in aula matritensi († c. a. 1628), *Ecclesiasticon ll. 4*, Salmanticae 1592 in 4., quorum 1. institutiones rei beneficiariae continet; 2. de bonorum Ecclesiae successione et commercio; 3. de clericis absolute ordinandis aut non; 4. de prohibita beneficiorum multitudine disputat (cf. N. Antonius I, 156) — ex Italis Melchior Lotterio advocatus romanus *de re beneficiaria ll. 3*, Romae 1629 t. 2; 1633; Coloniae 1710 in f. etc. — ex germanis Fridericus Martini Hainstadii in Franconia natus, Friburgi in Brisgoja juris canonici interpres et novies rector magnificus († 1630), qui plures reliquit dissertationes.

[2]) Feller II, 5 de ejus operibus dicit: „Ces ouvrages sont dirigés par les bons principes et bien éloignés des fausses maximes qui depuis se sont introduites dans le droit civil et canonique." Ejus tamen *decretorum ecclesiae gallicanae ll. VIII*, Parisiis 1609; 1721, prohibiti fuere decreto 27. Maj. 1614 donec corrigantur.

[1]) *De juribus episcoporum* disseruit 1612 Franciscus Ménard (Meynard) clarus juris interpres Pictavii († 1. Mart. 1623). Operam suam contulit quoque ad opus *La vie de s. Radegonde* jadis reine de France et fondatrice du royal monastère de St. Croix de Poitiers, auctore Chr. Pidoux du Chaillon, Pictavii 1621, Niort 1843 in 12.

ditione commendat Zaccaria[1]). Prodierunt collecta et aucta Parisiis 1614. — Nicolaus Janvier (Januarius) archidiaconus carnotensis edidit l. *Archidiaconus* seu de ipsius jure et officio, Carnoti 1625; *du Clerc tonsuré,* de son institution, privilèges etc., ib. 1622 in 12.

365. Auctores minus probandi, imo reprobandi sunt: In primis Edmundus Richer acerrimus libertatum gallicanarum vindex n. a. 1560 in dioecesi lingoniensi, qui tanto fervore studiis incubuisse fertur, ut horas nonnisi duas sommo dederit. In academia parisiensi docuit primum rhetoricam, philosophiam deinde, demum et theologiam. Facultatis theologicae syndicus electus est 1608, sed propter libellum *de ecclesiastica et politica potestate* (Parisiis 1611 in 4. et saepius deinceps) 1612 a munere fuit submotus. Complectitur enim libellus ille doctrinas admodum noxias, quae non solum subvertunt potestatem ecclesiasticam sed et politicam[2]). Quare damnatus fuit non solum Romae 10. Maj. 1613, sed etiam in Gallia a Du Perron in concilio provinciali 1612. Perversam suam doctrinam retractavit, saltem in articulo mortis, ut evincere nititur Jonrnal de Trevoux fasc. mensis Jan. 1703. Obiit 29. Nov. 1631. Praeter alia haec ejus opera: Edidit Gersonii *opera* in pp. IV distributa, praemissa *Vita Joannis Gersonii* ex ejus operibus collecta, Parisiis 1606 in f. Editioni addita sunt opuscula Petri d'Ailly, Jac. Almain et Jo. Major. *Apologia pro Joan. Gersonio* pro suprema Ecclesiae et concilii generalis auctoritate (scil. etiam supra romanum pontificem) et independentia regiae potestatis ab alio quam a solo Deo adversus scholae parisiensis et ejusdem doctoris christianissimi obtrectatores per E. R. D. T. P. (adversus Bellarminum), Lugduni Batavorum 1676 in 4. Editiones, quae prius in Italia et alibi prodierant, dicuntur mendis scatere. Hujus libri ille de eccles. et politica potestate videtur tantum epitome, pro qua etiam edidit: *Demonstratio l. de ecclesiastica et politica potestate,* cum auctoris testamento, Parisiis 1622 in 4. et alibi (in indice decr. 29. Oct. 1622). Nova illius famosi libelli defensio ex Mss. auctoris prodiit quoque Coloniae 1701 in 4. *Traité des appellations comme d'abus,* s. l. 1763 t. 2 in 12; *Historia conciliorum generalium* in 4 ll. distributa, Coloniae 1680 in 8, in qua nititur ostendere synodos generales, non romanos pontifices, regimen Ecclesiae et legiferam potestatem exercuisse. Damnatus fuit hic l. brevi Innocentii XI. 17. Martii 1681. *Vindiciae doctrinae majorum Scholae pari-*

[1]) Bibl. rit. II, 185; cf. Biogr. univ. 14, 531; Feret IV, 369—76. Cf. de his et aliis passim Schulte t. III.

[2]) „Effectivement, inquit Feller VII, 261, lors de la Révolution de 1789, on vit l'assemblée nationale, composée dans sa partie dominante de richéristes, régler sur le système du vieux syndic toutes ses opérations tant à l'égard de la constitution civile, qu'à l'égard de la constitution ecclésiastique.“ Etiam Schulte III, 577. de eo libello censet: das Büchlein ist von keiner besondern wissenschaftlichen Bedeutung, da es weder Neues enthält, noch neue Stützen für seine Grundsätze liefert; seine Bedeutung liegt in der Wirkung, die es hatte. Contra eum scripserunt Petrus Pelletier, Casauboni amicus et studiorum collega, sed ad fidem catholicam conversus; Claudius Durand, Andreas Duvallius (cf. supra p. 641), Theophrastes Bouju, qui scripsit etiam adversus du Moulin et S. Vigor, ut infra dicemus; Boucherius, Eudaemon Joannes, et posteriori aetate Petavius, Sirmond, Charlas, Faure; de plerisque jam egimus vel agemus. Cf. Genér III, 226 ss.; Puyol Edm. R. Etude historique et critique sur le renouvellement du Gallicanisme au XVII siècle, Parisiis 1876 t. 2 in 8., opus eruditum et utile; Fontana Constit. Unigenitus theol. propugnata, Romae 1721 III, 1143 ss.; Lassberg S. J. KL. X, 1189—92; Feret III, 389—94; qui IV, 1—24 diligenter recenset ejus scripta edita et inedita, deque ejus retractatione diu saltem minus sincera fuse agit.

siensis seu constans et perpetua scholae parisiensis doctrina de auctoritate et infallibilitate Ecclesiae in rebus fidei ac morum contra defensores monarchiae universalis et absolutae curiae romanae, Coloniae 1683 in 4. — Alius gallicanarum libertatum ardens patronus est Simon Vigor illius, cujus supra fecimus mentionem p. 12, cognatus, magni consilii membrum († 29. Febr. 1624), cujus *opera omnia,* Parisiis 1683 t. 4 in 1 v., prohibita fuere decr. 23. Nov. 1683, inter quae sunt: *Ex responsione synodali data Basileae* oratoribus d. Eugenii P. IV. in congr. gen. III. Non. Sept. 1432 de auctoritate cujuslibet conc. gen. supra papam et quoslibet fideles pars praecipua et in eam commentarius, Coloniae (Parisiis) 1613, contra quem l. scripsit Duvallius. Illico respondit Vigor: *Apologia* de suprema Ecclesiae auctoritate, Parisiis 1613, prohib. 16. Mart. 1621; quem l. impugnavit Theophrastes Bouju, regi ab eleemosynis, in op. *Defense pour la hierarchie de l' Eglise* et de N. S. P. le Pape, ib. 1613 sub nomine Beaulieu. Rediit in campum [1]) Vigor edito op.: *De l' estat et gouvernement de l' Eglise* ll. 4, Trecis 1621, quod est versio et editio aucta praecedentis op., proh. 2. Dec. 1622. Scripsit etiam *assertionem fidei catholicae* ex 4 prioribus conc. oecumenicis et aliis synodis celebratis inter tempora praedictorum conc., Parisiis 1618. Tribuitur ipsi et *Historia* eorum, quae acta sunt inter Philippum pulchrum . . . et Bonifacium VIII. ex variis scriptoribus, Parisiis 1613. — Jacobus Lechassier alius parlamenti advocatus († 1625) disseruit *de la liberté ancienne et canonique* de l'église gallicane, Parisiis 1606, et *de ecclesiis suburbicariis,* Francofurti 1618 adversus Jac. Gothofredum.

366. E *belgis* [2]) mentione sunt digni: Erasmus de Surlet Chokier, Leodiensis n. 25. Febr. 1569, advocatus morum probitate, eruditione, juris cognitione clarus, humanitate omnibus carus († 19. Febr. 1625), qui scripsit docte et erudite *de jurisdictione ordinarii in exemptos* deque illorum ab ordinario exemptione, pontificum decretis illustrata, Coloniae 1620 in 4; 1624. 1629 t. 2 in 4; quibus Joannes Petrus Verhorst trevirensis ep. auxiliaris tertium adjecit ib. 1684. — Henricus Zoësius, Amersfortii natus, vir studii indefessi, judicii subacti, in docendo ac praelegendo assiduus, jus civile tredecim annos Lovanii publice est interpretatus, pandectas per octennium praelegit. Decessit rector magnificus 16. Febr. 1627. Post ejus mortem prodierunt breves, sed sagaces et perspicui *commentarii* sive praelectiones ad *decretales Gregorii IX.* sive universum jus canonicum, Lovanii 1647; Coloniae 1657 et saepius deinceps; *additiones,* ib. 1682. — Stephanus Weymsius Ultramosanus juris utriusque interpres Lovanii per annos 50, edidit praelectiones suas sive *analysim ad constitutiones 24 ex antiquo jure desumptas* et per s. concilium tridentinum innovatas, Lovanii 1628 in 4. Decessit Lovanii 25. Jun. 1633 octogenarius, in tota sua vita nunquam tristis, sed semper sibi aequalis idemque. — Honorius van Axel de Seny, Ultrajectensis, civis et advocatus romanus, edidit 1628 *totius juris canonici compendium* sive brevem summam in 5 ll. decretalium concilii tridentini decretis accommodatam, in qua juris canonici primae institutiones seu elementa ita traduntur, ut plurima breviter ac decisive explicentur, et canonum et glossarum ac doctorum receptorum auctoritate communiantur: cui accessit compendiosa praxis bene-

---

[1]) Cf. Reusch II, 359; Genér III, 229; Pfülf KL. XII, 965.

[2]) Joannes Bekaert (Becardus) O. Praem. († 9. Febr. 1635) edidit sub nomine Richardi Brunei *s. Thomae cantuar. et Henrici II. . . . monomachiam* de libertate ecclesiastica cum adjuncto ejusdem argumenti dialogo, Coloniae 1624, qui liber admodum displicuit ministris regiis.

ficaria ex concordatis nationis germanicae cum sede apostolica initis deducta opera Laurentii Nicolarts theologiae doctoris et collegiatae s. Joannis evang. apud Leodium canonici, Coloniae 1630; 1656. — Andreas Vallensis (Delvaux) Andanensis n. 1569, Lovanii canonum professor ordinarius (1621), Zoësii collega, in docendo assiduus, in consulendo ac judicando sincerus, ab animi candore et modestia commendatus († 26. Dec. 1636), opus edidit concinnum, pro schola ac foro utile, cui titulus: *Paratitla sive summaria explicatio decretalium* D. Gregorii Papae IX. decretis conc. tridentini accommodata, Lovanii 1628; 1632; 1640 in 4; Coloniae 1651; 1670 et saepius alibi; optima editio censetur a. 1739. Scripsit quoque de *beneficiis ecclesiasticis ll. 4*, Mechlinii 1646 in 4, opus posthumum editum a suo cognato Andrea Delvaux.

367. In *Hispania* de jure canonico scripserunt: Rodericus de Quesada et Molina juris utriusque doctor, qui edidit *notas* seu indices breves ad regulas, ordinationes et constitutiones cancellariae apostolicae Gregorii XV., Romae 1621 in 12; Coloniae 1697. — Sebastianus Caesar de Meneses Lusitanus, doctor canonum et professor conimbricensis reliquit doctissimam relectionem *de hierarchia ecclesiastica* ad cap. Clerus et ad cap. Perlectis 21. et 25. dist. Conimbricae 1628 in f.; *veritatem harmonicam utriusque Testamenti*, Romae 1631 in 4. — Hieronymus Fernandez de Otero, Bononiae et Neapoli professor, variis in civitatibus judex et inquisitor († 1635), dedit *interpretationes juris pontificii*, Bononiae 1613; diversas *juris quaestiones*, Neapoli 1619. — Hieronymus Venero de Leyva ord. s. Jac. sacerdos, regi a sacris, Gregorii XIII. cubicularius secretus, demum archiepiscopus Montisregalis in Sicilia († 6. Aug. 1628) composuit *examen episcoporum* et eorum qui approbandi sunt ad administranda sacramenta, Panormi 1627; Venetiis 1659. 1679, in quod congessit omnia ex jure canonico, quae episcopum scire oportet. — Felicianus de Vega Peruanus, juris canonici Limae professor, proregibus assessor, archiepiscoporum duorum vicarius generalis, judex adeo integer, ut ex quatuor millibus sententiis quas protulit, nulla unquam a superiore judice fuerit revocata, popajenensis (1631), inde pacensis, demum 1639 nominatus archiepiscopus mexicanus († 1640), reliquit *Relectionum canonicarum* in 2. decr. l. t. 1. ad titulos de judiciis et foro competenti, Limae 1633 in f. — Hieronymus de Zeballos (Caevallos, Cevallos) Escalonae 1560 ortus, advocatus edidit *speculum aureum* opinionum communium contra communes ll. IV, Antwerpiae 1623 in f.; Coloniae 1664; tr. *de cognitione per viam violentiae* in causis ecclesiasticis et inter personas ecclesiasticas, Salmanticae 1613; Antwerpiae 1618 et 1643 in f., utrumque tamen prohibitum: prioris tantum t. IV. decr. 27. Maj. 1614, quod nimis faveat potestati seculari contra Ecclesiae jura; alterum decr. 11. Jun. 1624. — *Relectionem* de casibus sive censuris bullae in coena Domini, Olisipone 1615 in 4. valde raram reliquit Antonius de Sousa O. Pr. Olisiponensis, theologiae professor; ita et opusculum circa Pauli V. const. *de confessariis feminas* ad inhonesta in ipso poenitentiae sacramento *sollicitantibus*, ib. 1623, et *aphorismos inquisitorum ll. 4*, ib. 1630; Lugduni 1669 in 8, quo in l. narrat historiam originis inquisitionis in Lusitania eamque tuetur. — Mauricius de Alcedo (Alzedo), Çantaber, juris canonici doctor et protonotarius apostolicus, disputavit *de excellentia episcopalis dignitatis* deque episcopi functionibus ac potestate in credita sibi Ecclesia regenda, visitanda, administranda, necnon de generalis vicarii auctoritate ac muneribus, Lugduni 1630 in 4, l. prohibitus

,donec corrigatur' 10. Dec. 1631. *Jerusalem captiva* y motivos su destruccion, sucesos y entrega de los Santos Lugares de Palestina a la Serafica religion de S. Francisco, Madrid 1642.

368. Ex *italis* huc referri possunt[1]): Jacobus Antonius Marta, in variis Italiae academiis juris professor (n. 1559, † 1623), qui disputavit *de jurisdictione* per et inter judicem ecclesiasticum et secularem exercenda, Moguntiae 1609 in f.; Avenione 1620; 1679 etc., quo in op. Constantini donationem genuinam esse tuetur, Bellarmini sententiam, pontificem non esse rerum omnium dominum impugnat asserto pontifici amplissimo eoque directo in res omnes et personas dominio. Relatum illud fuit propter opiniones paradoxas 2. Apr. 1610 in ll. prohibitorum indicem. — Julius Sannazari Mediolani juris canonici professor († 1623) edidit *de sponsalibus et matrimonio* seu ad tit. 1. quarti decret. l. interpretationum l., Ticini 1603 in 4. — Marcus Antonius Genuensis, Iserniae episcopus († 1624) egit de bonis Ecclesiae in tr. *de Ecclesia* sive practicabilia ecclesiastica, in quibus quaecunque magis quaeve frequentius in praxi occurrunt ad Ecclesiam pertinentia ex jure canonico, civili ac feudali ... definiuntur, Lugduni 1622; Romae 1629. — *De synodo dioecesana* seu episcopi egit Joannes Antonius Massobre archipresbyter alexandrinus et s. Officii consultor, Romae 1627 in 4. — Joannes Maria Belletti episcopus hieracensis († 24. Febr. 1626) reliquit *dispositiones clericales*, Romae 1654 in f., in quibus agit de dignitate clericali, de conditionibus, vivendi ratione et poenis clericorum. — Blasius Bagni can. reg. ss. Salv. praepositus generalis disseruit *de praecipuis S. R. E. dignitatibus* tr. XVI, Bononiae 1625. — Paulus Squillante protonotarius apostolicus et canonicus neapolitanus *de obligationibus et privilegiis episcoporum*, Neapoli 1629; *de privilegiis clericorum*, ib. 1635 in 4. — Hieronymus de Carate e congregatione Obl. mediolanensis, juris canonici doctor et protonotarius apostolicus disseruit *de juribus parochialibus*, Mediolani 1625; Brixiae 1626 in 8. Reliquit multa manuscripta ad jus canonicum spectantia. — Aloysius Bariola O. S. Aug. Mediolanensis, in ecclesia cathedrali poenitentiarius († 30. Apr. 1628), praeter alia dedit *summarium bullarum s. Officio deservientium*, Mediolani 1620 in 8; *Aphorismata* pro utroque foro, Mediolani 1628. — Hieronymi de Saracenis[1]), au-

[1]) Praetermittimus Horatium Philippum Giovagnoni Bononiensem († 8. Mart. 1624), de quo cf. Fantuzzi IV, 162 — Franciscum Mariam Novarium, de quo cf. Zedler XXIV, 1497 — Marcum Antonium Othelium Utinensem, in academia patavina juris interpretem, qui a discipulis ob insignem mansuetudinem dictus est pater († 1628 a. aetatis 80) — Marcum Antonini Maceratensem (fl. 1630) Fred. Borromaei archiep. mediolanensis vicarium generalem, cujus *variae resolutiones* rerum practicabilium in materia tam civili et canonica quam criminali ll. 3 prodierunt Papiae 1606; Romae 1620; 1629 in f. — Julium Pace (Pacium) Vicetinum, advocatum n. 1555, qui postquam a vera fide defecit et diu extra patriam jus docuit, poenitens rediit ad Ecclesiam (1620). Licet honorifice a republica veneta habitus sit, substitit Valentiae juris civilis professor († 1635). Scripsit tr. *isagogicum in decretales*, Helmstadii 1690; 1720 s. l. Cf. Schulte III, 469. — De Dominico Anfosso canonico genuensi († 1640) cf. Mazzuchelli. — Theodosius Rubeus, Privernas, concinnavit *Horarium ecclesiasticum* universale perpetuum, Romae 1637; 1660 in f.; *Singularia* ex decisionibus Rotae romanae, ib. 1637 in f.; *Discursus* circa rubricam XV. Missalis de hora celebrandi missam, ib. 1634 etc. — Julius Lavorius de Laurino protonotarius apostolicus juris consultissimus edidit *lucubrationum variarum* t. 4 Romae 1628 scil. de conclavi et electione canonica, de comitiis sacris et profanis, de more funerandi.

[1]) Cf. Fantuzzi VII, 317.

ditoris nuncii apostolici coloniensis et juris canonici Banoniae professoris († 2. Jul. 1629) est *assertio ecclesiasticae jurisdictionis* in causis civilibus et profanis contra abusum appellandi a consistoriis ecclesiasticis ad cameram imperialem, Coloniae 1618. – Joannis Antonii Errae (Erri) Bononiensis exstat alphabetica *nomenclatura titulorum utriusque juris* necnon ipsorum concordantiae hic una digestae, Bononiae 1631 in 4. — Lucas Castellinus Aemilius O. Praed. Faventinus „vir magnarum partium, theologus celeber, nec minus in jure canonico praestans, in consiliis dandis promptus, in agendis aeque expeditus“ obiit episcopus catacensis 1631. Ejus sunt praeter tractatum *de electione et confirmatione canonica praelatorum quoruncunque paesertim regularium*, Romae 1625 in f.; tractatus *de certitudine gloriae sanctorum canonizatorum*, ss. Scripturarum, pontificum, conciliorum, ss. patrum, celeberrimorum doctorum monumentis locupletatus, Romae 1628 in f.; *de inquisitione miraculorum in ss. martyrum canonizatione,* ib. 1629 in f.; *de dilatione in longa annorum tempora magni arduique negotii canonizationis sanctorum elucidatorium theologicum*, Neapoli 1630 in 4. — Alexander Pellegrino (Peregrinus) cler. reg. O. Theat. Capuanus de suo ordine benemeritus († 2. Aug. 1634 a. religionis 46) scripsit tr. *de duello,* in quo quidquid ab utroque jure, s. concilio tridentino et a ss. pontificibus de duello sancitum est: praecipue vero const. Clementis VIII. P. M. accuratissime explicatur, Venetiis 1614 in 4; 1619 ed. aucta; *de immunitate ecclesiarum* aliorumque sacrorum locorum quoad personas delinquentes, quae ad illa confugiunt, in quo const. Gregorii P. XIV. super immunitate ecclesiarum praecipue commentariis explicatur, Cremonae 1620; 1621 ed. aucta. — Lauretus de Franchis, episcopus capritanus (1634), dein (1636) minorensis († 25. Nov. 1636), praeter alia scripsit[1]) tractatum *de controversiis inter episcopos et regulares*, Avenione (ubi erat vicarius generalis) 1632 in 4; iterum cum observationibus Zaccar. Pasqualigo, Romae 1656 in f. — Petrus Alagona S. J. Syracusanus theologiae et philosophiae professor († 19. Oct. 1624), concinnavit *totius juris canonici compendium*, Romae 1622. 1623 t. 2 in 4, quorum prior continet decretalium, Sexti, Clementinarum, extravagantium tum Joannis XXII. tum communium epitomen praecipuamque glossae doctrinam; tomus posterior epitomen decreti Gratiani. Redegit in *compendium* manuale Navarri de quaestionibus morum et conscientiae (Romae 1590) sub nomine Petri Giuvara, quod saepissime deinde prodiit, et *summam s. Thomae Aq.,* quod compendium saepius quoque prodiit, ut Romae 1619 in 12; Taurini 1843 in 32 etc. — Anastasius Germonio n. a. 1551 apud Salas oppidum in marchionatu Cevae, accepto doctoris gradu[2]) statim docere cum laude coepit delata ultro a taurinensis academiae moderatoribus vespertina juris pontificii cathedra. Interim et protonotarii apostolici et taurinensis archidiaconi dignitate auctus est. Clemens VIII. eum in locum Hieronymi a Ruvere archiepiscopi taurinensis et cardinalis suffecit in congregatione compilationis decretalium in librum unum, qui l. *Septimus* esset vocandus: eique uni curam mandavit intexendi ei volumini canones tridentinos, quod ab ipso perfectum magno studio, sed in publicam lucem liber hic non exiit (cf. supra p. 864). Astensem et Salutiarum episcopatus recusavit; acceptare tamen

[1]) Cf. Ughelli Ital. s. VII, 366; 436.

[2]) Tiraboschi l. c. p. 7. l. 2. c. 4. n. 29: „Tornato a Torino, vi recevette la laurea dal Pancirolo medesimo, il quale confessa che non potea a meno di non istupire udendolo disputare talvolta improvvisamente su' più difficili punti della giurisprudenza.“ Cf. ejus encomia ibid.

coactus est archiepiscopatum tarantasinum († a. 1627). Reliquit plures lucubrationes, quae ad studia canonica pertinent lectuque sunt dignisissimae, uti: *Paratitla in ll. 5 decretalium Gregorii IX*, Augustae Taurinorum 1586 in f.; *Animadversionum* tam ex jure pontificio quam caesareo ll. 2, ib. 1586; *de indultis apostolicis*, Romae 1590 in f.; *de sacrorum immunitatibus* ll. 3, ib. 1591 in f., cum *assertione libertatis* immunitatisque ecclesiasticae, ib. 1607 in 4. Scribit Pancirolus, Jac. Cujacium confectis in ll. pandectarum et codicis paratitlis, animum ad jus pontificium convertisse: sed cum Germonii paratitla vidisset impressa, dixisse, idem stadium se libenter currere voluisse, sed Germonium sibi palmam praeripuisse[1]). Laudatur vero, quod veterem illam Jurisprudentiae dignitatem tot seculorum et interpretum barbarie misere conspurcatam disjectamque pristino suo decori, quoad posset, restituerit. — Alphônsus Villagut O. S. Ben. congregationis casinensis praeses, Neapolitanus († 1623 a. aetatis 57), edidit praeter alia[2]): *Allegationes in jure*, seu tractatus de rebus ecclesiasticis non alienandis, recuperandis atque in integrum restituendis una cum fructibus inde perceptis etc., Neapoli 1603 in 4; Coloniae 1609; *Practica canonica criminalis* secundum juris communis et doctorum decreta, Bergomi 1585; *de extensione legum tam in genere quam in specie*, Venetiis 1602 in 4., opus secundum Possevinum perutile theoricis et practicis in utroque foro; *de usuris* tractatus in qq. 35 divisus, ib. 1589 in f. — Joannes Bapt. Vivianus, Urbinas et Romae advocatus, in lucem dedit *Rationale juris pontificii*, seu rationalia juris canonici ll. quinque Romae 1617; Coloniae 1628, unde derivatum est *Manuale Vivianum* juridico-theologicum de magistralibus et canonizatis regulis universi juris ecclesiastici, Francofurti 1642 in 12. — Joannes Antonius Bovio O. Carm. Novariensis, episcopus melphectanus, propugnavit jura pontificis in controversia Pauli V. cum republica veneta († 11. Aug. 1622). In congregatione de auxiliis gratiae multis institit rationibus, ne pro Dominicanis sententia ferretur.

[1]) Doujat l. l.

[2]) Ziegelbauer IV p. 236 s.; 262.

369. Ex *germanis*[1]) collegit Martinus Heerfort utile *Repertorium juris canonici* locupletissimum, in quo praeter caeremonialia praecipua conclusiones, definitiones, decisiones, sententiae et axiomata ad praxin forensem accommodata ex universo juris can. corpore et glossis methodo alphabetica sub suis rubricis exhibentur, Vratislaviae 1626. — Wolfgangus Sigismundus a Vorburg praeter alia edidit *Trismegistum canonicalem* seu tr. tripartitum juris canonici continentem antipraedicamenta canonica, quasi praedicamenta canonicalia et postpraedicamenta canonicalia, Aschaffenburg 1627 in 12; *aurea rudimenta* et paratitla universi juris canonici sive ecclesiastici in VIII classes distributa juxta vulgata deducta ab ipsa Ecclesia primitiva, ib. 1629. — Josephus Macharius alumnus quondam collegii germanici (1605—9), decanus capituli pragensis et officialis († 1635) reliquit bonum *Directorium juris canonici* 1611.

370. Ad *theologiam morum* illi in primis referri debent[2]), qui commen-

[1]) Praetermittimus Joannem Rembold patritium augustanum, praepositum ad s. Mauritium Augustae, pro natione germanica auditorem rotae et utriusque signaturae referendarium († 1627), de quo cf. Veith bibl. august. I, 148 — Ferdinandum Waizenegger Brigantinum, juris interpretem Ingolstadii († 18. Aug. 1634).

[2]) Huc referri etiam possunt Emmanuel Laurentius Suarez Olisiponensis, cujus supra p. 385 meminimus — Hieronymus Dandini S. J. Cesenas († 1634) ob *Ethicam*

tariis eas summae s. Thomae partes illustrarunt, quae theologiam practicam spectant, et quos inter theologos scholasticos recensuimus, in primis L. Lessius p. 619. Praeter hos laude sunt digni tres *belgae*, scil. Aegidius Coninck sive Regius S. J. Bellioli in Flandria natus 16. Dec. 1571, magni Lessii non indignus discipulus, cui etiam in scholasticae theologiae cathedra successit, quam 18 annos cum insigni laude moderatus est Lovanii († 31. Maj. 1633). In disputando est succinctus, dilucidus, accuratus; secundum s. Alphonsum in re morali auctor classicus: ejus tamen sententias non raro impugnat de Lugo. Opera ejus sunt: Commentariorum ac disputationum in universam doctrinam d. Thomae *de sacramentis et censuris*, Antwerpiae 1616 t. 2 in f., 1619 ed. aucta et recognita 1624; Lugduni 1623; 1634 ed. 5; Rotomagi 1630 t. 2 in f., quae ed. igni addicta fuit a parlamento rothomagensi 12. Febr. 1762. *De moralitate, natura et effectibus actuum supernaturalium* in genere, et fide, spe ac caritate speciatim ll. 4, Antwerpiae 1623 in f., opus solidum commendatione dignum. *Responsio* ad dissertationem (ut videtur Hyacinthi Choquet, Duaci 1623) impugnantem absolutionem moribundi sensibus destituti (qua scil. impugnantur quae scripserat t. 2. de sacr. d. 7 dub. 10) addita explicatione duorum dubiorum circa ministrum sacramenti matrimonii et dissolutionem ejusdem per conversionem alterius conjugis ad fidem, ib. 1625 in 12; disputationes theologicae *de sanctissima Trinitate et divini Verbi incarnatione*, ib. 1645 in f., opus posthumum. — Eodem a. obiit Joannes van Malderen (Malderus) n. 12. Aug. 1563 prope Bruxellam. Theologiae in academia lovaniensi fuit professor ac postea episcopus antwerpianus, cujus fata et merita epitaphium posteris narrat: „Leeuwa s. Petri lucem, Bruxella literas, Duacum philosophiae, Lovanium per omnes studiorum gradus doctoralem theologiae lauream, doctrinae praerogativae lectionem publicam (1594), prudentia seminarii regii curam (1598), fama virtutis eximiae insignis hujus cathedrae dignitatem nihil ambienti, nihil exspectanti contulere (1611), in qua cum regendo, providendo, docendo, scribendo, vivendo pius, benignus, pervigil, bonus, fidelis, carus omnibus ac venerabilis pater praefuisset, profuisset, praeluxisset a. 22 mens. 2 dd. 14 ad mercedem laboris consequendam evocatus discessit aetatis a. 72. m. 3. d. 9. Chr. d. 1633 12. Kal. Nov.“ Scripsit[1]) in 1. p. s. Thomae *de ss. Trinitate, de creatione in genere et de angelis*, opus posthumum 1634; in 1, 2. *de legibus, gratia* etc., Antwerpiae 1623 in f.; in 2, 2. *de virtutibus theologicis, de jure et justitia*, ib. 1616 in f., qui commentarii aestimantur; *de abusu restrictionum mentalium*, ib. 1625 in 12; *de sigillo confessionis*, ib. 1626 in 8; *antisynodica* seu animadversiones in decreta conventus dordraceni (Calvinistarum), ib. 1620 in 8; succincta sed erudita et nervosa *commentaria in cantica canticorum*, ib. 1628 in 8; *meditationes theologicae* universae theologiae summam complectentes in 3 pp. distinctae et in 31 dies distributae, ib. 1630 in 8. Ejus statuta reperiuntur inter *decreta* ... archiepisc. mechlinensis, Antwerpiae 1680 p. 417 s. Edidit quoque *catechismum* pro populo 1613. In theologia morali auctoribus, quorum gravis est auctoritas, accenseri potest. — Ter-

sacrum h. e. de virtutibus et vitiis ll. 50, quibus ex ss. literarum et veterum patrum sententia hominum formantur mores, religionis non pauca stabiliuntur dogmata, pluresque antiquitate confirmantur Ecclesiae ritus, Cesenae 1651 in f., Antwerpiae 1676; *Missione apostolica*, al Patriarca dei Maroniti del Monte Libano e Pellegrinazione a Gerusalemme, Cesena, 1656 etc.

[1]) Cf. Fabricius VI, 546.

tius est Guilelmus Mercerus (Merchier), natus Athi Hannoniae 28. Jan. 1572, per 28 annos professor theologiae Lovanii, decanus Ecclesiae collegiatae d. Petri et collegii Adriani VI. praeses († 6. Aug. 1639 a. aetatis 67), qui edidit partem praelectionum suarum in 3. p. Summae s. Thomae a q. 60. *de sacramentis, irregularitate, indulgentiis, purgatorio et extremo judicio.* Commentarius in 1. p. mansit ineditus.

371. His adde Luisium Turrianum (Torres) S. J. Hispanum, patria Complutensem, qui annos circiter 40 professus est philosophiam, theologiam moralem et scholasticam († 13. Febr. 1635). Magni nominis fuit theologus secundum Genér; carpunt tamen in eo[1]), quod aliorum sententias suae contrarias nimis facile tamquam improbabiles, perniciosas etc. notaverit. Edidit: Disputationum in 2, 2. d. Thomae *de fide, spe, caritate et prudentia* t. unus, Lugduni 1617 in f.; *de justitia* t. alter, 1621 in f.; tractatus *de gratia* in 16 opuscula distinctus, Lugduni 1623 in 4; *opusculorum theologiae* t. unus, ib. 1625 in 4., qui complectitur haec opuscula: 1. de possibilitate et impossibilitate speciei impressae clare repraesentantis divinam essentiam; 2. de lumine gloriae; 3. de natura visionis; 4. de scientia Dei circa futura absoluta; 5. de voluntate Dei; 6. de voluntate Dei efficaci dandi gloriam; 7. de identitate relationum cum essentia divina; 8. de processione Verbi; 9. de comparatione angelorum ad locum; 10. de conscientia dubia; 11. de essentia peccati; 12. de peccato delectationis; 13. de sensu conc. francofordiensis circa ingenuitatem et filiationem naturalem Christi et circa sensum adorationis imaginum; 14. circa q. 75. p. 3. de natura transsubstantiationis et conversionis in communi. *Selectarum disputationum in theologiam scholasticam, positivam et moralem* partes 2; adjungitur (30. disp.) censura quaedam theologica de qualitate multarum propositionum per centurias dubiorum distincta, ib. 1634 in f.; *Summae theologiae moralis* partes 2, prior de virtutibus et vitiis, posterior de sacramentis et censuris, ib. 1634 in f. — Joannes Zapata y Sandoval O. S. Aug. Mexicanus, Mexici et Vallisoleti theologiae professor, episcopus chiapensis (1613), dein (1621) guatimalensis († 1630) elaboravit opus *de justitia distributiva* et acceptatione personarum ei opposita pro novi Indiarum orbis rerum moderatoribus summisque consiliariis, Vallisoleti 1609 in 4.

372. Summam integram totius *theologiae moralis*[1]) vel saltem potioris partis plures composuerunt, inter quos eminent quinque. Primus est Germanus, Paulus Laymann S. J. nulli aut fere nulli theologo morali secundus[2]),

---

[1]) Ita de Lugo de Eucharistia d. 22. n. 26; de poenit. d. 18 n. 23; d. 20 n. 25. Ceterum propositio, quam sub ipsius praesidio defendit Melchior Ornate: *Non est de fide, hunc hominem esse summum pontificem*, Romae censurae fuit subjecta. Cf. Continuationem hist. eccl. Fleurii l. 185 § 67. — Alius ab eo est Ludovicus de Torres O. Pr. Hispanus ecclesiastes facundus († 1592), cujus sunt XXIV discursos *sobre los pecados de la lengua* como se distinguen y de la gravedad de cada uno dellos, Burgis 1590 in 4. — et Lud. de Torres, de quo supra egimus p. 555.

[1]) *Conscientiae casus* collegerunt Paulus de Blanchiis O. Praed. Venetus: Disceptationes *de difficilioribus materiis casuum et dubiorum* occurrentium in conscientia: de poenitentia, de negotiatione, de bello publico et privato, Venetiis 1622; 1630 in f. — Laurentius Portel O. S. Franc. Lusitanus, cujus plura opera moralia recenset Sbaralea p. 485. — Coelestinus Suessioniensis O. S. Fr. concinnavit *compendium theologiae moralis*, Parisiis 1635, in quo agit de scientia confessariis necessaria.

[2]) Scheeben (Katholik 1867 v. 17 p. 163) „Laymann, dessen Moral wir wegen der classischen Ruhe und Klarheit, sowie der großen Erudition mit den Controversen Bellarmins vergleichen möchten etc.“

teste Muzzarelli; »probabilista moderatus, rationum momentis doctrinaeque perspicuitate eminens, inter maximos theologiae moralis doctores sine dubio referendus«, ut inquit Gury. Natus is est in pago Arzl prope Oenipontem 1574, philosophiam docuit sexennio, casus conscientiae annis 16; jus canonicum, cujus fuit peritissimus, septennio Ingolstadii, Monachii, Dilingae. In jure canonico tanti fiebat, ut ejus dictata aliarum academiarum doctores seculares etiam pretio sibi curaverint describi. Consulebatur passim ex remotis locis super difficillimis rebus tamquam oraculum. Doli videbatur penitus expers, patiens laborum, animo extra spem metumque posito paratus omnibus obsequi et sui descipientia infra omnes se abjiciens. Ad extremum Constantiae peste contactus est, qua ne forte alium inficeret, in separatum locum confestim sese abdidit dehortando alios, ne sua causa periculo contagionis se exponerent, eaque confectus decessit sexagenarius 13. Nov. 1635. Haec potiora ejus opera[1]): *Theologia moralis* in 5 ll. partita, Monachii 1625 in 4; 1626 (editio auctior) t. 6 in 4; 1630 ed. auctior; adjecit dein *moralis theologiae repertorium* seu compendiosa rerum in ea contentarum secundum ordinem alphabeticum descriptio. Prodiit ea[2]) saepissime accessionibus etiam aucta, ut *qq. canonicis de praelatorum ecclesiasticorum electione, institutione et potestate,* de jurisdictione et judicis ordinarii potestate, de rerum ecclesiasticarum prohibita alienatione ex l. 1. decretalium disputatis (Dilingae 1627 in 8.), Duaci 1653 in f. Illius compendium secundum ordinem alphabeti composuit Antonius Goffar (vel Goffart) Leodiensis, professor philosophiae lugdunensis († 23. Apr. vel 13. Mai. 1635) Duaci 1633 in 12; 1640; 1651 et alibi. *Jus canonicum,* sive commentaria in ll. decretalium, opus posthumum, Dilingae 1666—73 t. 2; t. 3. prodiit ib. 1698; t. 4. et 5. dicuntur incendio periisse. In sua theologia morali praesertim ed. 3. sectans Tanneri vestigia horrores processus contra sagas tunc temporis irrationali saevitia gesti mitigare et moderari nititur: hinc l. inscriptus *processus juridicus* contra sagas et veneficos Coloniae 1629 et Aschaffenburg sub ejus nomine (in 1. ed., non vero in 2. ejusdem a.) germanice editus et rigorem spirans non est opus genuinum[1]), ut ostendit Duhr Zeitschr. f. k. Theol. XXIII (1899), 733—43 et iterum (contra Riezler) ib. XXIV (1900), 585—92; XXV (1901), 166—68; XXIX (1905), 190.

373. Alter est Hispanus Ferdinandus de Castro Palao S. J. patria Legionensis n. 1581, qui a prima pueritia tam insignia pietatis virtutisque specimina edidit, ut ‚sancti, angeli, pueri praedestinati' titulis cohonestaretur. Moralem theologiam in compostellano collegio tradidit tanto concursu, quantus nunquam antea vel postea visus est, et tamquam oracula excipiebantur quae proferebat, consultus undique in casibus difficillimis etiam a s. inquisitionis administris. Salmanticae scholasticam theologiam pariter cum laude docuit. Placidissime in Domino obdormivit sanctitate non minus quam literis conspicuus 1. Dec. 1633. A Gury dicitur »probabilista, auctor

---

[1]) Cf. Sotvellus p. 652; Sommervogel IV, 1582—94, qui ea sub n. 34 recenset, etiam ea, quae scripsit occasione controversiae de translatione bonorum quorundam monasteriorum exstinctorum. Cf. de his hist. prov. Germaniae super. S. J. p. V. n. 362 ss., 373 ss., 389. 431 s.

[2]) Multum illud commendat clericis synodus sedunensis a. 1626 (Schannat Conc. Germ. t. 9).

[1]) Teste Hartzheim bibl. col. pag. 182 illud opus est Joannis Jordanaei, canonici et pastoris bonnonensis, cujus etiam est Disputatio brevis et categorica *de proba stigmatica,* utrum scil. ea licita sit nec ne, in qua sententia negativa propugnatur etc., Coloniae 1630.

valde doctus, sapiens, eruditus, copiosus«; a s. Ligorio quoque magni fit, auctoribusque classicis in re morali accenseri potest. Edidit operis moralis *de virtutibus et vitiis contrariis* in varios tractatus et disputationes theologicas distributi pp. 7, Lugduni 1631—51 t. 7 in f.; 1682: 1700 etc., quae magno in pretio habentur[1]): clare et succincte materiam omnem pertractat.

374. Tres alii sunt Itali, scil. Vincentius Filliucius S. J. patria Senensis (n. 1566), qui decennio qq. de moribus tractavit Romae et ad s. Petrum poenitentiarius fuit († 5. Apr. 1622). Hisce operibus innotuit[2]): Moralium qq. *de christianis officiis et casibus conscientiae* ad formam cursus, qui praelegi solet in collegio romano, Lugduni 1622 t. 2 in f.; 1626; 1634; Antwerpiae 1623; Ursellis 1625 etc.; appendix posthuma[3]) *de statu clericorum* 5 tractatus complectens, de beneficiis, pensionibus, spoliis clericorum, alienatione rerum ecclesiasticarum et simonia, Lugduni 1625 in f; Coloniae 1626 in f. Ex his confecit ipse compendium qq. moralium seu *synopsin universae theologiae moralis,* cui adjuncta est brevis *instructio confessariorum* ex eodem auctore, Lugduni 1626; Herpiboli 1626; 1628; Parisiis 1627; 1630; Duaci 1628 in 12. In re morali auctoribus gravibus accensetur; sed Jansenianis fuit invisus: unde etiam in Gallia ejus opera prohibita, imo igni tradita fuere (1762) cum aliis 28 Jesuitarum operibus. — Paulus Comitolus[4]) S. J. Perusinus, s. Scripturae interpres et theologiae moralis professor († 18. Febr. 1626 a. aetatis 81), a Gury quidem laudatur ob eruditionem et stili elegantiam: probabilismum tamen minus feliciter impugnavit: unde dicitur a Ballerini »vir ingenii anomali et zeli ad strictiora propensi«: ideo etiam a Vasquez acriter fuit impugnatus. Scripsit *Responsa moralia* in 7 ll. digesta, quibus quae in christiani officii rationibus videntur ardua ac difficilia enucleantur, Lugduni 1609 in 4; Cremonae 1611, adjecta doctrina (minoris scientiae et pretii) *de contractu universe* ad scientiae methodum revocato (quae seorsim prodiit Lugduni 1615 in 4), Rothomagi 1709 in 4; *Catena in b. Job absolutissima* e 24 Graeciae doctorum explanationibus (ab Olympiodoro) contexta, in latinum conversa, opera et studio Laurentii Cum Deo in lucem edita, Lugduni 1586 in 4. ed. quam auctor reprobavit, quod non esset fidelis eique substituit aliam Venetiis 1587 accessionibus locupletatam; *Cento e trenta privilegi della gloriosa V. Maria Madre d'Iddio,* Perusiae 1615 in 4. — Quintus fuit Martinus Bonacina Mediolanensis, qui in re morali auctor est classicus, et secundum Gury tum rerum copia tum eruditione et doctrinae nitiditate inter summos theologiae moralis doctores jure merito adscribendus. Fuit rector collegii helvetici et propter ejus insignes dotes et merita a Ferdinando II. dictus comes palatinus et velleris aurei eques et episcopus uticensis. Obiit in itinere nuncius apostolicus ad aulam caesaream ab Urbano VIII. designatus 1631. Ejus opera[1]) prodierunt saepissime: Lugduni 1624 t. 2 in 1 v.; 1639 t. 3 in 2 v., 1678; additionibus aucta Mediolani v. 3 in f., Venetiis 1754 ed.

---

1) Nic. Antonius I, 372; Sotvellus p. 203; Sommervogel II, 867.

2) Cf. Sommervogel III, 735—38. Ejus apologiam cf. ap. Henn, das schwarze Buch. Beiträge zur Moral der Jesuiten p. 2, Paderbornae 1865.

3) De parte quam habuit in edenda hac appendice Joan. Hieron. Sopranis diximus supra p. 781.

4) Alius a Napoleone C. fratre suo, episcopo perusino († 1624), qui collegit *decisiones s. Rotae* (cujus erat auditor), Perusiae 1643 in 4. Cf. plura de utroque in Vermiglioli Biografia degli scrittori perugini I, 331—5.

1) Cf. Mazzuchelli de script. Ital. II, 3, 1534; Argelati de script. mediol. I, 2, 187; Schlösser KL. II, 1003.

forte 17. Edidit quoque tractatum *de Christi incarnatione*, Mediolani 1629 in 4. *Compendia* operum ejus de morali theologia prodierunt auctoribus Ricci, de la Val, Antonio Goffart, Lugduni 1630 in 12; et *Summa*, in qua M. B. op. omnia in 3 t. distributa arctantur, auctore Simone Rondolino, Augustae T. 1670 t. 3 in 1 v. in f.

375. His addantur Bartholomaeus a s. Fausto O. Cist. (prius Pyrrhus dictus) Siculus († 1636 a. aetatis 65), cujus exstant *theologiae moralis* t. 3 in f.; *Speculum confessariorum et poenitentium*, Lugduni 1621 in 4; *de augustissimo et ineffabili eucharistiae sacramento* et s. missae sacrificio, Neapoli 1635 opus rarum; *de horis canonicis*, Lugduni 1627 in 8. — Franciscus Ghetius O. Praed., Insuber, patria Noviocomensis. Virum fuisse s. Thomae doctrinae mire addictum, probant quae reliquit ingenii sui monumenta. *Thesaurus animae* ex morali theologia ad sensum d. Thomae Aq. explicata collectus etc. In hoc opere theologia moralis omniscii d. Thomae divinae voluntatis interpretis in formam redigitur scholasticam, dilucidatur, ab objectis recentiorum omnium vindicatur, et quod sit fons omnium summistarum probatur, Mediolani 1639 v. 4 in f., opus rarum, quod contractius allatis nempe solis s. Thomae verbis jam ediderat hoc titulo: *Summa theologiae moralis doctoris ang. d. Thomae* ex omnibus ipsius operibus deprompta et ad commodiorem usum ordine alphabetico digesta, Placentiae 1628. 1629 v. 2 in 4; saepius edita[1]), ut Avenione 1668; Burdigalae 1671 etc. *Arcana theologiae selectiora* de Deo, de Verbo incarnato, de sacramentis et de statu separatorum, Ticini Regii 1630 in 4. — Franciscus Merolla Congr. O. Neapolitanus (n. 1568; † 26. Aug. 1638) amicorum hortatu coepit claro stilo elaborare *theologiam moralem*, cujus prodierunt t. 1. de voluntario et involuntario, de vitiis et peccatis, de conscientia; 2. de legibus; 3. de consuetudine, privilegiis et jurisdictione, Neapoli 1631—40 in f. — Lingua vernacula edidit Henricus de Villalobos (Villalpensis) O. Min. Hispanus, patria Zamorensis († 1627, secundum Nic. Antonium 1637) post 30 annorum utriusque theologiae scholasticae et moralis professionem *Summa de la Theologia moral y canonica*, Salmanticae 1623 t. 2 in f. et saepius, quorum t. 1. complectitur tr. 29; 2. tr. 41. Editio 13. prodiit auctior Matriti 1682. Illam quoque in *compendium* redegit ac edidit hoc titulo *Manual de los Confesores*, Salmanticae 1625 in 8 et alibi[1]). — Etiam Joannes de Soria Buitron ejus sodalis confecit *epilogum summarum* sive amplissimum compendium rerum omnium, quae in universis materiis theologiae moralis tractantur: primo in communi, secundo in particulari resumptum ex Villalobos cum aliquibus additionibus, Conchae 1650 in 4; Parisiis 1656.

376. Inter eos, qui argumenta *specialia* tractarunt, eminet Basilius Pontius O. S. Aug. Hispanus, patria Legionensis (hinc Ponce de Leon), theologus admodum acutus, vir si eruditionem spectes sacraeque totius doctrinae peritiam nemini secundus, si ingenii acumen et amoenitates, si judicii nervos, si tandem eloquentiae vires cum paucis comparandus. Natus est a. 1569. In regali collegio de Alcala per plures annos docuit theologiam, ubi etiam primum specimen suae eruditionis dedit a. 1604, vulgando Matriti l. *de legitimo tempore immolationis agni typici.* Anno 1608 in universitate salmanticensi cathedram Scoti consecutus est, cathedram vero Thomae 1612, illam Durandi 1618, demum primariam, at-

[1]) Cf. Echard II, 502.

[1]) Cf. Joan. a s. Ant. bibl. II, 64 s.

que simul universitatis cancellarius fuit declaratus. Cum ex adventu Cornelii Jansenii Salmanticam querelae orirentur adversus academiam, quasi novitatibus studeret, ipsa 60 prope suffragiis decretum condidit, quo se suosque professores ad tenendam doctrinam ss. Augustini et Thomae juramento adstringeret: quo in negotio omnium lingua et calamus fuit Basilius. Hinc scripsit: *Celeberrimae academiae salmanticensis de tenenda ac docenda doctrina ss. Augustini et Thomae Aq. judicium* statuto juramentoque solemni firmatum et contra impugnantes propugnatum, Salmanticae 1627 vel 1628; Duaci 1634 etc. Illud impugnavit Scotistarum nomine Petrus de Urbina O. S. Fr. Cantaber, episcopus cauriensis, dein valentinus, demum ad cathedram hispalensem promotus († 2. Jun. 1663), in *Memorial en defensa de las doctrinas del D. S. Buenaventura y Escoto* sobre el juramento que la Universidad de Salamanca hizo de leer tan solamente la doctrina d. S. Augustin y S. Thomas, Matriti 1628. Ad meliorem vitam transiit 28. Aug. 1629 a. aetatis 59. Inter alia ingenii monumenta[1]) reliquit: *De sacramento matrimonii* tractatus cum appendice de matrimonio catholici cum haeretica, Salmanticae 1624; Bruxellis 1627 etc., opus classicum, in quo spicas colligit, ut modeste in praefatione scribit, a magno messore (Th. Sanchez, de quo cf. p. 592) relictas; l. *de impedimentis matrimonii*, Salmanticae 1613; l. *de sacramento confirmationis*, ib. 1638, editio enormibus mendis scatens; Lovanii 1642 in 4. ed. emendata curante Petro Damaso de Coninck[2]) ejusdem ordinis; *variae disputationes*[1]) ex utraque theologia scholastica et expositiva (qq. quodlibeticae etiam dictae), Salmanticae 1611; *de aquae et vini conversione* in sacr. Eucharistiae disputatio, ib. 1622. Ita de eo scribit Norisius: „Pontius inter principes hujus seculi theologos merito a doctis quibusque recensetur. Huic doctissimi patres carmelitae excalceati salmanticenses honoris gratia hocce epitaphium posuere tract. 3. de scientia Dei d. 10 dub. 3. n. 130: „Quamvis omittere non possimus magnum illum virum, qui modo, dum huic operi insudaremus, maximo omnium dolore et totius hujus universitatis, imo et orbis jactura e vivis ereptus est, nempe magistrum Bas. Pontium Legionensem Aug. familiae augustissimam prolem, et in hac academia cathedrae primariae s. theologiae meritissimum moderatorem[2]).“

377. Martinus Bresserus S. J. Belga († 14. Nov. 1635) scripsit *de conscientia* ll. 6 ad omnigenas conscientias dirigendas, Antwerpiae 1638 in 4. — Michael Loescher S. J. salisburgensis († 30. Oct. 1636) libellos practicos lingua composuit patria. — Jos. Burger O. S. Ben. Monachii natus et professor theologiae moralis in universitate salisburgensi († 1621), reliquit (1619 in 4.) analysim theologico-juridicam *de juramenti natura, obligatione, interpretatione et dispensa-*

---

[1]) Cf. Ossinger p. 703 ss.; N. Antonius I, 204.

[2]) P. Dam. de Coninck O. S. Aug. Brugensis, vir doctus, librorum ordinis revisor, suae provinciae praepositus († 12. Dec. 1662), etiam Aegidii Columnae Romani *quodlibeta* similiter correxit, argumentis scholiisque perpetuis illustravit, Lovanii 1646.

[1]) Librum hunc rarissimum dicit Tournemine in praef. edit. comment. Menochii, selecta et probata eruditione refertum, ex eoque 4 disputationes, quae generatim methodum exponendae s. Scripturae exhibent, in suam editionem recepit.

[2]) In vind. aug. c. 4 § 5. Omnia elogia collegit Franciscus de Montes de Oca ediditque 1630 sub titulo: Doctissimi ac R. P. Mag. *Fr. Bas. Pontii legionensis,* Hispaniarum ornamenti, inclytae salmantic. academiae lustri, cathedratici theologiae primarii et cancellarii ejusdem, ingeniorum principis, felicis germinis augustinianae familiae *fama posthuma.*

tione[1]). — *De sacramentis in genere et in specie* disseruit (Salmanticae 1619 in f.) Petrus de Ochogavia et Manleon, Navarrus († 1624). — De iisdem tr. edidit Joannes Baptista Bizzozero Varisii n., theologiae scholasticae et moralis professor, Mediolani 1622 in 4; et *Summam casuum conscientiae*, ib. 1628. — Selectas et practicas disputationes *de rebus in administratione sacramentorum*, praesertim eucharistiae et poenitentiae, *passim occurentibus* edidit Joannes Sanchez Abulensis Matriti 1624, quibus accessit tr. *de jejunio* et disp. *de dubia impotentia* circa matrimonium, Lugduni 1636, quod opus laudat Diana, dicitque immortalitate dignissimum, in quo auctor acumen et doctrinam luculenter demonstrat, sed „donec corrigatur" est in librorum prohibitorum indice decreto 18. Dec. 1646. — Martinus Carrillo, Caesaraugustanus, in urbe patria decretorum cathedram decennium rexit, trium praesulum vicarius generalis fuit aliisque muneribus est auctus[2]) — et Seraphinus de Freitas Ord. b. M. V. de Mercede Lusitanus, Pinciae juris canonici lector eruditionis non vulgaris[3]). — Samuel de Lublino O. Pr. Polonus collegit *Summulam casuum*, quae omnium paene dubiorum, quae in ministerio sacramenti poenitentiae incidere solent, brevem continet resolutionem, Coloniae 1631. 1635. t. 2 in 8; 1712 in 4. — Petrus Bellocchi O. Min. str. obs. Ref. ex multis, quae parata habebat, operibus edidit tantum Praxin theologiae moralis *de casibus reservatis* archiepiscopis et episcopis Piceni, Venetiis 1627. Diu erat poenitentiarius in basilica lateranensi. — Bartholomaeus Berteaut composuit *regulam confessarii* seu theologiam moralem ad praxim fori poenitentialis, Coloniae 1702 pp. 3 in 1 v. — Fridericus Henricus Onuphrius disseruit de *sacramentali confessione*, Brixiae 1623, et *de sacro sigillo*, Mediolani, 1611. — Baptista Fragosus S. J. Lusitanus († 3. Oct. 1639 octogenario major), diu Olisipone et Eborae theologiae moralis professor, reliquit ab eruditis in pretio habitum opus posthumum, quod inscribitur: *Regimen reipublicae christianae* ex s. theologia et ex utroque jure ad utrumque forum tam internum quam externum coalescens in 3 pp. divisum: quarum 1. principum ac magistratuum civilium gubernationem, potestatem, jurisdictionem et obligationes comprehendit; 2. principum ac pastorum ecclesiasicorum jurisdictionem et obligationes amplectitur, ubi late de religiosis; 3. oeconomiam continet ac patrum familias in filios et domesticos et filiorum ac domesticorum in parentes ac dominos obligationes explicat, Lugduni 1641—1648—1652 t. 3 in f.; Lugduni 1667; Coloniae 1737; t. 2., qui principum ac pastorum ecclesiasticorum obligationes ac jurisdictionem complectitur, receptus est a Rocaberti in suam bibl. pont. V. 109—585.

378. Inter eos, qui de *theologia pastorali* scripserunt, referri possunt: Valerius Reginaldus S. J. (Raynauld, Renaud) natione Burgundo-sequanus, patria Usiensis, qui pagus est dioecesis bisuntinae. Natus est a. 1543 obscuris parentibus, terrae colonis, a quibus tamen literis destinatus est. Parisiis audivit Maldonatum et Mariana, Burdigalae philosophiam professus est, Parisiis deinceps aliquamdiu ac postea totis 20 annis Dolae theologiam moralem cum magna laude. Humilitatem admodum colebat: memorabat saepe omni se loco et honore indignum esse, quoniam de post foetantes assumptus esset. Nunquam a janua, quo crebro vocabatur, ad suum cubiculum regrediebatur, nisi salutata ven. eucharistia negans decere famulum quoquam sine

[1]) Hist. univ. salisb. II, 7 n. 300.

[2]) Cf. ejus opera, inter quae est etiam *catalogus archiepiscoporum caesaraugustanae ecclesiae*, Calari 1611, in bibl. hisp. n. II, 99.

[3]) Bibl. hisp. n. II, 286.

Domini sui venia digredi. Nunquam verbo quemquam offendit; quod si quid imprudenti excidisset asperius, mox humili deprecatione et confessione abstergebat. Cum sanctitatis opinione decessit 15. Martii 1623 a. aetatis 80. Edidit: *Praxis fori poenitentialis* ad directionem confessarii in usu sacri sui muneris, Lugduni 1616 t. 2 in f.; Moguntiae 1617; Coloniae 1622 etc.; *compendiaria praxis difficiliorum casuum conscientiae* [1]) in administratione sacramenti poenitentiae occurentium in 3 p. distincta, Moguntiae 1619 in 12; Duaci 1628 etc.; *de prudentia et ceteris in confessario requisitis* ad recte fructuoseque divini ministerii sui munera obeunda, Lugduni 1611 in 8; Coloniae 1611; 1622 etc.; tractatus *de officio poenitentis* in usu sacramenti poenitentiae, Lugduni 1618. Uterque tractatus in opus primo loco adductum receptus fuit. *Instructio brevis* . . . ad usum sacramenti poenitentiae tum confessario, tum poenitenti cum primis necessaria, ib. 1619. Reginaldi opera, quem s. Alphonsus auctoribus *classicis* annumerat, clero suo commendarunt ss. Carolus Borromaeus et Franc. Salesius. — Hieronymus Povodovius (Podovovius) Genesensis n. 1547, qui Patavii studiis operam dederat, archipresbyter cracoviensis († 1623), praeter plura reliquit *Manuale* septem Ecclesiae catholicae sacramentorum, 1592 in 12. et *Speculum clericorum* tr. 4, in quibus clericorum status, dignitas, officia etc. proponuntur, Cracoviae 1604 in 8. l. rarissimus. — *Directorium conscientiae* scripsit Joannes de Cruce (de la Cruz) O. Praed. Hispanus, Matriti 1624 t. 2 in 4. et alibi; quorum prior est moralis per ordinem Decalogi ad mentem d. Thomae; alter agit de statu religionis, cum computo annorum ab Adam usque ad Christum ex s. Scriptura collecto, ib. 1666 in f. et Duaci 1649 in 8. — Antonius Fernandez de Corduba S. J. († 23. Martii 1634) reliquit *instructionem confessariorum*, Granatae 1621 in 12. — Stephanus de Castro S. J. Olisiponensis, procurator generalis missionum indicarum († 12. Aug. 1636), auctor est libelli saepius editi *Breve aparelho* e modo facil para ajuder a ben morrer hum Christiaõ com a recopilaçaõ de materia de testamentos e penitencia etc., Olisipone 1621. — Antonius Ragucci canonicus et poenitentiarius beneventanus praeter alia edidit: *Lucerna parochorum*, Neapoli 1623; tr. *de statu animarum* in hac et in altera vita cum tr. de poenitentiis et indulgentiis, ib. 1626; *de voce canonicorum* in capitulo, officio et missa in ecclesia, ib. 1621 in 4. — Carolus Andreas Bassi Obl. Mediolanensis, praepositus primum angleriensis, deinde tritiensis disseruit *de officio canonici*, Mediolani 1621; *Curator* animarum ll. IV, ib. 1618 in 4 etc. — Nicolai Cusani (de Cues) S. J. trecensis viri apostolici († 20. Apr. 1636) est *Christliche Zuchtschule* parochis utilis, saepius edita Coloniae 1674; 1737 ed. 8., in qua tradit methodum tradendi catechismum, quam habes in Pastor bonus II (1890) 250—53.

379. Sed duo in primis hic memorandi: Fredericus Borromaeus Mediolani 1564 ex nobilissimo genere natus, ob eximias virtutes a Sixto V. juvenis 23 annorum cardinalis diaconus creatus 1587. Ipsum praefecit idem pontifex editioni veterum conciliorum necnon et ss. bibliorum. Qua maximi momenti provincia suscepta incredibili cura, studio ac diligentia elaboravit, ut

[1]) *Summam casuum conscientiae* super 4. l. sententiarum (hispanice) collegit Ludovicus a s. Joanne Evangelista Hispanus O. S. Fr., totius ordinis in romana curia commissarius et definitor generalis, cujus t. 1. tantum prodiit Matriti 1622 et 1642; *de administratione sacramentorum in casibus repentinis* una cum tr. de residentia rectorum ecclesiarum ac frequentia s. communionis, ib. 1634; 1637 ed. aucta; 1659. Alia opera cf. in bibl. fr. II, 298 et t. III in append.

nobilissimum hoc opus quam emendatissimum prodiret. Romae familiariter utebatur consiliis Baronii et Bellarmini, conscientiae vero moderatore s. Philippo Nerio, quem tanti faciebat, ut ejus anima appellaretur. Horas integras cum eo conversabatur eique morienti viaticum atque extremam unctionem administravit. Vacante a. 1595 sede mediolanensi dictus est a Clemente VIII. diu reluctans ejusdem archiepiscopus atque ab eo consecratus. Rexit illam ecclesiam aemulus virtutum sancti Caroli patrui et praedecessoris sui; clerum reformavit, bibliothecam ditissimam a s. Ambrosio appellatam condidit, collegia pia instituit, synodum dioecesanam quotannis lustrata prius provincia celebravit, munificus erga pauperes exstitit, quorum tempore famis ad 12000 aluit. Grassante lue omnium quantum potuit curam gessit et spreto vitae periculo ipse xenodochia adivit aegrotos alloquens, consolans, auxilio, aere, monitis subveniens, quo exemplo clerus ejus excitatus fortiter se tam heroico impendit obsequio, in quo 95 sacerdotes caritatis victimae cecidere. Pluries Romam evocatus ad comitia pontificia octies iis interfuisse legitur. Defuncto Paulo V. pontificatum sibi a cardinalibus oblatum constanter recusavit. Decessit egregius praesul 22. Sept. 1631. Longe plura fecit, quam scripsit: tamen scriptorum magnus exstat numerus [1]), quorum haec videntur potiora: *de ecstaticis mulieribus* et illusis ll. 4, Mediolani 1616; *de naturali ecstasi,* ib. 1617; *notae* in XII prophetas minores, ib. 1620; *observationum* in Apocalypsim ll. 7, ib. 1622; *de cognitionibus,* quas habent angeli et daemones, ib. 1624; *de nonnullis s. Scripturae locis* passim usurpatis ll. 2., ib. 1625; *canticorum explanatio* juxta literalem sensum, ib. 1627; *Cypria sacra* sive de honestate et decore ecclesiastici moris, ib. 1628; *de actibus prudentiae* ll. XIV, ib. 1628; *de sacris nostrorum temporum oratoribus* ll. 5, ib. 1632; *de episcopo concionante* ll. 3, ib. 1632; *de picturis sacris* ll. 2, ib. 1626; aliaque ad theologiam pastoralem et ascesim spectantia necnon et plurimae conciones.

[1]) Argellati 1, 2, 195 eorum numerat 71 edita et 48 inedita. Cf. Roberti, Apologia del Card. F. B., Mediolani 1870, aliosque apud Reumont Kl. II, 1125; Quesnel Le Card. Fr. B., Insulis 1890 in 8.

380. Alter est, quem praetermittere non licet, s. Franciscus S a l e s i u s, episcoporum gemma, quem Christus „Ecclesiae suae . . . pastorem juxta cor suum suscitavit, ut scriptis, sermonibus et exemplis pietatem corroboraret et aspera converteret in vias planas: quique illum suo lenitatis spiritu tam mirabiliter adimplevit, ut non solum indurata peccatorum corda ad poenitentiam flecteret, sed et rebelles tot haereticorum mentes ad fidei catholicae unitatem revocaret [1]).“ Natus est s. Franciscus Annesiaci in Sabaudia 21. Aug. 1567. Juventute sanctissime transacta, relicta causarum commentatione sacrisque initiatus ejus zelus in primis emicuit in reducendis Calvinianis ad verum Christi ovile. Incredibile dictu est, quo animi ardore, qua pectoris constantia, qua mentis alacritate, quam firma in Deum fiducia, quam robusta in proximum caritate pugnaverit et vicerit, ut adeo amplius 70 millia haereticorum Ecclesiae subjecisse sit fama vulgatum. Qua occasione ipsum Bezam Genevae non sine vitae periculo adiit, cumque eo est congressus. In praemium tot meritorum dictus est a Clemente VIII. episcopus genevensis. Hac dignitate auctus in omne studium amplificandae religionis catholicae, reformandae vitae ad pietatem et perfectionem christianam expressae in grege suo et in variis monasteriis, pietatis quaquaversus alendae totum sese effudit. Ex

[1]) Ita in praef. pro missa ipsius propria a Pio IX. universis ecclesiis sanctimonialium Ord. Visit. b. M. V. concessa.

hoc studio enata tot opera stilo sancto lacteoque calamo conscripta, quorum documentis irrigatae innumerorum animae effluentem evangelicae vitae messem peperere. Indefessus erat in visitanda sua dioecesi, in habendis concionibus, in tradendo singulis diebus dominicis catechismo. Ipsi in primis debemus institutionem ordinis Visitationis b. M. V., in quo condendo usus est opera s. Franciscae de Chantal. Decessit hic praesul vere apostolicus mediis in laboribus pro animarum salute omnium dolore 28. Dec. 1622, relatusque inter beatos 28. Dec. 1661 mox (19. Apr. 1665) inter sanctos ab Alexandro VII., et a Pio IX. declaratus est doctor Ecclesiae (19. Jun. 1877). Inter ejus opera, quae potissimum spectant ad theologiam pastoralem, asceticam et mysticam, eminent *Traité d' amour de Dieu,* Lugduni 1616 in 8., quem Pius IX. vocat „insignem ac incomparabilem tractatum," in quo amoris Dei naturam et indolem mirabiliter explanat; *Introduction à la vie dévote,* ib. 1608, liber, qui omnium teritur manibus cum ingenti legentium fructu. Brevi (scil. a. 1656) apparuit ed. jam 40., versusque is fuit in omnes fere Europae linguas. *Lettres,* ib. 1632, scil. 529, quarum gradatim numerus adauctus est ad 900. Potiores germanice reddidit Becker, Friburgi 1878. De his tribus operibus valent Pii IX. verba in decreto cit. „Divinum effatum *(Jugum meum suave est et onus meum leve* Matth. 11, 30) s. Franciscus ea qua pollebat caritate et copia doctrinae in hominum usum quodammodo deducens, perfectionis christianae semitam et rationem multis ac variis tractationibus ita declaravit, ut facilem illam ac perviam singulis fidelibus cuicunque vitae instituto addictis ostenderet. Quae quidem tractationes suavi stilo et caritatis dulcedine conscriptae uberrimos in tota christiana societate pietatis fructus produxere." *Entretiens spirituels,* ib. 1629 in 8., quarum tamen editiones priores nonnihil inter se dissentiunt[1]). *Etendard de la s. Croix,* 1597 in 8., operum ejus omnium primum, etiam sub inscriptione *Pantologie,* in quo cultum s. crucis tuetur adversus calvinianum praeconem. *Controverses,* Parisiis 1672 in 12., quibus continentur ejus conciones habitae ad Caballicenses. In his „manifeste, inquit Pius IX., elucet mira rei theologicae scientia, concinna methodus, ineluctabilis argumentorum vis tum in refutandis haeresibus tum in demonstratione catholicae veritatis, et praesertim in asserenda romani pontificis auctoritate, jurisdictionis primatu ejusque infallibilitate, quae ille tam scite ac luculenter propugnavit, ut definitionibus ipsius vaticanae synodi praelusisse merito videatur." *Sermons* (71), ib. 1643 in 4., ab auditoribus excepti, sed non semper satis accurate. Ejus opera prodierunt collecta, ib. 1821 t. 16; recusa 1833; ed. Vives 1856—58 t. 12; ed. Migne 1861—62 t. 7; ed. Bercha 1884, sed earum nulla est critica et accurata. Optimam ed. demum ab a. 1892 curavit B. Mackey, cujus t. XIV. prodiit Paris 1906, in qua editor diligens plurimos sermones et epistolas hactenus ignotas ex msc. autographis s. praesulis eruit[2]). Plurimae exstant ejusdem biographiae; spiritum ejus exhibet Joannes Petrus *Camus,* qui familiarissime eo utebatur in op. *L' Esprit de St. François de Sales,* Parisiis 1641 t. 6, in epitomen redactum a Collot[3]).

381. Fridericus Spe (Spee) S. J. n.

---

[1]) Cf. epist. Cambis-Velleron in Mémoires de Trévoux 1758 mense Jul. p. 1609.

[2]) Cf. de hac ed. Studien u. Mitth. aus dem Bened. Orden passim XVI, 469 ss.; XVII, 336 ss.; 507 ss.; XVIII, 145 ss. et praesertim XXIII, 179—186; Anal. boll. 1906 p. 132.

[3]) Cf. literaturam apud Hense Kirchenl. IV, 1826—36; Biogr. univ. 40, 143—54; Lager, das Leben des h. Fr. v. S. nach dem Französischen bearbeitet; Paderborn 1903 ed. 2. emendata.

in oppido Kaiserswerth prope Dusseldorpium 25. Febr. 1591 juvenis enixe expetiit missiones indicas: voti tamen non est factus compos: hinc in Germania plurimum laboravit non sine successu pro reducendis ab Ecclesia deviis. Aliquandiu Coloniae theologiam moralem docuit, ubi et Busenbaum discipulum habuit, qui suis praelectionibus plurimum est usus in concinnanda sua medulla, ut ipse gratus fatetur. Obiit caritatis victima in obsequio militum infirmorum 7. Aug. 1635 a. aetatis 44. Fuit insignis plane et vere pius poeta, ut testatur bellissimum ejus opus *Trutz-Nachtigall,* Coloniae 1649, aliquoties editum, etiam sec. XIX. ut cur. Balke inter Deutsche Dichter des 17. Jahrh., Lipsiae 1879, a cultoribus humaniorum literarum semper magni factum, vere pretiosum ob unctionem et sensa devotissima. Neque minus pretiosum est aliud opus asceticum nitidissima prosa conscriptum: *Das güldene Tugendbuch,* d. i. Werke und Uebungen der drei göttlichen Tugenden, quod Leibnitio in deliciis fuit, Coloniae 1649, saepe dein editum, sec. etiam XIX. ut 1829; 1850; 1887; cujus etiam segmenta quaedam seorsum prodierunt. Celeberrimum tamen eum reddidit opus: *Cautio criminalis* seu de processibus contra sagas, l. ad magistratus Germaniae necessarius, tum autem consiliariis et confessariis principum, inquisitoribus, judicibus, advocatis, confessariis reorum, concionatoribus lectu utilissimus, auctore incerto theologo romano, Rinthelii 1631 in 8. et alibi, quo plurimum contulit, ut tam crudeles et injusti processus contra sagas gradatim abrogarentur, quocirca vere benemeritus de Germania dici debet. Hinc etiam protestantes magnis encomiis eum exornant. »Frid. Spee Jesuita, ita Leibnitius[1]), unus e praestantissimis suae societatis ... in odore sanctitatis obiit.«

[1]) Theodiceae p. 1 § 96. 97.

Mox subjicit: »Excellentis hujus viri memoria eruditis etiam et sapientibus in pretio esse debet ob conscriptum l. cui titulus: *Cautio criminalis* etc., qui fuit magnopere celebratus inque varias linguas translatus.« Frid. Bierling pariter Lutheranus ita scribit[1]): »Inter singularia sane referendum circa ista tempora virum pontificiae religioni addictum talia scribere ausum fuisse, quae hodie vix inter protestantes ubique proferre licet homini candido et veritatis amanti, nisi illepidas murmurationes adversum se excitare velit.«

382. Inter eos, qui de re *liturgica* scripserunt, eminet Bartholomaeus Gavanti, natus Modiciae (Monza) in dioecesi mediolanensi, O. Barn., cujus etiam fuit praepositus generalis, auctor liturgicus plane insignis. Hinc Clemens VIII. eum Romam accivit atque congregationi illi adjunxit, cujus studiis concredidit missalis atque breviarii reformationem. In eundem finem illum Urbanus VIII. iterum Romam invitavit. Neque solum in Italia eruditionis ejus fama divulgabatur, sed et ad exteras penetravit regiones; quam ob rem cardinalis Harrach pragensis archiepiscopus eum secum habere sategit pro reformatione rituum suae dioeceseos: ita et plures Galliae episcopi illi novam pontificalis editionem concredere voluerunt. Urbanus VIII. tantum virum beneficio universae Ecclesiae in Breviarii romani emendatione occupatum Roma discedere non permisit. Sexies Romam ipsum consulendi gratia advenit P. Boudie O. S. Ben. in

[1]) De Pyrrhonismo hist. c. 4 § 5 n. 2. Cf. Perrone, praelect. theolog. de virtute relig. n. 809. Plura de eo cf. ap. Sotvellum p. 267, Sommervogel VII, 1424 ss.; Alb. Werfer, Leben ausgezeichneter Katholiken der 3 letzten Jahrh. t. 7; historisch-politische Blätter 1871 68, 329 ss.; Diel Fr. v. Spee, Freiburg 1871; 1901; Blötzer KL. XI, 575—579; Duhr hist. Jahrb. XXI (1900), 328—52; XXVI, 327—33.

liturgia alioquin admodum versatus. Obiit demum Mediolani 14. Aug. 1638. Operum suorum maxime vulgatum atque nominatissimum est: *Thesaurus ss. rituum* sive commentaria in rubricas Missalis et breviarii romani[1]), Mediolani 1628; Romae 1630—32; Antwerpiae 1634; Venetiis 1630; 1651; 1699; 1723; Lugduni 1669; 1685; Coloniae 1705 etc.; correctior et locupletatus cum novis observationibus, emendationibus et additionibus a Cajet. Maria Merati cler. reg. Romae 1736—38 t. 4; Augustae Taurinorum 1736—40 vol. 5 in 8; Venetiis 1791 t. 5 in 2 v. etc. saepe una cum *Enchiridio* seu *manuali episcoporum*, Romae 1628; Parisiis 1647; Venetiis 1650 in 4 etc.; sub titulo *Episcopi institutio* Zachariae additionibus locupletatum Venetiis 1760 in 4. Complectitur hic l. *praxim dioecesanae synodi* et *visitationis episcopalis*. Concinnavit et *Octavarium Romanum*, decreto congregationis rituum ad usum etiam totius orbis ecclesiarum (non tamen praescriptum) Neapoli 1628; Antverpiae 1628 etc.; Ratisbonae 1883. Tanti eum fecit[2]) Benedictus XIII., ut in praemium tot meritorum ejusque memoriam voluerit, ut semper unus ex ordine Barnabitarum consultor esset congregationis ss. rituum. — Ejus sodalis Anacletus Siccus (Secchi) Cremonensis congregationis suae praepositus generalis Viennae in Austria diu degit ediditque tres ll. pereruditos et clericis utiles *de ecclesiastica hymnodia*, saepius editi auctiores Antverpiae 1634, in quibus disserit de recitatione Psalmorum, italice Mediolani 1643 in 4. cura ejus sodalis Donati Benzoni. *De cleric. reg. s. Pauli congregatione et parentibus* synopsis, a Valeriano Madio ejusd. congr. presbytero ad complementum redacta, Mediolani 1682 († 1636). — Concivis ejus fuit Tobias (antea Franciscus dictus) Corona cler. reg. s. Pauli, in ecclesia metropolitana bononiensi poenitentiarius, ordinis sui procurator generalis, a Gregorio XV. ad Carolum Emmanuelem Sabaudiae ducem ablegatus († 1627), qui descripsit *i sagri tempi*, dove si rappresenta quanto appartiene al culto e venerazione de' Tempii, la loro immunità etc., Romae 1625 t. 1. in 4 et unicus ex tribus, quos promiserat. — Andreas Castaldo Pescara[1]) O. Theat. Neapolitanus, sui ordinis bis praepositus generalis († 10. Maj. 1629), scripsit *praxim caeremoniarum* seu ss. rom. Ecclesiae rituum accuratam tractationem, Neapoli 1625; 1681 in f., opus insigne. — Florianus van der Haer Lovanii natus, canonicus et thesaurarius insulensis († 1634 a. aetatis 87) concinnavit *Antiquitatum liturgicarum arcana* ex scriptoribus partim editis partim ineditis, Duaci 1605 t. 3 in 8. absque auctoris nomine.

383. Inter *ascetas* hoc tempore plurimum innotuit Hieremias Drexel S. J. Augustanus natus 1581, annis 23 Maximiliano Bavariae electori a concionibus († 1638). Ejus opera spiritualia[2])

---

1) Disserit in hoc opere de rituum variorum in missa et breviario origine, significatione, ac quidquid de illis Ecclesia praescripsit atque statuit, compendio exhibet. Feller de eo IV, 119 scribit: „Ouvrage plein de recherches et très-propre à entretenir la dignité et la régularité des cérémonies saintes. Les détails en paraissent sans doute très-indifférents aux hommes du siècle, mais les ministres du Seigneur zélés pour son culte, le lisent avec autant d'intérêt que d'utilité. L'auteur néglige quelquefois les raisons littérales ou historiques des cérémonies, pour s'attacher à des considerations mystiques: il eût dû tâcher de joindre constamment les unes aux autres.“ Hujus *epitomen* optimam edidit Claudius Arnaud Lugduni 1647 in 16; Venetiis 1674 in 12.

2) Plura cf. in vita, quae ad calcem meratianae editionis legitur et apud Argelatum in bibl. script. mediol., Kerker KL. V, 122 col. IX, 677. Pleraque ejusdem opera prodierunt collecta Parisiis 1652.

1) Alius ab Joanne B. C., de quo infra.

2) Cf. Sommervogel III, 181—205.

(ultra 30) saepissime seorsim edita sunt, in plures linguas versa fuere, et collecta quoque saepius prodierunt Monachii 1628 in 4; 1629 in 8; Duaci 1635 t. 2 in 4; Antwerpiae 1643 v. 2 in f.; Moguntiae 1645; 1651 t. 2 in 4; 1660; Lugduni 1647; Antwerpiae 1660 t. 4 in v. 2 in f.; Lugduni 1675 t. 4 in 2 v. in f.; 1677; Francofurti et Moguntiae 1680 t. 2 in 4., quae ed. complectitur opuscula XXVI. Quanta autem aviditate lectitarentur haec opuscula colligas ex notitia, quam editor monacensis praemisit opusculo *Noe architectus arcae* in diluvio navarchus descriptus et morali doctrina illustratus, a se a. 1642 edito, in qua inter alia legimus: »Omnium a P. H. Drexelio editorum ll., quos Corn. Leysserii typographia et libraria officina venum hactenus proposuit, summa 107,000; omnium omnino exemplarium, quae P. H. Dr. e triplici typographia monacensi in lucem vulganda dedit, summa 170,700.« — Splendidissimum ecclesiae gallicanae ornamentum fuit Petrus de Berulle n. 1575, qui spretis seculi deliciis et honoribus, recusatis ecclesiasticis beneficiis et dignitatibus, totum se Ecclesiae obsequio, animarum saluti et Calvinistarum conversioni mancipavit haud poenitendo successu. Ordinem virginum Carmelitarum a s. Theresia reformatum in Galliam induxit ac latissime propagavit; pro reformatione cleri juxta s. Philippi Nerii exemplum instituit congregationem Oratorii (1611), quae brevi per universam Galliam se diffudit. A rege in difficillimis adhibitus fuit negotiis et praeses consilii status dictus, ab Urbano VIII. purpura honoratus (1627). Apoplexia tactus, dum sacrum faceret, decessit 2. Oct. 1629. Plura reliquit[1]) scripta, ascetica praesertim, quaedam de controversiis: inter ea eminet *Les grandeurs de J. Christ*, tractatus insignis, sublimis, pius, sagax, propter quem meruit ab Urbano VIII. dici ‚Apostolus Verbi incarnati', et ex quo Thomassinus suum de hoc argumento irrigavit opus. Ejus opera prodierunt collecta Parisiis 1644; 1657; 1665 etc. — Insignibus ascetis accensetur etiam Antonius Gaudier S. J. Suessionensis, aliquamdiu s. Scripturae interpres († 1622), ex cujus operibus plurimi fit illud *de natura et statibus perfectionis,* Parisiis 1643 in f. (m. 60), recusum ib. 1856—58 t. 3 in 8. cum auctoris elogio. *De perfectione vitae spiritualis*, accedunt duo opuscula de ss. Christi Jesu amore, et de vera Christi J. imitatione, Augustae T. 1903 ed. nova, ex qua seorsim prodiit *de sacrificio* missae necnon de dominica mensa, cur. Micheletti S. J., ib. 1903.

[1]) Cf. Funk KL. II, 485—92; Perraud L'Oratoire de France au XVII et au XIX siècle, 1866; Houssaye Le P. de Berulle et l'Oratoire de Jésus (1611—25), Parisiis 1874; Ingold Biblioth. orator., Paris 1880 t. 1.

384. His addantur Jo. Hadrianus van Moerbeeck O. Praem. Diestensis (n. 1572), diu parochus, qui haereticorum Batavorum incursionibus coactus est fugere († 24. Oct. vel Dec. 1638). Coepit opus ingens inscriptum *Scala purpurea* in VI gradus divisa, dominicae passionis multiplicem explicationem, doctrinam moralem variam et copiosam continens: cui in gratiam concionatorum introductiones sive notae occurrentibus per annum evangeliis in dominicis et festis opportunissimae applicantur, Antverpiae 1634, quo volumine tamen spisso tres tantum gradus exponit. Alia pars non prodiit[1]). — Alexius a s. Francisco in seculo dictus Laelius Leoni XI. ex sorore erat nepos natusque est Romae 1588. Ingressus est Carmelitarum discalc. ordinem 1604. Cum in virtutibus admodum proficeret, missus est Charentonium in Gallia tironum magister. Con-

[1]) Cf. P. Bergmans Biogr. nat. de Belg. XV, 13 s.; Goovaerts Ecriv. de l'O. de Prém. 1, 597.

ventus romani electus est rector, provincialis dein et definitor generalis, sed mox obiit 19. Apr. 1630. Purpuram sibi a tribus pontificibus oblatam prae humilitate recusavit. Ejus *opera* ascetica prodierunt collecta Lugduni 1633; Romae 1670—1671 t. 2 in 4. Inter haec opus vere aureum *Thesaurus pauperum* ad thesaurizandos thesauros in Coelo cum *Soliloquiis* iterum prodiit Taurini 1872; italice Senis 1879. — Nostra aetate Leo Guerrin coepit edere *opuscula* ascetica Matthiae Mittner eichstettensis prius S. J., dein O. Carth. (1612; † 1632). Duo ipsius opuscula ediderat jam Pez in bibl. ascetica t. V et IX, reliqua sunt circa 80 (quorum indicem habes in t. 1. hujus ed.). Prodiit t. 1. Curreriae 1897. — Multum commendantur sententiae asceticae Ludovici Lallemant S. J. (n. 1578; † 1635), quas collegit Rigoleu. Eae prodierunt praemissa hujus ascetae vita Lugduni 1735; aliisque editionibus omissis iterum Parisiis 1858. 1863. — Plurima prorsus opuscula ascetica et vitas Sanctorum piarumque personarum reliquit Stephanus Binet S. J. Divionensis, trium provinciarum ordinis praepositus († 4. Jul. 1639). Eorum numerat Sommervogel I, 1488—1505 circa 45, inter quae *Marque de predestination,* Rotomagi 1615 ed. jam undecima; aliqua (9) prodierunt collecta, ib. 1620; 1627; *du Salut d' Origene,* Paris 1629; 1631; *Le grand chef-d'-oeuvre de Dieu* ou les perfections de la Sainte Vierge, ib. 1634; 1648; 1855 etc.; *La vie apostolique de S. Denis Areopagite,* ib. 1624; 1629 etc. — Utilia opuscula ascetica reliquerunt Petrus Giustinelli S. J. Brixianus, qui obiit caritatis victima in obsequio aegrotorum peste infectorum 13. Jul. 1630. Inter ea est libellus exhibens *Psalmorum davidicorum et canticorum argumenta,* cum brevi explicatione sensus literalis et mystici ex diversis auctoribus selecta pro devotione legentium horas canonicas, Salisburgi 1661. Cf. Sommervogel III, 1485—89. — Julius Nigronius S. J. Genuensis († 17. Jan. 1625), cujus *tractatus ascetici* prodierunt recogniti, aucti et collecti Coloniae 1624; *diss. moralis* de librorum amatoriorum lectione junioribus maxime vitanda, Mediolani 1622. — Dionysius a Matre Dei Aquitanus ex nobilissima dynastia De la Salagourde Burdigalae 1584 natus, adolescens Romam profectus primus e Gallis O. Carm. reg. obs. italicae congregationis est ingressus. Multorum postea coenobiorum in Gallia fundator exstitit et secundus Galliarum provincialis. Vir erat laboribus indefessus, vitae sanctitate, illustrationibus et revelationibus illustris, concionator fervidus († 21. Nov. 1622). Praeter *homilias* de ss. eucharistiae sacramento, Parisiis 1618. 1619, reliquit discursum theologicum *de visionibus et revelationibus* atque locutionibus, qui prodiit ib. 1619 una cum s. Gertrudis *insinuationibus divinae pietatis. Amatorem veritatis* suppresso nomine edidisse scribitur contra novos terminos sive locutiones, quibus Berullius in suis utitur operibus [1]). — Diligens scriptor fuit Antonius Dülcken O. Carth. Coloniae 1560 natus, ab a. 1614 Carthusiae Friburgi prior († 1. Oct. 1623). Plura opuscula ascetica latine vertit ex lingua itala vel hispana [2]). — Multa opuscula reliquit Philippus Bebbius S. J. Leodiensis († 1637), inter quae est *Vindiciae Ursulanae* seu t. prior, quo primigenia historia ss. Ursulae et undecim millium virginum cum traditione coloniensi contra adversarios asseritur, Coloniae 1647 in f. Hoc in op. socium laboris habuit Herm. Crombach († 1680), qui opus complevit adjecto t. altero, ut infra dicemus. — Bartholomaeus Salutius O. Min. strict. Obs. sanctitate et vitae integritate per universam Italiam et Galliam

---

[1]) Cf. Villiers I, 400; Henr. M. a ss. Sacr. in coll. script. O. Carm. Excalc. I, 157.
[2]) Cf. eorum elenchum KL. III, 2107.

inclaruit. Cum humanarum mentium caecitatem et dementiam cerneret, zelo Dei motus vehementer indoluit, et ut huic occurreret malo totam fere Italiam peragravit ac ferventissimis concionibus fideles ad sacramentorum frequentiam incitavit, dein libellis pietatem spirantibus editis prodesse voluit, quae prodierunt et seorsim et collectim Romae 1614 et Mediolani 1640 t. 2, inter quae eminet *Lux Animae* in 3 pp. Prima est *speculum Animae;* secunda *Hortus orationis;* tertia *Testamentum animae* cum Deo. Obiisse videtur 1621.

385. Inter *concionatores* hujus periodi, quorum jam plurium mentionem fecimus, haud parum laudatur Guilelmus Oonselius (van Oonsel) Belga Antverpiae natus 9. Aug. 1571. Aliquandiu in conventu ordinis patrio theologiam est professus, et conventibus brugensi gandensique praefuit († 3. Sept. 1630). Ex pluribus quae reliquit operibus[1]) sunt ex. gr. *Syntaxis instructissima* ad expeditam divini verbi tractationem ex variis conceptibus s. Scripturae ordine alphabetico concinnata, Antverpiae 1622; 1627; Parisiis 1665 etc. *Victoria ac triumphus sponsae Christi* apostolicae, catholicae ac romanae Ecclesiae: item casus ac ruina calvinisticae, evangelicae haereticaeque synagogae, lingua vernacula, Gandavi 1625 in 8; *Hieroglyphica sacra* i. e. rerum sacrarum et divinae sapientiae arcanorum sacrae notae ex s. literis et Ecclesiae doctorum scriptis studiose collectae, ac in ordinem redactae et breviter explicatae, Antverpiae 1627 in 12; *Clavis cellarii* divinae et humanae sapientiae ad conciones formandas per totum annum, auctore Mich. François Insulensi O. Praed. († 1502), quod opusc. ab infinitis mendis purgavit iterumque edidit, Antverpiae 1613 etc. — Joannes Boden Silvaeducensis, qui diu pastoris et ecclesiastae munere in civitate patria functus est, muneris sui fructum omnibus communem esse voluit editis concionibus moralibus et doctrinalibus, quibus catechismum explanat *de praeceptis decalogi* Antverpiae 1621 in 8; *de fide et symbolo,* de spe, oratione dominica et salutatione angelica, Lovanii 1625; *de VII sacramentis,* de sacrificio missae, de peccatis etc., Antverpiae 1631 in 8. — Christophorus de Avendaño O. Carm. Pincianus, quem aequales Chrysostomum Hispanum vocabant ob mirum acumen ingenii, conceptuum affluentiam, dicendi dexteritatem et eruditionis exuberantiam († 8. Febr. 1628), plurimas reliquit conciones, quarum multae in praecipuas totius anni festivitates latine prodierunt inscriptae *Aurea corona sanctuarii,* Coloniae 1660 in 4. — In Polonia emicuit Fabianus Birkowski O. Praed. Leopolitanus (1566—1636), qui primariis suae nationis concionatoribus hujus aevi accensetur. Laudatur stili ipsius nitor atque puritas. Cf. Lüdke KL. II, 861 s. — Joannes de Loyac O. Carm. regi Galliae a consiliis, eleemosynis et concionibus collegit *La Bibliothèque sacrée* ou recueil des plus beaux sermons et homélies de ss. Pères etc., Paris 1634 t. 1. (m. 80). — Eodem tempore Petrus Blanchot[1]) O. Minim. collegit *Bibliothecam concionatoriam* ss. Patrum et celebriorum romanae Ecclesiae Doctorum, Parisiis 1631. 1633; quam sodales Michael de la Noue cum *Auctario* Parisiis 1644 in 4. et Petrus Piart ib. 1653; 1655 in f. typis iterum dederunt. — Franciscus Labbata S. J. Caesaraugustanus († 26. Mart. 1631) praeter alia collegit *Apparatum concionatorum* seu locos communes ad conciones ordine alphabetico, Lugduni 1615—21 t. 3 in f.; Coloniae 1629 etc.

[1]) Cf. Echard II, 465.

[1]) Alius Petrus Blanchot senior dictus erat advocatus regius Bourgognius interfectus a. 1632, qui nonnulla ad jus spectantia edidit.

V.

Theologi annorum 1641—1663.

I. Theologia scholastica.

386. Lucidissimum theologiae scholasticae sidus *Hispania* protulit, Joannem de Lugo[1]) S. J., qui, si spectes ingenii subtilitatem, vel eximium Suarez excellit. Patria fuit Hispalensis, natus licet Matriti 25. Nov. 1583 de nobilibus parentibus. Ab ipsis fere incunabulis ea fuit facilitate ingenii, ut vel triennis potuerit et libros et literas manu exaratas legere: annos natus quatuordecim theses ex logica publice propugnare. Volente patre cum fratre suo juri operam dedit, in quo summopere profecit, ut ejus de hoc argumento testatur opus. Societatem Jesu est ingressus fratris sequens exemplum patre admodum invito. Absolutis studiis annis 5 philosophiam et totidem theo-

[1]) Ab ipso distingui debet ejus frater Franciscus pariter S. J. (n. 1580, † 1652) insignis etiam theologus, scientia non minus quam virtute, humilitate praesertim, eximius. Is animorum zelo succensus missionem ad Indos petiit et obtinuit; sed cum in America propter ingenii praestantiam cathedris theologicis citra suum desiderium occuparetur, Hispaniam repetiit. In reditu tamen in piratas incidens, ipse quidem evasit, sed maximae partis commentariorum suorum in totam Summam s. Thomae jacturam fecit. Opera ejusdem, quae sunt admodum rara, sunt: *Theologia scholastica* in 1. p. d. Thomae 3 ll. continens 1. de Deo; 2. de Trinitate; 3. de angelis, Lugduni 1647 in f.; *decursus praevius* ad theologiam moralem sive de principiis moralibus actuum humanorum h. e. de conscientia et motu animi voluntario, Mantuae 1642 in 4; tractatus *de septem Ecclesiae sacramentis* praxim potius quam speculationem attendens et intendens, Venetiis 1652 in 4., sed prodiit tantum t. 1., in quo de tribus agit sacramentis; opusculum *de sacramentis in genere,* Vallisoleti 1638; Granatae 1644 in 4. — Toto seculo his anterior est Jo. Bern. Diaz de Lugo, de quo egimus II, 1553, — Alexander Rubeus de Lugo O. Conv. natione Italus fuit scripsitque totius phisosophiae *cursum*, in quo mens Scoti aperitur, Bononiae 1657 pp. 4 in 3 v., opus rarissimum (m. 66); *Controversiarum metaphysicalium* (17) inter Scotistas, Bononiae 1654 tomus unicus; *de controversiis theologicis inter Scotistas,* in quibus potiores (62) difficultates examinantur atque germana mens Scoti aperitur, Bononiae 1651 in 4. t. 2 in 1 v. *Resolutiones morales,* in quibus potiores casus conscientiae frequentius in qualibet materia occurentes juxtra mentem Scoti et d. Thomae examinantur et solvuntur, ib. 1653 in 4. opus rarum. Cf. de his scriptoribus Morgott KL. VIII, 281—292.

logiam Vallisoleti professus est. Romam evocatus (1621) annorum 20 spatio tenuit cathedram theologiae in collegio romano tanta nominis celebritate, ut ejus dictata ab amanuensibus excerpta in alias quoque fuerint transmissa regiones. Erat quippe in seligendis melioribus sententiis praestantis judicii; in explicandis iisdem eximiae claritatis et cum perspicuitate conjungebat congruam brevitatem. Sed ut literis, ita praelucebat omnibus virtutum exemplo, et intentus suis officiis et studiis curis aliis non se implicabat, nisi obedientia ad hoc illum impulisset. Post excusos tres tomos cum judicaretur expedire, ut t. 1. de jure et justitia Urbano VIII. dedicaret, ea occasione necesse habuit adire summum pontificem, quem nunquam antea fuerat allocutus. Delectatus Urbanus VIII. et libro et prudentia et doctrina patris, saepe postmodum opera illius usus est: denique nec praemonitum nec vel levissime quidpiam suspicantem cardinalem declaravit 14. Dec. 1643. Erat tunc forte de Lugo cum ceteris patribus in triclinio prandebatque sed parcissime more suo, quando allatus de promotione nuncius et mox submissus a card. Francisco Barberino currus cum literis, quibus evocabatur statim ad pontificem, attonito eum similem reddiderunt. Paruit tamen ivitque, sed nec nuncianti honorarium, ut moris est, dari voluit, eo quod rem sibi non gratam detulisset, nec vacationem a scholis aut alia laetitiae signa in collegio romano edenda judicavit, et rhedam, qua vectus est, suum feretrum appellavit ad sepulcrum. Nonnisi expresso pontificis praecepto induci potuit ad tantam acceptandam dignitatem. Verum purpura indutus humilitatem religiosam non dimisit, neque pietatis exercitia a regulis praescripta neglexit: sacrum quotidie quoad per valetudinem licuit celebrabat et post illud saepe per horam in gratiarum actione transigebat. Ad exercitia spiritualia in domo aliqua societatis Jesu obeunda quotannis secedebat. Pauperum vere exstitit pater, in quos de facultatibus, quibus non valde abundanter instructus erat, supra mille aureos singulis annis erogabat. Morienti ultima sacramenta administravit card. Sfortia Pallavicini suus olim in theologia dilectissimus discipulus. Animam Deo reddidit 20. Aug. 1660 a. aetatis 77. Sepeliri voluit ad pedes s. Ignatii, ut „ubi fuerat thesaurus ejus, ibi esset cor ejus“, ut legimus in epitaphio. Excultissimus fuit in theologia scholastica et morali, „qui post d. Thomam non temere inter alios theologos facile princeps dici potest, cum in dubiis discutiendis hic auctor saepe, nullo praeeunte, falcem ita ad radicem ponat, ut rationes, quas ipse in medium adducit, difficulter solvi queant[1]).“ Aliorum theologorum opiniones atque argumenta accuratae plane atque solidae crisi subjicit, quaeque ei probantur, expolit, ultimaque veluti apposita manu perficit, adeo ut in quaestionibus, quas ipse pertractat, praetermitti nequeat. Prodierunt ejus *opera omnia*[2]) Lugduni 1652 t. 7 in f. (fr. 150); Venetiis 1718; 1751 v. 7 in f.; Parisiis 1868 v. 8 in 4. Editionis venetae t. 1. et 2. complectitur disputationes *de justitia et jure;* opus solidissimum; sicut et sequens (3.) disputationes scholasticae et morales *de virtute fidei divinae;* 4. disput. scholasticas *de incarnatione;* 5. disput. scholasticas et morales *de sacramentis in genere; de ven. Eucharistiae sacramento et de sacrosancto Missae sacrificio;* 6. disput. scholasticas et morales *de virtute et sacramento poenitentiae;* item *de suffragiis et indulgentiis;* 7. *responsorum moralium ll. 6,* quos edidit nonnisi urgente Pallavicino. Plura ejusdem opera manserunt inedita.

---

[1]) Ita s. Alph. Liguori, theol. mor. l. 3 n. 552. Hinc sola Lugonis auctoritate factum est, ut plures opiniones ante minus probabiles, factae sint postea communiores. Cf. Ballerini in ed. Gury II, 362.

[2]) Singulorum operum editiones cf. apud Sommervogel V, 176—80.

Posthums prodiit *disp. scholasticarum et moralium* de Deo, angelis, actibus humanis et gratia t. unicus, Coloniae (c. 1716).

387. Hunc tamquam astra majoris minorisve ordinis quamplurimi comitantur, e quibus illos prius indicabimus, qui sententiarum libros commentati sunt, ut Franciscus del Castillo Velasco O. Min. Matritensis, cujus exstant super 3. sent. l. t. 1. *de incarnatione Verbi divini et de praeservatione V. Mariae ab originali;* t. 2. *de tribus virtutibus theologicis* fide, spe et caritate, juxta doctrinam et mentem Scoti, Antwerpiae 1641 in f. — Franciscus Irribarne O. S. Franc. ex oppido vulgo Baigorri Navarrae inferioris († 1656), reliquit *in 4. l. sententiarum* t. 2 in f. Caesaraugustae 1614. 1615; *de actibus humanis*, ib. 1643 in f., et jam prius Venetiis 1635 in 4.

388. Plurimi vero *in s. Thomae summam* commentati sunt, et quidem ex ordine Praedicatorum eminet Joannes a s. Thoma Olisipone patre Hungaro editus 9. Jul. 1589. Conimbricae humanioribus literis et philosophiae, Lovanii theologiae operam dedit summo cum profectu. Post ordinis ingressum (1612 vel 1613) Complutum missus sodales philosophiam tum et theologiam edocuit. Dum vero in illa universitate primarias regeret cathedras, tantam auditorum accivit frequentiam, ut vix unquam alius tot et tantos habuisse credatur. Assequendo illustrandoque angelico praeceptori Aquinati assiduus erat, a quo vel minimum aberrasse summa illi semper religio fuit, cujus et propterea ubique audiit fidissimus interpres. Magna erat ejus in Hispania auctoritas[1]), magna et apud regem Philippum IV. gratia, qui illum propterea in conscientiae selegit moderatorem (1643). Haud aliter regiae voluntatis suscepit nuncium, quam si capitis illi lata sententia fuisset, ita indoluit. „Actum est, patres, dixisse fertur, de vita mea, mortuus sum, rogate pro me.“ Non diu tamen hoc munere est functus, brevi e vivis ereptus 15. Jun. 1644 a. aetatis 55. In ultimo morbo „protestatus est coram v. eucharistico pane, se nihil per 30 totos annos aut scripsisse aut docuisse, quod non judicaret et veritati consonum et doctrinae s. Thomae conforme.“ Ceterum „tam severus erat sui ipsius judex, ut quotidianos animi defectus, carne setaceis textis ac verberationibus edomita, crebro expiaret, quod vel ipsimet libri cruore imbuti... testatissimum a morte ipsius fecerunt.“ Praeter opera philosophica[1]) rara et cara Matriti 1648 in 4., collecta in *cursum philosophicum* thomisticum, Coloniae 1638-54 t. V in v. 3 in 4 (m. 100); Romae 1636—37 t. 9 in 8; Lugduni 1663 in f. (m. 120); Parisiis 1884 t. 3: *cursum theologicum* conscripsit t. 8 in 5 v. in f. comprehensum per modum commentarii fere in universam s. Thomae summam, quorum 7 priores prodierunt Lugduni (plerique etiam Matriti) 1643—1663; 8. Parisiis 1667, editionem curantibus Franc. Combefis et Jac. Quetif ex ejus mss. (m. 280); 1888 t. 10. In t. ultimo reperitur etiam ejusdem vita; in primo tractatus de doctrina s. Thomae hoc titulo: *Speculum sine macula* i. e. tractatus de approbatione, auctoritate et puritate doctrinae d. Thomae Aq. (Augustae Ubiorum 1658 in 8). — Ex eadem religiosa familia fuere: Marcus Serra Alcodii in regno valentino natus atque inter a. 1647—1650 vita functus, cujus habemus *Summam* (sat raram) *commentariorum* in 1 p.: 1. 2;

[1]) Cf. Nic. Antonius I, 785; Echard II, 538.

[1]) Philosophiam praeter alios excoluit Petrus Fernandez Torrejon aliquamdiu S. J. (usque ad a. 1622). Compluti philosophiae et theologiae professor, cujus opera recenset Sommervogel III, 658. Obiit 25. Mart. 1645.

2. 2; 3. p. (q. 60—83) t. 10 in 12. Romae 1653—1662. — Thomas Villar Catalanus (e Vich de Ausona) vir doctus et in enodandis nodis theologalibus acutus, clarus et expeditus[1]), edidit *Summae controversiarum* in 1. p. t. 2 in 8., Barcinone 1638 et 1646 (scil. controversiae 103 in qq. 1—23; et controv. 100 in qq. 27—64); t. 3. controversiarum in 1. 2. cum tractatu *de conscientia,* ib. 1647 in 8. Theologis in re morali gravibus accensetur. — Joanni Ildephonso Baptistae Caesaraugustano capitulum generale ordinis Romae 1644 coactum „in virtute Spiritus s. et sanctae obedientiae et sub formali praecepto" mandavit, „ut quamprimum typis mandaret commentaria, quae edidit in totam 1, 2. angelici praeceptoris". Prodierunt autem t. 3 (ad qq. 1—8—17—48 Lugduni 1648. Sodalibus tamen haud paucis displicuere, quae de conscientia scripsit t. 3. ad q. 19 a. 5. 6. p. 377—605, ubi „plura habet de probabilitate s. Thomae et antiquorum ejus discipulorum scholaeque thomisticae communi adversa, in quibus ipse se ab antiquis discedere et recentioribus auctoribus praesertim Soc. Jesu adhaerere profitetur[2])," hinc a non paucis sodalibus impugnatus fuit; ab aliis vero theologis auctor gravis et doctissimus habetur. Adversus Joannis Baptistae Poza S. J. A los Jueces de la verdad y doctrina scripsit *Apologia* por la autoridad de los doctores de la Iglesia y santos Padres, Caesaraugustae 1628. — Caspar Ruiz Pincianus primariam in patria academia theologiae cathedram a duce de Lerma erectam rexit, et *quaestiones selectas* reliquit in 3. p. Summae s. Thomae sive *commentaria* circa illas in quibus defenditur doctrina illius ab omnibus sinistre eam intelligentibus ex quolibet sint instituto, Pinciae 1652 in f. — Alphonsus Miguel (al. Ildephonsus Michael) Zamorensis, collegii s. Thomae complutensis professor primarius et regens, inter theologicas disputationes a puero consenescens *commentarium* edidit super 1. p. s. Thomae, Compluti 1658 in f.

[1]) Echard II, 555.
[2]) Ita Echard II, 558.

389. Ex Cisterciensium familia Petrus de Oviedo in 1. p. et 1, 2. s. Thomae commentatus est. Docuerat is theologiam in gymnasio complutensi ex ordinaria et supremae proxima seu vesperorum cathedra. Migravit hinc ad occidentales Indos episcopus insulae s. Dominici destinatus. Ab hac translatus est ad quitensem (1629), dein (1645) ad argentinensem (La Plata, Charcas. † 18. Oct. 1649). — Ex Carmelitarum familia praesertim mentione est dignus: Antonius a Matre Dei. antea A. de Olivera dictus († 1641) Legionensis, qui auctor est praecipuus celebris cursus artium complutensis, qui Compluti 1624 coepit prodire hac inscriptione: *Collegium complutense philosophicum* h. e. artium cursus sive disputationes in Aristotelis dialecticam et philosophiam naturalem juxta angelici doctoris d. Thomae doctrinam et ejus scholam. Tomi primi, qui Logicam complectitur, auctor est Michael a ss. Trinitate († 1661); trium sequentium Antonius noster[1]). Magno plausu cursus hic fuit ab eruditis, thomistis praesertim, receptus, ideoque recusus

[1]) Quatuor saltem distinguuntur scriptores ejusdem nominis et sodalitii: Praeter nostrum alius fuit Avenionensis vir prudentia ac pietate clarus, definitor ac provincialis († 14. Jul. 1662), qui nonnulla pia opuscula conscripsit, quibus fidelium devotionem erga s. Joseph promoveret, eoque fine pulchra diss. exposuit *Thesaurum inaestimabilem meritorum s. Joseph,* modumque tradidit omnia opera exercendi in honorem Jesu, Mariae et Joseph, Avenione 1646 — De tertio († 1679) agemus t. seq. — Quartus A. a Matre Dei patria Catalaunus reliquit ascetica (inedita). Praeter hos est quintus, non Carmelita, sed O. S. Pauli, de quo t. seq. agemus. Cf. Michael a s. Jos. 1, 271 s.

Francofurti 1629; Lugduni 1637; 1651 et 1668. Defuerunt porro huic cursui aliquot partes. Blasius a Conceptione O. Carm. Gallus visitator generalis, qui propter docendi munus pluribus in scholis ordinis splendide gestum „magister totius ordinis“ fuit salutatus, adjecit Metaphysicam, quae prodiit Parisiis 1640 et 1642, ut t. V. in ed. lugdunensi a. 1651 et 1668; insuper et *Philosophiam* quoque *moralem*, Parisiis 1647. Cum vero tironum captui cursus ille minus esset accommodatus, eum retractavit (seclusa metaphysica) Joannes ab Annunciatione, de quo infra, ediditque inscriptum: Collegii Compl. fr. disc. b. M. de monte Carm. *artium cursus* ad breviorem formam collectus et novo ordine atque faciliori stilo dispositus, Lugduni 1669—71 t. 5; Coloniae 1732. T. 3. adjectae sunt 2 disp. de principio individuationis rerum materialium, et de essentia, exsistentia et subsistentia; necnon tr. *de coelis et meteoris.* Hinc cursus integer constat t. 7. Est hic cursus prodromus celeberrimi cursus theologici, qui inscribitur: Collegii salmanticensis fratrum discalceatorum B. Mariae de monte Carmelo primitivae observantiae *cursus theologicus summam theologicam d. Thomae ang. complectens* juxta miram ejusdem angelici praeceptoris doctrinam et omnino consone ad eam, quam complutense collegium ejusdem ord. in suo artium cursu tradidit. Hujus cursus tomi tres priores sunt pariter Antonii nostri [1]), quorum 1. est in qq. 1—26 p. 1., Salmanticae 1631 in f.; t. 2. in qq. de ss. Trinitate, ib. 1637; 3. in qq. de angelis, ib. 1641. Dominicus a s. Theresia († 1654) adjecit t. 4. et 5. in 1. 2. p., scil. de fine ultimo, de beatitudine, de voluntario, de bonitate et malitia actuum humanorum, de peccatis. Joannes ab Annunciatione quondam congregationis hispanicae generalis, cursum complevit, additis tr. *de gratia, de virtutibus theologicis,* de statu religioso, de incarnatione, de sacramentis in genere, de eucharistia et poenitentia. Prodiit autem Lugduni, Coloniae, Venetiis, Matriti 1679—1712 t. 12 in 14 v., et magni etiam nostro tempore aestimatur (m. 500): quare Palmé novam editionem curavit Parisiis 1871. Sodales salmanticenses postmodum cursum theologiae moralis ediderunt, de quo alias. — Ferdinandus a Jesu Gienni in Hispania n., ob auream dicendi vim et eloquentiam sui seculi Chrysostomus cognominatus († 1644 a. aetatis 73), scripsit *commentaria* in 1. 2. qq. 6. 7., Conimbricae 1606; in qq. 49—54; ib. 1606; in 3. p. qq. 1—26; Beatiae 1613 in 4; tr. *de Trinitate,* Conimbricae 1606; *de donis Spiritus s. et legibus,* ib. 1612; *Prooemium* totius s. Scripturae, Beatiae 1613 in 4; *de summo pontifice* et conciliis, Conimbricae 1617. — Josephus de Corduba O. S. Aug. Abulensis teste Ossinger t. 4 in d. Thomam publico communicavit. — In 3. p. deque incarnationis mysterio *commentarium* in qq. 1—24 edidit Joannes Prudentius caesaraugustanus O. Merc. in academia complutensi primarius theologiae professor, Lugduni 1654. Quaedam ejus *opera theologica* posthuma prodierunt Lugduni 1690 in f.

390. Plures fuere e societate Jesu Thomae interpretes. Praecipui sunt: Antonius Perez Pontireginensis in dioecesi pampilonensi (n. 1599, † 27. Febr. 1649), theologiae Salmanticae et Romae professor, vir summi et acutissimi ingenii, de quo Sfortia Pallavicinus, postea cardinalis [1]): „A. Perez in theologico magisterio collega, vir

---

[1]) Dubitant tamen vel negant Kerker Kirchenlex. IX, 580 ed. 1. et Peters ib. I, 991 ed. 2., sed nobiscum sentiunt non solum bibliographi veteres, verum etiam Stanonik in docto et accurato art. ib. III, 769.

[1]) Vindicat. Soc. Jes. c. 36.

ingenio mortalium, quos ego viventes ubique noverim, aut unquam in societate nostra floruisse sciam, pro mea aestimatione nulli secundus, simulque religione ac pietate inclitus.« Ob doctrinae ac ingenii profunditatem »theologus mirabilis« nuncupatus est: sed nimis sectatur subtilitates et hinc est obscurus ejusque opera, egregia alioquin, magistris tantum acutisque ingeniis sunt pervia. Haec reliquit opera: Conclusiones theologicae *de Deo trino et uno,* Romae 1648 in f.; *in 1. p. d. Thomae* tractatus 5, ib. 1656 in f.; *de justitia et jure,* de restitutione et de poenitentia, ib. 1669 in f.; *in 2. et 3. p.* tractatus 6, quorum 1. agit de vitiis et peccatis; 2. de divina gratia auxiliante; 3. de justificatione impii; 4. de virtutibus theologicis; 5. de incarnatione Verbi, 6. de perfectionibus Christi; Lugduni 1669 in f., praemissa ejusdem vita. — Franciscus de Oviedo Matritensis Aristotelem interpretatus est Oropesae et Compluti, dein tradidit theologiam morum in academia regia matritensi; scholasticam Murciae et Compluti. Vir erat acuto ingenio et in seligendis, tractandis enodandisque quaestionibus, praesertim moralibus, solido judicio: in disputando acer, sed adeo modeste sui compos, ut in disputationis ardore nihil acerbius reponeret († 9. Febr. 1651). Praeter integrum *cursum philosophicum,* Lugduni 1640 t. 2; 1651; 1663 in f., scripsit quoque *tractatus theologicos* scholasticos et morales respondentes 2. 2. p. ib. 1646 in f.; *de virtutibus fide, spe et caritate,* ib. 1651 in f. — Bernardus de Alderette[1]) Zamorensis (n. 1594; † 15. Sept. 1657) mira ingenii felicitate praeditus, philosophiam Compostellae et Vallisoleti tradidit; theologiam vero Salmanticae 24 annis magno cum plausu. D. Augustini et d. Thomae opera studio tam attento versaverat, ut quoties inter disputandum de ipsorum auctoritate dubium incidisset, statim quo loco, qua etiam pagina ss. doctores ea de re agerent, clare nec unquam fallente memoria depromeret. Doctrinae par fuit aut etiam major virtus, innocentiam infantis cum eximia sapientia conjungens. Orationi in primis addictus dubium fecit, num in orando an in studendo magis assiduus exstiterit; indignum theologo dictitans semper inter divina versari et mentem meditationibus divinis jejunam gerere. Haec sunt ejus opera: *Commentariorum ac disputationum* in 1. p. t. 2, scil. 1. de visione et scientia Dei; alter de voluntate Dei et praedestinatione et reprobatione, Lugduni 1662 in f.; in 3. p. *de mysterio incarnationis Verbi divini* t. prior, ib. 1652 in f.; *de sacris incarnati Verbi mysteriis et perfectionibus,* ib. 1652 tomus posterior.

391. Hos proxime sequuntur, qui integrum Theologiae cursum seu Summam composuerunt, cum plerumque s. Thomae vestigia legerint atque ad ejus summae normam disputaverint. Huc spectat Caspar Hurtadus S. J. Mondexarensis, qui Compluti ad doctoralem theologiae lauream cum eruditissimis viris inito certamine primum inter competitores locum occupavit. In eadem academia primarius philosophiae professor fuit, dein post suum in societatem Jesu (1607) ingressum theologiam tum Murciae, tum Matriti, tum Compluti annos amplius 30 docuit. Vitae mortalis finem fecit 25. Augusti 1646 septuagenario major, inter primarios societatis Jesu viros propter eximiam scientiam et virtutem merito reponendus. In suis operibus breviter, solide ac dilucide difficillima quaeque explicat. Sunt vero haec: *De Deo,* Matriti 1642;

[1]) Distingui hic debet a Josepho Alderette S. J. († 1616) et Bernardo Alderette, qui erant fratres, patria Malacitani, quorum alterum multum laudat Nic. Antonius propter insignem morum probitatem, modestiam magnamque eruditionem atque antiquitatis cognitionem. Cf. ejus opera in bibl. hisp. n. I, 221.

1662 in 4; *de beatitudine, actibus humanis,* bonitate et malitia, habitibus virtutibus et peccatis, Matriti 1632 in 4; *de fide, spe et caritate,* ib. 1632 in 4; *de justitia et jure,* ib. 1637 in 4; *de incarnatione Verbi,* Compluti 1628 in 8; *de sacramentis in genere et in specie* de baptismo, confirmatione, poenitentia et extrema unctione, ib. 1628 in 8; *de eucharistia, sacrificio missae et ordine,* ib. 1620 in 8; *de matrimonio et censuris,* ib. 1627; Lugduni 1629. Disputationes *de sacramentis et censuris* prodierunt iterum simul Antwerpiae 1633 in f. — Ludovicus Caspensis O. Cap. († 1647) integrum reliquit *cursum theologicum* complectentem praecipuas materias, quae in scholis tradi solent, secundum ordinem d. Thomae, Lugduni 1642. 1643 v. 2 in f.; Venetiis 1666 editio locupletior, sed rara. Scripsit quoque *apologiam* in defensionem annalium Zach. *Boverii.* Auctor est in theologia morali gravis. — Alium theologicum cursum secundum mentem doctoris subtilis incepit, sed non absolvit Joannes Merinero O. S. Franc., Matritensis, per annos multos theologiae professor, dein designatus episcopus civitatensis, demum vallisoletanus (1663), vir mansuetus, prudens et pius, a plerisque episcopus „sanctus" appellatus. Complectitur ille cursus tractatus *de scientia Dei et voluntate, de praedestinatione et Trinitate; de beatitudine, de actibus humanis, bonitate et malitia morali peccatoque actuali,* Matriti 1668 v. 2 in f. Exaraverat etiam *cursum philosophiae* juxta doctoris subtilis mentem, Matriti 1659 t. 5, et tractatum *de conceptione Deiparae V. M.* seu de hujus articuli definibilitate (hispanice), Vallisoleti 1652 in 4. — Michael Ripol de Atienza O. Carm. Caesaraugustanus, suae provinciae bis praepositus († 1648 a. aetatis 84) scripsit plures tractatus, quorum nonnulli in compendium redacti prodierunt una cum tractatibus sodalium (Aug. Palacio et Martini Ximenez de Embun) inscripti *Theologia abbreviata*... ex diversis... sapientissimis magistris per F. M. Dionysium Blasco... compilata et resumpta, Caesaraugustae 1670. — Ejusdem ordinis fuit Joannes Baptista de Lezana Matritensis, quem aequales passim magnis celebrant encomiis[1]). Natus est 23. Nov. 1586, ordinem Carmelitarum ingressus 1601 Toleti philosophiae, theologiae Compluti sub doctissimo Ludovico Montesino (cf. p. 666) vacavit. Romam venit ad comitia generalia sui ordinis (1625), nec inde unquam amplius discessit. Praefectum studiorum et theologiae praeceptorem egit in coenobio S. Mariae transpontinae, socium quinque aut sex ministrorum ordinis generalium, ascendissetque ad supremam illius praefecturam jam ab a. 1645, tantum si exorari potuisset, ut rem sollicitantibus assensum commodasset. Praeterea in gymnasio Sapientiae totos 16 annos docendae metaphysicae inter tot occupationes incubuit: adhibitus quoque fuit a summis pontificibus consultor diversis in congregationibus. Vitam piissimam absolvit 20. Mart. 1659 a. aetatis 74. Ex plurimis quae reliquit operibus historicis, moralibus, scholasticis, haec prae ceteris mentione digna: *Summa theologiae sacrae* ex angelico doctore et aliorum maxime O. Carm. scriptorum doctrina, Romae 1651. 1654. 1658 t. 3, quorum primus respondet 1. p. Summae s. Thomae; secundus 1, 2; tertius 2, 2. (ex parte), opus rarum; liber apologeticus *pro immaculata Deiparae V. Mariae conceptione,* ubi non modo caruisse peccato originali, sed nec in Adamo peccasse, nec illius debitum proximum habuisse defenditur, Matriti 1616 in 4; *Summa quaestionum regularium* seu de casibus conscientiae ad personas regulares utriusque sexus spectantibus juxta nova decreta . . . ss. pontificum et ss.

[1]) Cf. Bibl. hisp. n. I, 650; Villiers I, 772—9.

congregationum etc. Romae 1634 seqq., pp. 5; Venetiis 1646; 1654; Lugduni 1655; 1678, saepius dein recusa; magni etiam nunc aestimatur. *Consulta varia* theologica et juridica et regularia pro conscientiarum instructione circa controversias apud sacra tribunalia agitatas, quorum ultimum est de singularissimo Petri papatu in Ecclesiam d. Paulo ap. etiam excluso, Venetiis 1651 in f., cum praecedenti op. Lugduni 1655. 1656 t. 4 in f. Collegit quoque sed absque judicio critico *annales* sacros, propheticos et elianos Ord. bb. V. Mariae de Monte Carmelo, Romae 1654—56, t. 4 in f. (fr. 300), quorum compendium confecit belgice Petrus Wemmers ejusd. ord. Antwerpiae 1666 in 4.

392. Speciales tractatus ediderunt: Ludovicus de Ribas S. J. Valentinus, insignis virtutis vir, qui Caesaraugustae philosophiam, theologiam Valentiae plures annos explicuit († 3. Jan. 1647). Ejus est *Summae theologiae* t. 1. (et unicus), qui complectitur apparatum ad theologiam et tractatus 7, scil. de essentia Dei et attributis in communi; de attributis Dei transcendentalibus; de visione Dei; de scientia Dei[1]); de voluntate Dei, de providentia Dei; de praedestinatione et reprobatione, Lugduni 1643 in f. — *De Deo uno et trino* (Lugduni 1666 in f.) disputavit Leonardus de Penafiel S. J., origine Hispanus, natione Peruanus, patria Riobambensis, vir excellentis doctrinae et virtutis eximiae, qui philosophiam Limae, theologiam scholasticam et moralem Cusci docuit († 2. Nov. 1657). Disputavit quoque *de virtute divinae fidei,* deque infidelitate, haeresi et poenis haereticorum, Lugduni 1671 in f.; *de incarnatione Verbi divini,* ib. 1678 in f. — Hujus frater Alfonsus seu Ildephonsus pariter S. J. defunctus eodem anno et mense, quo Leonardus scil. 18. Nov. 1657, reliquit *cursum philosophicum,* Lugduni 1653—1679 v. 4 in f. et *theologiam scholasticam naturalem* de Dei natura, proprietatibus et attributis, entium naturalium formalitatibus, Lugduni 1678 t. 2 (fr. 36). — Horum sodalis Augustinus Bernal[1]) Magallonensis, philosophiae et theologiae per plures annos professor († 13. Sept. 1642), reliquit disputationes *de divini Verbi incarnatione*, Caesaraugustae 1630 in f., *de sacramentis in genere et de eucharistia*[2]) *et ordine in particulari*, Lugduni 1651 in f. — Franciscus Felix O. S. Franc. Matritensis, vir subtilis ingenii et rarae doctrinae reliquit: *De incarnatione* ad mentem doct. subtilis, Parisiis 1641 in 4; *Tentativae complutenses*, in quibus Joan. Duns Scoti mentem elucidat, Compluti 1642. 1645 t. 3 in 4. Agit in iis de fine hominis, de beatitudine, de actibus humanis, bonitate et malitia humanorum actuum, de conscientia, de habitibus et virtutibus; de visione Dei, de peccatis, de gratia: opus admodum rarum. Emisit insuper primum *Principium complutense* complectens tractatus de scientia Dei, de praedestinatione ac reprobatione, de Trinitate, Compluti 1646 in 4; 1659; *de divini Verbi incarnatione* tractatus ad mentem Duns Scoti, Parisiis 1641 in 4. — Joannes Muñoz O. Min. publici juris fecit *Disceptationes* (16) *et argumenta Complutensium* circa varias s. theologiae doctrinas, Caesaraugustae

[1]) *De primatu divinae libertatis* ad sciendum et decernendum de futuris contingentibus contra scientiam mediam (Valentiae 1654) scripsit Hieronymus Vives O. Praed., qui pluribus annis apud suos Oscae Valentiaeque theologiam docuit.

[1]) Alius a Philippo Bernal O. Praem., cujus exstat disputatio inscripta *Sententia de s. Thomas* en favor de la immaculada Concepcion de la Virgen M. de Dios, Burgos 1623 in 4., liber rarus.

[2]) De hac opus rarum reliquit Antonius Serpa O. S. Francisci, electus episcopus cochimensis in Orientis India, hoc titulo: *Eucharistica chronologia* ab ipso mundo per figuras legis naturae depicta et enarrata, Parisiis 1648 t. 2 in f.

1649 in 4., in quibus fere de universa disputat theologia. — Josephus de la Cerda O. S. Ben., interpres doctoris angelici in academia salmanticensi, ecclesiae dein almeriensis praesul (1637), post triennium (1640) translatus ad pacensem († 1645), vir fuit doctrina multa et varia, ingenio perspicaci, parataque adeo et facili eloquentia in commentariis pangendis, ut vix quidquam, quod e calamo in chartam fluxisset, deletum plurimis paginis deprehenderes. Exstant ab eo in magno pretio a multis habita, sed tantum ingeniosis pervia et utilia[1]): *De Maria et Verbo incarnato*, ubi et de s. Josepho ac de utroque Joanne, Almeriae 1640 in f.; *Maria effigies et revelatio Trinitatis et attributorum Dei*, quod opus (rarum) prodiit Matriti 1640 in f.; Lugduni 1662; *in s. Judith historiam* commentarius literalis et moralis, 1641 t. 2 in f.; Lugduni 1653. — Petrus Hurtado de Mendoza S. J., gente Cantaber, domo Valmasedanus, philosophiam Pompejopoli, theologiam Vallisoleti et Salmanticae per a. 30 cum laude docuit. Ejus indoles et ingenium lucent in scriptis, quae vulgavit: ea vix sine titulo laudis a doctis sui seculi scriptoribus citantur. Ingenio fuit acerrimo, doctrina eximia, quem doctissimus Ripalda semper magistrum veneratus est[2]): nec minus encomium ab integerrimis moribus et regularis disciplinae observantia promeruit. Quam tenerae in tanta eruditione conscientiae fuerit, id unum argumento esse poterit, quod nunquam cubitum concesserit, quin prius sacramentali confessione se expiaret: acciditque non semel, ut iter agens perveniensque ad locum, ubi sacerdotis copiam non haberet, rursus se viae commiserit, nonnullasque leucas confecerit, donec se ad pedes confessarii expetiti sisteret († 10. Nov. 1651).

[1]) Nic. Antonius I, 803.
[2]) Cf. Ripalda de fid. disp. 3. s. 1. n. 11.

Haec ejus doctrinae monumenta: Disputationes *de Deo homine* sive de incarnatione Filii Dei, Antwerpiae 1634 in f., opus rarum; *de tribus virtutibus theologicis*, Salmanticae 1631 t. 2 in f. Praeterea *universam philosophiam* in unum redegit corpus, Lugduni 1624 in f. (editio jam sexta). — Martinus Perez de Unanoa S. J., Valentinus, magnae penes omnes auctoritatis, philosophiam deinde et theologiam annos 14 Valentiae et aliquot iterum Barcinone docuit († 4. Martii 1660 a. aetatis 82), edidituque: *De Deo uno et trino* seu de mirabili ss. Triados mysterio opus theologicum 20 disp. divisum, Lugduni 1639 in f.; *de mirabili div. Verbi incarnatione,* opus theologicum 40 disp. divisum, ib. 1642 in f.; *de s. matrimonii sacramento* opus morale theologicum 60 disp. divisum, ib. 1646 in f.; *de virtute et sacramento poenitentiae* opus theologicum, scholasticum et morale confessariis omnibus maxime utile 57 disp. divisum, ib. 1656 in f.

393. Memoria dignissimus est Joannes Martinez de Ripalda[1]) S. J. Pampilonensis (n. 1594), summus cum card. de Lugo hac aetate in Hispania ac forte in Europa universa theologus scholasticus, subtilis in opinionibus subinde audacibus e cathedra propugnandis, vir apprime religiosus et innocentis vitae laude insignis. Philosophiam docuit Monteforti, Salmanticae theologiam tanta nominis fama, ut paucos ad eum diem ibi habuerit societas, quorum et viva vox et praelectiones majori in pretio fuerint habitae. Excelluit et in theologia morali et ex tempore fundate respondebat ad casus conscientiae

[1]) Alius ab eo est Hieronymus de Ripalda Aragonius n. 1537, qui puer a. 14 ingressus est societatem Jesu, et cujus nomen plurimum innotuit *catechismo* ab a. 1614 saepissime edito, nostra etiam aetate ut Matriti 1890, et in alias verso linguas. Obiit Ripalda 21. Apr. 1618. Cf. Sommervogel VI, 1864 ss.

variis ex locis ob doctrinae famam ad se delatos[1]). Matritum evocatus in regalibus studiis imperialis collegii moralis disciplinae interpretem egit, ibidemque mortalem hanc vitam deseruit 26. Apr. 1648. Haec sunt, quae edidit: *De ente supernaturali* disputationes in theologiam universam t. prior Burdigalae 1634 in f., t. posterior Lugduni 1645, appendix et t. 3. adversus articulos (Baji) olim a Pio V., Gregorio XIII. et novissime ab Urbano VIII. damnatos[2]) ll. 2, Coloniae Agrippinae 1648 in f.; Lugduni 1663—66 v. 2 in f., opus admodum rarum ingentique pretio aetate nostra propter controversias hoc de argumento obortas conquisitum, hinc iterum Parisiis 1870 t. 3 in f. recusum, ed. mendis infecta; tractatus theologici et scholastici *de virtutibus fide, spe et caritate,* Lugduni 1652 in f.; cum praecedenti Parisiis 1871—73 t. 8 in 4. *Brevis expositio literae magistri sententiarum,* cum qq. quae circa ipsam moveri possunt, et auctoribus, qui de illis disserunt, Coloniae 1635; Lugduni 1636; 1696; Venetiis 1737 in 8; Parisiis 1892, opus admodum utile pro studio Magistri. — Marcus Antonius Alos et Orraza Ord. SS. Trin. Red. captiv., Valentinus, reliquit praeter tr. *in Genesim,* Valentiae in f., et *de sensibus s. Scripturae* in 8., *selectarum disputationum theologicarum scholasticarum* primam p. Valentiae 1642 in 4. — Ildephonsus a s. Augustino O. S. Aug. reliquit *Theulugia mistica scientia* y Sabiduria de Dios misteriosa obscura y levantada para muchos, Compluti 1644 in 4.

1) Cf. Sotvellus in bibl. script. S. J.

2) Contra hos ll. prodiit: *Joan. Mart. de Ripalda e S. nominis Jesu vulpes capta* per theologos s. facultatis lovaniensis, Lovanii 1649 in 4. auctore Sinnigh, de quo cf. t. II.[2] n. 36. Schmid in op. Untersuchungen p. 20 de eo scribit: Wegen seines zersetzenden und auflösenden Scharfsinnes und seines mehr negativ kritischen Geistes kann man ihn den D. Scotus nennen unter den Thomisten des 17. Jahrh.

394. Beatissimae V. Mariae privilegia, praesertim immaculatum ejus conceptum, praeter aliquos jam laudatos ut Jo. B. de Lezana (p. 924), Merinero (p. 923), Jos. de la Cerda (p. 927) etc., plures vindicarunt, ut Caspar de la Fuente O. Min. Toletanus cum Josepho Maldonado Palaestinae, dein indicarum provinciarum commissario generali, Pedro de Alva et Joanne de Gutierrez in *Armamentario seraphico et regesto universali* pro tuendo titulo immaculatae conceptionis, Matriti 1649 in f. — Petrus Simanca O. S. Aug. in universitate granatensi theologiae professor († 1648), cujus sunt: *De immaculata conceptione* seu de immunitate b. V. Mariae a peccato originali et a debito illud contrahendi, Matriti 1640 in 8; *Una carta escritta a nuestro P. Innocentio X.* sobre la definicion de fee del articulo de la concepcion immaculada de la Virgin, ib. 1645 in f. — Franciscus Guerra O. S. Franc. ex oppido Villagarcia in dioecesi palentina, in scholis argumentator acer, e rostris declamator celeber, demum episcopus gaditanus († 1658), cujus exstat opus egregium *Majestas gratiarum ac virtutum omnium Deiparae V. Mariae,* Hispali 1659 v. 2 in f. — Ejus sodalis Gregorius Sanchez s. theologiae professor in complutensi coenobio s. Didaci, edidit tractatum *de statu immaculatae conceptionis Reginae angelorum,* Matriti 1662 in f. — Franciscus de Amolaz Joanni de Austria a secretis scripsit *Deiparae triumphum ab originali,* Barcinone 1655 in 4. — Andreas Pintus Ramirez S. J. Olisiponensis, vir pietate et doctrina insignis, qui aliquot annos s. literas est interpretatus († 23. Maj. 1654), praeter alia opera edidit: *Deipara ab originis peccato praeservata:* opus cathedris et suggestibus non inutile: ubi postquam scholastico tenore quaedam

breviter expenduntur, fusissime deinde a Scriptura et patribus amoeniores semitas exerrat calamus, Lugduni 1642 in f.; *Canticum canticorum Salomonis* dramatico tenore, literali allegoria, tropologicis notis explicatum, ib. 1642 in f.; *utriusque principum politices parallela* justae et iniquae ad c. XIV. Isaiae prophetae, ib. 1648 in f.; *s. Scripturae selecta* sive spicilegium explanandae literae moribus illustrandis, cujus 1. p. divini verbi interpretibus; 2. ejusdem concionatoribus administrat, Lugduni 1648 in f.; *commentarius in epistolas Christi Domini ad septem episcopos Asiae*, quae in Apocalypsi continentur ... non vulgaribus ad mores documentis locupletissimus, ib. 1652 in f.[1]). — Silvester de Saavedra O. S. Mar. de Merc., Hispalensis, postquam scripsit *de immaculata conceptione* lingua vernacula (Hispali 1615 in 8.), edidit: *S. Deipara* sive de eminentissima dignitate Dei Genitricis immaculatissimae, Lugduni 1655 in f. — Antonius Calderon Beaciensis, prius in patria philosophiam docuit; unde Salmanticam accersitus, ut inter sodales collegii conchensis in academico stadio decurreret, s. literas ex cathedris Scoti et s. Thomae interpretatus est tam in academia quam in Ecclesia ipsa salmanticensi, cum sacerdotium canonicum sibi obtigisset, quod s. Scripturae docendae partes juxta ritum ecclesiasticum habet commissas, dein et in ecclesia toletana[2]). Obiit designatus episcopus granatensis 1654. Prodiit ejus *pro titulo immaculatae conceptionis bb. Mariae* adversus duos anonymi libellos (Romae natos) l. unus, Matriti 1650 in 4. — Ludovicus Crespi et Borja congr. Orat. Valentinus, n. 2. Maj. 1607, praesul oriolanus (1652), dein (1658) placentinus, regius quoque legatus ad Alexandrum VII. in causa immaculatae conceptionis b. M. V., pro qua scripsit: *Propugnaculum theologicum definibilitatis proximae sententiae piae* negantis bb. V. M. in suae conceptionis primo instanti originali labe fuisse infectam, Valentiae 1653 in 4. Non caruit fructu ejus legatio: causa enim diligenter discussa edidit Alexander VII. constitutionem „Sollicitudo omnium ecclesiarum" pro immaculata V. conceptione. Scripsit quoque *Quaestiones selectas morales*, in quibus novae aliquae doctrinae Joan. Caramuelis episc. missiensis refutantur, Lugduni 1658 in 4. Decessit piissimus praesul in reditu in Hispaniam 19. (secundum alios 12.) Apr. 1663. — Joannes Baptista Poza S. J. Cantaber n. 1588 famosus factus est ob *elucidarium Deiparae,* quo haec continentur: Praevius explorator majori ex parte pugnax et contentiosus. De chronographia et geographia mysteriorum Virginis l. 1; de re paterna l. 2; de corpore V. l. 3; supplementum pro definiendo immaculato conceptu l. 4., Compluti 1626; Lugduni 1627 in 4., opus a congregatione Indicis 11. Apr. 1628 prohibitum propter singulares et temerarias propositiones, quas etiam nimia pertinacia ausus est tueri. Imo omnia ejusdem opera fuere prohibita 31. Jan. 1628 et 10. Dec. 1631: speciatim duae pro suis opinionibus apologiae[1]); ipse vero privatus fuit cujusvis muneris gerendi facultate, a scribendo abstinere, deinceps et in collegio conchensi perpetuo commorari jussus: postea pristinis videtur fuisse restitutus muneribus († 6. Febr. 1659). — Ludovicus del Campo O. Carm., dedit ad Inno-

[1]) Ab eo distinguendus est Laurentius Ramirez de Prado, vir doctus pluribusque muneribus splendidis functus († 1658), qui praeter opera ad jus civile spectantia edidit *Pentecontarchum* sive 50 militum ducem h. e. tot capitum corpus pulcherrimis philologiae sacrae et humanae coloribus variegatum, Antwerpiae 1612 in 4. *Luitprandi episcopi cremonensis opera* edi curavit, Antwerpiae 1650 in f., quae tamen editio non est prima, ut ipse putavit. De nostri operibus cf. Sommervogel VI, 832.

[2]) Cf. Nic. Antonium I, 106. n. I, 106.

[1]) Cf. Reusch Index II, 434 ss.

centium X. *Judicium de immaculata bb. V. Mariae conceptione* et pro illius ultima diffinitione et apostolica canonizatione, Hispali 1650. — Bartholomaeus de los Rios et Alarcon O. S. Aug. hispanus concionator celeber, Ferdinando Austriaco Belgii gubernatori a concionibus († 4. Maj. 1652), reliquit *Hierarchiae Marianae ll. VI,* Antverpiae 1641; *Horizon Marianus* sive de excellentia et virtutibus b. V. Mariae in IX tr. divisus super totidem ejus festa; X. vero tr. agit de nomine Mariae 1642 in f.; *Vitta coccinea* seu commentaria passionis et resurrectionis Christi, Antverpiae 1646. Dolendum eum nimis addictum fuisse Jansenistarum factioni in academia lovaniensi[1]).

395. Hispaniam hac periodo vere aemulata est Italia, cum vix pauciores in ea numeres scholae theologos. Horum praecipuus videtur Franciscus Amicus S. J. Cosentinus, vir profundae et copiosissimae doctrinae[2]), moribus praeditus candidis et prisca simplicitate evangelica prudentia temperata. Theologiam docuit 24 a. Aquilae, Neapoli, Graecii (in Styria), cujus academiae etiam quinquennio cancellarium egit († 31. Jan. 1651). Doctrinae ejus testimonium praebet *cursus theologicus* juxta methodum, qua in scholis Soc. J. ubique praelegitur annis quaternis, s. Thomae ordini respondentem, quem in lucem emisit 9 t. in f.; quorum 1. agit de Deo uno et trino, Viennae 1630; 2. de natura angelorum eorumque proprietatibus; 3. de ultimo fine hominis et mediis ad eum conducentibus et impedimentis abducentibus; 4. de fide, spe et caritate; 5. de jure et justitia, qui quondam prohibitus fuit 18. Jun. 1651 „donec corrigatur", propter tres propositiones, quas dein Alexander VII (n. 17) et Innocentius XI (n. 32. 33) damnarunt. Quae prohibitio tamen modo sublata est. Tomus 6. agit de augustissimo incarnationis mysterio; 7. de sacramentis in genere, de baptismo, confirmatione et eucharistia; 8. de sacramento poenitentiae et extremae unctionis; 9. de magno matrimonii sacramento, qui omnes t. prodierunt Duaci 1640 ss. et Antwerpiae 1650 ed. 3. — Alius ab eo est Bartholomaeus Amici[1]) pariter S. J. Anzii n. 1562 in regno neapolitano, qui scripsit *in universam Aristotelis philosophiam* notas et disputationes, quibus illustrium scholarum Averrois, d. Thomae, Scoti et Nominalium sententiae expenduntur, earum tuendarum probabiliores modi afferuntur, Neapoli 1623—48 t. 7 in 8 v. in f. Reliquit praeterea opusculorum *de aliquibus principiis communibus philosophis et theologis* ll. 3 distinctus t. 1. et 2., Neapoli 1638; t. 3. Romae 1644 in f. — Raphael Aversa[2]) a Sanseverino O. Cler. reg. min. quinquies praepositus generalis suique ordinis magnum decus, dicendi perspicuitate et ingenii acumine praeditus, *theologiam scholasticam universam* ad mentem s. Thomae elaboravit in pp. 6 et t. 9 distributam, qui seorsim variis in locis (Romae, Venetiis, Genuae, Bononiae) intra annos 1631—42 et variis inscriptionibus prodierunt: unde opus completum est valde rarum (m. 225). Pars 1. (t. 1. et 2.) agit de Deo in se

[1]) Cf. Liv. de Meyer in hist. controv. vindic. l. 2 c. 8. 9; Fries Ztschr. f. k. Theol. XX (1896), 636 et 658 s.

[2]) Ita Genér l. c. Quam copiose expendat quaestiones, uno exemplo ostendemus. Inquirens in modum, quo concilietur Christi libertas cum absoluta impeccantia, undecim enarrat conciliationis modos (de Inc. disp. 25 sect. 3), et in modo postremo adhuc septem vias diversas proponit.

[1]) Ab utroque distinguitur Ovidius Amici (de Amicis), qui disseruit *de primatu Ecclesiae* tam in spiritualibus quam in temporalibus, Romae 1633.

[2]) Alterius Raphaelis Aversae O. Min. mentio fit in bibl. franc. III, 31, cui tribuitur tr. de eucharistia, poenitentia et extrema unctione, Bononiae 1642, sed is alius non videtur a nostro.

et rerum principio; 2. de Deo ultimo fine et mediis ad eum assequendum; 3. de fide, spe et caritate; 4. de sacramentis in genere, de baptismo et confirmatione; 5. de eucharistiae sacramento et sacrificio, poenitentia et extrema unctione; 6. de ordine et matrimonio. Elaboravit quoque *Logicam,* Romae 1623 in 4. et *philosophiam,* quae complectitur metaphysicam et physicam, ib. 1625. 1627 t. 2. Laudatur in hoc opere »compendiosa brevitas profundioris doctrinae succo non plane vacua[1]).« Cum magna doctrina juncta in eo erat virtus insignis, humilitas praeprimis, qua infulas sibi ab Innocentio X. et Alexandro VII. oblatas recusavit. Obiit 10. Jun. 1657 a. aetatis 68. — Joannes Benadu cler. reg. Matris Dei Lucensis, philosophiae et theologiae professor († 24. Febr. 1657) scripsit *Summam theologiae tripartitae,* cujus tantum p. I. et II. Romae 1651—52 prodiit.

396. In *libros sententiarum* scripserunt: Paulus Ciera O. S. Aug. Venetus, qui postquam Romae in Sapientia ss. libros interpretatus erat, factus est episcopus Civitatis novae et inde translatus ad sedem Vastinae in regno neapolitano († 1648). Edidit in l. 1. (sententiarum) Lombardi *responsiones ad quaesita omnia,* quae circa materiam de unitate et trinitate divinisque attributis a sapientioribus scholasticae theologiae patribus fieri solent, Romae 1633 in 4. — Christophorus Brenzonius O. Carm., cujus *commentarius in 4 ll. sententiarum* admodum rarus carusque quondam erat († 1648) — et Mauritius de Gregorio O. Praed. Cameratae, quod oppidum est Siciliae, natus. Neapoli non vulgarem ab eruditione multiplici ac in omni fere scientiarum genere famam sibi comparavit. Antiquitatum fuit studiosus et in quaerendis rarioribus arcanis sedulus perscrutator († 3. Nov. 1651). Plurima reliquit opera[1]), e quibus potiora sunt: *Commentarii laconici ad sensum prooemii paraphrastici in 4 sent. ll.* . . . ubi hoc in isto volumine mira brevitate, ordine ac claritate non solum universa theologia continetur cum terminorum concordantia Angelici, Subtilis doctorum, Aegidii augustiniani Baconiique carmelitae, sed etiam summatim omnes controversiae Scoti in s. Thomam simul per singulos ll. cum recentioribus, nec non oppositiones haereticales, cunctae earum etymologiae in cujuslibet distinctionis finem rejectae, et earum scriptores et contra centum millia falsorum deorum per abecedarium una cum 200 et eo forte amplius antiquarum recentiorumque opinionum disceptationibus... cum additione ejusdem stili quam brevissimi in hac ultima impressione omnium quaestionum et argumentorum Scoti, Aureoli, Gregorii Ariminensis et ceterorum a principe thomistarum M. Joan. Capreolo collectorum et solutorum et per M. Paulum Soncinatem in divinum epitoma sic nuncupatum et formalizatum, quod dicitur *Capreolinus* plus quam decies impressum propter ejus excellentiam: nec non Montagnoli, Ripae episc., Gonzalez, Nugni, Nazarii, Bagnezii, Medinae et aliorum recentiorum O. Praed. loca citata ad solvenda argumenta scotistarum ultimorum Herrerae, Radae, Vulpis plurimorumque etc., Neapoli 1645 in f.; *Anatomia totius Bibliae V. et N. T. et praecipue Apocalypsis* et de omnibus expositionibus suis seu de scriptoribus ecclesiasticis cum similitudinibus Homeri, Virgilii, Ciceronis et declaratione emblematum Alciati, Neapoli s. a.; *commentarii laconici ad sensum prooemii in 4 ll. contra gentiles,* ib. 1644 in f.; *aphorismi* seu Summa omnium con-

[1]) Michael a s. Jos. IV, 13.

[1]) Echard II, 567, qui ea distinguit in scholastica, dogmatica, paraenetica, canonica, casus morales et historica.

ciliorum et bullarum a d. Petro usque ad praesentem summum pontificem cum expositione laconica paraphrastica: etiam applicati ad ss. canones et ad margaritas abecedarias casuum conscientiae pro confessoribus etc. . . . cum apostilla abecedaria omnium casuum conscientiae, censurarum et sacramentorum et casuum reservatorum ex antiquis et recentioribus casuistis, ib. 1642 in 12; *Expositio laconica paraphrastica omnium bullarum ad sensum prooemii* ex prima sub d. Petro usque ad praesentem summum pontificem contra Quarantam, Capellanum, Novarium, Cherubinos patrem et filium et ceteros bullaristas, qui incipiunt solummodo ex Gregorio VII. a. 1073, derelinquunt etiam multorum aliorum pontificum bullas post Gregorium: modo vere adducuntur omnes, ita ut nullus remaneat pontifex, qui non fecisset saltem unam bullam seu ordinationem etc. cum variis appendicibus, Neapoli 1645 in f.; 1649. *Encyclopaedia* i. e. omnium scientiarum circulus ad sensum prooemii in IV ll. contra gentes, Neapoli 1652 etc.

397. Multi in exponendo s. Thoma[1]) versati sunt, ex quibus primus commemorandus est Xantes Mariales e nobili familia Pinardi, O. Praed. Venetus n. circa a. 1580, vir insignis doctrinae atque virtutis, lectioni et orationi ad decrepitam usque aetatem unice intentus († 1660), qui etiam propter lucubrationes lingua vulgari pro romani pontificis potestate editas a senatu veneto e coenobio suo ejectus fuit et in exsilium pulsus, ut modo Mediolanum, modo Ferrariam vel Bononiam illi fuerit confugiendum: demum ei Venetias licuit redire. Laboriosum ac ingeniosum virum eum fuisse testantur haec opera[1]): *Bibliotheca interpretum ad universam Summam s. Thomae Aq.* . . . h. e. solers examen universorum, quae a scriptoribus quibuscunque tum antiquis tum recentibus ad scholasticam theologiam hactenus evulgata sunt: cum primis vero uberrime exagitantur nostrorum temporum curiositates, circa quas noviosa modernitas adversus sapientissimam antiquitatem tantopere discruciari videtur, Venetiis 1660 v. 4 in f. in qq. 1. p. 1—10—14—46, cum relectionibus 16 ad q. 14. de scientia Dei, et 9 ad q. 1. prooemialem, opus rarum (fr. 130). Decreto tamen s. congregationis indicis 20. Jun. 1662 quondam jubebatur expungi controversia prolegomena t. 1. adversus novatores ob Jo. B. Pozae (cf. supra p. 932) sociorumque (e societate Jesu) doctrinam acrius perstrictam, ut testatur Echard. Maximis vero encomiis extollit s. Thomam eum vocans „calamum et linguam quasi instrumentum disjunctum divinitatis, quae fallere fallique non potest;“ qui „sortitus est a Deo donum infallibilitatis,“ „qui habebat assistentiam Spiritus s. ut quaecunque scriberet lumine plus quam humano scriberet.“ Dolendum tamen est eam editionem (unicam) innumeris foedari mendis. Eum agressus est ad tuendos sodales Hon. Fabri tecto nomine scil. sub nomine Ludov. Carterii in l. *Justa expostulatio* de P. M. Xantes Mariales O. P. auctore Bibliothecae interpretum, qui tamen prohibitus fuit 2. Oct. 1673. Praeiverant: *Controversiae ad universam summam theologiae s. Thomae Aq., nec non ad 4 ll. magistri Sent.,* in quibus pri-

[1]) Hujus *Summam theologicam* a mendis expurgavit et luci dedit Romae 1618 t. 12 in 12; Coloniae 1640 t. 5 in 4. (ed. elegans et purior) Gregorius Donatus O. Praed. Romanus, magister s. Palatii († 21. Maj. 1642).

[1]) Cf. Echard II, 600 s; Morgott KL. VIII, 791—95, qui de eo scribit: Mit umfassender Gelehrsamkeit verbindet er großen Scharfsinn, polemische Gewandtheit und eine gewisse Leichtigkeit, scheinbar gegensätzliche Ansichten auszugleichen. Seine Polemik ist nicht ohne Schärfe und Bitterkeit, seine Darstellung ist klar, aber breit, das Latein ist oft holperig und schwerfällig.

mum doctoris utriusque sententia novis speculationibus illustratur, plurima eorum abdita sensa aperiuntur, innumeraque loca, quae inter se pugnare videntur, ad concordiam revocantur. Objectis deinde quibuscunque, quae ad hanc usque diem adversus aut d. Thomae doctrinam aut Cajetani commentaria aut rationes, quibus thomistica sententia adnititur, aut responsa antiquis impugnatoribus allata, a quoquam evulgata sunt, tum vero praecipue ab his, qui novissime scripserunt, quibus adhuc a nemine responsum est, profunde, lucide, copiose pleneque occurritur. Postremo Scotistarum perillustris schola cum thomistica quoad fieri potest conciliatur: Scoti doctrina, ubi ab Aquinate dissidet, mira facilitate explicatur atque defenditur vindicaturque a calumniis etc., Venetiis 1624 in f. Sed ex t. 5, quos promiserat, unus tantum prodiit. In primis prae oculis habet Badam et Phil. Faber, quos impugnare solet. Ceterum Scotum magni facit. *Amplissimum artium scientiarumque omnium amphitheatrum* h. e. de rebus universis qq. disputatae at orbis oraculo d. Thoma Aq. ad hanc usque diem a nemine expositae, Bononiae 1658 t. 2 in f. (fr. 70).

398. Huic ex eodem ordine addantur: Michael Zanardi Bergomas (n. 18. Jul. 1570, † 1642), qui in pluribus provinciae lombardicae conventibus philosophiam et postea theologiam professus est. Praeter *commentaria in varios Aristotelis libros*, Coloniae 1622 in 4., reliquit *commentaria in universam 1. p. s. Thomae,* Venetiis 1620 in f.; *directorii theologorum ac confessorum* ad summam fere omnium casuum conscientiae (de sacramentis, de non mentiendo in singulari etc.) pp. 3, Cremonae 1612 et Venetiis 1614 t. 3 in 8. Auctor est in re morali nimis benignus. — Joannes Paulus Nazarius Cremonae 1556 natus, vir ingenio promptus et acer, s. theologiae magister clarus, quam variis in locis cum plausu et fructu docuit. A. 1592 cum nuncio apostolico Bohemiam adivit, ibique in universitate pragensi studioque sui ordinis generali primarius regens institutus contra protestantium errores Ecclesiae catholicae dogmata sedisque apostolicae primatum et jura scripto et verbo propugnavit. In Italiam redux (1596) a Clemente VIII. selectus est (1597), qui in oppido Plurii in valle Clavennae cum ministris calvinianis publice congrederetur et missae sacrificium a Christo Domino institutum propugnaret, quod et praestitit 8—10. Martii, cujus disputationis acta habentur opusc. t. 1. Demum Bononiae, ubi ter regentis munere functus fuerat, annis et laboribus fractus, integro tamen judicio ad ultimam senectutem usus obiit 1645 vel 1646 a. aetatis 90. Edidit: *Commentaria* (rara) *et controversiae* in 1. p. Summae s. Thomae Aq., Bononiae 1620 (ed. 2.) t. 3 in f.; in 3. p. ib. 1625—27 t. 3 in f. (in qq. 1—17—34—59), quibus adjecit t. 2 *opusculorum theologicorum,* Bononiae 1631. 1632 in 4., inter quae praeter alia[1]) sunt: De scriptis d. Thomae Aq. dissertatio critica; commentarium 16 continens regulas ad scientiae tam divinae quam humanae cognitionem assequendam aptissimas ex angelico doctore collectas et expositionibus illustratas. Aliud ejusdem opusculum, quod ib. 1633 in 4. prodiit, inscribitur: *De ss. patrum et doctorum Ecclesiae auctoritate in doctrina theologica,* addita defensione apologetica pro patrum auctoritate Alphonsi (seu Ildephonsi) Baptistae in latinum idioma translata. — In 3. p. Summae theologiae doctoris angelici *commentaria scholastica* Gregorii Cippulli Capuani prodierunt Romae 1646 in f. — Joannes Thomas Gastaldi (Castaldi), Alassii in ditione genuensi natus, studio et ingenio inter aetatis suae theologos haud incelebre nomen sibi fecit. In capitulo generali

[1]) Cf. Echard II, 544 s.

sui ordinis Romae 1629 conclusiones publice cum plausu propugnavit: hinc magisterii lauream est consecutus atque in bononiensi gymnasio primarius theologiae constitutus lector. Deinde ab Innocentio X. ob praeclaras animi dotes, quas Romae sanctae universalis inquisitionis qualificator, ut ajunt, et consultor ostenderat, aprumiatensis (vernacule Brugneto) episcopus electus est († 1655). Scripsit: *De potestate angelica* sive de potentia motrice ac mirandis operibus angelorum et daemonum dissertatio, Romae 1650 t. 3 in f.; *commentaria* in 1. p. Summae angelici doctoris de angelis a q. 50—64, Romae 1651 in f.

E societate Jesu s. Thomam interpretati sunt: Josephus Agostini Panormitanus, qui Romae philosophiam sexennio, theologiam Lugduni et Avenione aliquamdiu, Panormi vero annis 13 docuit, vitamque innocentem sancto fine absolvit 29. Maj. 1643. Prodierunt ejus *commentarii* in 1. p. (qq. 1—14 —27) Panormi 1639 et 1643 t. 2 in f. Saepissime vero[1]) (centies et ultra) propter insignem utilitatem prodiit: *Brevis notitia eorum, quae scitu vel necessaria vel valde utilia sunt confessariis* in primo ingressu ad audiendas confessiones, ib. 1641 in 32., qui l. prius prodierat sub nomine Decii Cyrilli typographi. — Marcus Antonius Palumbus de Ascanio Neapolitanus philosophiam docuit annos 6, theologiam scholasticam a. 9, moralem a. 15 († 2. Apr. 1644). Superest ejus *commentarius literae et doctrinae, quae in litera continetur; scholasticum examen* in 1. p. angelici doctoris, Neapoli 1631; 1645 t. 2 in f.

399. Alii in illustrando interpretandoque Scoto versati sunt, iique omnes e s. Francisci familia. Hieronymus Gallus e Burgo Manero in dioecesi novariensi († 1644) reliquit t. 2 *in 3. l. Scoti* scripti oxoniensis, in quorum 1. agit de ineffabili incarnationis mysterio, docteque commentatur textum doctoris subtilis adjiciens celebriores controversias scholasticas praesertim de visione beata, de lumine gloriae, de merito et satisfactione Christi; secundus continet materias de virtutibus et habitibus infusis, Mediolani 1645. — Angeli Vulpes conventualis a Montepiloso urbe regni neapolitani haud ignobili laudes in ejus epitaphio legimus:

Vera humanis noscendis
Vulpes,
Verius divinis rimandis
Angelus,
Duodenario theologicorum
Voluminum exstructo monte
Usquequaque conspicuus.

Vir erat, teste Joanne a s. Antonio[1]), doctus et affabilis, assiduus in studiis, Neapoli, ubi suos theologiam docebat, omnibus carus, pluribus proficuus, qui totum quod studiis eripiebat tempus excipiendis confessionibus, invisendis infirmis, consolandis afflictis impertiebat. Scoti elucidandae doctrinae totus erat intentus († 19. Martii 1647), prout testantur ejus opera, scil. *Summa s. Theologiae Scoti et commentaria in eandem*, quibus illius doctrina admodum fuse elucidatur, comprobatur, defenditur, Neapoli 1622—1656 pp. 4 in t. 12 in f., qui tamen singuli vel simpliciter vel cum apposito „donec corrigatur“ iteratis vicibus (modo adhuc) sunt prohibiti (m. 250). Adversus ipsum scripsit Hyacinthus de Rugeriis O. Praed. *Defensorium doctrinae d. Thomae*, Neapoli 1655, quod hanc indecore nimis et petulanter impugnaverit. — Caspar Sghemma pariter conventualis, Panormitanus († 25. Jul. 1657), provinciae commissarius (1624), mox minister, vir sane eruditus composuit inter

[1]) Cf. Sommervogel I, 69.

[1]) In bibl. francisc. I, 86.

alia: *Manuale scoticum* juxta 4 ll. magistri sententiarum, Panormi 1638 in 16; scotica opuscula *de Deo uno et trino:* ipsiusque essentialibus et notionalibus ad intra t. 1., Panormi 1645 in 4; 1652; t. 2. *de Dei visione,* lumine gloriae, fruitione, beatitudine, praescientia et praedestinatione, ubi obiter meritum Christi, et immaculata Virginis conceptio, praeelectio, praeordinatio 1652; scoticum opusculum *de scientia et voluntate Dei* in ordine ad ultimum finem, ib. 1651 in 4. — Gregorius Schiero (Scherius) († 1642) Liciensis, vir subtilis ingenii, disputavit[1]) *de Deo uno et trino* ad mentem doctoris subtilis, Licii 1646 in 4. — Franciscus Antonius Blondus a s. Severino Conventualis, episcopus primum capritanus, dein ortonensis († 1644), reliquit *disputationes scoticas,* in quibus divinae praedestinationis et reprobationis mysterium juxta doctrinam Scoti elucidatur, Bononiae 1625; *de censuris et irregularitate,* Romae 1636 in 4. — Joannes Maria Zamora O. Cap. utinensis cum sanctimoniae fama decessit Veronae 1649. Plures (8) reliquit tractatus, ex. gr. *de Deo uno et trino*, in quibus componit controversias omnes inter divum Thomam, s. Bonaventuram et Scotum: qui prodierunt collecti Venetiis 1626 in f., collectio valde rara; *de eminentissima Deiparae V. Mariae perfectione ll. 3,* Venetiis 1629 in f.; secundae editioni alios 4 ll. adjecit, in quibus b. Virginis vitam prosequitur disseritque de originali V. Mariae innocentia et ab originalis peccati macula immunitate et exemptione e s. Scripturae testimoniis, insigne opus mariologicum de vera et germana ss. patrum priscorumque doctorum de sancta et immaculata conceptione mente et sententia ex eorum lucubrationibus et monumentis; de vera itidem s. Thomae Aq. de eadem conceptione mente et sententia; de facilitate et decentia ac necessitate dirimendae terminandaeque controversiae de s. et immaculata conceptione a communi et universali peccati lege; de perfecta et absoluta Deiparae V. immunitate ac exemptione a communi lege peccati: opus olim quidem prohibitum decreto 9. Maji 1636. — Clemens Brancasius de Carovinea (Brancaccio di Carovigna), praeter *commentaria literalia et moralia in Evangelium s. Matthaei,* Lugduni 1656 (secundum Dupin, quae tamen videntur esse Marcellini a Pisa), scripsit quoque *de Deo uno et trino* t. 2, ubi germana Scoti mens aperitur, atque ad ejus institutum disceptatur, Neapoli 1638. 1641, opus sat rarum; *de angelis,* ib. 1646. — Modestus Gavatius (Gavazzi) O. Min. Conv. Ferrariensis, ex ordinis procuratore generali archiepiscopus teatinus († 1658), edidit: *de macula peccati permanentis personalis et originalis,* Bononiae 1642 in 4; *de ven. eucharistiae sacramento ac. ss. sacrificio disputationes theologicae* ad mentem Scoti, Romae 1656 in f., opus rarum; *opuscula theologica,* in quibus potissimum agitur de processione Spiritus s., ib. 1650. — Joannis Mariae Sfortia de Palagiano O. Min. Conv. est *Scotus corroboratus* ex contradictionibus scholae aversae (thomisticae), Lycii 1661 in 4; *Scotus jurista* conflatus sex disp.: de judice, de accusatore, de reo, de testibus, de advocato et de notario, Lycii 1659. Reliquit et opuscula philosophica etc. — Ambrosius Saxius O. S. Franc. Bononiensis edidit: *Catastrosis philosophica ac theologica* sive peripateticae, scoticae atque universalis doctrinae explicatio, in qua disputationes quam plurimae non minus studiosis perutiles quam provectis gratae expenduntur, variaeque controversiae passim conciliantur, praesertim circa quidditates, realitates, formalitates ac hujusmodi abstractiones, quae in scholis Scotistarum pertractantur,

[1]) Cf. Joan. a s. Antonio, qui eum I, 239 Bonaventuram cognominat; II, 27 Gregorium de Licio, et p. 33 Gr. Scherium.

Bononiae 1642 v. 2 in f. — Alius hic est a Petro Saxio canonico arelatensi († 1637), cujus exstat (valde rarum) *Pontificium arelatense* seu historia primatus s. arelatensis ecclesiae, Aquis Sextis 1629 in 4. — Petrus Virgilii O. Min. Conv. Venetus elaboravit *Dilucidationem assertorum Scoti,* quae ab aliquibus contradictoria reputantur, Parisiis 1649. Dilucidat autem omnia a Logica usque ad Metaphysicam.

400. Ad illustrandam Henrici Gandavensis »doctoris solemnis« doctrinam *Henrici Summae medullam* edidit Hieronymus Scarparius O. Serv. b. M. V. Ejus quoque est[1]) *Septiformis pertractatio Spiritus s.:* Processio aeterna; concursus ad opera externa; missiones visibiles; gratiarum influxus; in ipsum peccata; ejus natura; operationes, Veronae 1625 in 4., opus sat rarum. — Ejus sodalis Henricus Borghesi per sexennium ordinis praepositus generalis, demum alifensis episcopus, dedit *axiomata* seu paradoxa juxta doctrinam Henrici Gandavensis 1652.

401. His addantur Michael Stella O. Min. Conv. Venetus, qui moderatus est gymnasium venetum, provinciae suae commissarius generalis († 2. Aug. 1652), cujus est *in scholasticam theologiam* operosa *praefatio,* in qua de origine, nomine, professoribus ejusdem agitur, Venetiis 1614. Reliquit multa scholastica et ascetica. — Julius Caesar Recupito S. J. Neapolitanus, qui philosophiam docuit sexennio, ethicam biennio, theologiam decennio († 8. Aug. 1647). Praeter alia[2]) edidit tractatum *de Deo uno,* Romae 1636 p. 1. in f., Neapoli 1642 p. 2; *de signis praedestinationis et reprobationis* et de numero praedestinatorum et reproborum, ib 1643 in 4; Lugduni 1681, satis rarum, — Bernardinus Mazziotta S. J. Capuanus (1587—1656) octennio philosophiae, decennio theologiae scholasticae, dein moralis professor, cujus supersunt *selectarum quaestionum* t. 1., in quo praecipua quaedam fusius agitantur et juxta mentem s. doctoris definiuntur, de quibus hac tempestate acrior est in academiis philosophicis controversia, Neapoli 1651 in f.; t. 2., in quo ea fusius exagitantur et juxta s. doctoris mentem definiuntur, de quibus in theologicis academiis, cum de Deo uno agitur, major est concertatio, ib. 1658 in f. — *De divina essentia* t. 2 disputavit (Genuae 1654) Andreas a s. Thoma O. S. Aug. Genuensis. Scripsit etiam: *L'incertezza accertata* circa la praedestinazione dell'huomo. Si sciolgono alcuni dubbi curiosi e divoti per consolazione e quiete de' fideli, Genuae 1654, prohibitum 1659. et iterum 1662. *De mortuorum suffragiis* et *animabus in purgatorio,* ib. 1636. — Ex eadem familia erat etiam Angelus Vancius (Vantius), qui aliorum theologorum ut Gerardi Senensis (Cesenae 1630), Aegidii Columnae (Ariminii 1626), Gregorii Ariminensis (ib. 1622), Petri Aragonensis (Venetiis 1625) etc. scripta edidit. — Joannes Bapt. Rossi S. J. patria Monteregalensis in Subalpinis, diu philosophiam et theologiam scholasticam docuit; annis 18 munere censoris librorum in societate Jesu edendorum magna assiduitate, diligentia et commendatione functus est, ac demum octogenario major decessit 6. Jun. 1656. Auctor est operis *Distinctiones ex commentariis s. Bonaventurae in 4 ll. sententiarum collectae* et disputationes de potentia obedientiali creaturarum erga Creatorem ad earum normam directae, Lutetiae Parisiorum 1646 in f.; Romae 1652. — In via ejusdem s. Bonaventurae disputavit Vincentius Venantius O. Min. Conv. Anconitanus insignis ecclesiastes et (1640) provinciae praepositus, *de Dei essentia,* relationibus, attributis ac de dispositione

[1]) Cf. Markel p. 153.
[2]) Cf. Sommervogel VI, 1569.

ad unionem hypostaticam, Anconae 1660. — Gherardius Baldi Gherardesca O. Serv. b. M. V. (1660) suo tempore theologi ‚eminentis‘ nomine salutatus, auctor est operis: *Catholica monarchia Christi,* pars prior (et ut videtur unica) ll. 4, Pisis 1645—59 t. 4, quorum 1. agit de Verbo incarnato; 2. de ss. Trinitate deque creatione rerum; 3. de sacramentis; 4. de fide, spe, caritate et gloria (m. 55). — Ghielmo Antonius congr. Orat. Neapolitanus, philosophiae et theologiae lector († 19. Nov. 1644) exposuit *le Grandezze della ss. Trinità,* Neapoli 1640 t. prior; 1647; alter t. nonnisi ex dimidio post ejus prodiit mortem, ib. 1644 in 4. — Petrus Paulus Philippi O. Praed. Etruscus, s. theologiae magister († c. 1648 nonagenarius), scripsit *relectiones quatuor theologicas:* 1. de causis specierum intelligibilium angelici intellectus; 2. de actu augmentativo caritatis; 3. de supernaturalitate gratiae et visionis beatificae et caritatis; 4. de distinctione specifica angelorum, Romae 1614. *Theologiae mysticae* Henrici Harphii O. Min. ll. 3 castigavit et correxit, adjecitque introductionem pernecessariam ad doctrinam l. 2., Romae 1586; Brixiae 1601; unde Harphii opus alioquin prohibitum secundum hanc edit. jam permissum est. — Caesar Macrini S. J. († 1651) reliquit Selecta *de substantiis immaterialibus*, opus posthumum, in quo plurima nova, nec passim agitata subtilissime disputantur, Neapoli 1660 in 4. — Vincentius Surianus O. Carth. Crotonensis disputavit *de sacramentis,* Neapoli 1646 t. 2 in f.

402. Fulgentius Petrellus O. S. Aug. Sigilli in Umbria natus, ordinis praepositus generalis (1645, † 1648), scholastico stilo tractavit *de intercessione b. Deiparae Mariae V.*, qua salvari gravissimos peccatores ei devotos probatur, Romae 1657 in f. — Piissimus Vincentius Fassarus S. J. Panormitanus (n. 1599, † 29. Julii 1663) qui fusius disputaverat *de quantitate* Panormi 1644 in f. t. 1. (et unicus) l. reliquit: *Immaculata Deiparae conceptio* theologicae commissa trutinae ad dignoscendam et firmandam certitudinem ejus. Lucubratio opuscula varia complectens; praemissa est trutina brevior et subjuncta appendix de bulla novissima Alexandri VII., Lugduni 1666 in f. — et Josephus Caglioca O. Min. *defensionem immaculatae conceptionis Matris admirabilis,* Messanae 1643. — Laurentius Chrysogonus S. J. Dalmata († 1650), concionator ardens, concinnavit *Mundum Marianum* t. 3 in f. scil. M. Maria *speculum mundi archetypi* seu divinitatis, Viennae A. 1646; *speculum mundi coelestis,* Pativii 1651 in f.; M. *speculum mundi sublunaris,* Augustae V. 1712 in f.

403. E *Gallis,* qui integrum plus minus theologiae cursum elaboraverunt, prae ceteris commemorandus est Nicolaus Ysambertus Aurelianensis (1569—1642), insigne Sorbonae decus et theologiae professor, cui a. 1616 concredita fuit controversiarum cathedra tunc erecta. Ejus quidem fata minus nobis sunt comperta, eo magis tamen innotuit ejus doctrina *commentario in S. Thomae Summam* Parisiis 1639 v. 6 in f. — Georgius Rhodes[1]) S. J. Avenionensis, qui sexenium philosophiam et 13 annos theologiam docuit († 17. Maj. 1661), praeter *philosophiam peripateticam,* Lugduni 1671 in f., magnam theologiae universae partem tractavit in suis *disputationibus theologiae scholasticae,* in quibus Deus, angelus, homo sex tractatibus (concise, limpide nitidaque methodo) explican-

[1]) Hujus probabiliter frater fuit Alexander Rhodes S. J. pariter Avenionensis, celeber missionarius in Concincina († 1660), cujus scripta, quae ad suas referuntur missiones, cf. apud Sommervogel VI, 1718—21.

tur ad primam et utramque secundam p. Summae theologicae s. Thomae, t. 1. Lugduni 1661; t. 2. disputationum, in quibus Christus, Deipara, sacramenta tr. 6 explicantur ad 3. p. Summae theol. s. Thomae, ib. in f. 1661; 1676. — Bonaventura Lingoniensis O. Cap., vir doctus ac perspicacioris intellectus subtilitate pollens, theologicas disciplinas per plures annos in sua provincia secundum s. Bonaventurae mentem felicissime exposuit. Auctor est operis, cui titulus: *Bonaventura Bonaventurae*, scil. Bonaventura et Thomas sive Summa theologica ex omnibus fere ss. Thomae et Bonaventurae placitis concinnata, inter quos si aliquando videatur esse dissensio, aut benigna explicatione componitur aut problematica disputatione ventilatur, difficultatesque omnes in scholis ut plurimum agitari solitae de mente illorum sanctorum resolvuntur, Lugduni 1653. 1655 v. 3 in f. — Alium *cursum theologicum* coepit Joannes Lalemandet O. Minim. s. Franc. de Paula, Pisontinus, aliquamdiu Viennae theologiae professor († 10. Nov. 1647), in quo discussis hinc inde Thomistarum et Scotistarum praecipuis fundamentis decisiva sententia pronunciatur, Lugduni 1656 in f. Prodierunt tantum t. 1. et 2. de Deo uno et trino. Scripsit quoque *decisiones philosophicas* 3 pp. Monachii 1645. 1646, quae recusae fuere sub titulo *cursus philosophicus* complectens lateque discutiens controversias omnes a logicis metaphysicisque agitari solitas, praesertim quae thomisticae, scoticae et nominalium scholis sudorem cient[1]), Lugduni 1656 in f. (m. 45). — Joannes Martinonus S. J., gente Arvernus, patria Privatensis, theologiae magister, quam totis 20 annis in collegio burdigalensi professus est, suo tempore fuit celeber. Sed non minus virtute, quam doctrina excelluit. Fuit enim rigidae paupertatis, obedientiae exactae, demissionis animi singularis et officiosissimae erga omnes caritatis. Neminem unquam visus est compellare asperius, operamque dabat assiduam audiendis pauperum confessionibus. Cum elaboratissimas de controversia celebri quaestiones misisset alio illaeque casu intercidissent, aequo id tulit animo dicendo, unam salutem aeternam sibi cordi esse, ceterorum omnium jacturam se flocci facere († 5. Febr. 1662). *Theologiam universam* 5 t. pertractavit clare, breviter et accurate, relatis optima fide nec minori solertia discussis doctorum sententiis. Priori t. disputat de Deo et angelis, Burdegalae 1644 in f.; 2. de fine ultimo seu beatitudine, de actibus humanis, de peccatis et legibus et de gratia (opus posthumum), ib. 1663; 3. p. 1. de fide, spe et caritate (opus posthumum), Augustoriti Pictonum 1663; p. 2. de justitia et jure et reliquis virtutibus moralibus (opus posthumum), ib. 1663; 4. de incarnatione et sacramentis, Burdegalae 1645; 5. de poenitentia et reliquis sacramentis deque censuris ecclesiasticis, ib. 1646. Vulgavit quoque sub nomine anagrammatico Antonii Moraines opus utilissimum communique eruditorum approbatione et nonnullis praesulum elogiis ornatum: *Anti-Jansenius* h. e. selectae disputationes de haeresi pelagiana, semipelagiana deque variis statibus humanae naturae et de gratia Christi Salvatoris, in quibus vera de illis doctrina proponitur et Corn. Jansenii iprensis falsa dogmata refutantur, Lutetiae Parisiorum 1652 in f. Alteram auctamque parans ed. mortuus est. Cum eo in opere auctor contendat, in pluribus Augustinum excessisse, seu ut loquitur s. Bonaventura[1]), plus dixisse et minus voluisse intelligi, graviter a Norisio[2]) fuit impugnatus. — Bartholomaeus Camblat ex congr. doc-

[1]) C. Werner Gesch. der k. Theol. in Deutschl. p. 62.

[1]) In 2 d. 33 a. 3 q. 1 ad. 1.
[2]) In vindiciis august. c. 3 § 2 ss.

trinae christianae composuit *institutiones* theologiae angelicae seu in auream summam s. Thomae, Parisiis 1663. 1664 t. 2 in 8.

404. De singuralibus argumentis disputarunt: Plilippus Fezay O. Carm. cujus est opusculum *de mysterio incarnationis* in communi, Aquis Sextis 1641 in 4. — Claudius Tiphanus S. J., parisiensis, qui pluribus annis philosophiam et theologiam docuit atque mussipontanae academiae fuit cancellarius († 27. Dec. 1641), insignemque plane reliquit declarationem ac defensionem scholasticam doctrinae ss. patrum doctorisque angelici *de hypostasi et persona* ad augustissimae ss. Trinitatis et stupendae incarnationis mysteria illustranda, Mussiponti 1634 in 4; Parisiis 1881 cura Car. M. Jovene, aucta critica prolusione. Magna cum laude hujus libri mentionem faciunt Thomassinus[1]) et Petavius[2]), quibus Tiphanus est theologus sane doctus, praestantissimus, non sine honorifica mentione nominandus. *De ordine deque priori et posteriori* ad varias et celebres theologiae et philosophiae quaestiones enodandas, Rhemis 1640. In hoc op. nova mediaque via incedit inter Thomistas et Molinistas ad quaestiones maxime arduas de praescientia, de concursu et de praedestinatione enodandas. Contra eum calamum strinxit Fr. Annatus ejus sodalis atque decem argumenta adversus scientiam mediam a Tiphano proposita generali prius refutatione discutit, deinde singula adoritur. Rem ipsi feliciter obtigisse silentium a Tiphano aperte et viritim lacessito servatum haud obscure probat. Scripserat Tiphanus etiam *Advertissement* à Messieurs de la Religion prétendue de Metz sur le dernier livre de leur Ministre Ferry (qui adversus Veronium vulgaverat

1) De Incarn. III, 21.
2) De Incarn. III, 16. n. 1; V, 5. n. 3.

opus), ib. 1618 in 8. — Tribus tomis in f. disserit *de spiritibus creatis*, angelis, animabus et daemonibus, Parisiis 1641, Claudius le Petit O. S. Franc., doctor parisiensis, cujus etiam est *universa theologia* moralis et polemica, ib. 1640 in 4. — Ejus sodalis Martinus Meurisse Royensis, doctor et professor parisiensis, demum episcopus madaurensis et auxiliaris metensis († 1644), reliquit inter alia[1]) haec opera: *Rerum metaphysicarum* ll. 3 ad mentem doctoris subtilis Parisiis 1623 in 4. opus rarum. *De sacrosancto et admirabili Eucharistiae sacramento*, in quo doctoris subtilis et aliorum franciscanae familiae opiniones explicantur et defenduntur, ib. 1628 in 8; *Apologie de l'adoration et élévation de l'hostie*, Parisiis 1620 in 8; *de virtutibus cardinalibus*, ib. 1635; *de Trinitate* 1631 in 8; *historia episcoporum metensium* (gallice), Divodurii 1634. — Fuse atque subtiliter de eucharistia tractavit Raphael de Clayes O. Cap. in op. Sublimes et profundae theologicae ac morales veritates *de augustissimo Eucharistiae sacramento* super quatuor transcendentia entis, unitatis, veritatis et bonitatis, quae in sublimi hoc mysterio elucescunt, Rothomagi 1649 t. 4 in 4; Abrinciis 1653. — Guilelmus Gibieuf congr. Orat., Bituricensis, doctor sorbonicus, vir eminentis pietatis, quem card. Berulle maximi faciebat suumque saepe Oratorii constituit vicarium († 6. Jun. 1650), scripsit[2]) *de libertate Dei et creaturae* juxta DD. Augustinum, Thomam, Bonaventuram et Scotum, Parisiis 1630 in 4., quem librum acerrime impugnarunt Raynaudus (cf. infra) et Annatus, quod Jansenii errores sapere videre-

1) Cf. Joan. a s. Antonio II, 337; Biogr. univ. 28, 487.
2) Alia ejus opera ascetica cf. in Biogr. univ. XVII, 326; inter haec laudatur: *La vie et les grandeurs de la très-sainte Vierge*, Parisiis 1637 t. 2 in 8 (fr. 24). Cf. Feller IV, 168.

tur[1]). Auctor tamen sincere doctrinam catholicam amavit, hinc damnatis per romanum pontificem Jansenii erroribus eos ex corde reprobavit.

405. Neque *Belgis* deest magni nominis theologus scholae Franciscus Silvius (du Bois, Sylvius). Natus est Braniae Comitis (Braine-le-Comte) in Hannonia 1581, satisque mature totum se studio dedit simulque et orationi supra quam adolescentes suae aetatis: hinc omnium in se convertebat animos ac ceteros condiscipulos ad virtutum exercitium exemplo suo potenter invitabat. Philosophiae primum in collegio regis, scholasticae dein theologiae docendae provinciam in academia duacena a. 1610 suscepit totosque 30 annos tenuit, ac post Estium academiam illam vere illustravit. Egit vicecancellarium universitatis, canonicum s. Amati a. 1618 et decanum 1622, obiit vero 27. Febr. a. 1649[2]). Vir erat mitissimae indolis, insigniter pius atque Ecclesiae catholicae sincerissime addictus, ut patet ex sua protestatione commentario in s. Thomam praefixa, quae hisce verbis est concepta: »Protestor hodie, quod in fide ac unitate s. matris Ecclesiae romanae vivere ac mori cupio, quodque actiones et studia mea ad Dei gloriam, in Ecclesiae utilitatem, in meam et proximorum salutem ordinare velim, et s. Scripturam nunquam nisi juxta unanimem consensum patrum accipiam et interpretabor. Quaecunque etiam sive ad s. Thomae Summam theologicam sive in disputationibus, lectionibus aliisve exercitiis, sive quocunque loco vel tempore sim dicturus, scripturus, docturus; dicam, scribam et docebo juxta eundem unanimem consensum patrum. Quod si (ut humanum est labi) aliquid fortassis aliter me dicere, scribere, docere contingat, ex nunc habeo pro non dicto. Ita me Deus amet.« Hanc vero protestationem singulis diebus lectionibus publicis praemisit adjectis verbis: »Spiritus s. gratia illuminet sensus et corda nostra. Custodi hanc voluntatem Domine Deus.« Varia diversis in locis, Duaci praesertim et Braniae fundavit officia et beneficia, quibus et cultus divinus augeretur et tenuioris fortunae adolescentulis pie subveniretur. Nunquam studio seu lectioni sacrae se dedit, nisi fusa prius hac ferventissima humillimaque oratione: »Domine, iste vilissimus servus tuus et omni bono indignus vult ingredi ad videndum thesauros tuos; placeat tibi, ut ipsum indignissimum introducas, et des illi in sancta lectione tantum te diligere, quantum te cognoscere, quia nolo te cognoscere, nisi ut te diligam, Domine Deus Creator meus.« Ore, oculis, incessu, conversatione, eloquio ceterorumque corporis motuum admirabili modestia castitatem non tantum praeferebat, sed etiam aliis cum ipso conversantibus inspirabat. Et qui noverat castitatis lilium tutius inter spinas crescere et conservari, isti conservandae virtuti deliciarum inimicae abstinentiam adhibebat, cilicium et jugem corporis castigationem. Nulla re unquam turbatus est, nunquam ira aliqua plus justo commotus, nunquam impatientia victus, sed cunctis fortior adversis inter adversantium casuum vehementissimos turbines semper stetit immotus, tranquillus, serenus, quietus. Quam animi mansuetudinem et tranquillitatem in omnibus scriptis suis reliquit testatam, in quibus non raro occasionem nactus vim vi repellendi, ea tamen moderatione usus est, ut lacessitus etiam et graviter offensus nunquam livorem livore depulerit aut injuriam injuria refutarit, sed blande, suaviter et humane sibi adversantibus respondit, tanto magis sollicitus, ne quemquam

---

[1]) Cf. Habert theol. patrum graec. l. 2 c. 1 § 5.

[2]) Alius ab eo est Joannes Silvius Insulensis, medicinae professor in universitate duacena († 1576), cujus *Academiae nascentis duacensis et professorum ejusdem encomium* prodiit Duaci 1563.

ipse offenderet, cujus opinionem impugnare cogeretur[1]). Opera ejus prodierunt Antwerpiae 1698 t. 6 in f.; Parisiis 1714; Venetiis 1726. Priora 4 complectuntur ejus *commentarios in Summam s. Thomae,* quos „compluribus hinc inde flagitantibus, imo ad importunitatem usque perurgentibus" demum publicae luci dedit, et qui deinde saepe prodierunt, Duaci 1620—1635; 1622—1648; 1649—1662; Antwerpiae 1684 (ed. 4.); t. 5. complectitur plura *opuscula*[2]), scil. *de motione primi motoris,* Duaci 1609 in 4; *de statu hominis* post peccatum, ib. 1614; 1616; 1624; *orationes* theologicas (14 + 13) ib. 1621 in 8; *orationem* apologeticam pro s. Thoma, 1624, et alteram de ss. Trinitatis festo solemniter celebrando, 1633; ll. VI, *de praecipuis fidei nostrae controversiis* breves quidem sed docti, solidi et modesti, 1638; *resolutiones* varias, quas dedit ab a. 1612—1644 ad casus sibi propositos (Duaci 1640 et 1644 t. 2). Admodum enim versatus erat in theologia morali, hinc s. Alphonsus illum auctoribus classicis annumerat, a Gury vero dicitur: ‚Probabilista moderatus. Ingenio, soliditate clarissimus. Magna pollet auctoritate inter theologos.' Prodierant autem jam ex parte Duaci 1638 in 4. Tomus 6. continet *commentarium in Genesim* (Duaci 1639), *Exodum* (ib. 1644), *Leviticum et Numeros* (usque ad c. 34, cui immortuus est). De eo ait Calmet: „Brevis quidem est, sed perdoctus planus et locuples, in quo s. Scripturae literalis sensus ac sparsim spiritualis et mysticus genuine et juxta ss. patrum mentem eruitur." Prodierunt haec duo posteriora volumina cura P. d'Elbecque, qui posthuma ejus opera vulgavit Antwerpiae 1678. Ediderat quoque Silvius *D. Thomae Aq. opuscula* e mss. codd. emendata, ib. 1609 v. 2 in 8; *instructiones pastorum a s. Car. Borromaeo* ed. ad belgicarum ecclesiarum usum accommodatas, ib. 1616; 1624; Lovanii 1701 in 8; *enchiridion P. Binsfeldii* notationibus auctum et illustratum, Duaci 1622; 1626; 1633 in 8; *Summam conciliorum Barth. Carranzae* additionibus illustratam, 1639 in 8; 1648 et alibi.

406. Praeter Silvium e Belgio prodierunt: Joannes Polman ecclesiae cathedralis cameracensis canonicus theologalis († 1649), qui pro theologiae tironibus utilissimum composuit *breviarium theologicum,* saepius recusum, ut Lovanii 1729 in 8; Mediolani 1873 cura Al. Piatelli J. U. D. ex Oblatis ss. Ambr. et Caroli, in quo omnes notiones et axiomata, quae in universa theologia occurrunt, nitide et distincte exponit. — Ludovicus Betrandus Loth O. Praed. Audomaropolitanus praepositus provinciae Germaniae inferioris et Duaci theologiae magister († 15. Oct. 1662), variorum auctorum libros Duaci evulgari curavit suisque observationibus illustravit[1]), ut Did. Alvari tranensis archiepiscopi *de concordia liberi arbitrii cum gratia,* 1635 in 8; *opuscula tripartita* Franc. de Arauxo O. Pr., 1633; *directorium conscientiae* F. Joan. de la Cruz, 1632; Guil. Pepin *in universam Genesim expositio absolutissima,* 1634 in 4. Labore proprio evulgavit *Resolutiones theologicas illustrium difficultatum contingentium* in Belgio in 24 tractatus, per qq. et articulos divisas, ib. 1653; 1663 in f., in quibus praeter alia disputat de matrimonio clandestino, de duello, de magia diabolica et maleficiis sagarum, de variis ordinibus religiosis etc. Plura tamen sunt in hoc opere, quae lima

---

[1]) Ita in ejus vita op. t. 5. praefixa auctore Norberto d'Elbecque O. Pr. Cf. Th. Leuridan in Revue des Sciences eccl. 1894 II, 193—208; 289—311; Journ. des Savans 57, 315.

[2]) Editor tamen praetermisit ea, quae scripsit Silvius adversus novitates jansenianas. Cf. Feller VIII, 118

[1]) Cf. Foppens II, 826; Echard II, 571.

egent: hinc opus emendatum prodiit Brugis 1687. — Franciscus Hyacinthus Choquetius O. Praed. Insulensis in Hispaniam missus egregios magistros nactus est ut Bannez, Petrum de Ledesma et Petrum de Herrera theologiae lectores salmanticenses, atque adeo sub illorum disciplina profecit, ut in patriam redux Lovanii continuo philosophiam apud sodales, deinde et theologiam cum plausu docuerit. In comitiis ordinis generalibus habitis Lutetiae (1611) conclusiones publice defendit. Vitam docendo pene insumpsit omnem Lovanii, Duaci, Antwerpiae († 6. Febr. 1645, secundum alios 28. Jul. 1646). Praeter alia[1]) reliquit: *De origine gratiae sanctificantis* t. 1., in quo de ejus natura, causis efficientibus, subjecto; cui accessit *de mixtione aquae in calice eucharistico* ejusque in Christi sanguinem conversione opusculum theologicum, Duaci 1628 in 4. Tomus posterior non prodiit. *De confessione per literas seu internuncium* dissertatio theologica, cui alteram adjunxit Francisci de Avila, ib. 1623 in 8; 1628; *Sancti Belgii O. Praedicatorum*, ib. 1619. — *Clavem regiam* ad 1. p. summae d. Thomae, Duaci 1650 in 4., composuit ejus sodalis Franciscus Vermeil Duacensis, doctrinae thomisticae sectator ac vindex acerrimus, philosophiae tum etiam theologiae Pictavii et Duaci professor inter suos haud ignobilis († 4. Febr. 1657 a. aetatis c. 60). — Michael Paludanus O. S. Aug.[2]) Gandavensis, s. theologiae doctor lovaniensis, regens facultatis theologicae et ejusdem professor, ac missionis hollandicae praefectus apostolicus († 17. Apr. 1652 a. aetatis 59), reliquit Commentaria in 1, 2. *de beatitudine* usque ad q. 6., Lovanii 1664 in f. (opus posthumum); sacra et theologica *chronologia et concordantia temporum regum Juda et Israel*, ib. 1628 in 4; *Veritas bullae Urbanianae demonstrata* in eo, quod asserit in Augustino Jansenii multas e propositionibus a Pio V. et Gregorio XIII. damnatis contineri[1]), Namurci 1650 in 4., cum appendice seu *notis ad Aurelii Aviti* (i. e. Jo. Sinnichii, de quo t. seq.) *Molinomachiam* verius Urbanomachiam. *Apologia* pro bulla Urbani VIII. *In eminenti*, Lovanii 1651. — Antonius Ruteau O. Minim. Hanno-montensis, vir exacte et curiose doctus atque in historia, praesertim ecclesiastica patriaque admodum versatus[2]), praeter *Annales* de la Province d' Haynau, Montibus 1647, reliquit Commentariorum ac disputationum in 1. p. d. Thomae t. 1. *de Deo uno*, 1653 in f.; t. secundo immortuus est auctor († 9. Jul. 1657); *de fructu et applicatione sacrifici missae et suffragiorum* ll. 3, Antwerpiae 1634 in 4. — Nicasius a s. Theresia O. Carm. Tornacensis († 5. Aug. 1642) edidit gallice *epitomen* quaestionum curiosarum theologicarum et moralium, Tornaci 1642. — Beatae Virginis laudes celebrat Martinus Philippus Convelt S. J. Trajectensis, operarius indefessus († 29. Apr. 1658), in spisso opere ascetis et concionatoribus in pri-

---

[1]) Cf. Echard II, 543.

[2]) Guilelmus Tasselon ejusdem ordinis, quem multum laudat Ossinger in bibl. aug. p. 889, s. theologiae doctor lovaniensis († 4. Nov. 1649) edidit *theologiam augustinianam*, seu conclusiones theologicas de Deo uno et trino, de angelis et primo homine, Lovanii 1243 in 4; *conclusiones e theologia universa*, ib. 1646. — Henricus van den Leemputte Silvaducensis (1588—1657) propter linguarum peritiam nonnunquam a Jansonio ad graeci et praesertim hebraici textus reconditam energiam eruendam consultus, diu scholasticae et moralis tum Mechliniae tum Silvaeducis professor, archidiaconus et vicarius capitularis silvaducensis, reliquit *theses theologicas de tribus sacramentis characterem imprimentibus*, Silvaeducis 1624 in f. Cf. Foppens I, 455. — Antonius Delva strenue pugnavit adversus protestantes, de quo cf. Biogr. nat. de Belgique V, 492.

[1]) Cf. Ossinger p. 652; Willems in Biogr. nat. de Belg. XVI, 522 s.

[2]) Foppens I, 87.

mis utili, quod inscripsit: *Theatrum excellentiarum ss. Deiparae* ex consociatione excellentiarum sui Filii, Antwerpiae 1655 t. 2 in f. ed. rara.

407. Haud multos theologos scholasticos inter *Germanos*[1]) reperimus, cum fidei avitae tutandae magis essent intenti. In commodum studiosorum theologiae scholasticae edidit Joannes Tytz canonicus coloniensis et rector magnificus academiae (1648): *Lexicon theologicum*, quo tamquam clave fores theologiae aperiuntur, primum a Joanne Altenstaig (Cf. Nomencl. II[3], 1245) mendelhaimensi s. theologiae doctore editum, subin magna ex parte ad mentem d. Thomae accommodatum, auctum et in meliorem ordinem redactum, Coloniae 1619 in 4. — Joannes Eusebius Nieremberg S. J., natus quidem Matriti, sed patre tirolensi et matre bavara (1590), parentibus frustra refragantibus ingressus est Societatem Jesu (1614). Absolutis studiis aliquamdiu adhibitus est in missionibus inter incolas pauperes ditionis toletanae, qua occasione multas sibi collegit notitias botanicas et mineralogicas. Postea philosophiam tradidit atque exegesim. Apoplexia tactus usum amisit linguae et manus († 7. Apr. 1658). Magnam nominis celebritatem promeruit innumeris libris, asceticis in primis[2]), qui diu magni fiebant avideque legebantur. Huc referri possunt: *Apreccio y estima de la divina gracia*, Madrid 1638, qui liber reperitur inter opera ascetica hispanice conscripta, quae collecta prodierunt Hispali 1686 v. 3 in f., t. 1. p. 218—481; seorsim prodierat Caesaraugustae 1640 in 4. aliasque in linguas versus fuit. Ejus summam germanice exhibuit sed retractatam cl. Scheeben in op. saepius jam edito: *Die Herrlichkeiten der göttlichen Gnade*, Friburgi 1862; 1864; 1894 ed. 6. cur. Alb. M. Weiss etc., qui l. utilissimus est non solum pietatis sed et theologiae studiosis pro comparanda genuina sublimique divinae gratiae notione. *Vida divina* y Camino real de grande atajo para la perfeccion, quae prodiit cum aliis opusculis inscripta *Obras espirituales*, Madrid 1651; 1890; *de la diferencia entre lo Temporal y Eterno*, ib. 1640; *de adoratione in spiritu et veritate* ll. IV, Antverpiae 1631 etc. *Ideas de virtud* en algunos claros varones de la comp. de J., Matriti 1643 ss. t. 4 in f., continuatum ab Alph. de Andrade t. 5. 6 in f. ib. 1646—67 (m. 500), alia 3 vol. adjecit Jos. Cassani, ib. 1734—36. *De arte voluntatis ll. VI*, in quibus platonicae, stoicae et christianae disciplinae medulla digeritur etc., Lugduni 1631 in 8. *Theopoliticus* sive brevis illucidatio et rationale divinorum operum atque providentia humanorum, Antverpiae 1641. Omnia ejus opera magna unctione stiloque nitido sunt conscripta. *De origine s. Scripturae ll. 12*, in quibus multa Scripturae loca explanantur et antiquitates ex sacra profanaque eruditione eruuntur, Lugduni 1641 in f.; *de perpetuo objecto festi immaculatae conceptionis V.*, Valentiae 1653 in 4; accedunt de doctrina circa immaculatam conceptionem epistola, de gratia Deiparae debita in conceptione sua ep., de controversia virgineae conceptionis decidenda ep.; exceptiones concilii tridentini pro omnimoda puritate Virginis expensae; dissertationes epistolicae (20) de immaculata conceptione Deiparae, Antwerpiae 1655 in 8; theoria compendiosa *de solida veritate con-*

---

[1]) Hermann Gnadt S. J. theologiae professor in universitate herbipolensi reliquit asserta theologica *de virtutibus theologicis fide, spe et caritate*, Herbipoli 1652 in f. — Eodem tempore in hac universitate floruit Wolfgang Biber S. J.; Bambergae vero Valentinus Koerner S. J. († 1656); quibus adde Wolfgangum Speth S. J. Bambergensem († 20. Jan. 1660), cujus primitiae seu *de Deo et angelis* prodierunt Bambergae 1648 in f.

[2]) Cf. Sommervogel V, 1725—66, qui ea sub n. 57 recenset, Ott KL. IX, 386 s.

ceptae Deiparae absque labe originali ex canonicis atque orthodoxis fundamentis. Jam ejusdem Sacrosyllabus de explicata ab Ecclesia et patribus Scriptura pro immaculata conceptione, Valentiae 1656 in 8; *de sanctitate instituti festi certa* et necessaria ad cultum ecclesiasticum, singillatim in festo immaculatae conceptionis praecepto a summis pontificibus, ib. 1657 in 8; haec simul et alia collecta prodiere sub titulo: Opera parthenica *de supereximia et omnimoda puritate Matris Dei,* Lugduni 1659 in f. (m. 40.). – Carolus Jacobus O. S. Bened. e monasterio andecensi philosophiam docuit Salisburgi, dein theologiam (1627), controversias fidei (1648); vicerectorem egit 1638; procancellarium ad a. 1658 usque († 1661). Secundum historiam universitatis salisburgensis (l. 2 c. 7 n. 257) reliquit: *De gratia divina,* 1630 in 4; *theoremata* (34) *ex universa doctoris angelici Summa*, 1630. 1642 in 4; *de Verbo Dei incarnato,* 1642 in 4; *de Deo in se et extra se,* de Deo ut ultimo fine et Salvatore, 1642; *actus humani,* 1643 in 4; *de Deo uno et trino,* 1644 in 4; *triga virtutum theologicarum* 1648 in 4; *de jure et justitia,* 1650 in 4. — Leo a Regibus O. Carm. natus Monachii 1615, professor theologiae in conventu neapolitano, peste correptus (1656) reliquit *de ss. Trinitatis mysterio* theoremata theologica, Graecii 1649 in 4.

408. Plures theologi scholae erant natione *Hiberni,* e quibus eminet Joannes Ponce (Poncius) O. S. Franc. Corcagiensis, in romano collegio s. Isidori primarius professor († 1660), qui praeter integrum *philosophiae cursum* ad mentem Scoti in 3 pp. divisum, Romae 1643 in 4; Parisiis 1648 et 1656, auctum et correctum Lugduni 1672, cum *appendice apologetica,* in qua plurimae difficultates ac loca Scoti exponuntur, Romae 1645 t. 4 in 4. (m. 60), conscripsit quoque integrum *cursum theologicum* ad mentem Scoti, Parisiis 1652; Lugduni 1671 in f. (rarum); *judicium doctrinae ss. Augustini et Thomae,* Parisiis 1657 in 8; *Scotus Hiberniae restitutus,* ib. 1660 in 8; *commentarios theologicos,* in quibus subtilis doctoris qq. in ll. sententiarum elucidantur et illustrantur, ib. 1661 v. 5 in f. (opus rarissimum). *Supplementa* ejusdem Poncii *ad plures qq. ejusdem doctoris subtilis* habes in operum Scoti editione, quam curavit Lucas Waddingus ord. Min. natione pariter Hibernus, patria Waterfordensis (n. 1588; † 17. Nov. 1657 a. aetatis 70), vir religiosissima pietate ac doctrina conspicuus, cujus consilio et opera non semel usi sunt Urbanus VIII. et Innocentius X., ut ipsi pontifices testantur in suis lit. ad Hibernos. Pluribus in congregationibus romanis erat consultor, etiam in ea, cui examinanda tradita erat Jansenii doctrina. Initio quidem huic favebat, sed lata condemnationis sententia toto ex corde judicio sedis apostolicae se subjecit. Theologiam docuit in collegio Hibernorum s. Isidori opera sua erecto in Urbe, cui et praefuit. In primis tamen est nominatissimus propter *Annales Minorum,* in quibus res omnes trium ordinum a s. Francisco institutorum asseruntur, calumniae refelluntur, praeclara quaeque monumenta ab oblivione vindicantur[1]), quorum t. 8 in f. prodierunt Lugduni 1625—54, qui pertingunt usque ad a. 1500. Supplementa adjecit Antonius a Marco O. Min. Melissanus ab a. 1213—1500 collecta continens ea, quae L. Waddingum latuere, edita per Antonium Maria de Turre ejusd. ord., Taurini 1710. Inde derivavit Castet *Annales des FF. Mineurs* abrégées et traduites en françois Tolosae 1680—82 t. 8 in 4 v. in 4. (fr. 250). Editionem alteram

[1]) Multum in hoc opere condendo debet Waddingus Bartholomaeo Cimarello et Marco Olisiponensi, de quibus supra egimus p. 317 s.

annalium Waddingi locupletiorem et accuratiorem curavit et continuavit Josephus Maria Fonseca[1]), Romae 1731—45 t. 19, ex quibus t. 17. inscribitur *Syllabus* universus Annalium etc. confectus a Jo. Maria de Ancona; t. 18. est Joannis de Luca; t. 19. Jo. M. de Ancona. Hi tomi pertingunt ad a. usque 1553. T. 20. prodiit Palearini 1794 cura Cajetani Michelesi; sed cum plura exemplaria incendio periissent, factus est rarissimus, ideoque recusus fuit Quaracchi 1899. Sed et t. 19. est admodum rarus. Alia quinque volumina (ad a. 1622) adjecit Melchior de Cerreto († 1871), quae prodierunt Neapoli, Anconae et ad Claras Aquas (Quaracchi), 1844—86 cur. Fermendsin. Opus integrum est rarissimum et licet desideretur major criticae usus, exquisitum (m. 1000). Hujus op. veluti supplementum[2]) est ejusdem Waddingi *Scriptores O. M.,* quibus accedit syllabus eorum, qui ex eodem ord. pro fide Christi fortiter occubuerunt, Romae 1650 in f., quem indicem Fr. Jo. a s. Antonio et Sbaralea auxerunt. Cum patribus hibernis collegii romani s. Isidori professoribus *Scoti opera* complexus est t. 12 in 14 v. in f., quibus addidit doctoris subtilis *vitam* (seorsim ed. Montibus 1644 in 12.) praeter praeliminaria, suas aliorumque notas et censuras ad singulos ll., Lugduni 1639 (m. 2700). Alia hujus viri operosissimi stupendaeque industriae opera sunt: *Legatio Philippi III. et IV.* Hispaniarum regum ad Paulum V. et Gregorium XV. *pro definienda controversia conceptionis b. V. Mariae,* Lovanii 1624, Antwerpiae 1641; l. in quo fuse ostendit immaculatae conceptioni bb. V. non adversari ejus mortem corporalem; Romae 1655 in 8; *de Virginis baptismo,* ib. in 8; *de redemptione Deiparae semper Virginis,* ib. 1656 in 8; *commentaria ad vitam et opuscula s. Anselmi* episcopi lucensis, Romae 1657 in 4; *opuscula s. Francisci* cum commentariis, Antwerpiae 1623 in 4; Angeli del Pas *commentaria in Marcum,* Romae 1623 in f.; *in Lucae evangelium,* ib. 1625 t. 2 in f.; 1628; *vita et res gestae* b. Petri Thomae Aquitani O. b. M. V. a Monte Carm. patriarchae CP., Lugduni 1637; *Concordantiae morales* s. Antonii pat. Romae 1624; Jo. Gualensis O. Min. opus *de oculo morali* ac *Florilegium* philosophorum (cf. II, 518), ib. 1655 t. 2 etc.

409. Waddingi[1]) socius gratissimus et amicus optimus fuit Antonius Hyquaeus (Hickey) O. S. Franc. Tuomonensis, s. theologiae Coloniae, Lovanii ac demum Romae in collegio s. Isidori diuturnus professor († 26. Jun. 1641), vir eodem teste doctissimus et omni eruditionis genere ornatissimus, qui publici juris fecit: *commentaria* in

---

[1]) Cf. Acta erud. lips. 1738 p. 193—97; 292—6; 343—48.

[2]) Praeiverat ipsi in hac sedulitate Henricus Willot O. Min. Fontibus Episcopi (Fontaine l'Evêque) in finibus territorii leodiensis natus, provinciae praepositus et commissarius generalis per Belgium, theologiae lector et ecclesiastes facundus († 2. Sept. 1599), qui collegit *Athenas orthodoxorum sodalitii franciscani,* qui vel selecta eruditione vel floridiore eloquentia vel editis scriptis ss. Dei sponsae romanae Ecclesiae operam navarunt sive liber de scriptoribus O. S. Francisci, Leodii 1598 in 8; Antwerpiae 1600. Disseruit etiam *de Enoch,* qui apud Judam ap. de extremo judicio prophetizavit, Leodii 1598 in 8.

[1]) Lucae frater vel cognatus videtur fuisse Petrus Wadding S. J. Waterfordensis (n. 1580; † 13. Sept. 1644), qui philosophiam sexennio, theologiam partim Lovanii, partim Pragae a. 16 docuit et cancellarius Pragae a. 13 studiis praefuit; primus quoque in universitate graecensi ss. canones explicuit. Praeter alia (cf. Sommervogel VIII, 928) edidit tr. *de incarnatione,* Antwerpiae 1636 in 4. liber rarus; *de contractibus* in genere et in specie, Graecii 1644 in 4. De nostro cf. Bellesheim Gesch. der kath. Kirche in Irl. III, 701 ss.; Lemmens KL. XII, 1141—44; Haroldus in vita epitome Annalium Romae 1662 praemissa; Shea Life of Wadding.

4. l. sententiarum v. 3 in f. Lugduni 1639. — Eodem in collegio s. Isidori claruerunt sodales Franciscus Bermingham a Galvia, cujus exstat *Summa* scotica seu *theologiae* p. 1. de Deo uno et trino juxta angelici doctoris methodum et subtilis doctoris mentem, Romae 1656 in f. opus rarum, et Franciscus Moloy, qui disputavit *de incarnatione Verbi divini* ad mentem doctoris subtilis, Graecii 1645 in 4. — Praetermisso vero Francisco Rellio O. S. Fr., cujus exstat *cursus philosophicus* ad mentem doctoris subtilis Pompejopoli 1651 t. 2 in 4. — *de resurrectione mortuorum,* de praescientia et praedestinatione, de paradiso, de purgatorio, inferno, de peccato originali, de articulis fidei etc. disputavit Patritius Raw O. S. Aug., in universitate viennensi theologiae moralis professor et a. 1642 facultatis theologicae decanus († 1646), cujus opera collecta prodierunt Viennae 1641 in 4.

410. Jam plures laudavimus, qui *philosophiam* scholasticam diligenter excoluerunt ut B. Amico, R. Aversa, Ge. Rhodes, Jo. Lallemandet, Mart. Meurisse, Jo. Ponce, Franc. Rellio etc. His addantur Franciscus Le Rees qui concinnavit *cursum philosophicum,* opus rarum Parisiis 1642 t. 4. — Joannis Joanniz et Echalaz *philosophia* prodiit Lugduni 1654 (m. 60). — Franciscus Gonzalez de Santa Cruz S. J. Hispanus, philosophiae professor et postea poenitentiarius ad s. Petrum Romae († 15. Jul. 1661) Aristotelem illustravit in sua *Logica tripartita* i. e. vocali, reali et rationali philosophi Aristotelis et interpretum ejus, ss. P. Augustini et Thomae doctrinae valde conformi, Romae 1639 t. 3 in 4. — In universam *Aristotelis logicam disputationes* edidit Franciscus Alphonsus (Alonso) S. J. Malpartidensis theologiae professor in collegio complutensi (n. 1600; † 19. Sept. 1649), Compluti 1639; 1648; 1659; *in octo ll. Physicorum,* ib. 1640 in 4; 1665; in tres ll. *de anima,* ib. 1640 in 4; in duos ll. *de generatione et corruptione,* in quatuor ll. *de meteoris* et in tres ll. *de coelo,* ib. 1641 in 4. *Institutionum dialecticarum* ll. V, ib. 1639 in 8; 1642; 1670; 1679 ed. 6. — Georgius Reeb S. J. eichstettensis, philosophiae et theologiae moralis professor († 1662) utiliter collegit[1]) *distinctiones philosophicas,* quarum frequentior usus, Ingolstadii 1629, Coloniae 1631 ed. aucta etc.; *axiomata philosophica* frequentius tractari solita, Ingolstadii 1629; Coloniae 1631; utrumque opusculum simul 1642; 1682; *Prudentiae christianae regulas,* motiva, media, exempla selectiora, Dilingae 1636 pp. 3. — De Francisco Soarez S. J. infra agemus.

[1]) Cf. Sommervogel VI, 1576 s.

II. Theologia positiva et polemica.

411. Omnium theologorum hujus periodi, qui hac in sectione recensendi sunt, gloriam unus obscuravit Dionysius Petavius, aquilae in morem alios praetervolans multumque post se relinquens. Natus est Dionysius Petavius (Petau, Paetus, ut se ipsum initio latine appellabat) Aureliani 21. Aug. 1583 patre Hieronymo, e familia virorum doctorum feraci[1]). A prima juven-

[1]) Ejus quinque fratres et sorores duae adeo callebant linguas latinam et graecam, ut in utroque idiomate pangerent carmina. Patris avunculus erat Paulus Petavius in suprema parisiensi curia senator († 1614) versatus admodum in legibus et antiquitatis studio, cujus, praeter alia exstat *dissertatio de epocha annorum incarnationis Christi,* Parisiis 1610 in 4.

tute jam mire erat studiis deditus, ut dies integros in evolvendis libris transigeret, adeoque excellentis erat ingenii, ut decennis carmina graeca componeret, graece disputaret annos natus 17; graecam enim linguam callebat prae latina [1]) et vernacula. Non otium, non ludos ceterorum more quaerebat sed secessum, ut se totum in studia abderet, nec quidquam in severioribus disciplinis reconditum, quod ille non penetraret. Hoc unum fuit, si quando studia intermitteret, oblectamenti genus, regiam parisiensem bibliothecam adire, ac veteres graecos latinosque codices versare. Parisiis doctissimis utebatur magistris Duvalio, Gamacheo, Ysamberto, amico quoque Casaubono; cujus hortatu de edendo Synesio cogitabat. Publico concursu facto cathedram philosophiae in academia bituricensi annos nondum natus 20 promeruit. Post biennium Parisios rediens celebris Frontonis Ducaei consilio, posthabitis rebus omnibus, Nancejum se contulit societati Jesu nomen daturus a. 1605. Tirocinii biennio expleto in mussipontano collegio, quod tum florebat maxime, theologiam audiit. Adhibitus mox fuit docendae rhetoricae annos 11, quo tempore Synesium edidit, tum historicum Nicephori constantinopolitani patriarchae compendium aliaque, quae jam tunc magnam Petavii eruditionem acerrimumque ejus judicium manifestabant. Ab a. 1621—1644 theologiam Parisiis docuit, atque bibliothecarii munere est functus, quo in munere dimissa theologica schola perseveravit. Sedulus fuit semper temporis custos, et licet elegantissima componeret carmina [2]), scribere tamen potuit (l. III ep. 31): „Ego nullam in istis carminibus pangendis serii temporis particulam colloco, sed eundo, redeundo, ambulando per urbem, per aedes, inter coenandum, noctu, reliquis subsecivis horarum momentis raptim illa meditari soleo.“ In more habuit vir diligentissimus, ut quae legeret conservataque vellet, diligenter nec tumultuarie adnotaret. Quamobrem ubi librum aliquem aggrederetur scribendum, materiem in promptu habebat [1]). Ob vastam suam eruditionem undique a viris doctis fuit consultus. Hinc Philippus IV. rex Hispaniae eum ad academiam novam a se Matriti erectam, Urbanus VIII. Romam non semel invitarunt [2]), sed noluit Ludovicus XIII. regnum suum tanto privari viro. Actum etiam certo est sub Urbano VIII. de eo inter patres purpuratos cooptando, quod ne fieret profectionem romanam quantum potuit semper defugit. Cum tanta doctrinae praecellentia conjunxit splendorem virtutum. Pietatem illius nemo non mirabatur, cum videret ipsum tot inter negotia atque studia nihil de solitis pietatis officiis

---

[1]) Ceterum et hanc egregie callebat stiloque utebatur nitidissimo. Teste Fabricio hist. bibl. fabr. I, 83 consuevit Petavius quotannis repetere Joan. Despauterii grammaticam, ne quid ipsi excideret contra regulas grammaticae.

[2]) De ejus *paraphrasi psalmorum omnium nec non canticorum omnium*, quae sparsim in Bibliis occurrunt graecis versibus edita cum latina interpretatione, quae ipsa per se graece nescientibus commentarii instar esse possit (Parisiis 1637 in 12.), ita scribit Grotius: „Semper juxta me repositum librum eum habeo, ut et sensibus et verbis animam pascam. Est ipsa graecitas et poesis latina.“ Cf. Jac. Duportum ap. Fabricium bibl. gr. VII, 670 s.

[1]) Ipse Petavius horum excerptorum mentionem facit, ut de Incarn. XV, 7 § 1 de cruce disserens: „Nos velut spicilegii loco proferemus ea duntaxat, quae praeteriri nullo modo possunt, et quae ut auctorem quemque legebamus, olim seposita et subnotata in schedis reperimus.“ XII, 14 disserens de s. Augustini doctrina de sacrificio ait: „Praecipua quaedam hoc loco commemoranda sunt, quae ut librum illius quemque persolvimus, secreta nobis sunt et notata.“

[2]) Cf. ejus ep. III, 26. 49. 53, quae simul ipsius modestiam animumque ad omnem obedientiam paratum manifestant.

remittere, ad stata orandi tempora confestim alia omnia seponere, et solitum dicere, malle se omnis doctrinae jacturam facere, quam vel semel examen conscientiae quotidianum vel quid simile omittere. Tenerrimo amore ferebatur in b. Virginem tamquam matrem suam et singulari veneratione erga ss. eucharistiam, quam singulis diebus ad longum tempus invisebat. In alios (modo haeretici non essent) mirifice erat amabilis, in se unum saeviebat. Tantam viri virtutem volens Deus tamquam aurum in igne adhuc probare magis et perficere in camino infirmitatis, permisit illum variis morborum generibus haud parum cruciari et doloribus acerrimis torqueri, ut coactus fuerit subinde prorumpere in eas voces: *Circumdederunt me dolores mortis.* Et cum aliquando de acerbitate dolorum amanter quasi expostularet ad Dominum, inaudisse fertur coelitus hanc vocem: „Tu de me cogitas ut homo; ego de te cogito ut Deus." Astantes lecto non cessavit verbis et exemplis accendere ad amorem Dei. Cum Guido Patinus, quo medico utebatur, mortem brevi adfuturam praenunciaret, gaudio exsiliit pius senex suique Rationarii temporum exemplum calamumque ut sibi adferrentur rogavit, inscriptoque primae libri paginae hoc titulo ‚Guidoni Patino medico carissimo', munusculum ei obtulit verbis, ‚debeo evangelica', donum scil. pro fausto nuncio. Denique omnibus rite communitus sacramentis in corona fratrum septuagenarius piam efflavit animam[1]) Parisiis die 11. Dec. 1652.

A recensendis encomiis[1]), quibus viri eruditi omnis nationis, aetatis, facultatis, professionis, religionis exornant Petavium, abstinebimus; omnes enim admirantur ejusdem ingenium singulare et perspicax, stupendam plane et variam eruditionem, diligentiam incredibilem atque indefessam, dictionis elegantiam nitoremque. Inter Petavii discipulos, quos, si ingenii dotibus spem bonam praebebant, mire promovebat in literis, eminent par nobile fratrum Henricus et Hadrianus Valesius, Gabriel Cossart, Petrus Poussine, Joannes Garnerius, Franciscus Vavasseur etc., viri omnes celebres, de quibus infra agemus.

412. Jam ad Petavii opera, quorum ingens est numerus, transeamus, sed praecipua tantum recensebimus. Et primo quidem editiones operum scriptorum veterum. *Synesii ep. Cyrenes opera,* quae exstant omnia ex veterum

---

[1]) Plura de vita habes in bibl. script. Soc. J., cujus elogium suae editioni annotationibus auctum praemisit Zaccaria; apud Niceron XXXVII, 81 ss., ubi accurate admodum de singulis ejusdem operibus ordine chronologico agitur, cujus vitae auctor est P. Oudin; Chatellain Le P. D. Petau, Paris 1884; in primis consulenda accuratissima monographia ed. Stanonik D. Petavius, Gratz 1876. Praeter hos accuratum operum etiam ineditorum catalogum exhibet Sommervogel VI, 588—616.

[1]) Cf. ea collecta a Zaccaria et praemissa suae editioni dogmatum theolog. Venettis 1657. Ita ex. gr. Dupin, Nouvelle bibliothèque des auteurs ecclésiastiques XVII, 222: „On ne peut nier, que ce savant Jésuite n'eut un génie très-étendu et très-vaste, une lecture surprenante, une facilité merveilleuse à écrire particulièrement en latin. Il a excellé également dans les belles lettres, dans la science des langues, dans la poésie, dans l'astronomie, dans la géographie, dans la chronologie, dans l'histoire et dans la théologie. Il est rare de trouver un auteur, qui ait su tant de choses, qui ait tant travaillé sur différentes matières et qui ait réussi en tout genre etc." E protestantibus audiatur Georg. Morhofius in suo polyhistore l. 5 n. 18: „E pontificiis maximis ornari laudibus debet Dion. Petavius, jesuita, vir summi laboris et judicii, quem unum e jesuitis sapere judicabat Scaliger, utut ab illo scriptis criticis lacessitus. . . . Culta illi elegansque est tractandi ratio, varia eruditione undique aspersa, non horrida illa et scholastica, frequens antiquorum lectio, in quibus evolvendis et emaculandis multum temporis consumpsit." Cf. Zoeckler Realenc. XV,[3], 166—69.

codd. fide recensita ac notis illustrata, Parisiis 1612 in f., quae editio mendis scatet, procul enim ab auctore suo Remis tunc degente confecta est; ib. 1631, ed. nondum satis a mendis purgata; longe praestantior et annotationibus auctior est tertia ib. 1633. Inter dissertationes vero adjectas illa maxime est notanda, quae est *de poenitentia publica et poenitentium reconciliatione*, cum in illa plura corrigat, emendet et expoliat eorum, quae disputaverat in annotationibus ad Epiphanium. — *S. Nicephori patriarchae CP. breviarium historicum* de rebus gestis ab obitu Mauritii ad Constantinum usque Copronymum, nunc primum vulgatum (graece) ac latine redditum cum notis chronologicis, ib. 1616; iterum 1648; Venetiis 1729 in historia Byzantina, in patrol. graeca ed. Migne t. 100. — *S. P. N. Epiphanii* Constantiae sive Salaminis in Cypro ep. *opera omnia*[1]) in 2 t. distributa, quae ex veteribus libris recensuit, latine vertit et animadversionibus atque prolixis etiam dissertationibus illustravit, Parisiis 1622 in f., Coloniae (Lipsiae) 1682, cui accessit vita Petavii ab Henr. Valesio oratione descripta et appendices geminae pro vindicandis animadversionibus, altera adversus Maturinum Simonium de *poenitentiae ritu veteri* in Ecclesia (Parisiis 1624), altera ad Claudium Salmasium, quem stilo sat mordaci impugnat (ib. 1630); animadversiones seu dissertationes adjectae sunt partim criticae, partim chronologicae, ut de anno nativitatis et passionis Christi D., de anno Judaeorum, de cyclis; partim historicae, ut de conciliis Sirmii habitis symbolisque fidei ibidem editis, de concilio ancyrano, de Semiarianis; partim archaeologicae, ut de poenitentiae publicae ritu, de chorepiscopis aliisque Ecclesiae ritibus etc., ed. non adeo correcta. Editio petaviana magna ex parte recepta fuit a Migne P. G. t. 41—43. *Juliani imp. opera,* quae quidem reperiri potuerunt, omnia, graece latineque, Parisiis 1630; Lipsiae 1696.

413. Sequuntur opera ad *chronologiam* et historiam spectantia. *De doctrina temporum* divisum in 2 pp., ib. 1627 v. 2 in f., auctius notis et emendationibus quam plurimis e schedis ipsius auctoris derivatis cum diss. Jo. Harduini de 70 hebdomadibus[1]), Antwerpiae (Amstelodami) 1703 v. 3 in f. (complectitur enim haec editio etiam Uranologium atque nonnullas dissertationes theologicas, nec non Petavii epistolas). Constat hoc opus, quod est locuples pro studiis chronologicis fons et armamentarium, libris 13, quorum priores 8 complectuntur partem didacticam chronologiae i. e. scientiam secundum astronomiae regulas computandi tempora etc.; sequentes 4 partem practicam seu applicationem harum regularum ad determinandas historiae periodos et chronologiam historicam; ultimus (13.) vero continet admirandum sane chronicon ad a. J. Chr. 533. Doluit non immerito J. A. Fabricius nondum exstitisse qui illud ad nostra tempora eadem methodo ac diligentia perduceret. Consuli possunt Petavii epistolae II, 11. 13, in quibus causas, cur a Baronii sententia in figenda natalis Christi epocha discesserit, attingit. Hujus operis velut complementum est *Uranologium* sive systema variorum auctorum, qui de sphaera ac sideribus eorumque motibus graece commentati sunt; accesserunt variarum diss. ll. 8 ad auctores illos intelligendos in pri-

[1]) De hac Petavii editione cf. Joan. Alb. Fabricium bibl. graecae V c. 11: Joan. Fabricium in hist bibl. fabr. I, 116 De diligentia adhibita ab ipso Petavio in ea adornanda cf. ejus ep. III, 47 ad Hieron. Aleandrum. Ceterum editio parisiensis magni aestimatur, non tanti vero lipsiensis, cùm non adeo sit emendata.

[1]) Prolixum hujus editionis conspectum habes in Bibliothèque choisie, 1703 t. 2. p. 169—204.

mis utiles, Lutetiae Parisiorum 1630 in f.; in ed. antwerpiensi a. 1703 operis de doctrina temporum t. 3, quae editio recusa fuit Veronae 1734—36 et Venetiis 1757. Dissertationes partim sunt astronomicae, partim chronologicae, partim polemicae[1]), in quibus refellit opiniones Carranzae, Salmasii, Petit. — *Tabulae chronologicae* regum, dynastarum, urbium, rerum virorumque illustrium a mundo condito ad a. 4000; *Tabula chronologica* ss. pontificum, imperatorum, regum, dynastarum a Chr. n. ad a. 1628; Parisiis 1628; 1633; 1657; 1708; Mussiponti 1629; Vesaliae cura Lengleti du Fresnoy 1702, quae editio ceteris praestat. — *Rationarium temporum* in pp. 2, ll. 10 tributum, in quo aetatum omnium sacra profanaque historia chronologicis probationibus munita summatim traditur, ib. 1633 in 12; ed. 2. in 13 ll. tributa, novo ordine digesta, multis accessionibus auctior facta et ab auctore recognita, ib. 1634; 1636; Coloniae 1635; Moguntiae 1646 et saepius alibi (etiam in alias versa linguas); ad haec tempora perducta nec non tabulis geographicis et notis historicis dissertationibusque auctior, Parisiis 1703 (ed. non sat correcta, cujus additiones nón sunt magni momenti); Venetiis 1849. Est hoc opus pretiosum compendium majoris op. de doctrina temporum ac diu hac in materia classicum: hinc 1. ed. eodem quo prodiit anno jam fuit exhausta. — *La Pierre de touche chronologique*, contenant la méthode d'examiner la chronologie et en reconnoître les défauts, vérifiée par pratique et exemples, où sont traités les principaux points de cette science, Parisiis 1636. Ratione horum operum Petavius inter principes chronologos refertur, virque dicitur »omnium diligentissimus, cui in rebus chronologicis nemo par aut secundus hoc seculo opponatur[1])«. — *De Photino haeretico* ejusque damnatione in 5 synodis facta ac de duplici sirmiensi contra illum synodo, et formulis in posteriore editis dissertatio, in qua nova quaedam vulgo haud satis comperta ecclesiasticae historiae capita produntur; adnexa haec est ed. 3. Rationarii Parisiis 1636. Quum nempe sirmiensis synodi Baronius alium annum (357), alium postea ipse in animadversionibus ad Epiphanium (351) statuisset, Sirmondus vero pro Baronio diatribam scripsisset, suam sententiam uberius in hac dissertatione explicat. Ea iterum edita fuit a Labbeo in coll. conc. II, 730; a Baluzio a. 1681 inter opuscula Petri de Marca, a P. Car. de la Baune op. Sirmondi t. 4. Parisiis 1696 (recusa Venetiis 1728); a Clerico t. 3. de doctrina temporum, Amstelodami 1703 p. 189. Huic dissertationi opposuit Sirmondus alteram diatribam, hinc scripsit Petavius *Elenchum diatribae utriusque de Photino et sirmiensi synodo*, quem primus Baune cum duplici diatriba Sirmondi hujus op. t. 4. publicae dedit luci.

414. Opera, quae ad historiam dogmatum et *theologiam dogmaticam* referuntur sunt: *De potestate consecrandi et sacrificandi sacerdotibus a Deo concessa* deque communione usurpanda diatriba adversus novam dissertationem

---

[1]) Cf. de hoc certamine literario Oudin in notitia de Petavio apud Niceron l. c. et Stanonik § 11. Ita orta est controversia cum Jacobo d'Auzoles La Peyre (n. 14. Maj. 1571, † 10. Maj. 1642), qui se vane chronologorum principem dixit. Descripsit *la véritable généalogie de Job*, Parisiis 1623, cui cum contradiceret Petavius in suo op. de doctrina temporum, tria pro sua opinione opuscula apologetica opposuit. Scripsit quoque adversus Salianum *la généalogie de Melchisedech* et du tems auquel a vécu Melchisedech, ib. 1626; *la sainte géographie*, ou description de la terre et la véritable démonstration du Paradis terrestre, ib. 1629; *sancta evangelia* juxta sanctos evangelistas, ib. 1610 in 4.

[1]) Norisius dissert. de vot. decenn. c. 6. Cf. Stanonik l. c. p. 54 ss.

anonymi cujusdam (Grotii), qui christiani sacrificii consecrandi offerendique potestatem etiam laicis attribuerat, Parisiis 1639 in 8; Londini 1685 cum Grotii[1]) dissertationibus (de coenae administratione, ubi pastores non sunt; et utrum semper communicandum per symbola a. 1638) aliisque ab J. Cloppenburgio et Dodvello scriptis earumque confutationibus, 1685; et inter dogmata theologica. *Dissertationum ecclesiasticarum* ll. 2, in quibus de episcoporum dignitate ac potestate, deque aliis ecclesiasticis dogmatibus disputatur, Parisiis 1641 in 8. adversus Salmasii diss. *de foenore trapezetico* (a. 1640), recusi inter dogmata theologica. *De ecclesiastica hierarchia* ll. 5, in quibus potissimum de episcopis et presbyteris deque eorum differentia disputatur (adversus Salmasium), Parisiis 1643. *De Pelagianorum et Semipelagianorum dogmatum historia* l. 1, ib. 1643. *De libero arbitrio* ll. 3, ib. 1643, quos impugnarunt Alex. Morus Calvinianus in l. *Victoria gratiae* sive de gratia et libero arbitrio disputationes genevenses, Middelburgi 1652; et Liberius Fromondus doctor lovaniensis in l. *Vincentii Lenis* theologi arausicani Theriaca adv. D. Petavii et Ant. Richardi de libero arbitrio ll. (Parisiis 1646), 1647. Huic opposuit Petavius *Elenchum Theriacae Vincentii Lenis*, Parisiis 1647. Adversus Arnaldi l. *de frequenti communione*[2]) scripsit: *De la pénitence publique et de la préparation à la communion* ll. 6, Parisiis 1644 in 4., quibus in ed. 3. a. 1645 duos alios adjecit adversus Godefridi Hermant l.: Reflexions sur divers endroits du l. du P. Petau, dans les quels ils approuve la doctrine du l. de la fréquente communion. — *Theologicorum dogmatum* t. 4 Parisiis 1644—1650, scil. de Deo uno et trino et de incarnatione; de angelis, de opificio mundi et eccles. disciplina; Antwerpiae (Amstelodami) 1700 t. 6, cura Joan. Clerici, qui etiam opus illud de poenitentia publica latine versum in eam ed. recepit ac nonnullas annotationes saepe erroribus infectas adjecit; Venetiis 1721; 1745. In has editiones recepti sunt plures ex illis ll., quos supra indicavimus, et praeterea: *de lege et gratia* ll. 2 (Parisiis 1648); *de tridentini concilii interpretatione et s. Augustini doctrina dissertatio* (ib. 1649), in qua epistolam abbatis Burzeis incriptam *Lettre d'un Abbé* à un Evêque (1649) confutandam suscepit. Respondit abbas ille huic dissertationi aliquot scriptis, quibus opposuit Petavius *de Augustini doctrina et trid. synodo diss. posteriorem* (Parisiis 1650). et l. 13. de incarnatione appendicem attexuit, in qua catholicam doctrinam de fructibus mortis J. Christi in eo l. traditam ab heterodoxi cujusdam impugnatione defendit. Hoc ‚heterodoxi' nomen abbatem de Bourzeis vehementer pupugit: perspectis tamen jansenianis erroribus opiniones suas erroneas reprobavit subscripsitque damnationem 5 propositionum Jansenii. *De adjutorio sine quo non et adjutorio quo brevis dissertatio* Parisiis 1651 in 8. Ceterum optima horum dogmatum theologicorum editio est illa, quam curavit annotationibusque illustravit Zacaria, qui Petaviana in multis emendavit, Venetiis 1757 t. 7 in f. Novam

---

[1]) Testatur autem hic ap. Niceron de suis dissertationibus: „Exempla magno veniunt propter nobilem contradictorem.“ Cf. de his controversiis literariis in primis Stanonik l. c. § 14.

[2]) Adversus Arnaldum praeter Car. Franc. d'Abra de Raconis, de quo infra, solide subtiliterque scripsit Hieronymus Seguin S. J. Parisiensis, omnis generis literatura instructus, per plures annos philosophiae et theologiae professor († 29. Oct. 1655) quatuor libros, quorum ultimus est: *Causae commotionis in Gallia adversus l. de frequenti communione excitatae* seu analysis posterior l. de frequenti communione ad Innocentium X., Flexiae 1647 in f. Cf. Sotvellum et Sommervogel VII, 1098.

eamque prolixis admodum dissertationibus auctam cogitarunt Car. Passaglia et Clem. Schrader, sed unum tantum prodiit volumen, Romae 1857 in f. complectens nonnisi 8 priores ll. de Deo uno. Iterum prodierunt Barri-Ducis 1864—70 cum pluribus additamentis t. 8 in 4. Hoc maxime opere, quod tamen initio non omnibus arrisit, Petavius suam inter theologos consecutus est celebritatem[1]); fons enim est, e quo etiamnum theologi suas elucubrationes de hisce argumentis irrigant[2]): major tamen esset ejusdem utilitas, si tenacior fuisset methodi scholasticae, saltem quatenus haec distinctionem atque ordinem commendat. — Exstant adhuc ejus *epistolarum* ll. 3, Parisiis 1652 (etiam in ed. op. de Doctrina temporum), quae non carent pretio literario: plures tamen manserunt ineditae.

415. Petavio adjungimus sodalem Theophilum Raynaudum[1]) propter eruditionis varietatem atque copiam, qui Gallis et Italis accenseri potest, natus siquidem est Cespitelli (Sospello) in comitatu nicaeensi 15. Nov. 1587. Literas humaniores docuit Avenione,

---

[1]) Quorundam calumniam a Martenio in suo itinere literario p. 177 primum in lucem productam, Petavium sua hausisse e manuscriptis quibusdam libris cl. Card. Oregii (de quo cf. supra p. 650) refutatam habes in Mémoires de Trévoux, Juillet 1718 p. 109 et in actis lipsiensibus a. 1718 p. 491—97 a P. Oudino, quae refutatio praemissa est editioni dogmatum theol. venetae Zaccariae. Cf. Journal des Sav. 65, 303—30. Alias fabellas rejectas reperies apud Niceron.

[2]) Hinc jam Huetius apud Niceron: „Toutes les écoles de théologie de la chrétienté retentissent du nom du P. Petau, écoutent et profitent de ses leçons, et il continuera d'éclairer l'église jusqu'à la consommation des siècles.“ Vezzosi op. card. Thomasii t. 1 p. 155: „Doctissimi viri aurea scripta suspicimus, quorum unica pagella studiosos magis erudiri profitebatur v. noster Thomasius, quam si spissa multorum volumina diurna atque etiam nocturna manu versarentur.“ Buddeus Isag. l. 2 c. 3 § 9: „Inter eos vero, qui dogmaticam theologiam ex patrum monumentis tractant . . . D. Petavius ita eminet, ut reliquorum gloriam plane obscuraverit solusque fere dignus sit, qui commemoretur. Immortale namque nominis decus consecutus est ob opus de theologicis dogmatibus . . . Quidquid in patribus scriptoribusque ecclesiasticis observatu dignum de theologicis dogmatibus invenitur, hic in unum velut congestum cumulum simulque apte dispositum, observationibus notitiam antiquitatis ecclesiasticae haud vulgarem spirantibus illustratum et stilo eleganti exornatum conspicere licet. Subsidiis vero istis, quibus auctor instructus fuit, si ad veritatem potius defendendam, quam Ecclesiae romanae errores palliandos uti voluisset, nihil in hocce opere desiderari potuisset.“ Plures tamen eum graviter carpserunt, quod patres nicaenos erroris quasi ariani accusaverit vel non satis dextere explicaverit. Alii tamen innixi praesertim ejus praef. eum excusant. Cf. Apologiam in ed. Zaccar. t. 2 p. 13 et Kuhn Ehrenrettung des Dionys. Petavius, Tüb. Qutlschr. 1850 p. 249 ss.

[1]) Cf. Niceron XXVI, 248 ss., Biogr. univ. 37, 183 ss. Joly, Remarq. sur Bayle II, 658; Backer III, 60, qui de eo scribit: „Raynaud avait toutes les qualités d'un bon religieux; comme écrivain, il avait de l'érudition, et une grande fécondité, mais il manquait de critique en matière de goût; son style est défiguré par l'emploi continuel de termes, qui n'appartiennent qu'à la basse latinité.“ Ita et Andres t. 6. l. 1 c. 5 p. 358; Tiraboschi t. 14 l. 2 c. 1 § 29, ubi inter alia ita scribit. „Di mille diverse materie, singolarmente sacre, egli tratta nelle sue opere, e si può dire che su quella materia che ei prende a trattare, raccoglie quanto si è detto, e quanto potesi dire. Così ne fosse la trattazione più metodica e più precisa. Ma egli non sa tenersi sul diritto sentiero; divagasi or a destra, or a sinistra, e stanca il lettore col avvolgerlo in un continuo labirinto. Lo stile ancora non può piacerne, perchè ha un capriccioso grotesco di greco e di latino, or troppo oscuro per affetazione di antichità, or troppo umile per trascuratezza di correzione. La critica inoltre non è molto esatta, e spesso senza il giusto discernimento ei raccoglie i detti e le opinioni dei buoni e de' cattivi scrittori etc.“, quae jam antea adverterat Dupin XVIII, 91 ubi fuse de Raynaudi operibus disserit.

philosophiam et theologiam Lugduni et Romae, ac demum post varia etiam tragica fata octogenarius multis virtutibus clarus decessit Lugduni 31. Oct. 1663. Viri hujus famigeratissimi opera (plerumque aucta et emendata) prodierunt cura P. Bertet, Lugduni 1665 t. 19 in f. (collectio rara) hoc ordine: t. I. *theologia patrum* ad templorum et scholarum usum, Christus Deus-homo (Antwerpiae 1652 in f.); II. *de attributis Christi* theologia patrum nexa scholasticae, allegoricae et morali; III. *moralis disciplina* ad praestruendum theologiae practicae ac jurisprudentiae viam. Opus quo subtilitas scholastica literarum amoenitate temperatur, principia juris stabiliuntur; penus ad sacras conciones instruitur, ex ethnicorum et Christianorum sapientum defloratione concinnatum (Lugduni 1629 in f.); IV. *de virtutibus et vitiis* accurata et florulenta tractatio (Lugduni 1631 in f.); V. *theologia naturalis* sive entis increati et creati intra supremam abstractionem ex naturae lumine investigatio (ib. 1622; 1637 in 4.); addita est ab auctore scala a visibili creatura ad Deum, quae ab ipso *gradaria sapientia* appellatur, ad exemplum itinerarii mentis in Deum s. Bonaventurae et ascensionis mentis in Deum R. Bellarmini. At Theophili opella utriusque cardinalis piissima opuscula seculari eruditione praecedit (Lugduni 1624 in 12.); VI. constat opusculis non antehac excusis, aut ubique ab auctore emendatis et auctis, scil. *eucharisticis;* potiora sunt: *Candelabrum sanctum septillustre divinae mensae illucens,* praedelineatum in synagoga, expressum vero in Ecclesia exhibitione corporis et sanguinis Domini (Avenione 1645 in 4.); *exuviae panis et vini in eucharistia,* lucubratio, qua ostenditur esse veras qualitates, tum a spectris sensum ludificantibus tum a substantiis intra poros panis exsistentibus realiter distinctas; *christianum sacrum acathystum*; judicium de novo usu ingerendi cathedras assistentibus christiano sacrificio (Lugduni 1661 in 8.). VII. complectitur *Marialia,* ut: *Diptycha mariana,* quibus inanes b. Virginis praerogativae plerisque novis scriptionibus vulgatae a probatis et veris apud patres theologosque secernuntur (Gratianopoli 1643 in 4; Lugduni 1654 in 4.); *Scapulare marianum illustratum et defensum* adversus Lanojum (opera carmelitarum, quorum cura erat imprimendum, nonnihil immutatum, Parisiis 1654 in 8; Coloniae 1658 in 12. et alibi); *dissertatio de retinendo titulo immaculatae conceptionis Deiparae V.* (Coloniae 1651 in 12.); *nomenclator marianus* e titulis selectioribus, quibus b. V. a ss. patribus honestatur, contextus cum observationibus et glossario (Lugduni 1639; Romae 1649 in 12.) etc. VIII. inscribitur *Hagiologium lugdunense* (Lugduni 1662 in f.), in quo praeter dissertationem de diversis sanctis est libellus: *Maria immaculate concepta primos in Gallia honores Lugduni consecuta,* qui prodierat jam Lugduni 1647 in 4. hoc titulo: *Pietas lugdunensis* erga b. V. immaculate conceptam. IX. inscribitur *Hagiologium exoticum ;* X. *pontificia,* in quo praeter alia: *Corona aurea supra mithram rom. pontificis selectorum titulorum* (495), quibus concilia et patres rom. pontificis et sedis apostolicae majestatem coronarunt, illustrata collectio. Accessit confutatio novi erroris de Ecclesia bicipiti (Romae 1647 in 4.); XI. *critica sacra,* inter quae reperies: *Erotemata*[1]) *de malis ac bonis libris* deque justa aut injusta eorundem confixione

---

[1]) „Das Werk enthält neben einer vortrefflichen und gelehrten Vertheidigung des kirchlichen Bücherverbotes die heftigsten Invectiven gegen die Indexcongregation, welche am 18. Dec. 1646 drei seiner Schriften in den Index gesetzt hatte, und Peignot (Dict. des livres condamnés au feu, ad v. Raynaud) berichtet sogar, derselbe habe diese Schrift nur verfasst, um seiner Galle wegen dieses Verbotes Luft zu machen.“ Katholik, 1864 April p. 443 annot.

(Lugduni 1650 in 4., donec corrigantur, prohibita decr. 3. Febr. 1659); in hac editione correcta (juxta decretum 20. Mart. 1664). Liber hic prae reliquis a bibliophilis expetitur. XII. *Miscella sacra,* inter quae: *l. 1. mala bonorum ecclesiasticorum alio quam beneficii titulo usurpatorum ; l. 2. mala bonorum ecclesiasticorum male per beneficiarios captatorum aut dispensatorum* (Lugduni 1644 in 4.); dissertatio *de sobria alterius sexus frequentatione per sacros et religiosos homines* (ib. 1633 in 8.); XIII. opusculorum *miscella philologica,* inter quae de *stigmatismo sacro et profano, divino, humano, daemoniaco* (Gratianopoli 1647 in 8.); XIV. opuscula *moralia,* uti sunt: *de honore judicis,* num eum retractandi obligatione eximat vitio anterioris sententiae deprehenso, dissertatio theologica et juridica; *de aequivocatione et mentali restrictione* adversus falsas Joan. Barnesii[1]) Angli monachi benedictini in Leonardum Lessium criminationes disceptatio theologica, prius edita sub nomine Stephani Emonerii hoc titulo: *Splendor veritatis moralis* collatus cum tenebris mendacii et aequivocationis, Lugduni 1627 in 8; *de ortu infantium contra naturam per sectionem caesaream tractatio,* qua reliqui item conscientiae nodi ad matrem alvo gerentem ac foetum ejusque partum spectantes solide et accurate expediuntur (Lugduni 1637 in 8.); *de monitoriis ecclesiasticis* ad extorquendam restitutionem aut revelationem, quid sint, quando ligent, quomodo solvantur, quam formidandum eorum contemptoribus fulmen excommunicationis (Lugduni 1636 in 8.) etc.; XV. et XVI. *heteroclita spiritualia* et anomala pietatis coelestium, terrestrium et infernorum, collectio scil. singularium exercitiorum spiritualium, quae originem suam debuerunt ignorantiae, vel superstitioni, vel negligentiae. Inter opuscula hujus t. reperiuntur duo scil. *de martyrio per pestem* ad martyrium improprium et proprium vulgare comparato disquisitio theologica, et error popularis *de communione pro mortuis,* quae a. 1646 prohibita fuere: sed correctione adhibita juxta decretum 20 Martii 1664 permissa. Emendationem faciendam ab ipsa congregatione approbatam habes in opp. XX, 256. Eorum primum acriter impugnavit Hurtado (cf. infra), vindicavit acrius forte Raynaudus sub nomine ficto (Leodegarii Quintini Hedui): Theologia antiqua *de veri martyrii adaequate sumpti notione* etc., Lugduni 1656, qui l. fuit prohibitus. XVII. *Ascetica;* XVIII. *polemica,* inter quae: *Nova libertatis explicatio* ad lucem obscurissimis quibusque theologicis difficultatibus affundendam nuper adinventa et 2 ll. proposita a Guil. Gibieuffo (p. 952) congr. orat. gallic. presb. hac antistropha tractatione discussa; accessit examen novae theologiae negantis concursum Dei nobiscum ad actus liberos (Parisiis 1632 in 4.). Contra hunc l. (sicut et contra alia Raynaudi opuscula scripsit) Vinc. Baron O. Pr., de quo alias. T. XIX. complectitur indices generales. Tomum praeterea XX., quem vocabat *Apopompaeum,* apparaverat Raynaudus, atque in eo opera illa tradere meditabatur, quae in corpus operum suorum referre noluerat. Mors vero auctoris inopina

[1]) Joannes Barnes (Barns) O. S. Ben. Anglus scripsit contra Lessium Traicté et dispute contre les *equivoques*, Parisiis 1625, quae fuit prohibita a congreg. Indicis. Magis innotuit propter libellos adversus congregationem anglicanam O. S. Ben. et in primis opere *Catholico-romanus pacificus* (quod prodiit post suam mortem Oxonii 1680), quod salva communione catholicae rom. Ecclesiae et hoc seculo docetur et antea doctum fuit a catholicis celebribus. Scopum persequitur quem Veronius et Holden in operibus suis geminis prae oculis habent, sed in opinandi licentia eos omnino superat. Propter suas opiniones ab inquisitione fuit comprehensus Romamque missus, ubi semicompos mentis decessit 1661 in asylo lunaticorum, qua de re tamen dubitat Braunmüller Kirchenlex. I, 2034. Cf. Reusch II, 404; Gillow I, 138—41.

editionem interturbavit, quae demum emersit Cracoviae (sed falso) a. 1669. Tomus ceteris per omnia aequalis et lugdunensi editioni valde similis inscribitur: Th. Raynaudi *Apopompaeus* admodum rara continens, seu ejusdem t. XX. et posthumus per anonymum novissime digestus; in hoc continentur opuscula 14. Praeter alia: *Dissertatio pro Franc. Suarez* de gratia aegro oppresso collata per absolutionem a sacerdote praesente impensam praevia peccatorum expositione epistolari; *Hipparchus de religioso negotiatore disceptatio* Mediastinum inter ac Timotheum, quae negotiatio a religioso statu abhorreat (Franopoli i. e. Camberiaci 1642 in 8. sub nomine Renati a Valle). Prohibitus tamen fuit hic t. decr. 1. Sept. 1671, exceptis l. Hipparchus et tr. Αὐτὸς ἔφα Os Domini locutum est; linguarium validum damnatis a sede apostolica injectum et depulsio frivolae declinationis, qua pauci murmurantes damnationi Jansenii per Innocentium X. obtendunt defectum conc. generalis (Lugduni 1657), qui ‚separati' permittuntur. »Theophili stilus, inquit Mich. a s. Joseph[1]), pungens et aculeata dictio summopere pluribus displicuit, nonnullis quoque visum est, non longissime nostrum abesse a salibus et mordacitate, quam in quibusdam fori rabulis et aliquibus petulantioribus grammaticis ipse reprehendit. Et ingenue quidem negare non possumus, nonnullam esse in scriptionibus ejus amarulentiam . . . quod mirum sit in viro praesertim doctissimo, quique peculiari tractatione probandum assumpsit, justam esse scriptionum mordacium confixionem, proindeque docuit tenendam esse moderationem etiam in eos, qui prius pupugerint . . . De nostri quoque obscuritate non pauci conquesti sunt et fortasse non prorsus absque ratione etc.« Edidit quoque Raynaudus *s. Anselmi* archiep. cantuariensis *opera omnia* extraneis in ss. libros commentariis adornata . . . opuscula bene multa nunc primum ex bibliotheca vatic. aliisque luce donavit etc., Lugduni 1630 in f.; *Leo M.*, *Maximus taurinensis, Petrus Chrysologus, Fulgentius ruspensis,* cujus edidit e mss. 80 sermones, quorum tamen plerique a criticis non censentur genuini, et l. 3. *de veritate praedestinationis* et gratiae primum mutilum, nunc absolutum; *Valerianus cemeliensis, Amadeus lausanensis, Asterius amasenus* heptas praesulum christiana sapientia et facundia clarissimorum cum variis dissertationibus, ib. 1652.

416. E theologis polemicis[1]) inter Gallos nominatissimus est Franciscus Veronius Parisiensis (n. 1575), qui primum societatem Jesu est ingressus et sacerdos factus plures Galliae provincias munere apostolico strenue fungens peragravit magno animarum lucro, multos enim protestantes etiam doctos, nobiles, imo et praecones ad veram convertit fidem. Ut liberius huic vacaret operi, societatem Jesu reliquit (1620). Exinde zelo indefesso privilegiis ecclesiasticis et regiis instructus opus coeptum continuavit, ore et calamo, concionibus, publicis disputationibus, libris quam plurimis animarum salutem promovit. Licet zelo ardentissimo aestuaret, magna regebatur prudentia, modestia, mansuetudine, quam vel ejus adversarii mirabantur († 6. Dez. 1649). Pro-

[1]) Bibl. crit. IV, 391 qui alioquin encomiastice de eo scripsit eumque a pluribus ejusmodi censuris excusare nititur. Stili mordacitas carpitur etiam in Journal des Savants 1667 p. 79 ss., ubi brevis omnium operum Raynaudi exhibetur conspectus.

[1]) Praetermittimus Joannem Boucher († 1644 vel 1646) parisiensem, theologiae doctorem, canonicum et archidiaconum, qui acriter quondam tyrannicidium defendit. Scripsit contra Richer; nisus quoque est principes christianos inducere, ut strenue se oponerent Mohammedanismo, prolixo edito hunc in finem opere. Fuse de eo agit Feret IV, 209—225.

lixus est ejusdem operum catalogus[1]), quorum potiora tantum hic indicabimus. Omnium celeberrimum est illud, cui titulus[2]): ***Méthode de traiter des controverses de religion*** par la seule Escriture saincte alléguée en termes exprez ou exposée par les saincts Pères séants ez Conciles des 5 premiers siècles rapportéz par les Centuriateurs de Magdebourg ... enseignée et pratiquée par s. Augustin, avec, selon icelles, la décision de tous les points de débat en religion en ce siècle, la réfutation des Confessions de Foy prétenduës Réformées de France, Hollande etc. et la response à tous les livres écrits par les Ministres pour ces Confessions etc. Prodiit hoc opus primum Ambiani 1615 ac saepissime deinde auctum, adeo ut Parisiis 1638. 1639 prodierit in 3 v. in f., ex tenuibus initiis opus ingens. Hinc etiam in variis ed. aliter atque aliter inscribitur. Haec est editio 21. ceteris magis aucta, expolita, completa, in quam recepit pleraque opuscula ante a. 1637 a se edita; alia vero, quae hanc editionem praecesserunt, sunt hujus operis compendia. — Non minus celebris et saepissime recusa et ab ipso Galliae clero approbata est ***Règle générale de la foy catholique séparée de toutes autres doctrines***, contenant le moyen efficace pour la réduction et réunion de ceux de la religion prétenduë réformée à l'Eglise catholique etc., Parisiis 1646 in f., quam parum immutatam receperunt fratres Walenburch[1]) in t. 2. controversiarum et Migne in cursum theologiae t. 1. Versa quoquè fuit in varias linguas et adhuc sec. XIX. aliquoties prodiit, ut cura Dr. Seb. Brunner Viennae 1853 in 16. hoc titulo: ***Fr. Veronii regula fidei*** seu secretio eorum, quae sunt de fide catholica ab iis, quae sunt de fide. — ***Preuve de la s. Messe***[2]) par textes de l'Ecriture s. produits par les ss. Pères séants és Conciles des quatre premiers siècles, Parisiis 1623 in 8. — ***Le purgatoire et la prière pour les fidèles trépassés*** prouvés par textes de l'Ecriture sainte en la bouche des ss. Péres des quatre premiers siècles, ib. 1623 in 8. — ***Les justes plaintes de l'Eglise catholique*** sur les falsifications de l'Ecriture sainte et des ss. Pères par les ministres, ib. 1623 in 8. — ***Traité de la puissance du Pape***[3]), ib. 1626 in 8. — ***Traité des traditions apostoliques*** pour réponse aux traditions des ministres du Moulin et Bochart, Cadomi 1631 in 8. — ***Lumières évangéliques pour rendre facile à un chacun l'intelligence du N. T.*** aux fins que sans crainte ou ombrage par

---

[1]) Hunc exhibet Backer III, 1645—60, qui enumerat ultra 70 scripta.

[2]) Hujus egregium compendium ab ipso comitiorum cleri jussu confectum est: *Petit Epitomé de toutes les controverses de la religion en ce siècle* selon les méthodes de s. Augustin; savoir par l'Ecriture sainte en termes exprès ou exposés par les ss. pères séants ès conciles des cinq premiers siècles etc., Parisiis 1641 in 8, saepius recusum: prodiit etiam epitome latina inscripta Methodus veroniana etc., Coloniae 1619 in 8. etc. (etiam in cursu completo theologiae ed. Migne V, 1066) auctore Remaclo de Vaulx, de quo cf. Biogr. nat. de Belg. V, 1833.

[1]) Hi ita de eo loquuntur Exam. 3. de princ. cath. § 1: „Magnum in hoc negotio subsidium attulit eximius D. Veronius docens, quaenam apud nos sunt fidei catholicae, quaenam inter doctores catholicos salva unitate fidei, salva compage caritatis controversa aut minus certa. Cujus viri scientiam e doctissima societate Jesu prodeuntem veneramur sententiamque longo usu fundatam sequimur, et labores optimo successu a Deo dotatos honoramus.“ Ceterum advertit Werner, Franz Suarez 1, 106, Veronium in discrimine hoc explicando sequi praecipue Vasquez in suis ad s. Thomam commentariis.

[2]) De hac disseruit etiam Edmundus Amyot, Sorbonnae doctor et decanus capituli antisiodorensis in l. *Le sacrifice de la loi nouvelle*, Parisiis 1663. De errore, quem jubente facultate theologica parisiensi retractare debuit cf. Feret III, 157; D'Argentre coll. jud. II, 2, 280.

[3]) Alter ejusdem tractatus *de la Primauté en l'Eglise* ou de la hiérarchie d'icelle adversus Blondellum prohibitus est decr. 12. D . 1641.

cette direction chacun soit assidu en cette lecture, Parisiis 1646 in 6. Primum ibidem proponit historiam seu harmoniam seculi evangelici secundum Salianum et Baronium; locos dein obscuros annotationibus derivatis e patrum scriptis illustrat, controversos et dogmaticos fusius illorum verbis interpretatur, versionis genevensis corruptiones detegit etc. — Nec Jansenianis pepercit Veronius, ut patet ex hisce et aliis ejusdem ll.: *In Jansenii praetensum Augustinum* seu s. Augustinus liberatus a quatuor sophisticis speciebus iprensis novatoris scholae ex methodo augustiniana, Parisiis 1647 in 24; *la condemnation de la doctrine des Jansénistes* par cinq Conciles françois huit cens ans il y a selon les méthodes de s. Augustin, ib. 1648 in 4. (ed. 2). Praeterea *acta* edidit plurium disputationum publicarum, quas habuit cum protestantibus; illorum libros refutavit, ut Henchaei, du Moulin, Mestrezat, Drenlincourt, Bochart, Dallaei, Aubertini, M. Antonii de Dominis, Blondelli etc.; denique etiam N. T. in linguam gallicam vertit, vel saltem versionem lovaniensem emendavit [1]). Theologus erat eruditus, disputator sagax et promptus, orator vehemens, qui stilo utebatur subinde acri.

417. His ex praesulum ordine [2]) accedunt cardinalis Armandus Joannes du Plessis **Richelieu** nominatissimus ob partes, quas gessit in negotiis politicis (n. 9. Sept. 1585, † 4. Dec. 1642), qui non spernenda reliquit opera [1]), cujusmodi sunt: *La méthode la plus facile et assurée* pour convertir ceux qui sont séparés de l'Eglise, Parisiis 1651; 1657 in 4, etiam in Migne Démonstr. évang. III, 5 ss., quod tamen secundum alios majori ex parte ab. Bourzeis [2]) est tribuendum. *Les principaux points de la foi de l'Eglise catholique défendus* etc.... contre les quatre ministres de Charenton, Pictavii 1617; *Instruction du chrétien,* quae ultra 30 editionibus prodiit etc. — Joannes Jobertus de Barraut primo vasatensis episcopus, postea arelatensis archipraesul († 1643) scripsit adversus Molinaeum: *Erreurs et faussetés remarquables* contenues dans un livre intutilé: *Bouclier de la foi* composé par P. du M. — Franciscus Rochefoucauld (Rupifucaldius) e stirpe nobilissima oriundus n. 1558, episcopus clarimontanus (1585), dein (1610) augustomaganus (Senlis), a Paulo V. propter suum pro vera fide

---

1) Cf. Kneller KL. XII², 819; Feret Un curé de Charenton au XVIIᵉ Siècle, Paris 1881; la fac. théol. de Paris IV, 53—92. De ejus versione cf. Rich. Simon, histoire critique des Versions du N. T. c. 31; de annotationibus adjectis, in quibus praesertim Marianam sequitur, Histoire crit. du N. T. c. 58.

2) Ex episcoporum ordine innotuit etiam Joannes Petrus Camus de Pontcarré parisiensis, n. 3. Nov. 1582, praesertim ob suam familiarem cum s. Francisco Salesio consuetudinem. Reliquit ipse innumera (c. 186) opera, in primis ascetica, fabellas romanenses, theologica, polemica adversus ordines religiosos, quos stilo nimis acri et indigno insectatus est, quae tamen fere omnia haud immerito oblivioni sunt tradita, quod levi festinataque manu sint conscripta. Post abdicatum episcopatum bellicensem (1608—29) aliquamdiu vicarium egit de Harlay archiepiscopi rotomagensis, de quo supra in textu agimus. Decessit designatus episcopus attrebatensis 26. Apr. 1652. Cf. Bauer KL. II, 1783; Feller II, 319, qui gravi censura eum notat. Nisus quidem est Depéry in notitia biographica praemissa ed. a se curatae op. Esprit de s. Fr. de Sales eum tueri.

1) Cf. Valentin Card. Richelius scriptor ecclesiasticus, Toulouse 1900; Funk KL. X, 1186—89; Feret IV, 25—51.

2) Nicolaus Cornet praefationem scripsisse dicitur. Fuit Cornet facultatis theologicae parisiensis syndicus († 1663) clarus zelo, quo insecutus est errores Jansenii, ex cujus op. Augustinus 7 detulit propositiones ad facultatem theologicam, e quibus dein quinque solemniter Romae fuere damnatae. Clarus quoque recusatis archiepiscopatu bituricensi et munere directoris conscientiae card. Richelieu. Bossuet ejus quondam discipulus mortuum laudavit.

zelum cardinalis dictus (1607), praesul virtutum splendore morumque candore plane insignis[1]), **Jansenianis** admodum exosus († 1645 a. aetatis 87), disputavit *de auctoritate Ecclesiae* et romani pontificis, Lugduni 1629. — Franciscus de Harlay († 20. Maj. 1653) Parisiensis, avunculus Fr. de H. archiepiscopi parisiensis et cardinalis († 1695), archiepiscopus rotomagensis (1615), vir doctus et de suo grege admodum sollicitus erectis institutis, scripsit[2]) *apologiam Evangelii* pro catholicis ad Jacobum magnae Britanniae regem, Lutetiae 1625 in f. (fr. 30), et observationes historicas et theologicas *in ep. ad Romanos* cum accurata versione e graeco, ex typographia suae arcis gallionensis 1641 in 4. *De rebus Ecclesiae* earumque regimine ac origine per axiomata politica regulasque ecclesiasticas, ib. 1645, ed. retractata, nam prior (1629) non omnibus arrisit. *Mystère de l'Eucharistie,* juxta Augustinum, ib. 1653. — Andreas Fremiot archipiescopus bituricensis, legatus regius ad varias aulas († 13. Maj. 1641) disseruit gallice de notis Ecclesiae 1610. — Ex reliquo clero huc spectant Bertrandus du Chesne, qui praeter alia edidit: *La sainte curiosité* ou Questions sur les principaux articles de la foi, sur les mystères de la religion et les cérémonies de l'Eglise, Parisiis 1643. — Jacobus Corbin Bituricensis[3]), regi a sanctioribus consiliis († 1653), plura reliquit opera ad jus civile spectantia, historica, poëtica, sed etiam nonnulla polemica et versionem gallicam s. Scripturae, Parisiis 1643 v. 8 in 16., secundum Veronium nimis literalem phrasimque latinam plus aequo redolentem, secundum Rich. Simon l. c. stilo rudi et barbaro conscriptam. Inter ejus opera theologica, quae minoris sunt momenti, est et illud, cui titulus: *Preuve du nome de la Messe et de son antiquité* par l'Ecriture et les

---

[1]) Cf. P. Feret in Revue des qq. hist. XXIII (1878), 115—175; Eggs Purp. doctae l. V p. 247—51.

[2]) Cf. Feret IV, 279—292, qui alia ejusdem opera recenset. Ib. p. 292—99 mentionem facit ejus nepotis Fr. de Harlay de Chanvalon archiepiscopi rotomagensis (1651), dein parisiensis (1671; † 1695), qui decies praesedit comitiis cleri gallicani. Concinnavit *chronicon* ecclesiae parisiensis, Paris 1694, quo continentur ejus et praedecessorum statuta salutaria.

[3]) Cf. Biogr. univ. IX, 561. Praetermisso Claudio de Bane († 1658), qui ad Ecclesiam est conversus, mentio fieri hic posset Blasii Pascal († 19. Aug. 1662), viri in disciplinis mathematicis et physicis sagacissimi, propter notissimum opus, quod quidem ex ejus schedis prodiit primum 1669 studio Jansenianorum, dein saepius mutilatum, mutatum, aliorum additionibus auctum; demum ut videtur sat purum et genuinum hoc titulo: *Pensées, Fragments et Lettres de Bl. Pascal* publiées pour la première foi conformément aux manuscrits originaux en grande partie inédits, Parisiis 1844 t. 2. cur. Prosp. Faugère; cur. A. Molinier 1877; cur. Louandre 1886. Continet hic liber demonstrationem veritatis et divinae originis religionis christianae non tamen eloboratam et digestam sed per aphorismos adumbratam, proditque magnam ingenii sagacitatem et acumen, sed dolendum spiritu janseniano eum infici ideoque super pretium suum a pluribus extolli et commendari. Ad rem notat Scheeben (Katholik 1868 I, 289): „Vortrefflich sind die Bemerkungen (Linsemann, Bajus p. 85) über die durch und durch jansenistische Denkweise Pascal's, eine heilsame Warnung für diejenigen, welche die Pensées in Bausch und Bogen für ein klassisches Werk christlicher Apologetik halten." Cf. theol. Qtlsch. Tübingen 1871 p. 131 ss. Multis tamen forte magis innotuit Bl. P. suis famosis *Lettres* écrites à un provincial par un de ses amis, quae ab a. 1656 prodire coeperunt, collectae (19) Amstelodami 1657: quibus theologiam moralem Soc. Jesu impugnat et irridet, ironia et salibus magis utens quam aequa et solida disserendi ratione: hinc eae adversariis Societatis Jesu plurimum arriserunt, ac saepissime prodierunt. Cf. Bertrand Bl. Pascal, Paris 1891; prae primis vero Kreiten Stimmen aus Maria Laach 1892 I, 26 ss. et in pluribus articulis ib. a. 1876; et KL. IX, 1540—46. Juxta Feret IV, 35 a. videtur Pascal ante mortem Jansenianorum castra deseruisse.

Pères des premiers siècles de l'Eglise, Parisiis 1620 in 8. — Georgius Froyer, hospes collegii sorbonici, decanus capituli turonensis, qui archiepiscopatum recusavit oblatum († 1646), nomine suppresso edidit *Les Faussetez d'un cavalier* de la religion pretendue reformée respondant a un imprimé d'un cavalier catholique etc., Paris 1617.

418. Ex ordinibus religiosis zelo fidei emicuerunt Capuccini, e quorum sodalitio mentione digni sunt[1]): Angelus ab Insulis theologiae lector, bis minister provincialis, apostolicarum missionum in India diu praefectus, qui scriptis impugnavit Calvinistas. — Raphael Dieppensis, strenuus missionarius, qui in America ingentem infidelium numerum ad Christum convertit († 1648). — Tranquillus a s. Remigio. — Hyacinthus Kerver Parisiensis, concionator suo tempore magni nominis, strenuus acatholicorum impugnator et academiae controversiarum per plurimos annos Parisiis congregatae promotor, cui Deus praeter insigne doctrinae et sapientiae donum magnam etiam contulit virtutum excellentiam. Praeter alia[2]) reliquit *controversiarum* t. 3 ad revocandos haereticos ad cognitionem veritatis catholicae, Parisiis 1646 in 4; collectionem seu *dictionarium praecipuorum s. Scripturae locorum pro omnibus fidei catholicae romanae apostolicae articulis intelligendis*, ib. 1644 in 4; *Catechismus* sive instructiones super ss. Missae sacrificium cum explicatione omnium caeremoniarum . . . responsione adhibita ad omnes objectiones, Parisiis 1646. — Angelus de Raconis[1]) († 1659) plurimis in tuenda catholica religione et conversione haereticorum exantlatis laboribus clarus, qui conscripsit opus doctissimum: *Calvinismus absque larva*, in quo calvinismo larvam detrahit et ejus deformitatem ostendit, Parisiis 1627. 1630 v. 2 in 8; *excitatorium catholicum*, quo ministri catholici dormientes expergefiant, Cadomi 1624 in 4. etc. — Andeolus Lictaviensis, missionarius apostolicus atque acerrimus Calvinistarum impugnator († 1653), qui praeter opera ascetica plura polemica (gallice) edidit[2]), ut: *Summa doctrinae christianae*, quam docet Ecclesia catholica et romana cum breviario errorum et haeresum, quas docet ecclesia praetensa reformata Calvinistarum, Lug-

[1]) Ex ordine s. Francisci est Eutropius Bertrand, qui disseruit *de sacramentis* in communi, et de baptismo et confirmatione, Tolosae 1657; *de eucharistia*, ib. 1659. — Ignatius a Jesu O. Carm. Gallus, missionarius in Oriente Romae 1652 edidit *Narrationem originis*, rituum et errorum Christianorum s. Joannis cum refutatione 34 errorum.

[2]) Cf. Bernardus a Bononia bibl. Cap. p. 125.

[1]) Distingui hic debet a Carolo Francisco d'Abra de Raconis ejus cognato n. 1580 in arca Raconis, qui 13 annorum puer fidem amplexus est catholicam, tantoque successu studia absolvit, ut vix 19 a. natus publice doceret philosophiam quandoque coram 400 auditoribus. Cathedram philosophicam cum theologica commutavit (1615) atque doctoratus lauream est consecutus a. 1616. Propter insignia ejusdem merita, scripta docta et irenica, animarum zelum atque virtutum exempla dictus est episcopus vauriensis (1637, † 16. Juli 1646). Adversus Arnaldi opus: *De la fréquente Communion* edidit *Examen et jugement* du l. de la frequente Communion, Parisiis 1644; *Response à la Tradition de l'Eglise sur la pénitence et la communion*, 1644. 1645 v. 3 in 4; *la primauté et souveraineté* singulière de S. Pierre prouvée, ib. 1645, in quo errorem de Barcos de Ecclesia bicipiti, quem Arnaldus in suo l. probaverat, rejicit. *Traité pour se trouver en conférence avec les hérétiques*, Parisiis 1618 in 12 etc. Cf. Raess, die Convertiten III, 444. Famoso illi Arnaldi operi occasionem praebuit Petrus de Sesmaisons S. J. Nannetensis theologiae moralis professor († 3. Oct. 1648) l. inscripto: *Question s'il est meilleur de communier souvent que rarement?* Parisiis 1643 in 4., quam opposuit instructioni manuscriptae Sancyrani de usu sacramentorum poenitentiae et communionis.

[2]) Cf. Joan. a s. Antonio I, 60.

duni 1633 in 4; *status deplorandus ecclesiae calvinisticae* fideliter ac sincere repraesentatus[1]), ib. 1639 in 4; *interrogationes justae ac rationabiles,* quas catholici faciunt Calvini sectariis, ad eos ab erroribus liberandos et a morte aeterna revocandos, Turoni 1638; *adoratio veri Dei,* in quo l. ostenditur, quod Calvinistae gravissime errant, dicendo Deum non debere adorari in ecclesiis, in sacramento altaris et in imaginibus, ib. 1639 in 8. etc. — Demum ex eadem familia religiosa verus haereticorum malleus fuit Coelestinus Niortensis, qui libellis circa 30 et amplius Pictavii impressis illos est intrepide aggressus.

419. E societate J. nominari merent Stephanus Audebertus S. J. Bellacensis († 30. Julii 1646), qui inter alia scripsit[1]): *Explications* de quelques endroits de *S. Augustin* touchant la Sainte *eucharistie*, Rupellae 1630 in 12; Lettre *sur les passages de Théodoret* Dial. 2. et *de Gelaze* livre *des deux natures,* Lescari 1639 in 8; *le Triomphe de la Vérité* sur la Transsubstantiation et sur le Purgatoire, Orthesii 1638 adversus Abbadie in 8. — Joannes Mocquet S. J., »Novipontius Lotharingus[2]), peracuti vir ingenii, gravis judicii, memoriae felicissimae, praeter idioma sibi proprium latine, graece et hebraice doctus; italico quoque, hispanico et germanico ceu vernaculis utebatur; philosophiam et theologiam primo Dilingae, deinde eandem 9 annis Ingolstadii laudatissime professus est, Gonteriana methodo contra calumniantes haereticos egregie vindicata[3]). Clarus fuit collegii et academiae dilinganae rector, a summis principibus saepe consultus, tandem Oeniponti, cujus collegium pluribus annis rexit, exemplo quam verbis imperiosior, ex assiduis laboribus decessit 19. Jan. 1642 aet. a. 68.« — Jacobus Beaufez Tutellas († 3. Oct. 1650), strenuus Calvinistarum impugnator.

420. Inter Jansenismi[4]) adversarios prae primis numerari debet s.

---

[1]) Huic analogum est opus Joannis Ludovici de Rouvray quondam pastoris galli Bernae, qui tamen a. 1648 ad Ecclesiam catholicam rediit, cui titulum fecit: *L' abomination du Calvinisme*, Parisiis 1650 in 4., in quo ostendit 13 sectionibus calvinismum esse sine Ecclesia, sine religione, sine reformatione, sine Scriptura seu verbo Dei, sine fide, sine sacramentis, sine sacrificio et sacerdotio, sine symbolo, omnium haeresum colluviem, regum et ecclesiasticae auctoritatis hostem, ministrorum Ecclesiae inimicum, hostem vel ipsius fidei, Dei et sanctorum ejus. „Das Buch, dicit Raess, die Convertiten V, 233, ist offenbar in aller Eile im ersten Feuereifer der Bekehrung geschrieben worden. Es enthält schöne und vortreffliche Gedanken, schlagende Betrachtungen und lebendige Schilderungen; es würde aber mehr Interesse bieten, mehr Nutzen stiften und nachhaltigeren Effect machen, wenn es ruhiger, wissenschaftlicher und weniger weitschweifig durchgeführt worden wäre. Beim Anblick der durch die neuen Lehren angerichteten beweinenswerthen Verheerungen gestattet er begreiflicher Weise der Einbildungskraft, dem Schmerz und der Aufregung zu freien Lauf, und begnügt sich manchmal anstatt der Belege mit ätzenden Schlagwörtern.“ — Huc etiam referri potest opus plane egregium Petri Guiffart medici rotomagensis, parentibus calvinianis orti, qui ad fidem catholicam c. a. 1653 rediit suaeque conversionis rationem edidit in l. *Les veritez Catholiques* ou les justes Motifs, qui ont obligé le S. G... de laisser la Religion prétendue Réformée pour se ranger à l'Eglise catholique etc., Rotomagi 1653, de quo cf. Raess VII, 44—61.

[1]) Cf. Sommervogel 1, 622.

[2]) Ita facultas theologica ingolstadiensis in monumento ei in auditorio posito. Cf. Mederer, annales acad. ingolst. II, 233.

[3]) In op. *Methodus Gonteriana* sive modus et ratio cum haereticis ex solo Dei verbo disputandi primum a J. Gonterio S. J. conscripta, deinde ll. 2 a calumniis vindicata, Ingolstadii 1618 in 4. Plures reliquit disputationes philosophicas et theologicas de sacramentis. Cf. Sommervogel V, 1143—46.

[4]) Inter Jansenianos referri debet Ni-

Vincentius de Paulo (n. 24. Apr. 1576; † 27. Sept. 1660). Praetermittimus fata sanctissimae ejusdem vitae, opera stupenda caritatis et misericordiae in omnes indigorum conditiones et aetates, instituta pia et utilissima, quorum fuit auctor fecundus, quae fusius apud ejusdem biographos legere licet. Adversus Jansenianos divinitus missus dici meret. Virus hujus sectae sagacissime agnovit, periculosissimum judicavit, hinc quantum potuit eidem se opposuit, episcopos Galliae movit, ut quinque propositionum ex Jansenii opere *Augustinus* excerptarum damnationem apud sedem apostolicam urgerent, ejus malitiam literis egregiis aperuit, sodales cautissima solicitudine adversus Jansenii errores praemunivit: hinc Grandin theologus insignis († 1691) in actis canonizationis dicere potuit: Comme Dieu a suscité s. Ignace et sa Compagnie contre Luther et Calvin, il a suscité Vincent et sa congrégation contre le jansénisme. Hinc et Janseniani eum maxime exhorruerunt. Omissis ejus *institutionibus, collationibus* etc. pro sodalibus et sororibus misericordiae, quae quamvis typis datae communi fidelium usui non patent, mentione dignae sunt ejus *epistolae*, quarum ingens fuit multitudo (ad 30,000), e quibus forte ad 7000 innotuerunt. Plures prodierunt Parisiis 1882 t. 2, et passim in biographiis infra citandis[1]). — Joannes Doris S. J. e dioecesi rotomagensi, philosophiae et theologiae moralis professor († 1657), gallice prius (1651), dein latine scripsit *vindicias s. Augustini* adversus Pseudo-Augustinum C. Jansenii . . . tr. in singulos ll. singula ll. capita t. 1. de haeresi pelagiana, Parisiis 1656. — Moyses du Bourg S. J. († 1662) scripsit *Le Jansénisme foudroyé* par la Bulle d'Innocent X., et *l' Histoire du Jansénisme* contenant sa Conception, sa Naissance, son Accroissement et son Agonie, Burdigalae 1648 in 12; *Réfutation* du prétendu Catéchisme de la grace par la seule doctrine de s. Augustin, ib. 1651 etc. — Petri a s. Joseph Comagère O. Cist. congr. fuliensis e dioecesi Ausci (n. 1592, † 1662), plura exstant opera[1]): *Idea philosophiae rationalis, naturalis, universalis et moralis* sive logica, physica, methaphysica et ethica Coloniae 1655 t. 4 in 1 v. in 16; *Idea theologiae speculativae, sacramentalis, moralis,* Parisiis 1642 v. 3 in 1 t. in f.; 1643 (ed. jam 5.); *Théologie du temps* examinée selon les règles de la véritable théologie, Parisiis 1647 v. 3, in quorum 1. tuetur Molinam adversus ejus impugnatores veteres et recentes, praesertim contra Jansenium, causam quoque agit Haberti adversus Jansenianos; in 2. refellit l. anonymum: *La grandeur de l' Eglise romaine,* in quo defenditur sententia haeretica ab Innocentio X. damnata de duobus Ecclesiae capitibus. In 3. disserit de sacramento poenitentiae et frequenti communione. *Defensio s. Augustini hippon.* adversus Augustinum iprensem (Jansenium) quoad auxilia gratiae et humanam libertatem, ib. 1651; *Suavis concordia humanae libertatis cum immobili certitudine praedestinationis et efficaciae auxiliorum gratiae* juxta sententias Dominicanorum et patrum Soc. J., ib. 1639; *defensio s. Thomae doctoris angelici* adversus recentiores quosdam theologos, qui praedeterminationem

colaus Perrault, cum Arnaldo a Sorbona (1656) ob suam adversus decreta pontificia obstinationem exclusus († 1661). Cf. KL. IX, 1813.

[1]) Cf. Abelly La vie du v. serv. de Dieu Vinc. de Paul Paris 1664; Collet Vie de s. V. de Paul, Nancy 1748 t. 2; Maynard St. V. de P. sa vie, son temps, ses oeuvres, son influence, Paris 1860 t. 4; 1874 ed. aucta; Arth. Loth St. V. de P. et sa mission sociale, Paris 1880; cui introductionis loco praemissa est egregia diss. L. Veuillot Etude sur St. V. de P. (1854); Bougaud Histoire de St. V. de P., ib. 1891 t. 2 ed. 2; Em. de Broglie St. V. de P. ib. 1899 ed. 5; Dautzenberg KL. XII, 989--99.

[1]) Cf. Visch, bibl. script. s. O. Cist.

physicam ad actus liberos illi falso affingunt, Duaci 1633; quod opus impugnavit Jac. a s. Dominico O. Pr., ut t. sequenti dicemus. *De sacramentis,* Tolosae 1627 v. 2; *Consensus orbis de gratia sufficiente* innumeris ss. patrum et theologorum testimoniis comprobatus, nec non a pelagianismi et semipelagianismi nota contra Calvinistas vindicatus, Parisiis 1652 in 12; *La défense du formulaire* dressé par l'assemblée du clergé contre les derniers libelles des jansénistes, ib. 1662. — Nicolaus Forest Duchesne prius e S. J., dein O. Cist., Rothomagensis praeter alia[1]) edidit *Précautions tirées du Concile de Trente* contre les nouvautés de la Foi, Parisiis 1649 in 8; *Lettre d'un théologien à son ami malade,* contenant l'Abrégé de Jansénius, ib. 1661 in 4; *Lettre à son ami en convalescence* contre trois lettres d'un janséniste (de Bourzeis), ib. 1650 in 4; *Lettre . . . à son ami parfaitement guéri du jansénisme,* contenant quelques avis sur les canons du Concile d'Orange, ib. 1650 in 4.

421. In Italia[2]) scripsit adversus Hebraeos et haereticos scripturalem dissertationem ac demonstrationem *Virginis partus ejusque filii Emmanuel divinitatis et humanitatis* tr. 3, Mediolani 1639 et 1641 in 4. Ignatius Landrianus Mediolanensis olivetanae congregationis, monasterii s. Victoris abbas (n. 1579), plures Judaeos ad fidem convertit. Propter insignem eruditionem Romam fuit accitus opem laturus in congregatione de propaganda fide; sed dum se ad iter parat aeternitatis iter est ingressus 17. Apr. 1642. — Philippus Guadagnolo O. cler. reg. min. linguarum orientalium peritia insignis († 1656) *apologiam* edidit pro religione christiana, qua respondet objectionibus Ahmed filii Zinalabeddin Persae, qui steterat pro Mahometis erroribus, Romae 1631, arabice 1637. — Plurimum verbo hac aetate inclaruit Dominicus Gravina O. Praed. Siculus, non minus insignis doctrina, quam innocentia morum, disciplinae regularis studio vitaeque sanctitate. Sacras literas variis in conventibus provinciae neapolitanae interpretatus est: Romae coram Paulo V. pluries e suggestu oravit; Neapoli, Panormi, Priverti conciones habuit per quadragesimam magno ubique cum fructu. Omnibus in ordine muneribus proxime ad summum functus est et a cardinalibus archiepiscopis neapolitanis theologus adscitus († 1643). Haec praecipua ejusdem opera[1]): *Catholicae praescriptiones* adversus omnes veteres et nostri temporis haereticos, quorum controversiae ex antiquitate, universitate, patrum consensione, s. Thomae Aq. doctrina et methodo dissolvuntur ac confutantur in 12 t. distributae; prodierunt tamen tantum t. 4 in v. 7 in f. Neapoli 1619—1639, quorum 1. continentur: Prolegomena, sacra analysis; de divina revelatione, de principiis s. doctrinae, de ss. traditionibus (1619); 2. de verbi Dei scripti h. e. s. Scripturae auctoritate, versione, interpretatione (1627): in 3. patrum auctoritas, praesentium pastorum et doctorum et ipsius Ecclesiae sensus defenduntur: huic adjicitur series episcoporum et archiepiscoporum ecclesiae neapolitanae; 4. agit de Ecclesiae na-

---

[1]) Cf. Biogr. univ. XV, 261.

[2]) Andreas de Castellana missionarius reliquit librum valde rarum inscriptum: *Missionarius de fide instructus propaganda,* quomodo debeat inter haereticos vivere, pravitates eorum convincere et in fide catholica proficere per Germaniam et Poloniam, per Galliam et Angliam, per Hungariam et Transilvaniam, et per omnes partes, ubi vigent blasphemiae lutheranae, Bononiae 1644 in 12. — De Josepho Arcamonio neapolitano († 1663) cf. Adelung I, 1013.

[1]) Cf. Echard II, 532 s. Recenset hic etiam ejus opera ad praelum parata 28 praeter alios 8 tomos harum praescriptionum.

tura, partibus seu membris, proprietatibus, notis vel signis, dotibus, muneribus et ornamentis (1632); 5. de legitimo judicio controversiarum fidei, divino et publico magisterio Ecclesiae (1635); 6. de patribus in concilio oecumenico congregatis (1636); 7. de legitimo et praecipuo magistro et judice infallibili romano pontifice in fidei [1]), morum et ecclesiasticae disciplinae, canonizationis et cultus sanctorum decretis (1639). *Pro sacro fidei catholicae et apostolicae deposito fideliter a rom. pontificibus custodito apologeticus* adversus novatorum calumnias et praesertim novissimi M. A. de Dominis, Neapoli 1629 in 4; Coloniae 1638. *Pro sacrosancto ordinis sacramento vindiciae orthodoxae* adversus haeresiologias M. A. de Dominis, in quibus pariter Ecclesiae latinae cum graeca tam in materia, quam forma concordia demonstratur, Neapoli 1634; Coloniae 1638 in 4. *Cherubim paradisi s. Thomas Aq. characteribus divinae sapientiae illustratus* cum ss. patribus ab oppositis paraturis vindicatus, Neapoli 1641 in 4. *Ad discernendas veras a falsis visionibus et revelationibus* βασανιστής h. e. lapis lydius, ib. 1638 in 4; pars 2. praxim concernens, quo modo verae a falsis revelationibus et visionibus discerni possint, ib. 1638 in 4. Sua cura prodierunt *quaestiones quodlibetales* F. Joannis de Neapoli Sicola nuncupati S. T. M. parisiensis c. a. 1316 florentis. Multa ex ejus operibus recepit Rocaberti in suam bibl. pont. VIII, 374—1041. — Augustinus de Bellis cler. reg. Theat. Neapolitanus, ordinis vicarius generalis et procurator, consultor congregationis indicis, episcopus soranus (1651; † 1659) disseruit[2]) *de absoluta d. Petri monarchia,* qui solus ecclesiam aurigavit contra anonymum neotericum, qui ita Paulum Petro inseruit, ut cum illo unum pontificem, unum caput Ecclesiae a Domino institutum fuisse commentus sit, vindicata, Romae 1647; apud Rocaberti IV, 529—627.

422. Nominatissimus fuit suo tempore Valerianus Magnus (Magni) O. Cap. Mediolanensis, provinciarum Austriae et Bohemiae minister provincialis, apostolicus haud sine ubere animarum proventu missionarius, vir etiam in rebus politicis tractandis versatus, hinc Ferdinando II. et III., Ladislao regi Poloniae, aliisque principibus carus, a quibus tamquam meritissimus ad cardinalitiam dignitatem fuit postulatus[1]). Non solum scriptis, sed et voce cum protestantibus disputavit. Dolendum, quod nimio aestu in Jesuitas abreptus nec romano pontifici pepercerit; hinc in carcerem conjici Romamque Vienna abduci jussus est, sed opera Ferdinandi III. libertati restitutus[2]). Obiit a. 75 natus Salisburgi 29. Julii 1661. »Hujus ingenio, inquit Caramuel[3]), multum debet Europa, multum Ecclesia; scripsit multa philosophica et theo-

---

[1]) Pro romano pontifice stetit et Dominicus Segneri, cujus prodiit Romae 1656 *Opus Dei admirabile* tribus maximis apud theologos celebres accensendum s. *suprema dignitatis ac potestatis plenitudo* s. Petro ac successoribus a Christo concessa.

[2]) Alia ejusdem opera edita et inedita, cf. apud Vezzosi I Scrittori de'cherici reg. 1, 108—112.

[1]) Hujus sodalis fuit Gregorius Angelerius Calaber († 1662), cujus exstat opus: *De praeparatione evangelica* narrationes 7, in quibus referuntur et refutantur falsae narrationes atheistarum gentilium, Hebraeorum, Turcarum, haereticorum et schismaticorum, et ostenditur aperte, quod Ecclesia romana est vera Ecclesia et sola schola in terris, Neapoli 1653. Alius sodalis est Joannes a Syderno Calaber, qui scripsit *Directorium apologeticum* seu apologiam contra errores haereticales Armenorum, Messanae 1645.

[2]) Cf. Joan. de Cruce in continuatione hist. Fleurii l. 203 § 116 s.; Backer III, 339. 340 ed. 2; Roskovány II, 656 ss.: 672; hist. pol. Blätter CXVII, 556 ss.: Reusch allg. d. Biogr. XX, 92—94.

[3]) In theol. fundamentali p. 14.

logica[1]), quae cum fructu leguntur. Edidit contra haereticos plurima, quae qui legerit Lutheranus aut Calvinista esse non possit.« Inter haec praecipua sunt: *Judicium* de catholicorum et acatholicorum regula credendi, Pragae 1628, in quo supremam rom. pontificis auctoritatem plurimum extollit. Quem l. plures impugnarunt. Non tacuit Valerianus, edidit enim illud opus iterum auctum: *Judicium de catholicorum regula credendi* contra illos, qui illud confutare conati sunt, in 6 ll. distributum; agit scil. primo de regula credendi in communi, dein respondet ex ordine ad objectiones Joan. Majoris, Joan. Martini, Joan. Botsacci, auctoris anonymi et Conradi Belgii, Viennae 1641. *Judicium de catholicorum regula credendi* ad studia universalia biblistarum, in quo solidissimis rationibus evincitur, illam veram esse Christi Ecclesiam, quae claret regeneratis, hanc vero non esse aliam, quam quae communicat in fide cum. rom. pontifice, ll. 8, in quibus agit de naturali regula judicandi, ut respicit regulam fidei; de possibili regula fidei in Deum; de actuali regula fidei in Deum; de historia ecclesiasticae regulae catholicorum; de apologemate catholico, de articulatione doctrinae christianae, ut est confirmabilis rationibus; de hominis perfecta regeneratione per gratiam Redemptoris, de infallibilitate cathol. regulae credendi, 1628; ib. 1641. Revocat hoc in op. omnes controversias ad q. de vera Ecclesia, quam illam esse docet, cujus caput est romanus pontifex: haec enim accipit, non singuli homines independenter ab ipsa, Spiritum s., sine cujus illuminatione verum Scripturae sensum, cui ex utriusque partis consensu standum est, assequi tuto non possumus[2]). — Tr. *de infallibilitate rom. pontificis* in rebus fidei definiendis, 1643. — *Organum theologicum* seu ratio argumentandi ex humano testimonio seu ratione, ib. 1643. ***Methodus convincendi et revocandi haereticos ad fidem catholicam,*** 1643. ***Lux in tenebris lucens,*** quo opusculo ex factis ad oculum demonstatur, ubi vera sit Ecclesia, 1643. — *De luce mentium et ejus imagine,* parvus quidem mole tractatus, magnus vero pondere sententiarum: disponuntur enim in eo gradus 40, per quos ascenditur ad contemplandam oculis non caligantibus lucem creatricem, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum etc. Ejus opera philosophica, inter quae et unum *de Aristotelis atheismo,* collecta prodierunt Viennae 1643. In iis passim Aristotelem notat et veterum philosophorum doctrinam carpit.

423. Silvester Petra-Sancta S.J. Romanus, Bellarmini biographus, philosophiam explicuit Firmi in Piceno, ubi Petrus Aloysius Caraffa tunc urbis illius progubernator, postea cardinalis, suavitate morum et doctrina illectus ipsum sibi confessarium et comitem itineris, dum nuncius apostolicus Coloniam peteret, postulavit detinuitque penes se toto tempore, quo iis in regionibus est commoratus († 8. Maji 1647). Scripsit[1]) contra Molinaeum et Rivetum, et aliis omissis: *Thaumasia verae religionis* contra perfidiam sectarum t. 1. de miraculis comparatis V. et N. T., Romae 1634 in 4; t. 2. de ritibus Ecclesiae per miracula confirmatis, ib. 1646; t. 3. (posthumus) de miraculis perpetuis Ecclesiae catholicae, ib. 1655. — Antonius Rusca, Mediolanensis, collega Collii, Vicecomitis, Ferrarii aliorumque virorum eruditorum († 1655, secundum alios 1645),

---

[1]) Cf. bibl. franc. III, 132 ss.

[2]) Cf. plures qui contra Magnum scripserunt ap. Buddeum l. cit. l. 2 c. 7 § 9 p. 1277 s.; Roskovány II, 631—33; 656—59; VI, 569—71. Elucidationem in regulam credendi inscriptam *Valerianus redivivus* dedit Carolus Hidelsiensis O. Cap. Coloniae 1683.

[1]) Cf. Sommervogel VI, 737—42, et elogium in Nicii Erythraei pinac. III, 23.

mandante Friderico Borromaeo opus praeclarum[1]), eruditum et rarissmum composuit *de inferno et statu daemonum ante mundi exitum ll. 5,* Mediolani 1621 in 4. — Sanctes Franco O. Pr. Aprutius praeter alia reliquit *Symbolum apostolorum* d. Thomae doctrina explicatum et ab erroribus gentilium et haereticorum propugnatum, Neapoli 1647 in 4. Vivebat adhuc a. 1653. — Adversus Blondellum scripsit Bonaventura Malvasia O. Min. Bononiensis, congregationis de propaganda fide qualificator, *nuncium veritatis,* Romae 1635, et *Apologiam* pro epistolis veterum rom. pontificum ab Isidoro hisp. collectis, a Fr. Turriano (cf. p. 281) defensis, Romae 1658 in 4. Collegit quoque *catalogum* omnium haeresum et conciliorum, ib. 1661 in 4. *Dilucidatio speculi* verum monstrantis, ib. 1628. — *De summo pontifice* disputavit (Romae 1619) Petrus Paulus Bombini, Consentinus, prius e Societate Jesu, dein congr. Somaschae († 1648). — Andreas Lao O. Carm. praeter *disputationes theologicas* in 1. 2. d. Thomae de conscientia, Genuae 1650, tr. brevem sed eruditum *de summo pontifice* ex conciliis, ss. patribus, praesertim ex s. Augustino et Thoma excerpsit contra sectarios, cujus prior ed. Genuae 1656 absque auctoris consensu t. IV. *de conscientia* adnexa prohibetur, correcta Romae 1663 permittitur. Reperitur in bibliotheca pontif. Roccaberti III, 591 —618. — Franciscus Maria de Monaco (del Monaco) cler. reg. Trapanensis (n. 4. Maji 1593, † 1651) praeter *disputationes et commentaria in Aristotelis philosophiam* ad s. Thomae doctrinam expensa et illustrata, Parisiis 1652 in f. et plura alia[2]), e quibus haud pauca ms., *de fidei unitate* scripsit ad Carolum Britanniarum regem ll. 3, Parisiis 1647 in f., quorum 1. est theologicus; 2. politicus; 3. historicus (qui tamen non prodiit). — Ludovici Centofloreni (Centofiorini) viri admodum eruditi diu advocati, cubicularii pontificii et episcopi nicoterensis († 1650) prodiit sine loco et anno: *s. Concilii tridentini clypeus* contra haereticorum sagittas in 4. — Georgius Polacch Venetus scripsit tract. *de sanctitate Ecclesiae catholicae,* Venetiis 1644 in 4; Francofurti 1646; relectionem *de potestate praelatorum* in foro interno, Venetiis 1625; 1629 in 4. et aliis omissis l. inscriptum *Anticopernicus catholicus* seu de terrae statione et solis motu contra systema copernicanum catholicae assertiones, ib. 1644 in 4. — Alphonsus Pandolfi episcopus comaclensis († 3. Oct. 1648) disseruit *de fine mundi,* Romae 1658. — Plurima opuscula, ex quibus haud pauca sunt ad illustrandam vel tuendam religionem catholicam, lingua sinica edidit Julius Aleni S. J. Brixianus, strenuus in imperio sinensi ab a. 1610—1649 missionarius.

424. Paucos ex *Hispanis* huc referre licet. Adversus Judaeos *de adventu Messiae* disputavit Didacus Gatica O. b. M. V. de Merc. Baeticus et episcopi hispalensis coadjutor cum titulo Ecclesiae uticensis, Matriti 1648 in f. — Emmanuel Vega S. J. Conimbricensis diu in vilnensi Lithuaniae academia professor († 27. Jan. 1648 nonagenario major) disseruit[1]) *de vero et unico primatu d. Petri* apost. principis sacrosanctorum Ecclesiae patrum testimoniis atque oecumenicorum conciliorum testimoniis comprobato, Vilnae 1580 in 4., et praeter alia reliquit *Quaestiones selectae* de libertate Dei et hominis, de praedestinatione, de concordia summorum nostri temporis theologorum, Romae 1639. — Ambrosius Peñalosa

[1]) Alius ab eo est Nicolaus Rusca archipresbyter Sondrii, qui in lucem dedit *acta disputationis tiranensis* adversus Calvinum et ministros Calvini defensores, Comi 1598.

[2]) Cf. Vezzosi II, 71 ss.

[1]) Cf. Sommervogel VIII, 1525.

S. J. Mondejarensis, in academia viennensi professor († 6. Martii 1656), tanto amore in b. Virginem ferebatur, ut quotidie ter ejus rosarium recitaret, atque in ejus honorem l. ederet hoc titulo: *Vindiciae Deiparae V. de peccato originali et debito illius contrahendi* rigore theologico praestructae et a nemine hactenus ex professo discussae, Antwerpiae 1650 in 4. Ejus quoque est opus egregium *de Christi et Spiritus s. divinitate* necnon ss. Trinitatis mysterio contra Judaeos, Photinum, Socinum, Eniedinum aliosque veteres et novos arianos, Viennae 1635 in f., opus rarum. — *Contra os Hebreos et contra os erros dos Hereticos* (Olisipone in f.) scripsit Ludovicus de Mertola alias de Praesentatione O. Carm. Lusitanus († 19. Apr. 1653 a. aetatis 71).

425. Multi ex *Anglia* prodiere theologi polemici, quorum plures societati Jesu nomen suum dederunt. Joannes Fisher (Fairfax, Perseus; proprie Percy) patria Dunelmensis ex familia haeretica natus, adolescens 15 annorum, non paucis difficultatum obstaculis superatis, in Galliam transfretavit, Romam deinde petiit, ubi in Anglorum collegio studiis operam dedit. Rediens in Angliam a militibus anglis capitur, horrendum in modum torquetur, Londinum tetrum in carcerem abducitur. Hinc tamen post menses septem nocte concubia per tegulas dimissus liber evadens suorum aliorumque saluti procurandae se impendit. Post haec dum catholicis in fide confirmandis et deviis reducendis egregiam variis in locis navat operam, iterum capitur, in vincula conjicitur ac post decem menses rogatu legati hispani in exilium pellitur. Migrans in Belgium aliquamdiu sodalibus in munere vicepraefecti missionis praefuit, et deinde s. Scripturam Lovanii explicuit. Verum cum nec carceres nec tormenta formidaret, rursus impetrata a majoribus facultate trajecit in Angliam, ubi tertio et quarto comprehensus et in custodiam est compactus. Sed nec in carcere otiosus fuit Christo animos lucrans; quin et ipse rex (Jacobus) de rebus fidei controversis audire ipsum coram disserentem non est dedignatus [1]). Hinc ejusdem opus: *An Answer unto the nine points of controversy,* proposed by our late soueraygne, of famous memory unto Mr. Fisher etc., Audomari 1626 in 4. Fractus demum laboribus, aerumnis et annis e vinculis ad coelestem transiit libertatem [2]) 3. Dec. 1641. Inter ejus opera est insigne et perutile: *A Treatise of Faith,* wherein is briefly and plainly shown a direct way, by which every man may resolve and settle his mind in all Doubts, Questions and Controversies concerning matters of Faith, Londini 1600 in 8; Audomari 1614, cum ejusdem apologia 1612, cui adnexa est: *A challenge to Protestants,* requiring a catalogue to be made of some professors of their faith, in all ages since Christ. — Laurentius Anderton [3]) Lancastrensis, quondam mi-

---

1) Cf. de hac disputatione continuat. H. E. Fleurii l. 195 § 22.

2) Cf. Sotvellum, Sommervogel III, 759 s.; Gillow V, 261—64.

3) Tribuuntur ei et alia opera, quae dicitur edidisse sub nomine ficto Joannis Brereley, quae tamen videntur esse alterius Anderton, quod nomen tunc temporis sat frequens fuit. Ejusmodi sunt: *The Liturgy of the Mass* concerning the Sacrifice, Real Presence and Service in Latin, 1610; 1620 in 4; *The Life of Luther.* Collected from the Writings of himself and other learned Protestants, together with a further discourse touching Melanchton, Bucer, Ochine, Calvine, Beza etc., 1610 in 4; Audomaropoli 1624; *S. Augustines Religion* collected from His own writings and from the confessions of the learned Protestants etc., 1620; *The Protestant's Apology for the Roman Church:* I. Concerning the Antiquity and Continuance of the Roman Church since the Apostles times; II. The Marks of the True Church; III. The loyalty of Catholics proved by Testimonies of the learned Protestants themselves, 1604 in 4., quod opus accuratum et doctum haud parum commovit Anglicanos, unde urgente archie-

nister anglicanus, qui dein ad Ecclesiam rediens in vinea Domini 40 a. spatio gnaviter et fructuose laboravit († 17. Apr. 1643), suppresso nomine edidit: *The triple Cord,* or a Treatise proving the truth of the Romam Catholic Religion by the Bible, as explained by the Holy Fathers, and as interpreted by Protestand Writers, Audomari 1634 in 4; *The Progenie of Catholics and Protestants,* Rotomagi 1633 in 4 pp. 5.

426. Henricus Fitz-Simon Dublinensis n. 31. Maj. 1566, in juventute protestantium fraudibus fuit circumventus atque errori ferventer adhaesit: ubi vero veritatis lumen illi illuxit, ad Ecclesiam se recepit. Ut jam quibus olim damno fuerat suis exemplis, iisdem rursus esset commodo ad sempiternam salutem, incredibili fortitudine et fervore captavit occasionem cum sectariorum ministris seu publice seu privatim concurrendi. Verum captus toto quinquennio detinetur in arce dublinensi, ac demum dimissus in exsilium ire jubetur. Post plures annos redux in Hiberniam diu in illa vinea et fructuose laboravit. Tandem silvas ac montes in affecta aetate perreptare compulsus, ut a grassante milite securior esset, totam hiemem in loco paludoso intra tugurium ventis imbribusque apertum transegit, atque ita laboribus consumptus ad aeternam requiem transiit 29. Nov. 1643 (vel 1. Febr. 1644).

piscopo cantuariensi Thomas Morton illud est aggressus. Quapropter nova prodiit editio aucta 1608 in 4; latine Parisiis 1615, de qua ita scribit Raess die Convertiten V, 434: „Seine Apologie machte unter den Protestanten ein grosses Aufsehen, weil er durch die Zeugnisse der gelehrten Männer der verschiedenen protestantischen Secten die katholischen Dogmen, Gebräuche und Institutionen erhärtete. Und wirklich mußten sie nothgedrungen dieses Werk als ein Meisterstück der Erudition, der logischen Schärfe, der gewissenhaftesten Genauigkeit und der so seltenen polemischen Politesse anerkennen etc.“

Praeter nonnulla[1]) anglice conscripta edidit Catalogum praecipuorum Sanctorum Hiberniae, Leodii 1619, et l. egregium magnique pretii: *Britannomachia ministrorum* in plerisque fidei fundamentis et fidei articulis dissidentium, Duaci 1614 in 4. — Joannes Price (1576—27 Febr. 1645) multos Anglorum ad veram reduxit fidem. Ejus est *Anti-Mortonus* s. l. 1640. — Franciscus Walsingham, patria Northumber (n. c. 1582) in errore educatus atque haereticorum ritu creatus diaconus multis annis sectae protestantium zelotes fuit. Verum mira ratione, lectione scil. libri de controversiis a P. Personio editi permotus ad inquirendam veritatem, illam agnovit[2]). Romam se contulit, studiisque absolutis in patriam rediit, ubi 32 annos vineam hanc magno zelo atque fructu copioso excoluit[3]). Vir fuit moribus suavissimis atque columbina simplicitate († 1. Jul. 1647 septuagenario major). — Biennio post (16. Sept. 1649) ad coelestem mercedem vocatus est Joannes Floyd Cantabrigiensis, pro fide in carcerem detrusus, mox exsul, qui dein annis pluribus theologiam docuit in collegio Anglorum lovaniensi ac multorum (c. 23) exstitit librorum auctor[4]) tum (latine) adversus M. Anton. de Dominis, contra quem quatuor edidit, ut ex. gr. *Respublica ecclesiastica* M. A. de D. per ipsum a fundamentis eversa, Coloniae 1622 sub nomine Fid. Annosi Verementani; tum (anglice) adversus

[1]) Cf. Sotvellus, Sommervogel III, 766. in primis Gillow II, 288; Bellesheim Gesch. der kath. K. in Irl. II, 241—45; III, 689 s.

[2]) Ejus conversionem narrant Sotvellus. Raess die Convertiten IV, 206 ss. Fusius vero ipse in opere: *A Search into Matters of Religion,* Audomari 1609 in 4., 1615 in 4. Hinc non videtur ejus conversio assignanda a. 1612, prout narrat cl. Raess neque a. 1600, cum Backer, sed aliquanto ante 1609, quo secundum Sotvellum in societatem Jesu fuit receptus.

[3]) Ejus opera recensent Raess et Backer III, 1480.

[4]) Cf. Sommervogel III, 812—18.

varios ministros anglicanos, tum occasione controversiae cum Richardo Smith, qui munere delegati apostolici per Angliam fungens, exigebat, ut non obstante persecutione, regulares absque delegati jurisdictione confessiones fidelium non exciperent. Huic postulato Jesuitae obsistebant facultatemque sibi vindicabant vi privilegii apostolici irrestrictam confessionum excipiendarum[1]). — Magni aestimatur parvus libellus Ambrosii Corbie Dunelmensis († 11. Apr. 1649) *Certamen triplex* a tribus S. J. sacerdotibus Thoma Hollando, Rod. Corbaeo, Henr. Morsaeo . . . pro avita fide, religione, sacerdotio contra veritatis, pietatis Ecclesiaeque hostes susceptum fortiter, decertatum constanter, confectum feliciter, Londini 1645. — Aliqua reliquit Joannes Falconer (sive Dingley) diu poenitentiarius, dein missionarius apostolicus († 7. Jul. 1657 vel 17. Jul. 1656). — Guilelmus Malonius Dublinensis, strenuus diu in Hibernia operarius († 1655 vel 1656), fidei romano-catholicae, pro qua etiam carcerem atque exsilium est passus, antiquitatem egregrie demonstravit adversus celebrem Usserium libro anglice conscripto[2]), 1623 et 1627. Non tam libris[3]) quam opera, industria singulari, sollicitudine indefessa bonum religionis catholicae in patria promovit Eduardus Knott (vero nomine Matthias Wilson) Northumber, in primis educatione juventutis anglicanae atque gubernatione provinciae anglicanae ordinis († 14. Jan. 1656). Aliquoties se appellavit etiam Nicolaus Smith.

427. Jesuitis addendi sunt: Matthaeus Kellisonius Northamptoniensis n. c. 1561, qui catholicae religionis causa fugit in Galliam ad Anglorum remense collegium. Inde Romam missus studia tum philosophica tum theologica in suae gentis collegio absolvit. Sacerdotio suscepto in Galliam rediit et partim Remis partim Duaci in Anglorum collegio theologiam scholasticam per annos multos docuit. In universitate remensi publicam dein theologiae cathedram ascendit atque a. 1606 cancellarius academicus praesedit. Ab a. 1613 usque ad a. 1641, quo decessit, Duaci collegium anglicum rexit. Plura reliquit de controversiis opera[1]), sicut etiam (raros) *commentarios et disputationes in 3. p. d. Thomae* t. 2 in f. Duaci 1633; *A survey of the New Religion* Detecting many grosse absurdities, which it implieth, ib. 1603 in 4. (m. 30), quo in opere anarchiam calvinianam impugnat. Illud vindicavit adversus Sutcliffe, qui eum impugnaverat, Remis 1608 in 8. *Examen reformationis novae* praesertim calvinianae, in quo synagoga et doctrina Calvini sicut et reliquorum hujus temporis novatorum tota fere ex suis principiis refutatur, Duaci 1616 in 8. *A Treatise of the Hierarchie* and Divers orders of the Church against the anarchie of Calvine, ib. 1629, quo in l. attingit controversias agitatas inter catholicos Angliae de jurisdictione: ejusque sententiam duo e societate Jesu scriptores (Knott et Floyd) impugnarunt. *The Right and Jurisdiction of the Prelate and the Prince* or a Treatise of Ecclesiasticall and Regall Authoritie, ib. 1617; 1621 in 8. — Simon Stock O. Carm.[2]) († 1645) — Thomas Vane, prius anglicanus et regi Angliae a concionibus, cujus l. *A lost Sheep returned Home,* or the motives of the Conversion to the catholique Faith, Parisiis 1648 ed. 2., opus est juxta Raess[5])

[1]) Cf. Feret III, 160 ss. et scripta ad hanc cotroversiam spectantia apud Roskovány II, 615—19.
[2]) Cf. Sommervogel V, 443.
[3]) Quamvis et hi non careant sua laude, quos cf. ap. Sommervogel IV, 1134 ss.

[1]) Cf. Foppens II, 867; Gillow III, 677—85.
[2]) Cf. Cont. H. E. Fleurii I 201 § 82.
[3]) Die Convertiten VI, 86 s., ubi illum magna ex parte exhibet. Joannes Lenthall praeco anglicanus pariter ad fidem

classicum — David Codner O. S. Ben. Londinensis[1]) — Alexander Baillie O. S. Ben. Scotus[2]), abbas Scotorum ratisbonensis († 1642). Natus erat parentibus heterodoxis, sed per Galliam et Italiam peregrinari jussus, religionem patriam cum catholica commutavit († 1655) — Bonaventura Hocquard O. S. Franc.[3]), cujus est: *Perspectivum Lutheranorum et Calvinistarum* in 2 pp. divisum, ad orthodoxorum omnium confirmationem, nutantium instructionem hostiumque verae fidei confusionem singulari studio fabricatum, Viennae 1648 pp. 2. — Prae ceteris innotuit Henricus Holden Lancastrensis, vir insigniter pius et doctus, qui Duaci studiis operam dederat, dein Parisios se contulit, ibique doctor sorbonicus creatus reliquum fere vitae transegit († 1662; juxta Feret III, 220 1665). Edidit *divinae fidei analysin* seu de fidei christianae resolutione ll. 2, cum appendice de schismate, Parisiis 1652; 1685; 1767; Coloniae 1655; 1782 in 8. etc., etiam in theologiae cursu completo ed. Migne VI, 791—878; et in bibliotheca reg. fidei ed. Braun 1844, in qua fidem in sua principia et motiva resolvit, ac discernere nititur, quae ad fidem catholicam spectent ab iis, quae ad illam non pertineant. Laudatur ea quidem a pluribus[4]), sed fatendum est, aliqua in ea reperiri, praesertim circa naturam et motiva fidei, quae jam Grandin Sorbonae syndicus, dein Scheeben (Dogm. 1, 194 s.) et in primis Kleutgen (Theol. der Vorz. 1^2, 66) notarunt. Ejus quoque est N. Testamentum brevibus (sed dilucidis) annotationibus illustratum, Parisiis 1660 t. 2 in 12. — Guilelmus Johnson (vel Chambers) O. S. Ben. n. 1583 studiis operam dedit Duaci, quibus absolutis in Angliam operarius apostolicus proficisci tentavit: sed mox comprehensus in exsilium est pulsus. In Hispania ordini s. Benedicti se addixit. Rediit dein in Angliam decessitque in senectute bona 28. Oct. 1663. Reliquit *Novelty Represt.* In a Reply to Mr. Bacter's Answer to W. Johnson. Wherein the Oecumenical Power of the four first General Councils is Vindicated, the Authorithy of Bishops asserted, the compleat Hierarchy of Church Government established, his novel succession evacuated, and professed Herticks demonstrated to be no true parts of the visible Church of Christ, Parisiis 1661 in 8. — De Tobia Matthew filio archiepiscopi eboracensis anglicani, ad fidem converso († 13. Oct. 1655) fuse disserit Gillow IV, 531—43.

428. In *Belgio* fidei catholicae causam egerunt partim contra protestantes partim contra Jansenianos haud pauci[1]). Et quidem contra protestantes praetermissis Petro Roest S. J. No-

est conversus catholicam. Post suam conversionem Londini medicum egit (1663). Cf. de eo Gillow IV, 199 s.

[1]) Cf. Ziegelbauer IV c. 2 sect. 2 § 4.

[2]) Cf. ib. c. 1 sect. 4. p. 129.

[3]) Cf. bibl. franc. 1, 234.

[4]) Cf. Dupin XVII, 194, qui prolixam operis epitomen exhibet; Feller II, 144. Aversabatur Holdenius scholae theologos, in quibus si magis fuisset versatus, accuratius forte de pluribus scripsisset. Cf. plura de eo deque ejus controversiis et scriptis apud Hundhausen, Kirchenl. VI, 181; Gillow III, 332—8; quem cf. etiam de Thoma Bailey filio episcopi anglicani, qui fidem amplexus est catholicam († c. 1656), ib. I, 102.

[1]) His addatur Arnoldus van Geluwe rusticus Flander, natus in loco de Hardoye, qui pagus est in brugensi dioecesi. Textoriam artem primo per a. 18 exercuit in Hollandia, plurimum tunc in sua religione vacillans atque ad novitates pronus. At postmodum ex ipsa sectarum varietate et inconstantia factus in catholica fide constantior, fixit domicilium Gandavi. Lingua vernacula haereticos insectatus est plura relinquens opuscula, quae recenset Foppens I, 103 s. — Matthias Zelhorst Geldriensis postquam 31 annos sectae calvinianae ministrum egit, rationes suae conversionis egregio opere lingua vernacula edito Antwerpiae 1649 et 1658 reddidit. Cf. ib. II, 880.

viomagensi[1]), qui philosophiam, theologiam moralem et scholasticam atque ss. literas in universitatibus herbipolensi, moguntina, molshemiensi et coloniensi a. c. 44 docuit († 17. Apr. 1642 a. aetatis 80) — Matthia Pauli[2]) O. S. Aug. (1580—1651) — Joanne Rosenthal S. J. Rolducensi († 1655), qui acres habuit controversias cum Valeriano Magni — Joanne Stalens, qui scripsit *Papissa monstrosa et mera fabula* sive diss. historico-theologica, qua ex vulgi errore ortum de papissa figmentum ex vera chronologia et alto scriptorum de ea silentio, uti et levi ac incerta recentiorum narratione eliminatur, opposita calumniis Egberti Grimm Calvinistae, Coloniae 1639 in 8. liber rarus — Guilelmo Beyer, cujus exstat tractatus *de sacramento confirmationis*, Antwerpiae 1650; 1658 in 8. — Roberto Svertio canonico antwerpiensi († 1647) — Ludovico Preumont O. Min., qui scripsit contra Henricum Chrouet praeconem protestantem — Godefrido Wandelman S. J. Amstelodamensi, qui parentibus calvinianis natus erat (1590) et in hujus sectae erroribus educatus, sed mire ad fidem conversus catholicam, strenue hanc deinceps, oretenus praesertim, propugnavit et propter eandem exsilium est perpessus († 12. Oct. 1654) — Guilelmo ab Angelis n. 1583 Silvaducensi, doctore et professore lovaniensi, qui nominatus fuit episcopus ruremundensis († 5. Febr. 1649) — Josepho a Bergania (de Bergaigne) O. Min. strict. obs., ministro provinciali, visitatore apostolico, definitore generali, provinciarum belgicarum iisque conexarum commissario generali, qui strictiorem observantiam induxit, primum episcopo buscoducensi, dein archiepiscopo cameracensi et principe imperii, gestis quam scriptis celebriori, nam triginta tres obiit legationes ad imperatorem aliosque principes († 24. Oct. 1647) — Petro van Steenbergen O. S. Fr. insigni concionatore († 1660) et Philippo Nutio (Nuyts) S. J. Antwerpiensi (n. 8. Mart. 1597, † 17. Apr. 1661), qui flandrice scripsit quaedam adversus Triglandium — memoria in primis digni sunt: Henricus Lancilottus (Lancelotz) O. S. Aug. n. 1576; doctor creatus 24. Oct. 1617, in pluribus conventibus prior, definitor et commissarius generalis, qui non sine fructu domos germanicae ordinis provinciae visitavit († 11. Jan. 1643). Inter alia[1]) edidit: *Pseudoministerium pseudoreformantium* h. e. de illegitima, praetensa et subreptitia missione seu vocatione ministrorum pseudoreformatae ecclesiae etc., Antverpiae 1611 in 8; cum Apologetico contra Hunnium, Antverpiae 1616; *Haereticum quare per romano-catholicum quia* in omni pene materia religionis *clare solutum*, Gandavi 1614; 1615 et alibi saepius, etiam in varias linguas versum; *Abecedarium luthero-calvinisticum*, ib. 1617 ed. 2., opus rarum; *Anatomia christiani deformati* juxta ep. d. Judae ap. exegeticam praescriptionem theologicam, moralem, catholicam; *de libertate religionis* e republica christiana proscribenda, Moguntiae 1622. — Joannes de Choquier (cui nomini adjecit cognomen de Surlet) n. 1571 Leodiensis, frater Erasmi, de quo egimus p. 872, ca-

[1]) Ejus opera recensent Sotvellus, Backer III, 267; Foppens II, 1005.

[2]) Cf. Henr. van Neuss Biogr. nat. de Belg. XVI, 705 ss.

[1]) Cf. Ossinger, bibl. augustin. „Erat illi stilus pro gladio, verbum Dei pro clipeo, doctrina pro subsidiis, pietas pro auspiciis," ita Joan. Mantelius in orat. funebri. In Epitaphio dicitur: „Haereticorum, quos ad exemplum S. P. Augustini et coram et scriptis perpetuo est insectatus, osor acerrimus." Cf. Foppens I, 453 ss.: Revista Agostiniana 1884 I, 564; II, 134 ss. E. van Arenbergh Biogr. nat. de Belg. XI, 245 ss., ubi opera ejusdem 16 recensentur. De opere *Paralelli LXXIII* etc. ipsi tribuendo supra p. 838 egimus. Frater erat Cornelii, de quo egimus p. 728.

nonicus ibidem et per 35 annos vicarius generalis, juris doctor, admodum versatus in antiquitatibus romanis († 19. Aug. 1656), non solum reliquit libros de controversia, inter quos aestimatur: *Paraenesis ad haereticos* et alios Ecclesiae hostes et mastiges, Coloniae 1634, sed etiam de jure[1]), ut commentaria in *regulas cancellariae apostolicae* sive in glossemata Alph. Soto, Leodii 1621, cum additionibus, 1658; *de permutationibus beneficiorum* in pp. 3 et 100 prope quaestiones divisus, ib. 1616; 1632 in 8; Romae 1700 cum aliis[2]) ejusdem argumenti in f.; *scholia in preces primarias imperatoris,* Coloniae 1621 in 4; *vindiciae libertatis ecclesiasticae,* Leodii 1630 in 4. Haud parum laudantur *Facis historiarum centuriae duae,* ib. 1650 in f., in quibus admodum erudite de variis argumentis disserit.

429. Plurimorum operum auctor est Maximilianus Sandaeus (van der Sandt) S. J. Amstelodamensis, tot enim scripsit ipso teste, quot annos vixit, scil. 78 (n. 13. Apr. 1578, † 21. Junii 1656). Philosophiam docuit Herbipoli, dein s. Thomae Summam complures annos praeclare enucleavit, atque Moguntiam translatus s. Scripturam exposuit. Ex ejus operibus[3]) illa praesertim laudantur, quae contra Calvinianos scripsit. Quaedam indicabimus: *Hydrus hollandicus* seu fidei christianae apud Hollandos controversa[4]), p. 1. Herbipoli 1618 in 8; 1620; prodiit etiam sub titulo: *de praedestinatione, reprobatione* etc. synodo apud Hollandos controversis ll. 2, *Hydri p. altera,* ib. 1619; *considerationes de synodi dordrechanae emolumentis*, seu utilem fuisse synodum contra-remonstrantibus, remonstrantibus, catholicis, ib. 1620 in 8; *commentationum academicarum* liber 1., grammaticus profanus, in quo de controversiis fidei ac s. Scripturae, de vitiis et virtutibus novo modo ac varie disputatur, ib. 1621 in 4; *prolegomena theologiae scholasticae,* Coloniae 1653 in 4; *Theologiae p. 1. theologia varia* ad 1. p. Summae d. Thomae 4 ll., tum profanae, tum s. theologiae ortum, progressiones, partitionem variam, notiones et utriusque arcana ac imagines disquirens et repraesentans, Moguntiae 1623 in 4; *Theologia medica,* in qua principis tam ecclesiastici quam politici officia exemplo medici declarantur, et de morbis a Christo humani generis archiatro sanatis eorumque remediis disseritur ll. 3, Coloniae 1635 in 4; *Theologia mystica* ll. 3, in quibus doctrina de Deo divinisque contemplativorum mystica ad artis normam ordine redigitur, Moguntiae 1627 in 4. Composuit quoque pro theologia mystica *clavem seu elucidarium onomasticon* vocabulorum et locutionum obscurarum, quibus doctores mystici utuntur, Coloniae 1640 in 4. (m. 40.). *Theologia symbolica* ex omni antiquitate sacra et profana in artis formam redacta oratoribus, poëtis et universis philosophis ad omnem commoditatem amoenae eruditionis concinnata, Moguntiae 1626 in 4. — Julius Caesar Coturius (de la Couture) S. J., Bruxellensis[1]), qui diu in Bohemia degit ibique theologiam

---

[1]) Cf. Biogr. nat. de Belg. IV, 85—91; Foppens II, 613.

[2]) Inter quae etiam Nicolai Remocampii (de Remonchamps) leodiensis l. *de beneficiorum ecclesiasticorum et officiorum secularium coadjutoriis,* Leodii 1651 in 4.

[3]) Cf. Sotvellus, Sommervogel VII, 555 ss., Ruland Series et vitae prof. s. theol., qui Wirceburgi docuerunt, Wirceb. 1835 p. 46—54: Kneller KL. X, 1691, praesertim vero *indicem librorum P. M. Sandaei,* qui prodiit Coloniae 1653 in 4.

[4]) Cf. de hoc opere, in quo praeclaram instituit comparationem inter opiniones Gomaristarum et Arminianorum, Werner, Gesch. der apolog. und polem. Literatur IV, 638.

[1]) Cf. Sommervogel II, 1588. De ejus scriptis mariologicis in utilitatem sodalium congregationum marianarum editis cf. F. F(alk) Katholik 1903 II, 454—458.

moralem et polemicam docuit († 9. Apr. vel Aug. 1651), scripsit *controversias* sive *demonstrationes catholicas*, quibus ostenditur, lutheranam ecclesiam non esse veram apostolicam Ecclesiam, quia in essentialibus fidei articulis a primitiva apostolorum Ecclesia dissentit, Lesnae 1641 t. 2 in 8; Nissae 1642; Herbipoli 1653 et harum epitome, Monachii 1643 in 16; Coloniae 1645 etc.; Clagenfurti 1735; Consultatio *an quivis in sua fide salvari possit,* Nissae 1642.

430. Contra Jansenianos scripserunt Ignatius Derkennis S. J. et Alexander Sebille O. Praed. uterque Antwerpiensis, quorum ille (n. 1598) quadriennio philosophiam, decennio docuit theologiam Lovanii; ex proximi amore morti se exposuit iprensi in urbe peste correptis inserviens († 19. Jun. 1656). Praeter tractatum *de Deo uno, trino, Creatore,* Bruxellis 1655 in 8, statuit theses theologicas[1]) *de gratia*, *libero arbitrio, praedestinatione* etc. in 6 cc. divisas, contra C. Jansenii Augustinum, ut primum hic liber prodiit, Antwerpiae 1641 in f., quae tamen vi decreti congregationis s. inquisitionis 1631, quo omnes ll. de auxilis tractantes sine speciali sedis apostolicae licentia editi prohibebantur, quondam fuere prohibitae. — Hunc in impugnando Jansenio mox secutus est Alexander Sebille (n. 1612, † 23. Maji 1657) in academia lovaniensi theologiae professor, vulgatis primum conclusionibus *de libertate* (1649), quas tamen indicere tuerique prohibitus est, sed eae probatae fuere Romae, quo confugerat; edito dein l. (raro) hoc titulo: *D. Augustini et ss. patrum de libero arbitrio interpres thomisticus* adversus C. Jansenii ep. ipr. doctrinam prout defenditur in Theriaca Vincentii Lenis theologi arausicani, Moguntiae 1652 in f., Venetiis 1672 in 4. — Valentinus Randour Hannothuliensis quondam in universitate duacena regens collegii regii, et s. theologiae doctor atque professor († 1653), edidit pro sua et universitatis erga sedis apostolicae decreta reverentia: *Veritas et aequitas censurae pontificiae* Pii V., Gregorii XIII. et Urbani VIII. super art. 79 (Baji) damnatis propugnata constanter ac illustrata a facultate theologica duacena antiquiore et recentiore, sive antitheses desumptae digestaeque ad mentem s. Augustini ex luculentis commentariis DD. Estii et Franc. Silvii etc., Duaci 1649. Cui l. cum opposuisset Libertus Fromondus *Lucernam augustinianam*, occurrit Randurius *Responsione seniorum facultatis s. theologiae duacenae* adversus lucernam augustinianam sane fumosam ac famosam etc., 1650 in f.; et *emunctorio lucernae* epistola decani s. theol. fac. duac.. ib. 1650.

431. In *Germania* bellum adversus protestantes plurimi[1]) continuarunt.

---

[1]) Alias theses recenset Sommervogel II, 1940 ss.

[1]) Praetermittimus Gebhardum Razenriedt, Suevum († 14. Aug. 1652), cujus est inter alia opusculum rarum *Aries inter vepres* victima pro Filio Dei et hominis in s. eucharistia adorando, sumendo, sacrificando, Ingolstadii 1648 in 4. Alia cf. apud. Backer II, 72 — Henricum de Lamormaini S.J. luxemburgensem, strenuum operarium († 1647), qui versione saltem operum utilium prodesse voluit fidelibus — Frater erat Guilelmi L. S. J. (1648) Ferdinando II. diu a confessionibus — Simonem Felix, Monachiensem, qui Ingolstadii docuit philosophiam triennio, theologiam moralem sexennio, polemicam septennio, scholasticam a. 17 († 26. Febr. 1656), de quo cf. Sotvellum, Sommervogel III, 604 et Mederer II, 297 — Joannem Schueking (n. 1598; † 18. Nov. 1660), qui praeter alia *purgatorium ex Judae Machabaei precibus et sacrificio* demonstravit, Monasterii 1649 in 12 — Georgium Ernst Suevum (n. 1584, † 1. Maj. 1662), de quo cf. Backer I, 1734 — Joannem Gans Wirceburgensem († 11. Mart. 1662), cujus exstat *Ophtalmia lutherana* sive de mutatione confessionis augustanae facta a theologis saxonicis, Viennae 1631. — Wolfgang Herman

Potiores videntur: Georgius Holzhay S. J. Usseriedensis, Allgojus, qui in domestico studio quindecim annis s. Scripturam interpretatus ac demum studiorum laboribus, quibus innutritus erat, exhaustus est[1]) 9. Maji 1646 a. aetatis 75. — Petrus Cudsem prope Dusseldorpium natus, calvinianum errorem cum lacte suxit materno, imo et quadriennio theologiae calvinianae dedit operam. Verum post varias peregrinationes Avenionem delatus fidem catholicam est amplexus, nomenque suum Samuelis in Petrum commutavit (1608), atque hujus conversionis rationem reddidit insigni libro[2]), cui titulus: *De desparata Calvini causa,* tractatus brevis, lectu non minus utilis atque jucundus, in quo sectae calvinisticae non tam picta effigies quam vivum corpus cuivis spectandum ad oculum exhibetur, Moguntiae 1609 in 8; ed. 2. inscribitur: *Vivum speculum,* in quo vera et apostolica Christi Ecclesia cuivis introspicienti ad oculum clare apparet pontificiorum, Lutheranorum et Calvinistarum trino calculo approbata, Coloniae 1610 in 12: cum egregio *l. apologetico,* ib. 1612 in 8., etiam (saepius) germanice. Theologiae doctor fuit renunciatus Moguntiae 1614, canonicus s. Georgii et B. M. V. in Capitolio Coloniae; obiit demum senio confectus 9. Jul. 1649. Edidit[1]) praeterea: *triumphus super desperata Calvini causa,* ib. 1617; *Saxonia catholica*, in qua Cudsemius ostendit per secula antecedentia principes saxonico e sanguine ortos fuisse catholicos.

432. Eodem a. (19. Nov. 1649) decessit criticus nominatissimus Caspar Scioppius (Schoppius n. 27. Maj. 1576) Palatinus, e Lutherano lectione praesertim annalium Baronii catholicus (1598), qui licet celebrior[2]) propter studia humaniora et critica, hic tamen nominari potest, nam et contra protestantes scripsit stilo tamen nimis acri et acerbo[3]). Inter ejus opera, quae nu-

(Frank) Bambergensem seminarii molsheimensis et collegii spirensis rectorem († 6. Jan. 1659). — Joannem Heim Coloniae in summa aede metropolitana ecclesiasten († 13. Oct. 1662) — De Balthasare Conrad S. J. Silesio cf. Sommervogel II, 1371—73. Omnes hi fuere e societate Jesu. — Andreae Vochetii canonici regularis opuscula varia (Viennae 1653) cf. apud Roskovány II, 641. — De Joanne Guilelmo Gotthart protonotario apostolico et canonico solodorensi (n. 1592; † 19. Maj. 1649) cf. Fiala in d. Biogr. IX, 485. — Plura quoque exstant Eliae Schiller opuscula polemica, quae Viennae prodierunt.

1) Plura cf. ap. Sotvellum, Mederer ad a. 1646; opera quae germanice edidit apud Sommervogel IV, 449—52; Stanonik allg. d. Biogr. 13, 30.

2) Plura de hoc l. cf. apud Raess IV, 18 ss, qui illum fere integrum exhibet.

1) Cf. Roskovány II, 552; alia ejusdem op. cf. ap. Hartzheim p. 271 s.

2) Cf. prolixam de eo dissertationem auctore Kowallek in op. Forschungen zur deutschen Geschichte XI, 400—482 a. 1871.

3) Ad rem Raess, die Convertiten III, 396: „Durch seinen Übertritt und dessen Rechtfertigung hat Schopp seine aufrichtige Überzeugung, allumfassende Gelehrsamkeit und folgerichtige Urtheilskraft bethätigt, seine Charakterfehler aber keineswegs verbessert, noch weniger gänzlich abgelegt. Obgleich sein rein sittlicher Wandel unangetastet geblieben, so hat er auf der andern Seite in Bezug auf Beherrschung seiner glühenden Einbildungskraft, seiner Empfindlichkeit, Schmähsucht, Eitelkeit und Rechthaberei bedauernswürdige Blößen gegeben. Die Schlagworte waren ihm in allen Sprachen geläufig. Als Kritiker und Philolog fühlte er seine große Überlegenheit, behandelte die Schriften, die ihm in die Hände fielen, mit bitterer Schärfe und schonungsloser Strenge, und war bemüht den ausgezeichnetsten Männern Sprachfehler nachzuweisen, weßwegen ihn Feller ‚den Attila der Schriftsteller', und die Protestanten überhaupt ‚grammatischen Hund' und Schelhorn insbesondere ‚den allerglänzendsten Grobian' nitidissimum grobianum (Amoenit. liter. t. 9 p. 689) nannten." Hanc stili acrimoniam, quam omnes carpunt, in primis experti sunt Jesuitae, quos plurimis libellis anonymis vel sub nomine ficto editis est insectatus. Cf. Naumann der Je-

mero centenarium superant[1]), huc spectant: *Pro auctoritate Ecclesiae in decidendis fidei controversiis* libellus, Romae et Ingolstadii 1598 in 8; epistola *de sua ad orthodoxos migratione* et de veritate interpretationis et sententiae catholicae in ambiguis Scripturarum locis et controversis fidei capitibus, Romae 1599 in 8; Ingolstadii 1600 (magna ex parte germanice apud Raess III, 402 ss.); syntagma *de cultu et honore* (praesertim sanctorum), Romae 1606 in 8., Graecii 1610; *amuletum adversus satanae fascinum* h. e. ratio, qua cujuscunque religionis homines de religionis controversiis sive soli secum inquisituri, sive cum aliis collocuturi se praeparare debeant, ab ipso Spiritu s. in ss. literis praeparata, Reinsbergae 1608 in 4: definitio hominis lutherani ex ipsius Lutheri operibus confecta (germanice), Ingolstadii 1608 in f.; *Ecclesiasticus auctoritati ser. D. Jacobi M. Britanniae regis oppositus,* in quo disputatur de amplitudine potestatis et jurisdictionis ecclesiasticae tam in temporalibus quam in spiritualibus, de regum et principum christianorum erga Ecclesiam ejusque antistites seu praelatos officio: de natura et ingenio ecclesiae rebellium seu haereticorum variisque eorundem ad Ecclesiae obedientiam reducendorum modis, de charactere sive signis Ecclesiae, Hartbergae 1611 in 4., anno sequenti a parlamento parisiensi igni traditus; *haereticus elenchomenos* h. e. elenchi sive syllogismi, quibus catholicae romanae Ecclesiae fides aperitur et haereticorum ab ea dissidentium conscientia evincitur, Coloniae 1619 in 8. Quaedam etiam in Tertulliani Apologeticum et l. adversus Judaeos annotavit, quae habentur in editione Junii, Franequerae 1597 in f.

433. Joannes Harscher S. J. Ratholdicellensis in dioecesi quondam constantiensi († 22. Oct. 1650) instituit *parallela evangelicorum et trium priorum seculorum,* quibus ad fontes suos referuntur dogmata lutherana et calviniana, Friburgi Helveticorum 1645 in 12; *parallela IV. et V. seculi,* ib. 1645 in 12; *Parallela VI. VII. que sec.*, ib. 1645 in 12, quae impugnavit Luthardus professor bernensis: sed pro Harscher jam defuncto respondit Jacobus Schueler protonotarius ap. et decanus ad s. Nicolaum vicarius generalis lausanensis edito l. (sat raro) *Hercules catholicus* hydrae Ursinae decem capitum domitor et viperarum inde prognatarum ex parte recastigator, Friburgi H. 1651 in 4. — Praeclaram *Anatomiam confessionis augustanae* per omnes articulos instituit Thomas Henrici protonotarius apostolicus, cathedralis ecclesiae basileensis canonicus et ss. literarum in academia friburgensi professor, Friburgi Brisgoviae 1631 in 4; ejus quoque sunt *doctrina moralis,* ib. 1628 in 12; *catena biblica,* Lucernae 1631 in 4; *Irenicum catholicum,*

---

suitismus p. 494 s. Stupenda quoque memoria praeditus fuisse dicitur. Cf. Fabricius, hist. bibl. fabr. III, 528; Biogr. un. 41, 289: Hoche allg. d. Bi. XXXIII, 479—84.

[1]) Eorum catalogum cf. ap. Niceron XXXV, 165 ss., qui etiam sexdecim recenset nomina, sub quibus Scioppius latens sua edebat scripta. Scioppio addere possumus, qui eodem quo ipse a. obiit, Paganinum Gaudentium Grisonem, prius pastorem calvinianum, dein ad fidem catholicam conversum, in academia pisana eloquentiae et historiae professorem atque etiam theologiae doctorem singulariter eruditum, qui praeter plurima scripta ad philosophiam et literas humaniores spectantia reliquit *salebras tertullianeas,* Florentiae 1639; *de moribus Christianorum ante tempora Constantini,* ib 1639; *de dogmatum Origenis cum philosophia Platonis comparatione,* ib. 1639; *de dogmatibus et ritibus veteris Ecclesiae,* Romae 1625 in 8; *de errore sectariorum hujus temporis labyrintheo,* Pisis 1644 in f.; *conatus in Genesim* et de philosophicis opinionibus veterum Ecclesiae patrum, etc. Cf. Niceron XXXI; Fabroni, vitae italorum doctrina excellentium t. XIV, 1—41; Biogr. universelle XVI, 569 ss., secundum quam obiit 3. Jan. 1648 a. aetatis 53.

Friburgi 1559 in 4., quod impugnarunt Froereisen et Hannecken. — Multorum operum (74 praeter 20 ms.) auctor est Georgius Stengel S. J., qui „Augustae natus post philosophicas disciplinas traditas, theologicas multis annis docuit semper ab ingenio et claritate commendatus. Politiorum quoque literarum apprime eruditus ad concionem et ad sodales parthenios summa eruditionis laude, maxima eloquentiae vi et animarum fructu pluribus annis dixit. Sed non minus ore quam calamo celebris, scriptis plurimis de diverso argumento libris immortale sibi nomen, regum principumque gratiam et amicitiam comparavit. Postquam collegio et academiae dilinganae rector praefuit, reliquam vitam librorum suorum in monumentis concinnandis et parthenio coetu excolendo laudabiliter transegit Ingolstadii, ibi et mortuus 4. Idus Apr. a. 1651 aetatis 67.“ Ita elogium a facultate theologica academiae ingolstadiensis ei conscriptum[1]). Opera ejusdem sunt[2]) praeter ascetica et *conciones* disputationes philosophicae et dissertationes theologicae ut *de merito et praemio angelorum,* Ingolstadii 1626 in 4; *de peccato et supplicio angelorum,* ib. 1626 in 4; *de natura et proprietatibus angelorum,* 1624 in 4; *de natura theologiae,* ib. 1629 in 4; *de scientia Dei,* ib. 1629; *de providentia numinis,* ib. 1629; *de statu viatoris et comprehensoris,* ib. 1629; *de divinis et humanis legibus,* ib. 1629; *de dispensatione et privilegiis,* ib. 1629; polemica praesertim adversus apostatam Jac. Reihing, et *opuscula* collecta et eruta ex adversariis Gretseri. — Contra Calixtum et Crocium *de missis privatis et purgatorio* disputavit[3]) Joannes Mülman S. J. Lipsiensis de parentibus lutheranis natus (1600, † 10. Febr. 1651). — Christophorus Pflaumer S. J. Biberacensis († 12. Jun. 1655) reliquit (germanice) dialogos 21 *de controversiis,* quibus explicantur causae quatuor, cur oporteat haereticos redire ad catholicam fidem, Ambergae 1653 in 8; et *memoriale catholicum* seu alphabetum 25 veritatum catholicarum, ib. 1649 in 4. — Longe plura edidit[1]) germanice Hilarius a s. Anastasio, qui in seculo dictus Anastasius Vochet ex canonico regulari ad s. Crucem Augustae factus est Carmelita excalceatus († 11. Jun. 1656). — Matthias Nennichen S. J. gente Pruthenus, patria Allensteinensis, strenuus operarius in Austriae provinciis († 4. Dec. 1656), cui tribuitur libellus controversiarum mire utilis pluriesque excusus[2]), Ad tristissimam in fidei controversiis q. *Ubi est scriptum?* Herbipoli 1668; item *de communione sub utraque specie,* Glogoviae 1626. — Petri Wittfeld S. J. Coesfeldiensis († 5. Apr. 1657), qui theologiam et jus canonicum docuit partim Monasterii, partim Paderbornae, exstat praeter alia[3]) *theologia catechetica* h. e. doctrina christiana 5 ll. in gratiam parochorum et literatae juventutis explicata, illustrata et contra ethnicos, Judaeos, haereticos auctoritate ss. Scripturarum, sententiis ss. patrum decretis conciliorum defensa, roborata, Monasterii 1656 in 8; 1675. — *Artem novam dicto s. Scripturae unico lucrandi e pontificiis plurimos* in partes Lutheranorum detexit et suggessit theologis helmstadiensibus, G. Calixto praesertim et C. Hornejo, Hildesheimii

[1]) Ap. Mederer ad a. 1651.
[2]) Cf Backer III, 933.
[3]) Cf. Sommervogel V, 1394.

[1]) Cf. Henricus M. a ss. Sacr. in coll. script. ord. Carm. I, 264. Alius est ab Hilario a s. Augustino sodali Hispano, per Belgium et Burgundiam provinciali, qui edidit *Vocem tubae* angeli lucis, Bruxellae 1635, qui libello calumnias apostatarum et haereticorum contra religiosos ordines et catholicos refellit.
[2]) Sed cf. Sommervogel V, 1622, qui plurimos recenset editiones, sed dubium relinquit, cujus sit libellus.
[3]) Cf. Backer III, 1651.

1632, Bartholdus **Nihusius** Holtorfiensis[1]) n. 7. Febr. 1590, qui relicto errore lutherano fidem catholicam est amplexus a. 1622. Diuturna ob hoc opus orta est controversia literaria cum illis theologis, quae plurimis ultro citroque libellis occasionem dedit[2]). Nihusius in suis Ecclesiae auctoritatem praesertim et infallibilitatem urget. Decessit episcopus mysiensis et electoris moguntini auxiliaris pro Thuringia et Saxonia 10. Mart. 1657.

434. Magno zelo contra protestantes per Hungariam et Silesiam pugnavit voce et calamo Jodocus **Kedd** S. J. Embricensis († 27. Martii 1657), cujus numerantur circa 80 opuscula[3]) bene et sagaciter partim latine, partim flandrice, partim germanice scripta, inter quae celeberrimum est *Religionsspiegel* darinnen 12 propositiones allen Lutherischen Calvinisten Predicanten freundlich vorgehalten werden zu beantworten, Coloniae 1647 et saepius alibi, quibus respondere nisi sunt ultra 20 theologi lutherani vel calvinistae scil. Hülsemann, Micraelius, Titius, Nicolai, Sionatus, Heuchelin, Langius, Waldschmidt, Gusterfeldt, Pomarius, Reinboth, Dorscheus, Martialis Vincentius, Frimelius, Gruber etc. Hinc alia atque alia ipsis opposuit Kedd opuscula. *Examen* über das Fundament der Luth. Religion, Pragae 1655, cum responsis ad ea, quae verbi ministri lutherani examini illi opposuerunt, Viennae 1655 in 4; Monachii 1685; *Idea causarum, cur Lutheranismus aliaeque sectae abjiciendae, sola vero religio catholica amplectenda sit,* Ingolstadii 1653 in 4. *Heliopolis* oder Sonnen-Statt Gottes, welche ist die wahre alleinseligmachende Kirch Christi[1]), Coloniae 1650 in 4; *Evangelisch Kellerhaus und Hertzenpress,* durch welchen den Lutherischen und Calvinischen, die bekanntniss der Wahrheit ausgepresst und abgedrungen wird, ib. 1650 in 12; *Klarer Beweis,* dass die Lutherische, Calvinische und Wiedertaufferische Lehrer keinen wahren Göttlichen beruff haben zu Predigen und die heil. Sacramente zu administriren, ib. 1652 in 12; *Statera veritatis* oder Goldwage der Wahrheit, ib. 1650 in 16; *katholisch Handtbüchlein,* darin unterschiedliche Tractaten wider jetzo schwebenden Secten, ib. 1650 in 16; *Das ein stöst das ander umb*, anstatt ein Pfingstgaabe allen new-Evangelischen zu erkandnuss der Wahrheit verehret und erkläret, wie die Lutherische Wirbelgeist einen Articul des Lutherthumbs durch den andern umbstosse, Ambergae 1653 in 4; *anagraphia Lutheranismi* d. i. Schrifftlosigkeit des Lutherthumbs oder Augenscheinlicher Beweiss, dass die New-Evangelische Predicanten Keinen eintzigen eygenthumblichen Glaubens-Articul so sie wider die Römisch-Catholische Kyrch lehren, weder 1. mit klaren Worten der h. Schrifft, weder 2. durch ein giltig rechtmässige consequenz oder Schlussrede darthun und beweisen können, Ingolstadi 1654 in 4; *Monstrum ubiquitatis* oder Meerwunder der Lutherischen Allenthalbenheit des Leibs Christi, darbey erwiesen wird, dass die Lutherische ihre eigene Augspurgische Confession verfälschet haben, Strau-

---

[1]) Incitavit quoque L. Allatium ad edenda pretiosa sua scripta, imo ipse edidit tria ejusdem opera aucta: *Symmicta, de Joanna papissa fabulae confutatio; de ecclesiae occidentalis et orientalis perpetua consensione*, cui subjecit *annotationes de communione orientalium sub unica specie.* Cf. Raess V, 97; allg. d. Biogr. XXIII, 699.

[2]) Cf. Roskovány III, 599—601.

[3]) Cf. Sommervogel IV, 958—77; Werner IV, 595; Roskovány II, 634; Duhr S. J. KL. VII, 350—53.

[1]) Hujus in primis operis (et *speculi cath. veritatis* auctore Chr. Guilelmo marchione brandenburgico) lectione inductus est ad amplectendam fidem catholicam Joannes de **Recke**, nobilis Guestphalus, qui suae conversionis edito l. publicam reddidit rationem, quem plures e protestantibus acriter impugnarunt. Cf. Raess VI, 402—22.

bingae 1654 in 4; *Unredlichkeit Melanchtonis und anderer seiner Mithelffer,* so sie bey den zehenden Articulen der Augspurgischen Confession begangen haben, ib. 1654 in 4; *libellus consequentiae* oder consequenten Büchlein, darin etliche sonderbare Religions Ungrund der vermeinten Lutherischen und Calvinischen Religion vorgestellt werden, welche das ganze Fundament des Christenthumbs umbstossen und vernichtigen, Viennae 1655 in 4. aliaque his similia. Scripsit quoque contra Hulsium, Waldschmidt, Nicolai, Gröber, Calixtum, Reinbott aliosque.

435. Haud pauciora edidit Laurentius Forer S. J. gente Helvetus, patria Lucernensis, qui philosophiam sexennio, theologiam moralem triennio et polemicam sexennio docuit et aliquot annis dilinganae academiae cancellarius fuit (n. 1580, † 7. Jan. 1659). Ex plurimis quae edidit opusculis[1]) plura sunt *disputationes* in academia dilingana habitae, quas junctim exhibuit in op. *Viridarium philosophicum*, Dilingae 1624; alia sunt adversus theologos protestantes edita, ut contra Nicolai, Kesler, Hunnium, Gerardum, Thummium, Zeaemann, Calixtum, Hoë, Haberkorn, Voëtium etc. Potiora videntur: *Lutherus thaumaturgus* omnibus Lutheranis strenae loco donatus h. e. dissertatio de miraculo omnium miraculorum miraculosissimo, quo luthericam fidem Lutherani divinitus confirmatam fuisse immerito gloriantur, Dilingae 1624 in 8; *septem characteres reformatoris Germaniae M. Lutheri* pronunciatis totidem delineati et adversus calumniatores defensi, ib. 1626 in 8; *bellum ubiquisticum vetus et novum* inter ipsos Lutheranos bellatum et necdum debellatum, ex quo evidenter demonstratur, ecclesiam lutheranam esse falsam ecclesiam, quia non est unitate fidei una Ecclesia, ib. 1627 in 12; *Manuale Lutheranorum* seu vindiciae symboli lutherani cum symbolo apostolico collati, Dilingae 1628; quaestio: *Ubinam ante Lutherum Zwingelium et Calvinum protestantium ecclesia fuerit*, p. 1. Ambergae 1653 in 8; p. 2. Ingolstadii 1655; cui affine est aliud ejusdem opus: *Wunder über Wunder* d. i. ovum ante gallinam, filius ante patrem, das Ey vor den Hennen, der Sohn vor dem Vater, das Lutherthumb vor dem Luther, das müßte wol eine Khue lachen, oder gründliche Ablainung, daß die Lutherische wie auch Calvinische Kyrch und Glauben von den Aposteln her vor ihren ersten Anhängern, Luther und Calvino auf der Welt gewesen sei (opus posthumum), Ingolstadii 1660 in 8. *Antiquitas papatus,* das Alt hergekommene Pabsttumb, d. i. daß die uhralte, rechtglaubige, Catholische Kirch von dem Pabsttumb und seiner Lehr gar wol gewüßt, ebendieselbe geführt, und daß demnach dasselbe auff einem vesten Grund der Antiquitet und auff keiner Newerung bestehe, adversus Molinaeum, Dilingae 1644 t. 4 in 4., quorum primus agit de Ecclesia, s. Scriptura et traditionibus; 2. de Ecclesiae universalis capite[1]); 3. de invocatione sanctorum, de imaginibus, de orationibus pro defunctis, de coelibatu, de jejuniis, confessione auriculari, potestate clavium et absolutione, de satisfactione; 4. de baptismi necessitate, de sacrificio missae[2]), reali praesentia corporis et sanguinis D. N. J. Christi, communione sub una specie, missis privatis; *Disputir-Kunst für die einfältigen Catho-*

[1]) Sommervogel III, 858—76, qui illa sub n. 66 recenset; Roskovány II, 592—99; 612—14; 629.

[1]) De hoc etiam agit in l.: *Was soll ein Mann ohne Kopff,* Ingolstadii 1655 pp. 3 in 4., in quarum 1. ostendit Ecclesiam veram habere caput visibile; in 2. Christum instituisse Petrum Ecclesiae caput; in 3. romanum pontificem s. Petri in hoc munere esse successorem.

[2]) Edidit quoque Lucernae 1653 in 8: *Schutzschrift des hl. Mess-Opfers.*

lischen d. i. Form und Weis wie sich der gemeine ungestudierte Mann, wann er in Glaubenssachen . . . angefochten wird, zu verantworten habe durch 6 Gespräche beschrieben, Ingolstadi 1656 in 8; Wirceburgi 1851; Leben J. Chr. aus den 4 Evangelisten mit glaubens- und lebenslehren, München 1637; 1730; Dillingen 1658; Regensburg 1856 t. 2 in 8. cur. J. M. Düx.

436. Carolus Kreitz (von Kreitzen) S. J. Misniensis, strenuus in Polonia verbi Dei praeco (n. 1607, † 30. Sept. 1660), plura[1]) edidit lingua germana. *Von dem eingebildeten Abendmahl der Calvinisten und dem Katholischen Allerheiligsten Sacramente des Altars*, Brunsbergae 1646 in 8; et *Petra inexpugnabilis*, quod sola romana Ecclesia sit una. sancta, catholica, apostolica, Brunsbergae 1653 etc. — Neque praetermittendi sunt: Matthias Faber Bavarus n. 24. Febr. 1587 Altomonasterii, qui absoluto Dilingae philosophiae curriculo et adepta magisterii laurea (1607), Romam profectus est in collegium germanicum, ut theologiae operam daret. Parochum egit Wemdingae et in Neumarkt simul munere fungens visitatoris palatinatus superioris per dioecesim eichstadianam. Anno 1633 parochum egit ad s. Mauritium Ingolstadii atque cathedram rexit, sed brevi tempore. Jam grandis natu (a. 50) et fama longe lateque notus Viennae societatem Jesu est ingressus (1637). Quatuordecim annis, quibus in ea vixit post tirocinium magno fervore, gratia et auditorum fructu de sacro suggestu dixit: sed verbis pondus addidit religiosa ejus vita, rerum humanarum contemptus, sui depressio et quod in omni ejus actione elucebat, divinae gloriae promovendae desiderium († 26. Apr. 1653). Reliquit aliquot libros adversus protestantes, ut *Fels der kath. Kirchen, Lehr und Glauben*, Ingolstadii 1636 in 8; sed in primis innotuit egregio *Concionum opere tripartito* seu in 3 t. in f. distributo, ib. 1631—34, cui post suum in societatem ingressum *Auctuarium* adjecit Graecii 1646, opus saepissime ed., etiam nostra aetate Neapoli 1859—66 t. 5; Augustae Taurinorum 1879 t. 10 in 8; 1884 ed. 2; Parisiis 1881 t. 6 etc. Merito autem collaudantur hae conciones, cum se commendent soliditate, copia idearum et argumentorum varietate, atque sobrietate[1]).

437. Succedunt aliquot *poloni*, ut Hadrianus Bratkowicz O. Min. Conv. suae provinciae minister († 13. Mart. 1639), qui libris polonice scriptis Lutheranos impugnavit atque *commentarios* reliquit in 12 ll. metaphysicos ad mentem Scoti, Cracoviae 1640. — Sebastianus Pikielius S. J., cujus exstat: *Veritas catholica,* qua tres divinae personae Pater, Filius et Spiritus s. in una essentia contra obstinatos Judaeos, Arianos ac anabaptistas ex hebraeo textu V. T. declarantur, Vilnae 1642 in 4. — Matthaeus Bembus S. J. Posnaniensis, philosophiae primum, dein octennio theologiae professor († 30. Julii 1645), eloquens plane concionator. — Hieronymus a s. Hyacintho O. Carm., in seculo dictus Andreas Cyrus, Cracoviae nobilissimis parentibus n. 1603, theologiae professor, Thornii publice cum haereticis disputavit 1645 († 27. Jan. 1647), cujus colloquii *ideam* typis edidit Cracoviae 1646 in 4. cum animadversionibus in Jo. Hülsemanum et cum defensione satisfactionis ab illo requisitae, opus valde rarum. — Franciscus a Rodrasen O. Cap. in Bohemia plerumque commoratus dedit *responsiones* ad septuaginta objectiones ab haereticis confictas, Raudniciae 1627 in 4.

[1]) Cf. Sommervogel IV, 1234 s.

[1]) Hundhausen in lit. Handw. 1880 n. 266. 281. 288; Streber Kirchenl. IV, 1175; Sommervogel III, 500—7; Steinhuber Gesch. des Col. germ. 1, 417 s.

III. Disciplinae ad ss. literas spectantes.

438. Licet ingens hac in periodo s. Scripturae interpretum sit numerus, pauciores tamen quam alias nominis consecuti sunt famam. Illorum in *Polonia* nullum reperimus, vix unum in *Germania,* si quis scil. huc referre velit Joannem Jacobum comitem in Königsegg († 1663), cujus *Promptuarium sacrum biblicum* via concordantiali orbi propositum in f. prodiit[1]) Salisburgi 1661; 1672. — Aliqui fuere *Hiberni,* nempe Paulus Sherlock (Sherlogus, Shirley) et Petrus Redanus, uterque e societate Jesu, quorum ille patria Waterfordiensis (n. 14. Aug. 1595) semper in Hispania degebat. Praefuit compostellano et salmanticensi Hibernorum collegiis ad 20 annos. Controversias de fide septennio explicuit, theologiam scholasticam et ss. literas Salmanticae aliquamdiu docuit magna semper commendatione doctrinae († 9. Aug. 1646). Edidit: *Antiloquia in Salomonis canticorum canticum* ethica pariter et historica, Lugduni 1633; auctiora 1640 in f., et eruditissimum et acutissimum (secundum Bona) *in canticum canticorum commentarium,* ib. 1635 v. 2 in f., „in quo tamen opere quantumvis eruditissimo nonnulla sunt, quae delicatiores aures offendere possint, eaque proinde displicuerunt posterioribus ejusdem sacri epithalamii interpretibus Paulo Adresio et Joanni Bapt. Novato[2]).“ *Antiquitatum hebraicarum dioptra* in 2 ll. tributa, quorum 1. de orbe condito et memorabilium sub lege naturae doctrina agit, et 2. de opere sex dierum (opus posthumum), Lugduni 1651 in f. Sub nomine Leonardi Hiberni scripsit *vindicias scientiae mediae,* ib. 1644 in 4. Roskovány ei quoque tribuit l. *de pontificis romani humano et politico magistratu* propugnato adversus Calvinum, Lugduni 1637. — Petrus Redanus Medensis, Sherlogi in cathedra Salmanticae collega (s. Scripturam enim ibidem est interpretatus) et in munere regendi Hibernorum collegium salmanticense (ut videtur) successor, linguarum graecae et hebraicae insigniter peritus virtutisque eximiae († 1. Aug. 1651), reliquit *commentaria in ll. Machabaeorum canonicos* historica, theologica, analogica, quibus sacer contextus et accurate exponitur et peculiari methodo ad mores expenditur: quorum tantum tomus prior prodiit Lugduni 1651 in f. — *Scotus* erat Jacobus Gordonus[1]) Lesmoraeus S. J. Aberdonensis, doctrina et eruditione, innocentia et vitae probitate plane insignis, aetate jam grandaevus Ludovico XIII. a confessionibus († 17. Nov. 1641 a. aetatis 88), qui fusiori et amoeniori calamo, quam Jac. Tirinus *in s. biblia* scripsit *commentaria* ad sensum literae et cum explicatione temporum, locorum rerumque omnium, quae in ss. codicibus habent obscuritatem, Parisiis 1632 v. 3 in f. Haec commentaria non magni facit Calmetus[2]); Richard. Simon vero ea non parum laudat[3]). Alia ejusdem opera sunt praeter *opus chronologicum* ad a. Christi 617, Pictavii 1613; Coloniae 1614 v. 2 in f.;

---

1) Cf. plura de eo in Veith bibl. august. V, 23.

2) Mich. a s. Joseph III, 421.

---

1) Distingui hic debet a Jac. Gordono Huntlaeo, de quo supra p. 460 egimus. Cf. Sommervogel III, 1612 s.

2) In sua bibl. s., ubi ita scribit: „Nonnisi unica operis hujus editio data est, nec enim aestimatur plurimi et utilitatis habet parum. Agit se uti theologus, controversista et chronologus.“

3) Hist. critique du V. T. III, 12: „Il y a peu de commentaires sur l'Ecriture, ou l'on puisse trouver tant de choses en abrégé: cependant il n'est point ennuyeux etc.“

Pictavii 1617. 1618; et hujus *epitomen,* Coloniae 1636 in 12; *de catholica veritate diatriba* ad serenis. Valiorum principem, M. Britanniae heredem, Burdigalae 1623 in 12; *theologia moralis universa* 8 ll. comprehensa, Lutetiae Parisiorum 1634 2 v. in f.

439. Inter interpretes hujus periodi primum forte locum occupat Jacobus Bonfrerius S. J. natione *Belga,* patria Dionantensis n. 12. Apr. 1573, vir non vulgari doctrina instructus et raris virtutis ornamentis insignitus, dignus Cornelii a Lapide discipulus. Est enim industriae mirabilis, acerrimi ingenii, solidissimi judicii et incredibilis in rebus agendis prudentiae. Ita Svertius in Athenis belgicis, cui concinens Val. Andreas: „Vir multiplicis eruditionis, ingenii sagacitate, judicii maturitate, stili felicitate ac nitore, memoriae denique tenacitate inprimis excellens.“ Docuit in Aquicinctino duacensis academiae collegio annis aliquot philosophiam, duobus scholasticam theologiam, compluribus interpretatus est divinas literas († 9. Maji 1642). Opera ejusdem sunt: *Pentateuchus Moysis commentario illustratus* praemissis quae ad totius Scripturae intelligentiam manuducant praeloquiis perutilibus, Antwerpiae 1625 in f. Haec praeloquia magni fiunt, eaque Tournemine opus nunquam satis laudatum, rarum atque utile dicit, hinc illa in suam Menochii editionem recepit (sed voces hebraicae saepe mutilatae et corruptae sunt). Agit Bonfrerius in his praeloquiis de s. Scriptura in genere, de libris canonicis et apocryphis, de scriptoribus hagiographis, de inspiratione s. Scripturae, de obscuritate, stilo, idiomatis, de textu hebraeo, de vulgata latina, de versionibus graecis et hexaplis Origenis, de interpretatione, de cabbala. *Josue, Judices et Ruth commentario illustrati.* Accessit (optimum) *Onomasticon,* in quo locorum Scripturae s. seu quorum fit in Scriptura mentio nominibus propriis lux affertur, Parisiis 1631 in f.; 1659. Excellit auctor in seligendis variis versionibus atque inter se conferendis [1]), adeo ut hic commentarius (praesertim in Josue) alios in hos libros praecellat [2]). Praeloquia et hunc commentarium inseruit Migne suo cursui completo s. Scripturae. *Onomasticum urbium et locorum s. Scripturae* seu liber de locis hebraicis ab Eusebio graece primum, deinde ab Hieronymo latine scriptus, in commodiorem ordinem redactus et variis additamentis auctus, Parisiis 1631 in f.; animadversionibus Joannis Clerici auctus et adjecta descriptione terrae sanctae Brocardi O. Praed. Amstelodami 1707 in f. (editio magnifica); annotationibus P. Tournemine auctus in sua editione Menochii Parisiis 1719 et Venetiis 1758. Eximium plane et utile est hoc opus geographicum, commentarii instar in omnes illos s. Scripturae locos, in quibus mentio fit alicujus re-

---

[1]) Laudat hoc Rich. Simon Hist. critique du V. T. III, 12, licet desideret majorem linguarum orientalium peritiam.

[2]) Multum extollit Dupin Bonfrerium ita de eo scribens XVII, 132: „De tous les Commentateurs Jésuites de l'Ecriture sainte, il n'y en a point à mon avis qui ait suivi une meilleure méthode et qui ait plus de science et de justesse dans ses explications que J. Bonfrerius. Ses prolégomènes sur l'Ecriture sont d'une utilité et d'une netteté merveilleuses. Il en a retranché la plupart des Questions de Controverse que Serarius avait traitées dans ses Prolégomènes pour se renfermer dans ce qui regarde la Critique du Texte et des Versions de l'Ecriture sainte, et rapporte en abrégé tout ce qu'il est nécessaire de savoir sur cette matière. Ses commentaires sur le Pentateuque, sur Josué etc. sont excellents. Il y explique les termes et le sens de son Texte avec une étendue raisonnable, et évitant la trop grande brièveté de quelques uns et la longueur démesurée des autres, ne fait aucune digression qui ne vienne à son sujet, et évite de traiter les Questions en Scholastique ou en Controversiste.“ Minorem laudem tribuit R. Simon l. c. c. 17; laudat quidem judicium et praeloquiorum utilitatem, perfectionem tamen ea attigisse negat. Cf. Schenz KL. II, 1029.

gionis, urbis, oppidi, fluminis, montis, lacus, deserti, vallis etc., cuilibet interpreti ss. literarum plane necessarium, nec facile praetermittendum. Cum vero Eusebius recenseat nomina urbium etc. ordine alphabetico secundum ordinem librorum s. Scripturae sequens versionem alexandrinam: Bonfrerius nomina prout in vulgata leguntur sub uno ordine alphabetico disponit, quo facilius reperiantur[1]). *Libri Regum et Paralipomenon commentario illustrati* miserando incendio typographiae Tornaci 1643 in f. perierunt, adeo ut nullum reliquum sit hujus editionis exemplar. Commentaria in plurimos alios s. Scripturae ll. morte interveniente manserunt imperfecta. De controversia circa ejus sententiam de s. Scripturae origine cf. Kleutgen in diss. de divina inspiratione in append. op. Schneemann Controv. de div. gr. liberique arbitrii concordia, Friburgi 1891.

440. Commentarium[2]) in universam Scripturam meditatus est Leonardus Marius, prodiit tamen tantum t. 1. complectens *Pentateuchum*, Coloniae 1621, relictis vol. 20 mss. Erat L. Marius Goësanus, Zelandus, vir recondita in divinis scientia, eloquentia ac melioris literaturae cognitione in primis excellens, quibus linguarum graecae et hebraicae non vulgarem notitiam adjecit. In universitate coloniensi theologiae doctor renunciatus est 17. Oct. 1617, in qua dein theologiam est professus, nam antea in gymnasio laurentiano literas tradidit. Praefuit quoque florentissimo hollandico collegio ss. Willibrordi et Bonifacii et parochum egit ad s. Laurentium. Redux in patriam factus est parochus in urbe amstelodamensi, harlemensis ecclesiae archidiaconus, praepositus, decanus, vicarius demum generalis († 18. Oct. 1652 a. aetatis 64). Dictum familiare ejus erat: ‚Fortiter sed suaviter[1]).‘ Scripsit praeterea plura opuscula ad controversias fidei spectantia lingua vernacula, sed alieno nomine, et *assertionem catholicam hierarchiae ecclesiasticae,* in qua b. Petri et romanae sedis primatus contra haeresim et schisma M. A. de Dominis defenditur, Coloniae 1619 in 8., etiam in Roccaberti bibliotheca XV, 190—265. — *Speculum vanitatis* sive *Ecclesiasten elucidatum* stilo elaborato solutae ligataeque orationis, paraphrasibus et moralibus ac piis excursionibus (Antw. 1635; Dilingae 1698 in 4.) reliquit Joannes Tollenaer S. J., Brugensis, vir piissimus salutisque proximorum sitientissimus († 11. Apr. 1643). — *In Ecclesiasticum,* Antwerpiae 1644 in f., et *in Estherem* commentarium literalem et moralem, Coloniae 1647 in f., stilo puro et erudite scripsit Olivarius Bonartius (Bonaert, Gutekunst) S. J. Iprensis (n. 1570, † 22. Oct. 1654), octennio theologiae pro-

---

[1]) Cf. Clericum in Bibliothèque choisie a. 1707 t. 13 p. 1, ubi summis laudibus Bonfrerium, quem unum e praestantioribus interpretibus catholicis in V. T. dicit, et ejus opus extollit. Postquam hoc opus accurate descripsit, crisin ita absolvit: „Bonfrerius a d'ailleurs travaillé sur cette Géographie avec tant de peines et de soins, qu'à tout prendre, on ne peut rien trouver de meilleur, et qu'on n'ajoutera même désormais que peu de chose à son travail.“ Per se liquet haec elogia referri ad tempus, quo Bonfrerius scripsit. Lapsu enim temporis Critica et Geographia biblica plurimum profecit.

[2]) Petrus Eulard S. J. Flander, Ariensis (n. 11. Febr. 1564; † 24. Oct. 1636) collegit *Bibliorum ss. concordantias* morales et historicas, concionatoribus in primis atque universis s. Scripturae studiosis utilissimas, Antwerpiae 1625.

[1]) Cf. Bibl. colon. p. 223. Harlemensis ecclesiae decanus nomine totius capituli sic de Mario ad procuratorem in urbe agentem 27. Jun. 1631 scribit: „In ejus (Sibrandi Sixtii) locum unanimi consensu . . . electus est eximius D. L. Marius, vir doctrina et scriptis celeberrimus Amstelodami degens. A concionibus miraculo est, ut multi neque infimae sortis ad Ecclesiam reducantur, ministris collationem cum eo declinantibus, Deo cooperante etc.“ Foppens II, 817; Rotermund IV, 741.

fessor, cujus etiam exstant alia opera, ut *de institutione, obligatione et religione horarum canonicarum ll. 3,* Duaci 1624 in 12; quibus adjecit tr., in quo de ss. missae sacrificii institutione, religione et fructu ternis ll. disserit, Antwerpiae 1653 in 4., quod opus Zaccaria dicit[1]) a doctis quibusve viris jure plurimi aestimatum; *Concordia scientiae cum fide,* Hagae 1665 in 4. — *Literalem Psalmorum Davidis explicationem,* in qua singulorum sive historica sive prophetica exacte enucleantur, edidit Matthaeus Hoen Novesiensis, eodem die cum Leonardo Mario doctor renunciatus, et 24. Martii 1643 rector magnificus universitatis coloniensis electus. Obiit decanus collegiatae ecclesiae s. Andreae 2. Apr. 1653. — *In Psalmum CXVIII* ... commentaria moralia sacris SS. Patrum monitis aspersa, Antverpiae in f. 1643 conscripsit Petrus Loycx Tournhutanus protonotarius apostolicus et pastor antwerpiensis († 1646). — Joannes Baptista Uwens S. J. Antwerpiensis (n. 1587, † 1657) reliquit commentarium literalem et moralem *in Jonam* prophetam per lectiones sive sermones exegeticos LX distributum, Antwerpiae 1640 in f., in cujus prolegomenis exhibet prolixum elenchum scriptorum in Jonam.

441. Henricus Rampen, Huensis, theologiae doctor et s. Scripturae professor lovaniensis († 1641), commentatus est *in 4 evangelia* et in suo commentario evangeliorum inter se concordiam sensumque literalem breviter et clare explicat, Lovanii 1632 v. 3. — Hadrianus Crommius (Crom) S. J. domo Oorschotanus in territorio silvaducensi (n. 1591, † 11. Maj. 1651), graece, hebraice et arabice doctus, postquam philosophiam triennio docuit, datus est Corn. a Lapide in cathedra s. Scripturae lovaniensi successor, quam 11 annos est moderatus. Exortis Lovanii controversiis de Jansenii doctrina multum laboravit ad orthodoxam tutandam doctrinam. Praeter utiles theses sacras *ex Genesi,* Lovanii 1629, in reliquos Pentateuchi ll. sive *de republica judaica,* ib. 1630, *in Josue, Judices, Ruth, ll. 4 Regum* et 2 *Paralipomenon,* ib. 1631, *in Jobi historiam et ll. Tobiae, Judith, Esther, Esdrae et Nehemiae,* ib. 1632, edidit 150 *psalmos davidicos* compendiosa paraphrasi ad literae seriem expositos et sensu mystico illustratos, Lovanii 1628; Antwerpiae 1652 in 8. et *ss. 4 evangelia historico ordine concordiae in modum digesta,* Lovanii 1633 in 4. — Simile quid praestiterunt Joannes Bourghesius (Bourgeois, Bourgoys) S. J. Malbodiensis[1]), diu philosophiae et theologiae professor († 29. Mart. 1653 a. aetatis 80), cujus exstat *Historia et harmonia evangelica,* tabulis, quaestionibus et selectis ss. patrum sententiis explicata, Montibus 1644 in f., et Joannes Roberti S. J. Ardvennas († 14. Febr. 1651 a. aetatis 81), ss. literarum Duaci, Treviris, Herbipoli et Moguntiae interpres, in opere: *Mysticae Ezechielis quadrigae* i. e. sacros. 4 evangelia historiarum et temporum serie vinculata graece et latine, Moguntiae 1615 in f. Plures quoque libellos (5) scripsit contra Rudolphum Goclenum de curatione magnetica per unguentum armarium, aliaque opuscula polemica et historica[2]). — Reliquos N. T. libros interpretatus est Libertus Fromondus (Froid-

---

[1]) In bibl. rituali l. 2 c. 3. Cf. Thalhofer-Ebner Handb. der kath. Lit. 1^2, 1, 117; et Feller II, 94, secundum quem in priori horum tractatuum reperitur propositio damnata ab Alexandro VII.

[1]) Disputavit quoque *de christiana humilitate* adversus Stoicorum decreta et paradoxa ll. 3 *de continentia christiana* adversus Epicureos hujus temporis, ib. 1638 in 4., et reliquit libellos asceticos. Cf. Sommervogel II, 34—36.

[2]) Cf. Backer III, 223 s. Neyen, biographie luxembourgeoise 2, 85. De op. in textu citato cf. Falk Bibelstudien in Mainz p. 255—58; et Zeitschr. f. k. Theol. XXIII (1899), 368—71.

mond, Fromond, Fremondus, Frumondus) Haccuriensis (n. 3. Sept. 1587 prope Leodium) doctor et s. Scripturae professor lovaniensis, Jansenii familiaris et in cathedra successor, cujus opus famosum *Augustinus* edidit (cf. p. 790). Obiit 27. Oct. 1653 a. aetatis 66. Ejus *in acta apostolorum commentarium*, Lovanii 1634 in 4., saepius recusum, eximium dicit Calmet; *commentarius in omnes epistolas Pauli ap. et 7 catholicas*, ib. 1663, summam exhibet operis Estii; in eo auctor magis theologum quam exegetam agit[1]); *commentarius in apocalypsim*[2]) prodiit ib. 1657, et *in cantica canticorum* ib. 1652, 1657; omnia simul Parisiis 1670; Rothomagi 1709 in f. Hi duo commentarii prae ceteris Jansenii errores sapere videntur. Reliquit alios quoque libros polemicos, contra Voetium, Lovanii 1636 in 4; *Vinc. Lenis Theriaca* adversus Petavium (cf. supp. p. 975) et Richardum (De Champs) *de libero arbitrio*, Lovanii 1648 (in indice decr. 23. Apr. 1654).

[1]) R. Simon Hist. crit. etc. du N. T. c. 44.

[2]) In hanc commentarios plane admirabiles scripsit etiam Bartholomaeus Holzhauser Suevus (1613—1658), vir piissimus, asceta insignis (ut testantur ejus *opuscula* ecclesiastica, quae Aureliani et Parisiis 1861 prodierunt), spiritu ecclesiastico et animarum zelo plenus, omnium virtutum choro ornatus et bene meritus de vita vere sacerdotali institutione congregationis pro sacerdotibus secularibus. Prodiit ejus *interpretatio Apocalypsis* (usque ad 15, 5), Bambergae 1784; 1799 in 8; quam praecedit ejusdem biographia. Ita vero interpretatur apocalypsim, ut in ea typice videat adumbrata Ecclesiae fata. Ejus vita prodiit Romae 1704; Ingolstadii 1723. Cf. Hundhausen KL. VI, 183—196; qui inter alia de ejus commentario censet: Obgleich H.s Interpretationssystem der Apoc. nicht wohl haltbar und seine Einzeldeutungen vielfach verfehlt sind, so ist doch sein Commentar ein geistvolles, lehrreiches und erbauliches Buch. L. Clarus B. Holzhauser Regensburg 1849; Kampers hist.-pol. Bl. CXVIII (1896), 142—45 coll. 326—36; Busam OSB. Stud. u. Mitth. XXIII (1902), 403—431; 634—655; in primis Gaduel in vita de eo edita.

Augustini iprensis et Augustini hipponensis de Deo omnes salvare volente homologia, ib.; *Anatomia brevis hominis* naturam ejus talem repraesentans, qualem s. Augustinus olim nobis descripsit, ib. 1641 in 4., damnata tamen ab Urbano VIII. bulla 6. Martii 1642 et decreto 23. Apr. 1654 (cum tribus sequentibus); *Lucerna augustiniana*[1]), qua breviter et dilucide declaratur concordia et discordia, qua duo nuper eximii doctores s. theologiae duacenses conveniunt a ceteris hodie s. Augustini discipulis, 1650 (sine loco impressionis); *emunctorium lucernae augustinianae,* quo fuligines a quibusdam aspersae emunguntur; *conventus africanus* sive disceptatio judicialis apud tribunal praesulis Augustini etc. enarratore Artemidoro Oneirocritico; quem tamen alii Petro Stockmans adscribunt; *Antonii Richardi stratagema,* quo bellum sui sociorumve defensivum ab erroribus Massiliensium transtulit in s. Augustini et episcopi iprensis offensivum, 1650 etc., qui libri jansenianis erroribus infecti sunt[2]). — Franciscus a Jesu O. Carm. in seculo dictus Julius Ravascher Januae n. 17. Jan. 1581, in Belgio theologiae professor suaeque provinciae praepositus († 1647) reliquit commentarios literales et morales *in Apocalypsin,* Lugduni 1648 in f., opus posthumum.

442. Huc etiam referri potest Balthasar Corderius S. J. Antwerpiensis (n. 7. Jun. 1592, † 24. Jun. 1650), qui theologiam moralem Viennae octennio docuit, aliquamdiu ss. literas est interpretatus; perlustratis dein praecipuis bibliothecis in Germania, Gallia, Hispania, Italia, hujus itineris fructus hisce operibus complexus est: *Catena 65 patrum graecorum in s. Lucam,* quae 4 simul evangelistarum introducit explicationem, luce ac latinitate donata

[1]) Cf. Liv. Meyer hist. controv. de aux. l. 1 c. 20.

[2]) Cf. Foppens II, 819 s.; Biogr. univ. XVI, 1015.

et ex aliis patribus tam graecis quam latinis suppleta et annotationibus illustrata, Antwerpiae 1628 in f.; *catena patrum graecorum in s. Joannem* ex antiquissimo graeco cod. ms. nunc primum in lucem edita, graece et latine, ib. 1630 in f.; Joannis Philoponi *in c. 1. Geneseos de mundi creatione ll. 7* ex antiquissimo cod. ms. nunc primum in lucem editi, una cum disputatione de paschate, graece et latine, ib. 1630 in 4; *expositio patrum graecorum in Psalmos*[1]) ex vetustissimis codd. mss. concinnata, in paraphrasim, commentarium et catenam (24 patrum) digesta, latinitate donata et annotationibus illustrata, graece et latine, ib. 1643--1646 t. 3 in f.; *symbolarum in Matthaeum t. prior* exhibens catenam graecorum patrum 21 nunc primum editam latina interpretatione et scholiis illustratam, addito l. de concordia evangelistarum in genealogia Christi; t. alter, quo continetur catena patrum graecorum triginta collectore Niceta[2]) ep. Serrarum Tolosae 1646. 1647 v. 2 in f.; prior hujus op. pars est ejus sodalis Possini; *Job illustratus*, Antwerpiae 1646 in f., receptus quoque a Migne in Script. s. cursum completum t. 13 et 14; *s. Cyrilli apologi morales* ex antiquo cod. ms. nunc primum[3]) in lucem editi, Viennae 1630 in 12; *opera s. Dionysii Areopagitae* cum scholiis s. Maximi et paraphrasi Pachymerae latine interpretata et notis theologicis illustrata, cum ejusdem vitae scriptoribus et operum vindiciis, Antwerpiae 1634 v. 2 in f.; Lutetiae Parisiorum 1644; ed. emendata, aucta et locupletata Venetiis 1755. 1756; in Migne P. G. t. 3 et 4. S. Dorothei archimandritae *institutiones asceticae* nova interpretatione et illustratae notis, cum graeco vitae s. Dorothei textu, Antwerpiae 1646 in 12; s. Cyrilli alex. archiep. *hom. 19 in Jeremiam prophetam* hactenus ineditae ex antiquissimo cod. ms., ib. 1648 in 8. Eae tamen juxta Klostermann (in sua ed. opp. Origenis III praef. XXXIII s.) sunt Origenis.

[1]) Montfaucon praef. ad Athan. commentarium in Psalmos: „Corderius anno 1643 prolixiorem catenam patrum graecorum in totum psalterium edidit 3 t. comprehensam, in qua naevi non pauci occurrunt. Notabile autem est illud erratum, quod expositiones Theodori et Theodoreti Athanasio adscribat." Nonnullos etiam ejusmodi errores coarguit card. Mai praef. ad Cyrillum in Lucam, auct. class. t. 10., eumque vocat fragmentorum suorum imperitum haud raro interpretem (Bibl. N. PP. II. praef. n. 4.). His tamen non obstantibus grati sunt viri eruditi Corderio pro hac catena.

[2]) Cf. Nomencl. 1, 1004. Simon hist. crit. du N. T. c. 30, ubi pluribus de his catenis agit, in dubium vocat, utrum Nicetas hujus catenae sit collector. Cf. de Corderio KL. III. 1091; Sommervogel II, 1438.

[3]) Jam sec. exeunte XVI. prodierant.

443. Plurimi floruerunt in *Gallia*, qui in illustrandis ss. literis versati sunt. Quaestiones praevias tractavit: Coelestinus de Monte Marsano O. Cap., philosophiae et theologiae professor, guardianus et provinciae diffinitor († 1659 a. aetatis 63) in opere: *Clavis David pro s. Scriptura aperienda* in 6 ll. distributa, quorum 1. universam historiam s. dispungit et selectis observationibus illustrat; 2. decem generales complectitur tractatus s. Scripturae intelligendae accommodatos, scil. de Christi genealogia, de partibus temporis, ut puta de horis, diebus, hebdomadibus etc.; de 4 orbis monarchiis, de republica Judaeorum, de jure belli eorundem, de triplici Chaldaeorum, Aegyptiorum et Graecorum sapientia; de numinibus commentitiis in s. pagina commemoratis, de tribus rerum magicarum speciebus, quarum frequentior in s. Scriptura fit mentio, de daemoniacis, de spiritibus et spectris vivos infestantibus; l. 3. quaecunque ad ll. canonicos spectant, serio discutit eosque ab apocryphis secernens, istorum quoque eam, quam rei conditio postulat, quin et aliorum quorumcunque, de quibus in s. pagina fit mentio, rationem

clare explicat; 4. l. in universum suppeditat ea, quae ad totius s. Scripturae sensum tam literalem quam mysticum investigandum conducunt; 5. l. copiosum ss. patrum doctorumque, qui Scripturam s. vel aliquas ejus partes juxta quemvis sensum aut exponendi modum felicius interpretati sunt, catalogum exponit; 6. denique exhibet onomasticum omnem personarum et locorum homonymiam et polyonymiam observans et explicans, Lugduni 1659 in f. *Synopsis prosopochronica historiae ecclesiasticae*, Tolosae 1644 in f.; *Prosopochronica s. Scripturae*, Parisiis 1648 in f.; *speculum sine macula,* in quo Ecclesiae facies in triplici statu naturae, legis et gratiae exhibetur, Burdigalae 1651; *cursus theologiae* electissimam d. Thomae et s. Bonaventurae doctrinam in catenam redactam continens, et ubi videtur discors ad concordiam revocans novisque quaestionibus novissimis seculis suscitatis auctus[1]) v. 2 in f. *Enchiridion* brevissimum theologiae mysticae gallice, necnon gallice opusculum contra haereticos.

444. Insignium interpretum commentarios in unum collegit opus Joannes de la Haye[2]) O. Min. strict. obs. s. Petri de Alc. Parisiensis, n. 20. Mart. 1583. Aliquot annos theologiam (et philosophiam) cum eruditionis ac doctrinae non vulgaris existimatione et magno auditorum profectu praelegit; reginae ac dein regis Ludovici XIII. concionator institutus est, aliaque munera sui ordinis honorifica obiens decessit 15. Oct. 1661. Plurima reliquit[3]) indefessi laboris ac studii fructus, cujusmodi sunt: *Biblia magna commentariorum literalium* Joan. Gagnei doctoris paris., Guilelmi Estii, Em. Sa, Joan. Menochii et Jac. Tirini erudite et integre s. Scripturam exponentium, prolegomenis et chronico sacro illustrata, Parisiis 1643 v. 5 in f. Quibus non contentus *biblia maxima* condidit ib. 1660 v. 19 in f. (rarissima), in quibus praeter commentarios supra nominatos et Lyrani postillas innummerae versiones continentur, additis amplissimis prolegomenis, nec omissis chronico sacro, tr. de ponderibus, mensuris, monetis, idiotismis linguarum etc. Praeferri tamen solent, inquit Calmet, biblia magna maximis, quod priora illa plures continent auctores quam posteriora, nihilque offerunt de auctoris sensu, cum vicissim posterius opus incommodum sit ingenti voluminum numero, tum ex iis, quae de suo marte adjecit auctor. In bibliis magnis carpit Rich. Simon, quod non satis studuerit compendio, omissis plurium commentariis, ubi plane conspirant[1]); in maximis vero laudat methodum, quatenus Hajus omnis generis versiones (etiam orientales, sed omnes latine redditas prout illas repererat) singulis versibus subjicit, nonnunquam 20 et etiam 30, easque inter se conciliare vulgataeque auctoritatem tueri nititur: sed dotes tanto operi perficiendo ei denegat, carpitque versionum saepe inutilium reduntantiam atque verbositatem[2]). In prole-

---

[1]) Utrum et ubi prodierit non indicat bibliotheca franciscana.

[2]) Distingui debet ab aliis duobus, de quibus egimus p. 459 et 497, et a Bartholomaeo de la H. O. Cap. Parisiensi insigni concionatore († 1660), cujus est inter alia *Milleloquium bibliothecae SS. PP.*, Parisiis 1650 in f.

[3]) Cf. Jeiler Kirchenlex. V, 1546.

[1]) Hist. crit. du V. T. III, 11, ubi crisin absolvit hisce verbis: „En un mot, j'aurois voulu ne rapporter pas les paroles des Auteurs tout au long, mais seulement ce qu'on y auroit trouvé de plus exact, en suppléant même quelquefois à leurs défauts.

[2]) Ibid. „Au reste, on ne peut nier que la méthode dont le P. de la Haye s'est servi dans ce Recueil ne soit la meilleure, de toutes, car il produit d'abord les différentes manières dont le Texte peut être traduit, puis il les compare toutes ensemble, et en juge, et enfin il rapporte les diverses explications littérales des meilleurs

gomenis prolixis de s. Scripturae textu et versionibus collegit auctor magno labore, quidquid reperiret apud alios, sed judice R. Simone (ib. c. 17) absque judicio et crisi, hinc in graves lapsus est errores. Scripsit praeterea commentarios literales et conceptuales (in usum concionatorum) *in Genesim* sive arborem vitae concionatorum, Lugduni 1638 t. 3 in f.; Parisiis 1651; 1663; *in Exodum* sive concionatorum virgam percutientem peccatores, t. 3 in f. (conceptibus plusquam 700 patrum concatenatis illustrati), ib. 1648; *in Apocalypsim* t. 3 in f. (pariter 700 PP. conceptibus concatenatis illustrati), ib. 1644—1647. Edidit etiam *opera omnia* s. Bernardini Senensis, Lugduni 1650 t. 5 in f.; s. Francisci Assisiatis et s. Antonii Paduani *opera omnia* adjectis utriusque sancti vita et elogiis et postillis illustrata, ib. 1653 in f.; Alexandri Halensis *commentarium* (dubium) *in Apocalypsim*, cum vita auctoris, Parisiis 1647 in f.

445. Ad diversos s. Scripturae libros exercitationes publicavit [1]) Henricus Ludovicus Castanaeus (Chasteigner de la Rochepozai) comes n. 1577, in literis humanioribus Scaligeri discipulus, famosi Duverger de Hauranne (sub nomine Sancyrani notissimi) amicus et protector, in diversis locis abbas, deinde episcopus pictaviensis (ab a. 1611, † 30. Jul. 1651), scil. *in Genesim*, Pictavii 1628 in 4; *in Exodum, ll. Numerorum, Josue* et *Judicum* ib. 1629 in 4; *in 4 ll. Regum* [2]), ib. 1626 in 4; *in l. Job*, ib. 1628 in 4; *in l. Psalmorum*, ib 1643 in 4; *in prophetas majores et minores*, Parisiis 1630 in 4; Remarques francaises sur *s. Matthieu*, Pictavii 1619; exercitationes *in Marcum, Lucam, Joannem* et *acta Apostolorum*, Pictavii 1626; omnia simul Augustoriti Pictonum 1640 in f. Scripsit praeterea *dissertationes ethicopoliticas, nomenclatorem cardinalium*, qui ab a. 1000 et deinceps quidpiam commentati sunt, Rothomagi 1653 in 4; *litanias pictavienses, catalogum sanctorum pictaviensium* et *synopsim celebriorum distinctionum* tum philosophicarum tum theologicarum, Augustoriti Pictonum 1612, quas cum notis perpetuis edidit Samuel Maresius Tiguri 1659. In his notis singularum distinctionum usus vel abusus in rebus theologicis breviter ostenditur. Cavendas esse editiones leydenses notat Fabricius l. c. — In plerosque ll. V. et N. T. *paraphrases* (gallice) scripsit Nicolaus Guillebert (Gillebert) Normannus, pastor bervillensis. — *In 6 priora cc. Genesis quaestiones* cum accurata textus explicatione elucubravit [1]) Marinus Mersennius O. Minim. Parisiis 1623 in f. (m. 48), quo in volumine athei et theistae impugnantur [2]), vulgata editio ab hae-

---

auteurs. Il n'y a rien que de juste dans cette méthode; et si l'execution avait répondu au dessein, nous n'aurions rien de plus achevé ni de plus utile sur l'Ecriture."

[1]) Cf. Fabricium in bibl. fabr. VI, 492; Biogr. univ. XXXVIII, 330.

[2]) Mentio forte hic fieri posset Nicolai Caussin S. J. Trecensis (n. 1583, † 1651) literatissimi alioquin viri et eloquentis rhetoris (cf. Backer I, 1143—53) propter opus *Regnum Dei* seu diss. ad ll. Regum, in quibus totius operis *Curiae* seu aulae *sanctae* (operis sui celebris saepissime editi et in varias linguas versi) compendium continetur, ad institutionem principum et illustrium virorum totam politicen sacram insigni methodo complectens, Parisiis 1650 in f., Viennae 1715. Composuit et Eloquentiae sacrae et humanae parallela ll. XVI, Flexiae 1619; Coloniae 1681 ed. 8., de quo op. cf. Keppler theol. Qtlschr. Tübingen LXXIV (1892), 104 ss. Cf. Sommervogel II, 902—27. — Ad libros s. Scripturae historicos illustrandos tabulas geographicas in folio patenti plures delineavit Philippus de la Rue Parisinus, Parisiis 1651.

[1]) Cf. ejus vita a P. Hilarione de Coste, Parisiis 1649, et vita Cartesii a Baillet, Paris 1691, scripta: Feller VI, 38, qui alia ejusdem recenset opera.

[2]) Contra hos exstat ejus l. *L'impiété*

reticorum calumniis vindicatur, Graecorum Hebraicorumque musica instauratur et Franc. Georgii veneti dogmata cabalistica refelluntur. A p. 669—676 plurium mentionem facit, quos atheismi accusat, quem catalogum delere jussus est, hinc rarissima exemplaria, in quibus reperitur. Natus erat Ocii in provincia Cenomaniae, Cartesii condiscipulus et constans amicus. Excelluit in re mathematica, quae ei debet cycloidis cognitionem, in physicis atque harmonicis. Obiit 1. Sept. 1648 a. aetatis 60. Scripsit etiam tractatum *de mensuris, ponderibus et nummis Hebraeorum, Graecorum et Romanorum ad gallica redactis,* Parisiis 1644 in 4; *Harmonicorum ll. XII,* Parisiis 1636, etiam ib. gallice t. 2 eodem a., quo in op. fusius de Musica disputat. — Ad Genesis illustrationem referri possunt quaedam Jacobi Bolducii (Boulduc) O. Cap. Parisiensis opera (rara), ut *de Ecclesia ante legem* ll. 3, in quibus demonstratur, quis a mundi principio usque ad Moysen fuerit ordo Ecclesiae, quae festa, quae templa, quae sacrificia quive ritus et caeremoniae et alia multa arcana, Lugduni 1626 in 4; *de Ecclesia post legem* l. 1 analogicus, in quo ostenditur, quanta sit similitudo inter legem naturalem et legem evangelicam, Parisiis 1630 in 4. Scripsit praeterea *commentaria in l. Job,* in quibus praemittuntur hebraei idiomatis accurata versio ac brevis paraphrasis, variae etiam tum editiones tum lectiones cum vulgata collatae expenduntur, necnon idiotismi, phrases ac singula textus vocabula potissimum hebraea diligentissime explanantur, ib. 1631. 1638 t. 2 in f.; *expositionem in epistolam b. Judae Ap.,* ib. 1630 in 4. Vir erat quidem doctrinae insignis, profundioris ingenii et reconditioris disciplinae[1]), sed qui non raro opinionum novitate capitur et ad insolita ac peregrina minusque recepta placita comprobanda proprio genii pondere fertur[1]), hinc plura sibi in divinis literis reperire videtur aliis antea incognita († 1650, juxta alios 1646 a. aetatis 75).

446. Multum celebratur[2]) *commentarius in Psalmos* Simonis Marotte vulgo de Muis Aurelianensis (n. 1587), ecclesiae suessionensis canonici et archidiaconi, qui linguam hebraicam, quam sicut et alias orientales linguas perfecte callebat, in regia parisiensi academia docuit (1604), sed saepe auditoribus carens, quia linguae istius cultura tunc temporis Lutetiae spernebatur. Fatis concessit a. 1644 vir, ut Joan. Tarinus in ejus epitaphio affirmat, omni laude cumulatus, nullius loci hospes, quia in ejus ore omnes linguae: nullius hominis inimicus, quia in ejus vultu omnes gratiae: nullius rei inscius, quia in ejus animo omnes

des déistes, athées et libertins, Paris 1624 in 4. Cf. Niceron XXXIII, 146 ss.

1) Ita Bona in notitia auctorum, ubi duo priora opera commendat.

1) Haec addit Bonae judicio Mich. a s. Joseph I, 518.

2) Cf. Andres VI, 564; Mabillon, de studiis monasticis p. 2 c. 2 § 2; Dupin XVII, 250: „Aussi son Commentaire sur les Pseaumes passe-t-il de l'aveu de tous les sçavans pour le plus parfait et le meilleur Commentaire que nous aïons sur ce Livre etc.“ De ipso Simeone de Muis scribit: „S. de Muis ... a été un des plus habiles en cette langue (hebraica) que la France ait porté; il avoit joint à cette science un jugement solide et un grand discernement, un style pur, net et facile, une grande connaissance de l'Histoire sainte et du fonds de la Religion, en sorte qu'il avoit toutes les parties nécessaires pour faire un excellent interprète de l'Ecriture sainte.“ Feller VI, 186; Biogr. u. XXX, 366 ss. Bossuet commentarium hunc ceteris omnibus praetulit ita ad P. Mauduit scribens (op. t. 31. p. 471): „Parmi les catholiques Muis emporte le prix, à mon gré, sans comparaison.“ Non magni tamen eum facit Simon, Hist. crit. du V. T. III, 12 qui censet: „Au reste, on pourroit retrancher de ce Commentaire plusieurs choses qui le rendent languissant. En un mot, il n'est pas assez châtié.“

scientiae: nullius vitii conscius, quia in ejus moribus omnes virtutes eminebant. Prodiit ejus commentarius literalis et historicus *in omnes Psalmos et selecta V. T. cantica* cum versione nova ex hebraeo, Parisiis 1630 in f. In eo primo latinam ex hebraeo versionem e regione vulgatae impressam exhibet; praeterea versionem s. Hieronymi; his demum succedit commentarium criticum, grammaticale et literale. Hebraeo unice adhaeret et rabbinis, qui psalterium explicarunt; raro patres ceterosque commentatores christianos laudat, quemadmodum et prolegomenis opus mancum est. Hi eximii operis naevi. Ita Calmet. Prodiit iterum cum aliis ejusdem operibus, ib. 1650 v. 2; optima et rara editio est, quam curavit M. Paquot Lovanii 1770 v. 2 in 4., aucta scholiis Bossueti. Speciminis gratia jam 1625 Parisiis in 8. ediderat *commentarium in 50 priores Psalmos;* et ib. 1620 in 8. *in Psalmum 19.* trium eruditissimorum rabbinorum (David Kimchi, Aben Ezra et Sal. Jarchi) *commentarios* hebraice cum latina interpretatione. Edidit et R. Davidis Kimchi Commentarium *in Malachiam* hebraice et latine, Parisiis 1618. Scripsit quoque doctissime (judice Calmet) *varia sacra in quaedam Pentateuchi et l. Josue loca* variis e rabbinis contexta, quae habentur in Criticis sacris (t. VII, 391—538 ed. Francofurti ad M. 1695) et cum aliis ejusdem operibus Parisiis 1650. Contra Morinum (de quo infra agemus) acriter tutatus est hebraicum textum in sua triplici *assertione veritatis hebraicae* adversus Joannis Morini exercitationes, Parisiis 1631. 1634. 1639 v. 3 in 8., sed secundum R. Simon nimis deflexisse videtur[1]) ad alterum extremum et Masorae justo majus privilegium tribuisse, calcatis coeco impetu Ariae Montani exactitudinem librariorum judaicorum ultra modum laudantis vestigiis. — Hercules Audifret Carpentoractensis praepositus generalis congregationis doctrinae christianae († 1659) reliquit *Questions spirituelles et curieuses sur les Pseaumes,* opus posthumum, non satis accuratum, Parisiis 1668 in 12.

447. Petrus Gorse S. J. Albiensis (1590, † 27. Apr. 1661) *ll. Ecclesiastici,* Parisiis 1654 in 12., *Proverbiorum,* ib. 1654 in 8., *Sapientiae,* ib. 1655 in 8. et *Ecclesiastae* ib. 1655 in 8. gallice explicuit locosque obscuriores illustravit. — Petrus Maucorps S. J. († 1649) lingua vernacula paraphrastice explicuit *Isaiam,* Parisiis 1644 in 12, 1645; *Jeremiam,* ib. 1644 in 12; *Job,* ib. 1637; 1645 in 8; *Baruch* et *duodecim prophetas minores,* ib. 1645 in 12. — Eosdem commentariis illustravit Joannes Phelippaeus (Phelippeaux) S. J. Andegavensis († 2. Aug. 1645). t. 4, Parisiis 1633. Prodiit insuper *Oseas primus inter prophetas commentariis illustratus,* Parisiis 1636 in f., in quo t. explicat tantum priora quatuor cc. Carpit R. Simon op. cit. c. 13 prolixitatem, et digressiones amplissimas de argumentis ad rem non spectantibus: discutit enim auctor in eo totam fere gratiae et praedestinationis materiam secundum principia ss. Augustini et Thomae. In praefatione vero disserit de versionibus graecis s. Scripturae earumque correctionibus. — *Nehemiam et Esdram* commentario literali, morali et allegorico exposuit, Parisiis 1643 in f., Nicolaus Lombard S. J. Campanus († 5. Maj. 1646). — Denique Nicolaus Abram S. J. Lotharingus, per 17 annos in academia

[1]) L. c. c. 13. Concedit tamen, S. de Muis longe melius atque accuratius in hac quaestione scripsisse quam plures e protestantibus. Negat ei vero sufficientem eruditionem, ut ea qua par esset accuratione scribere potuerit. „Les Traités cependant, addit, que M. de Muis a écrits contre le P. Morin, peuvent être d'une grande utilité pour redresser plusieurs propositions du même P. Morin etc.“

mussipontana ss. literarum interpres (n. 1589, † 7. Dec. 1655), edidit *Pharum V. T.* sive ss. quaestionum ll. 15, quibus accesserunt ejusdem auctoris *de veritate et mendacio ll. 4*, Parisiis 1648 in f. Disserit autem erudite in hoc Pharo de Hexaëmeron seu de opere sex dierum, de fluviis et locis paradisi, de benedictionibus Noe, de divisione linguarum, de prima regnorum institutione, de regno Assyriorum, de Abraham, de Pharaone, de mora filiorum Israël in Aegypto (quam diss. Tournemine forma parum immutata recepit in suam edit. Menochii), de chronologia judicum, de transmigratione Babylonis, de Dario Medo, de Juditha, de adventu Messiae et 70 hebdomadibus Danielis, de harum principio et fine. »Opus hoc, inquit Calmet[1]), eleganter, erudite et graviter elucubratum. Auctor graecae et hebraicae linguae peritia et humaniorum disciplinarum scientia, in quas plura edidit commentaria[2]), praestabat. Ejus Pharus pluris reputatur et quaestiones intime agitat.« *L'université de Pont-à-Mousson,* histoire extraite des manuscrits du P. N. Abram publiée par le P. Auguste Carayon de la même Comp., Paris 1870 in 8. *Nonni Panopolitani paraphrasis Evangelii secundum Joannem,* ex graeco versa per carmina latina, Parisiis 1623; diatriba *de quatuor fluviis et loco paradisi* (quem in Palaestina fuisse opinatur), adjecta ejus commentariis in Virgilii Bucolica et Georgica, Mussiponte 1636.

448. Vitam Christi Domini[3]) ex evangeliis collegit Bernardinus Montereul S. J. Parisiensis († 15. Jan. 1646) in 1: *La Vie du Sauveur du monde J. Christ,* tirée du Texte des quatre Evangelistes réduits en un corps d'Histoire divisé en 4 parties: ou dans la suite du discours sont touchées les difficultez tant Historiques que Théologiques avec les sentimens des Saints Pères cotez à la marge, Parisiis 1637 v. 2 in 4; 1639 t. 4 in 12; 1650 etc. Simili methodo composuit: *L'histoire de l'Eglise naissante;* comprise dans l'Explication des Actes des Apotres, ib. 1639 in 4; 1640 in 12. et saepius cum vita J. Christi; *Les derniers combats de l'Eglise* représentez dans l'explication de l'Apocalypse, ib. 1641 in 4; 1648 in 12. — Joannes Bence Rotomagensis, doctor sorbonicus et unus e primis Oratorii sodalibus († 24. Apr. 1642 a. aetatis 74) scripsit *Manuale in s. J. Christi evangelium,* Lugduni 1626 in 12; 1682; *in omnes d. Pauli epistolas, itidem in 7 canonicas,* ib. 1628 t. 2 in 12; 1636 et 1683, quod non est nisi commentariorum Estii compendium tironibus utile[1]). — Aliud enchiridion apostolicum seu *expositionem epistolarum Pauli* (i. e. tantum epistolae ad Romanos) Tolosae 1650 in 12. reliquit Jacobus de Cambolas Tolosas, theologiae doctor et in ecclesia s. Saturnini canonicus. — *Commentarius in epistolam Judae* Guilelmi Coëffeteau Cenomanensis († 1660) prodiit sub alieno nomine 1644, dein cum aliis (scil. in varios Psalmos, cantica, in Jonam, ep. Jacobi et 1. ep. s. Joannis) in ejus *Florilegio,* Parisiis 1667 in 4. — Antonius a s. Michaele O. Min. († 1650) praeter alia opera mystica reliquit *Catechesim* theologicam in Apocalypsin Joannis mysticis et tropologicis exculta conceptibus, Parisiis 1625 in 8. —

---

[1]) Bibl. s.; Calmeto assentiunt Mich. a s. Joseph III, 354; Feller I, 17; Saxius in Onomastico ad a. 1630.

[2]) In Virgilium, Ciceronem etc., quae magni fiunt. Cf. Sommervogel I, 16—21; Mangenot in Vigouroux Dictionnaire de la Bible I, 88.

[3]) Paulus a s. Catharina O. S. Aug. Avenionensis reliquit l. cui titulus: *Victricis Mariae Deiparae epinicia de peccato, de serpente et de morte in verba de ea evangelica,* Lugduni 1658 in f.

[1]) Cf. R. Simon Hist. crit. etc. du N. T. c. 43.

Curiositates sacras seu examen variorum locorum s. Scripturae in lucem dedit (gallice) Petrus Clement, Burgundus, canonicus regularis, Lingonis 1651 in 8. — Aliud *Florilegium biblicum* complectens omnes utriusque T. sententias hebraice, graece et latine brevi juxta literalem sensum commentario illustratum collegit Lodovae 1641 in f. Joannes Plantavit de la Pause Cebennensis. Calvinianam sectam, in qua erat natus, deseruit a. 1604. Studiis theologicis absolutis Romam secessit (1609), et inde redux vicarius generalis a cardinali Rupefocaldio instituitur atque 1625 ad sedem lodovensem promovetur, qua propter affectam valetudinem dimissa 1648, mortali huic vitae valedixit 1651 a. aetatis 71. Praeter *chronologiam praesulum lodovensium,* Aramontii 1634 in 4., collegit quoque *bibliothecam rabbinicam* et *florilegium rabbinicum* (valde rarum), Lodovae 1644 in f. — Huic adjungi potest Philippus (ante Mardochaeus) dictus Aquinas (ab Aquino, ubi e Judaeo Christianus est factus, ita appellatus) Carpentoractensis, linguae hebraicae professor parisiensis († c. 1650), qui scripsit (gallice) dissertationem *de tabernaculo et castris Israëlitarum* ex antiquis Judaeis, Parisiis 1623 in 4; *explicationes literales, allegoricas et ethicas tabernaculi, de vestimentis sacerdotum et sacrificiis,* ib. 1624; *veterum rabbinorum in exponendo Pentateucho modos 13* a R. Ismaële ex universo Talmudis opere collectos, ib. 1620 in 4. (sub nomine Joan. Arnoux S. J.). Curavit quoque textum hebraeum et chaldaeum in polyglottis parisiensibus, sed ejus editionem acerrimae plane, nec forte immerito crisi subjicit Flavignius ep. a. 1646 p. 19. — Philippi filius Lodovicus Henricus commentarium edidit (gallice) *in l. Job* et notas *in l. Esther,* Parisiis 1624 in 4; *octo rabbinorum commentaria in Ps. 119,* ib. 1610 in 4. — Doubdan canonicus parisiensis narrat *Le voyage de la Terre sainte* (1651. 1652), Parisiis 1657.

449. Gallis subjicimus Gabrielem Sionitam natione quidem Maronitam, patria Edenensem e monte Libano n. 1577, qui in collegio Maronitarum patrio institutus Parisios se contulit (1614), ubi cathedram linguae syriacae et arabicae obtinuit, lauream in theologia promeruit (1620) et sacerdos post biennium est ordinatus. Operam suam collocavit in edendis bibliis polyglottis parisiensibus, († 1648 a. aetatis 71). „Verum hic Maronita, inquit Le Long, erat animo nimium remisso ac inerti, epulationibus magis quam labori dedito; ab annis namque 22 h. e. ab a. 1614 exeunte, quo Parisios accessit, ad a. 1636 praeter latinam geographiae Nubiensis Balterii et parvuli poëmatis de sapientia divina publicatam translationem a. 1619. 1625. 1628 in solis libris, qui exstant in 2. p. t. 5. et in quibusdam aliis t. 7. et 8. latine reddendis totum tempus contriverat.“ Hujus otii aliam causam innuit Knöpfler KL. V, 4. Edidit quosdam ll. V. T. syriace cum versione latina (in bibliis polygl. paris. a. 1645), quae editio secundum Waltonum proleg. 12 § 8 licet ab omnibus merito sit suscipienda, tamen multis et gravibus defectibus laborat tam ex codd. mss., quibus usus est Sionita, lacunis, quas proprio ingenio, non ex cod. ms. supplevit vel quandoque reliquit, quam ex operarum erratis, quae nimis frequenter occurrunt, et etiam ex versione latina, quae cum syra ubique non exacte quadrat. Vertit quoque ex arabico (in iisdem polyglottis) ll. V. T. exceptis Pentateucho et libello Ruth, ll. Tobiae, Judith, Esther, quibusdam fragmentis Jeremiae et Danielis, 1. et 2. Machabaeorum. Cf. Le Long bibl. s. p. 1 c. 1 diss. de polygl. paris. Cum Joan. Hesronita et Victore Scialac edidit Romae 1614 *l. Psalmorum Davidis* ex arabico idiomate in latinum translatum, quae versio differt

ab illa, quam idem Sionita in polyglottis parisiensibus excudi curavit et in polyglottis londinensibus recusa datur; item ex idiomate syro, Parisiis 1625. Cf. alios ejusdem libros in Biogr. univ. XVI, 221.

450. Haud pauciores ss. literarum interpretes in *Hispania* reperimus, qui tamen doctrinam ac celebritatem praecedentium nullatenus assequuntur. Hermeneuticae specimen exhibet Didacus de Turegano Benavides O. Carm. Matritensis, in complutensi academia ss. literarum ac dein scotisticae doctrinae interpres († 6. Febr. 1655) in op.: *Lecturae literales et morales super Scripturam* ac de arte et methodo Scripturam interpretandi, Compluti 1649 in 4. — Referri huc potest opus singulare Francisci Colin S. J. Catalani, ss. literarum in Philippinis interpretis et zelantissimi missionarii, cujus laboribus uber respondit fructus inter gentes barbaras († 6. Maj. 1660 a. aetatis 68). Inscribitur illud *India sacra* h. e. suppetiae sacrae ex India utraque in Europam pro interpretatione facili ac genuina quorundam locorum ex V. T., qui adhuc europaeos morantur interpretes (opus posthumum), Matriti 1666 in 4. Pretiosius tamen est aliud ejusdem opus, quod jussu regis Hispaniae composuit *Labor evangelica* de los obreros de la Comp. de Jesús en las islas Filipinas, Matriti 1663 in f.; novis curis prodiit Barcinone 1900—2 in t. 3 in 4. Nititur autem haec historia monumentis P. Chirino primi missionarii hispani illis in insulis, de quo infra agemus. Editio autem, quam curavit Paul. Pastells S. J., est splendida, innumeris pretiosis notitiis et documentis plurimum aucta et illustrata. — Didacus del Castillo et Artiga, Navarrus, Tudelensis, qui decessit archiepiscopus dictus s. Fidei seu regni novi granatensis († c. 1655), disseruit *de ornatu et vestibus Aaronis* seu commentarios literales et morales in c. 28. Ex. dedit, Lugduni 1655. — *In Josue Commentaria* conscripsit Petrus de Aritzizabal O. S. Franc. Matriti 1652 in f., quibus quasi non contentus 3 v. reliquit mss. ab illis distincta. — *In 4 ll. Regum catenam proonymam* versionum, glossematum ss. patrum, veterum et neotericorum interpretum hebraeorum, graecorum, latinorum juxta sensum literalem, historicum etc. collegit Joannes Rudolphus a Corduba[1]) (de Cordova) S. J. Abulensis († 8. Oct. 1655) Lugduni 1652 in f. t. 1., alii non prodierunt. — Didacus de Celada S. J. patria Monteladensis dioeceseos toletanae, per 20 annos s. Scripturae partim Compluti partim Matriti in academia regia interpres († 1661 septuagenario major), opera verbi Dei promulgatoribus utilia compilavit. *Judith illustris*[2]) perpetuo commentario literali et morali cum tractatu appendice de Judith figurata i. e. de V. Deiparae laudibus, Lugduni 1637 in f.; 1641 ed. correctior et auctior, 1648 et alias; *de benedictionibus patriarcharum* electa sacra commentario literali et morali illustrata, Lugduni 1641 in f. etc.; *commentarius literalis et moralis in Tobiam,* ib. 1644 in f.; 1648; *in Rutham* cum duplici tractatu appendice, altero de Boozi convivio mystico i. e. eucharistico, altero de Ruth figurata, in qua V. Deiparae laudes in Ruth adumbratae praedicantur, ib. 1651 in f.; *in Susannam Danielicam,* cum tractatu appendice de Susanna figurata etc., ib. 1656 in f.; *in Estherem,* cum duplici tractatu appendice, altero de convivio Assueri mystico i. e. eucharistico, altero de Esthere figurata, in quo V. Deiparae laudes in

---

[1]) Ab hoc distinguendus est Josephus de Cordova O. S. Aug. pariter Abulensis, de quo supra p. 920.

[2]) Cf. Sommervogel II, 936—40. Idem argumentum tractavit Lucas Vellosus (Velozo) S. J. Olisiponensis, octennio exegesis professor in academia conimbricensi († 26. Jul. 1653), in l. *Judith commentariis paraeneticis illustrata,* Lugduni 1649 in f. t. 1. (alter non videtur prodiisse).

Esthere adumbratae praedicantur, ib. 1648; omnes simul Lugduni 1652—64 v. 6 in f.; *in Deboram* (opus posthumum), ib. 1673 in f.

451. *De mysteriis canticorum* scripsit Alphonsus Dominicus O. ss. Trin. Red. Capt. Romae 1647 in 8. — Salvator de Leon S. J. Murciani, 26 a. Scripturae interpretis († 1. Jun. 1649), est *Expositio et illustratio* (non completa) in *Ecclesiasticum,* Antwerpiae 1640 in f. — In solum c. 24. *commentarium literalem, panegyricum et moralem* scripsit Alphonsus de Flores S. J., decennio s. Scripturae interpres Cordubae et Hispali († 14. Dec. 1660), cujus etiam est *de inclito agone martyrii* opus recens et varium, Neapoli 1648; Coloniae 1735 in f. — Joannes de Pina S. J. Matritensis, adeo in patrum lectione assiduus et diligens, ut excerptis suis supra 100 tomos 500 pag. singulos repleverit (n. 1582, † 29. Jul. 1657), reliquit in illum l. *commentariorum* t. 5 in f. Lugduni 1630—1648, quae a Feller indigesta testimoniorum patrum moles dicuntur. — Ferdinandus Quirinus (Chirino) de Salazar S. J. Conchensis *Proverbia* exposuit, quam expositionem (Parisiis 1619. 1621 v. 2 in f.; 1625 et alibi) Mich. a s. Joseph accuratissimam vocat; et de qua Corn. a Lapide in sua praef. ita habet: „Sed post omnes et prae omnibus fuse et erudite (scripsit) noster F. a Salazar, qui multam non solum sacram, sed et profanam eruditionem continet, ac liberalius ad conceptus elegantes et morales etiam a gentilibus petitos digreditur.“ *Canticum canticorum* Salomonis allegorico sono et prophetica mystica hypermystica expositione productum, Lugduni 1642 v. 2 in f.; in *Ecclesiasten* Parisiis 1652. Scripsit quoque *pro immaculata Deipara V. conceptione defensionem,* Compluti 1618. *Practica* de la frequencia de la sagrada Comunion, Matriti 1622. Philippo IV. erat a concionibus, qui illum ad sedem episcopalem malacitanam, dein archiepiscopalem ciarquensem promovere nitebatur, sed constanter restitit vir vere religiosus. Sacras literas interpretatus est 12 annos Murciae, Compluti, Matriti. Ad meliorem vitam transiit 4. Oct. 1646. — *Isaiae* illustrando incubuere Gabriel Alvarez S. J. Oropesanus († 1645 octogenario major) Lugduni 1621. 1623 t. 2. in f. et Andreas Lucas de Arcones S. J. Granatensis, qui annos 30 lectiones de s. Scriptura ad populum habuit († 26. Aug. 1658), quarum pars continetur in opere: *Isaiae prophetae dilucidatio literalis, mystica et moralis* exornata discursuum varietate, Lugduni 1642 v. 2 in f. — *In Jonam prophetam commentarios literales et morales* edidit Franciscus Salinas S. J. Navarrensis, Lugduni 1652. 1655 v. 2 in f.

452. *In evangelicam historiam* uberrima commentaria moralia composuit insignis ecclesiastes Didacus de Baëza S. J. (n. 1582, † 15. Aug. 1647) t. 4, quorum primus exponit b. Mariae, d. Josephi et Christi Domini magnalia et tractatum comprehendit de eucharistia, de Spiritu s. et de Trinitate, Vallisoleti 1623 in f.; 1626; 1628; Venetiis 1628; 2. continet vocationes et conversiones a D. Jesu peractas, omnia illius miracula et nobiliores prophetias adimpletas, Vallisoleti 1627; Parisiis 1627; 3. continet prophetias a Jesu dictas et nondum adimpletas, nobiliores ejus sermones et in illis apertiores similitudines, Vallisoleti 1628; Parisiis 1629; 4. continet parabolas et historias adductas a Jesu et ejus disputationes et sex conciones de antichristo, Lugduni 1624 (?); 1631 in 4. Addidit his commentaria allegorica et moralia *de Christo figurato in V. T.* v. 7, quorum 1. explanat historias Adami, Isaaci et Danielis, in quibus Christus conceptus et in utero existens et natus et a regibus adoratus exprimitur, Lugduni 1633 in f.; 2. complectitur vitam Mo-

sis, in quo exprimitur Jesus in Aegypto, ib. 1635; 3. vitam Abrahami et Josue h. e. Jesum extra cognatos et in Jordane, ib. 1637; 4. vitam Davidis, Vallisoleti 1639; 5. historias Salomonis, Absolonis et Caini, Lugduni 1642; 6. historias Esther, Josephi, Susannae, Michaeae et Nabot, ib. 1647; 7. historiam Jeremiae, ib. 1653. Refert Nic. Antonius, has lucubrationes praecipue concionatores summo plausu atque existimatione suscepisse avidissimeque in rem suam vertisse, ut nihil fere aliunde diu pulpita resonarent. — Alia *commentaria in concordiam evangelistarum* juxta translationes literales, anagogicas, morales et allegoricos sensus secundum ordinem Evangeliorum totius anni partim latino, partim populari sermone publicavit Matriti 1621 v. 2 in f. Franciscus de Rojas O. Min. Toletanus († 1656), sicut et *catenam auream* ss. Ecclesiae doctorum per maris abyssum evangelicae historiae navigantium, in qua translationes antiquiores et neotericae adducuntur, quae ad literalem et moralem sensum utilius conducunt, Lugduni 1651 v. 3 in f., et *elucidarium Deiparae semper Virginis*, Matriti 1643 in f. — Tria tantum v. in 1. c. Matthaei conscripsit Hieronymus Guevara S. J. Hispalensis († 19. Febr. 1649), Matriti 1634. 1640. 1641, ib. 1736 t. 3, in quorum 1. priorem capitis partem sensu literali et mystico exponit; 2. totus agit de immaculata conceptione, 3. de ineffabili mysterio ss. Trinitatis, de ss. nomine Jesu et de s. Joseph. — Denique Joseph Ferrer[1]) O. Min. *Pharum evangelicum* seu commentaria in 4 evangelia edidit Lugduni 1661 in f.; prodiit tantum tomus primus, in quo de praeludiis evangelicis disserit et primis Christi mysteriis.

453. Multi quoque in Italia disciplinas ad ss. literas spectantes excoluerunt, e quibus nonnulli haud ultimae sunt notae. Primus mentione dignus est Joan. Stephanus Menochius S. J. Papiensis, filius Jacobi celebris admodum jurisconsulti († 10. Aug. 1607). Postquam s. Scripturam et theologiam moralem Mediolani professus est, praecipua sui ordinis munera obivit († 4. Febr. 1655 octogenarius). Innotuit praesertim hisce operibus: *Brevis explicatio sensus literalis s. Scripturae* ex optimis quibusque auctoribus per epitomen collecta, seu commentarii totius Scripturae, Coloniae Agrippinae 1630 v. 2 in f. Utilis est hic commentarius[1]) propter claritatem, brevitatem

[1]) Alius a Matthia Ferrerio O. Cap. Pedemontano a Caballo-Majori, qui missionibus in vallibus subalpinis specialiter est deputatus, cujus exstat opus curiosum nec lectione indignum: *Jus regnandi apostolicum per missiones ecclesiasticas religiosorum* totius ordinis hierarchici ab initio Ecclesiae, sive Rationarium chronographicum missionis evangelicae ab apostolicis operariis praesertim Capuccinis pro ecclesiastico catholico regno propagando in quatuor mundi partibus ad Alexandrum VII. P. M., Augustae Taur. 1659 t. 2 in f., quorum 1. complectitur monasticorum et mendicantium ordinum varias missiones simulque ecclesiasticae missionis doctrinam epitomatice signat communesque Capuccinorum in secularem et spiritualem potestatem praestitas provisiones; alter calculat actus apostolicos ab apostolis, eorum discipulis, martyribus, pontificibus, episcopis, doctoribus, monachis et mendicantibus, religiosis operariis, praecipue Capuccinis pedemontanae provinciae pro fide catholica propugnanda. — Mentio hic fieri posset etiam Vincentii Moles medici valentini, qui edidit *pathologiam de morbis in ss. literis*, Matriti 1642 in 4 et *philosophiam naturalem corporis J. Christi*, Antwerpiae 1631 in 4; et Marcellini Ubertae, alterius medici, qui pariter scripsit *medicinam sacram* sive de morbis, quorum mentio fit in ss. literis, Caesaraugustae 1647.

[1]) Grotius illum multum sibi usui fuisse testatur. Laudant Dupin 17, 133; Feller VI, 23; Andres t. 6 l. 2 c. 3 p. 562; Tiraboschi XIV, 227; Reusch KL. VII², 61, secundum quem Menochius praecellit quidem Sa et Mariana, sed a Tirino superatur; Cornely n. 254 ejus

multorumque compendium, quamvis forte subinde nimis sit succinctus[1]). Ejus praestantiam repetitae testantur editiones. „Nulla siquidem Menochio, inquit Tournemine, revera deest sacri interpretis virtus, non linguarum et antiquitatis judaicae cognitio, non sacri idiomatis labore et meditatione comparata peritia, quae Scripturae, qua parte obscura est, non aliunde quam ex ipsa Scriptura lucem afferat, non patrum Ecclesiae assidua lectio, non sana et solidis nixa principiis theologia, non solers in quaerendo sed traditioni perpetuo insistens studium, non modesta et felix sagacitas in conjiciendo, non ingenua nescientiae in aliquibus dubiis confessio, non perspicua brevitas in exponendo, non diligens in annotando cura, quae nihil difficultatis praetervolet; non diffunditur, non digreditur, non eruditionem peregrinam ostentat, pressus quidem sed uber, sed sufficiens.“ Mendae tamen nonnullae, quod non est mirandum, irrepsere, quas praeeunte exquisiti judicii censore Ab. Robuste ib. recenset Tournemine. Commentario suo praemisit Menochius prolegomena, in quibus 28 cc. quaestiones isagogigas et hermeneuticas tractat, nimis tamen breviter nec sat solide. Si editionem primam excipias, reliquae tam mendosae sunt judice Tourneminio, ut lineae et saepe plures omissae sint, sensus innumeris in locis corruptus, nulla exstet pagina, quae 20 ad minimum mendis non inquinetur: hinc novam ipse curavit editionem plurimis iisque utilibus accessionibus auctam Parisiis 1719, editio optima et rara[2]), Venetiis 1722 v. 2 in f. et saepius deinceps. Hae accessiones sunt: Jac. Bonfrerii in totam Scripturam praeloquia, cum appendicibus partim novis partim ex interpretibus probatis aeque ac raris excerptis; Marianae dissertatio pro editione vulgata; Jos. Acostae de vera Scripturas interpretandi ratione ac de Christo in Scripturis revelato; Bas. Poncii Legionensis qq. expositivae i. e. de s. Scriptura exponenda selectae; Ant. de Escobar et Mendoza de s. Scripturae stilo et obscuritate praeloquium; geographia sacra ordine alphabetico sive Eusebii caes. l. de locis hebraicis graece et latine accuratissime editus adjunctis Jac. Bonfrerii et Joan. Clerici animadversionibus, novis Aug. Calmet conjectionibus et editoris nonnullis observationibus; J. Bonfrerii annotationes in terrae promissae chorographicam tabulam Adrichomii; excerpta ex annotatis R. P. Aug. Calmet in tabulas geographicas terrae sanctae; locorum terrae s. exactissima descriptio auctore F. Brocardo monacho; J. Marianae tr. de ponderibus et mensuris; Car. Sigonii l. de republica hebraeorum; Joan. Filesaci versio s. Scripturae latina vulgata defensa; tabulae chronologicae sacrae V. et N. T.; ars chronologica breviter sed accurate explicata a Jac. Saliano; historia diluvii a Ludov. Capella explicata et illustrata; plures dissertationes de argumentis historicis et chronologicis ad historiam sacram spectantibus; synopsis omnium praeceptorum, quae Deus Mosi dedit, collecta ex Pentateucho a Corn. a Lapide. Hinc liquet, quantae utilitatis sit haec editio[1]).

---

scholia praedecessorum ipsius scholiis praefert, quum iis plerumque sint accuratiora.

[1]) Id carpit R. Simon Hist. crit. du N. T. c. 44, ubi tamen addit: „C'est un des plus judicieux Scoliastes que nous ayons tant sur le V. que sur le N. Testament.“

[2]) Cf. De Bure, Bibliographie instructive, Theol. n. 128.

[1]) Ea multum commendatur in fol. literario L'Europe savante in fasc. Junii 1719 p. 258—284, ubi laudato Menochii commentario, de ipsa editione inter alia dicitur: „Cette nouvelle Edition est si considérablement augmentée, qu'elle devient un livre nécessaire pour tous ceux qui veulent avoir tout ce qu'il y a de bon sur les Livres sacrés;“ in memoriis trevoltianis a. 1719 mensis Dec

Prodiit etiam nostro seculo partim Alosti 1825—28, partim Gandae 1829 v. 15 in 8. *Hieropoliticon* sive institutiones politicae e s. Scripturis depromptae, Lugduni 1625 in 8; Coloniae Agrippinae 1626; *institutiones oeconomicae* e s. literis depromptae ll. 2, Lugduni 1627 in 8; *de republica Hebraeorum ll. 8*, Parisiis 1648 in f., opus eruditum, sed rarum; Historia sacra *della vita, attioni, dottrina, miracoli, passione, morte, risurretione e salita al Cielo del nostro Redentore* etc., Romae 1653 v. 2 in 4; *degli Atti degli Apostoli*, ib. 1654 in 4.

454. Fabricius Britius[1]) (Brizio, Briti) S. J. patria Acebutensis in Samnio († 6. Oct. 1656), excerpsit *synopsim Scripturae s. universae* ex probatis auctoribus, Genuae 1645 in 12. — Scipio Sgambata S. J. Neapolitanus, in academia viennensi s. Scripturae et theologiae scholasticae professor († 5. Febr. 1652), collegit *Archivorum V. T. ll. 3* de rebus ad Deum spectantibus; de primis patribus, de viris illustribus in V. T., Neapoli 1703 in f., opus omnigena eruditione refertum, quae auctorem versatissimum in libris rabbinorum veterum et recentiorum testatur. In prolegomenis agit de linguae hebraicae antiquitate (eam a Deo Adamo communicatam censet) et characteribus; in l. 1. disserit de omnibus libris Deo, angelis, patriarchis usque ad Heber unquam adscriptis; in 2. de libris genuinis vel spuriis, inspiratis vel apocryphis ab Abramo usque ad Esdram recensens omnes rabbinorum fabulas; in 3. de libris Judaeorum post captivitatem babylonicam[1]). — Carolus Joannes Golinus Fanensis edidit *Edengraphiam* seu descriptionem Paradisi terrestris (italice), Messanae 1649 in f. — Francisci Quaresmii O. Min. in oppido Lodi Vecchio n. 4. Apr. 1585, guardiani hierosolymitani et a. 10 commissarii terrae sanctae († 25. Oct. 1656), *elucidatio terrae sanctae* historica, theologica et moralis, Antwerpiae 1639 v. 2 in f., diffusa admodum sed valde fidelis et accurata, magni momenti et pretii est pro historia regionis carissimeque (fr. 200—600) venditur, et quia exegetis admodum utilis recusa[2]) curante Cypriano a Tarvisio Venetiis 1882 t. 2 in 4 v. in f. Praeter alia ejusdem opera singulare est (concionatoribus destinatum): *De quinque vulneribus D. N. J. Christi* varia, pia et luculenta tractatio, in qua de eorum praedestinatione, causis, figuris, circumstantiis, prophetiis, effectibus et admirandis agitur, Venetiis 1652 t. 5 in f. Scripsit etiam *apparatum pro reductione Chaldaeorum ad catholicam fidem*, 1647.

455. Petrus Caranus reliquit *elucidationem in omnes Psalmos*, Romae 1662 in 4. — Philippus Massaria S. J. Panormitanus (n. 1592, † 18. Dec. 1655 vel 1665) composuit opus: *Deus homo* h. e. vita Servatoris N. J. Christi e l. Psalmorum juxta interpretationem veterum patrum sacrorumque scriptorum tum graecorum tum latinorum excerpta, in ordinem historiae disposita et annotationibus illustrata, Panormi 1656 in 4. — In Psalmos exstat opus concionatoribus destinatum Vincentii

p. 1—22, et 1720 mens. Apr. p. 605—626, ubi praesertim Tourneminii dissertationes adjectae recensentur.

[1]) Alius a Paulo Britio de Bra O. S. Fr. episcopo albensi († 1665), cujus sunt: *Seraphica subalpinae s. Thomae provinciae monumenta* ... in quibus urbium, oppidorum ac conventuum initia describuntur; procerum ac familiarum pietas et nobilitas commendatur, insigniumque doctrina, honoribus et sanctitate virorum gesta recensentur, Taurini 1647 in f.; *de progressibus Ecclesiae occidentalis*, italico sermone, Carmaniolae 1650 in f.

[1]) Cf. plura in Mémoires pour l'Histoire des Sciences et des beaux Arts, Trévoux 1708 III, 1336 ss.

[2]) Cf. Schegg Litter. Rundschau 1882 col. 260 ss.; Kaulen KL. X, 997.

Giliberti cler. reg. neapolitani, eximii concionatoris, qui sui ordinis bis fuit praepositus generalis (1621—1627). Obiit 10. Jan. 1656 a. aetatis 94. Operis titulus est: *Coeli Davidici variae versiones Psalmorum commentariis et moralibus conceptibus stellatae,* ubi stellifera resplendet corona seu aurea catena ex omnium fere doctorum expositionibus artificiose contexta, abunde collecta et peregrinis eruditionibus quasi luminibus illustrata, Neapoli 1639—1650 v. 4 in f., quorum primum de primo tantum Psalmo agit. — Paulus Minerva O. Praed. Barensis, in mathesi et astronomia (secundum veteres theorias) versatus, suae provinciae praepositus († 7. Martii 1645), disseruit *de Neomeniis Salomonis perpetuis* ll. 2, quorum prior totam Neomeniarum rationem ex s. Scripturae fonte et doctorum testimoniis juxta hebraicam veritatem abundantissime explicat: posterior vero calendarium gregorianum exacte complectens ostendit contra haereticorum pravitatem anni correctionem justam, Vici Acquensis 1599 in 4; *de libro apocrypho* cum catalogo et indice auctorum et ll. apocryphorum, tum ex Gelasii decretis, tum ex iis, quae in divinis Scripturis inspiciuntur et quae ad extra leguntur, Neapoli 1640 in 4. — Benedictus Mandina Theatinus, Melfitanus, episcopus tropecensis († 1646), *primum* tantum *caput Jeremiae prophetae* exposuit, Neapoli 1620 in f. — Thomas Calona O. Cap. Panormitanus († 1646), praeter *commentaria moralia super duodecim prophetas minores,* Panormi 1644, scripsit in l. Judicum: *Sacra aristocratici principatus idea* sive Samuel expositus in l. historialem Judicum una cum catena morali articulis efformata conceptuum aureis anulis difficultatum, dubitationum, speculationum, doctrinarum, eruditionum, s. Scripturae sanctorumque patrum sententiarum complexis et conceptandi modo novissimo opus noviter excogitatum, ib. 1641 in f. — Franciscus a Vitrio O. Cap. enucleavit *Jonam,* Neapoli 1645 v. 2, ejusque sodalis Franciscus de Franchis *Oseam,* Panormi 3 t. 1643. 1647. 1650, quibus titulus *Salvator mysticus.*

456. Alexander Pellegrinus[1]) S. J. Picenus († 28. Aug. 1647), reliquit *Evangelium secundum Matthaeum paradoxis illustratum,* Romae 1638. 1645 t. 2 in f. — Paulus Vecchio Neapolitanus capuanae ecclesiae cathedralis theologus, auctor est l. rari et singularis: *Observationes omnigenae eruditionis sive physiognomicae et medicae in s. Scripturam* ll. 2, Neapoli 1640 in 4. — Angelus Paciuchelli O. Praed. Etruscus, praeco facundus et ardens († 1660), exposuit *epistolam ad Romanos* ex ss. patribus et doctoribus, Perusiae 1656 in f. — Gregorius Ferrari S. J. Ligur († 10. Mart. 1659) exponere nisus est[2]) *Apocalypsim* commentariis, quibus obscurissima D. J. Chr. revelatio nove elucidatur et abditum ejus aenigma felicissime aperitur, Mediolani 1653. 1655. 1656 t. 3 in f., et *canticum canticorum* commentariis, quibus explicatur s. dramatis allegoria et eruitur proprius sensus parabolicus, coepta ex suo principio explicatione et deducta acoluthia ejus usque ad finem; tanguntur quoque et alii sensus, maxime qui sunt apud patres; tamen primarius libri scopus et laus, ut res ipsa ostendet, est in eruendo proprio sensu et ostendenda vera dramatis acoluthia non hiante neque interturbata sed consequenti et genuina, ib. 1657 in 4. — Prodiit demum Neapoli 1659 *Expositio in Canticum*

---

[1]) Alius est ab Alex. Pellegrino, de quo cf. p. 877, et Martino Pellegrini (Peregrino) S. J. Mutinensi († 1675), cujus exstant: *Resurrectio corporum humanorum probata rationibus naturalibus,* Romae 1674 in 12; *praxis vicariorum* et omnium in utroque foro jus dicentium, Romae 1666 in f.

[2]) Alia ejusdem opera philosophica et ascetica cf. apud Sommervogel III, 668 s.

canticorum Thomae Contini O. Carth. prioris († 1649). — Joannes Rho (Rhaudensis) S. J. Mediolanensis, celeber sui temporis concionator († 1662), composuit in Hexaemeron *Orazioni sacre* sopra la Divina Scrittura p. 1., Venetiis 1652 in 4; Orazioni *sopra gli Uomini Illustri* del Testamento V. et N., Mutinae 1672 t. 8.

457. Majore jam attentione digni sunt: Michaël Ghislieri[1]) O. Cler. reg. Romanus († 1646 a. aetatis 83), celebris Agellii discipulus eximius, linguarum orientalium peritissimus, qui vulgavit[2]): *Commentarii in Canticum Canticorum Salomonis* juxta lectiones vulgatam, hebraeam et graecas tum LXX, tum aliorum veterum interpretum, Romae 1609 in f.; ed. aucta et recognita, Venetiis 1613; Antwerpiae 1614; Parisiis 1618 etc.; primum exhibet sensum literalem, dein mysticum et moralem, atque integrum canticum exponit de Ecclesia, de anima sancta de b. Maria V. distincte et separatim, additque quasi catenam patrum; *in Jeremiam prophetam commentarii* (in cc. 1—15) juxta sensum literalem, mysticum et moralem et juxta lectiones vulgatam, hebraeam, paraphrasis chaldaicae et graecas, cum catena graecorum patrum graece et latine a Joan. Matthaeo Caryophilo cretensi versa, recognita a Leone Allatio; item *in Lamentationes Jeremiae et Baruch* cum catenis graece et latine ex versione ejusdem Allatii; adjecit praeterea *tractatum s. Maximi M.*, in quo nonnulla ex Jeremia explicantur; l. Clementis alex. *Quis dives salvatur*, et 7 Origenis hom. in Jeremiam, Lugduni t. 3 in f.

[1]) Alius a Francisco G. can. reg. ss. Salv. et abbate Bononiensi († 1625), cujus exstat *de judice regularium* tr., in quo criminalis summaria praxis regularibus applicata continetur; modus quoque processum formandi quacunque procedendi via cum formulis, Venetiis 1613; 1622; Coloniae 1623.

[2]) Cf. Vezzosi I, 391 ss.

Ceterum de Ghislieri scribit Silos[1]): „Ubique idem ac sui similis videtur: argutus nempe, perspicuus, fertilis, eruditus tangitque semper acu rem, ab instituto nunquam devius, plane ut absolutissimum commentarium (scil. illud in canticum) nullae non Europae academiae magnopere commendaverint.“ — Hujus sodalis Paulus (ante ingressum in Theatinorum ordinem Caesar dictus) Aresi Cremonensis (n. c. 1574) *de vero sacri cantici canticorum Salomonis tum historico tum spirituali sensu* novam cogitationem et pro eadem velitationem binam scripsit, Mediolani 1640 in 4. Erat is tam praecellenti ingenio et memoria praeditus, ut ejus in theologia magister praeparatione diligenti indigeret, quo sagacissimi discipuli difficultates solvere posset. Neapoli et Romae philosophiam et theologiam docuit et magna eloquentiae fama est concionatus. Obiit episcopus derthonensis 13. Jan. 1644. Vir erat eruditus, cujus plurima quae posteris reliquit egregia opera profundam copiosamque sapientissimi praesulis doctrinam eloquentissimo silentio praedicant[2]). Ejusmodi sunt: *Velitationes 6 in Apocalypsim*, quibus ob rerum nexum et cognationem bona pars prophetiae Danielis exponitur et illustratur, aliisque divinae Scripturae locis lux immititur, Mediolani 1647, cum auctoris vita a Paulo Sfondrati conscripta in f. Agit in iis etiam de perennitate Ecclesiae et haereses contra illam impugnat. *De aquae vino mixtae in sacrificio missae transmutatione* disputatio, Derthonae 1622, ed. aucta Antwerpiae 1628. *Imprese Sacre* seu sermones sacri variagena eruditione referti, quos auxit semper ut t. 7 replerent, qui coeperunt prodire Veronae 1613 etc., atque latine versi Monachii 1694; Francofurti 1701—2 t. 3 in f.

[1]) Hist. cler. reg. p. 3 l. 8; cf. Allatium in l. apes urbanae.

[2]) Ita Mich. a s. Joseph III, 415; cf. Vezzosi l. c. p. 54 ss.

scil. de vitiis, de augustissima coeli regina ejusque sacro gynaecaeo; de ss. papis, episcopis, religionum fundatoribus aliisque ss. confessoribus, interprete Jo. Caj. Nemmich, sodali sed fratre laico.

458. Hos praecellit tertius ex eodem ordine Aloisius Novarino (n. 1594) Veronensis, vir eruditus et laboriosus, propter insignem doctrinam ab Urbano VIII. magni factus († 1650), qui plurima reliquit opera[1]). Horum praecipua sunt: *Sacrorum electorum* t. 1., in quo qua ex latino, graeco, hebraico et chaldaico fonte, qua ex antiquis Hebraeorum, Persarum, Graecorum, Romanorum aliarumque gentium ritibus quaedam divinae Scripturae loca noviter explicantur et illustrantur; antiquitates plurimae in lucem eruuntur; omnia monitis sacris adspersa et excursibus moralibus locupletata, Lugduni 1639 ed. 3. ceteris purior et locupletior in f.; *Sacrorum electorum* t. 2., in quo sub umbrae virgineae titulo fuse in Virginis laudes excurritur, et varia s. Scripturae loca illustrantur et explicantur, Lugduni 1641; 1647 (ed. 4.) in f. Prior ed. ib. 1633 inscribitur: *Umbra virginea,* in qua V. Mariae laudes, Gabrielis nuncii, Josephi sponsi, Joachimi et Annae genitorum imagines; *ss. electorum* t. 3., in quo sub titulo *agni eucharistici* de augustissimo Deoque ipso divite eucharistiae sacramento, ejus institutione, excellentia, laudibus, deliciis, suavitate, mysteriis, figuris, ritibus aliisque rebus, quae ipsum aut tangunt aut spectant, satietate disseritur, ib. 1638 in f.; *ss. electorum* t. 4., in quo sub nuptialibus aquis, ita de aquarum et nuptiarum nexu agitur, ut de nuptiis varia, varia de aquis variis dentur etc., ib. 1640 in f.; *ss. electorum* t. 5., in quo sub titulis hac forma conceptis 1. medicus chirurgus, 2. columna sepulchralis, 3. fumus bellicus, 4. terrae fides, 5. insitio sacroprofana, 6. tesserae literariae, qui singuli ll. singulis continentur, multa ss. literarum loca ex antiquis ritibus, ex linguarum fontibus explicantur et illustrantur etc. Veronae 1646. *Schediasmata sacroprofana* h. e. observationes antiquis Christianorum, Hebraeorum aliarumque gentium ritibus in lucem eruendis, aliquot s. Scripturae, ss. patrum aliorumque scriptorum locis illustrandis, variae eruditionis supellectili augendae, pietati fovendae, amoliendae impietati, Lugduni 1635 in f. *Adagia ex ss. patrum et ecclesiasticorum scriptorum monumentis prompta*, Lugduni 1637 in f.; *Matthaeus et Marcus expensi* notis monitisque sacris, qua ex linguarum fontibus, qua ex variarum versionum collatione, qua ex ss. patrum aliorumque auctorum observationibus, quae ad mores informandos praecipue spectant, illustrati, ib. 1642 (prior jam Venetiis 1629 in 4.); *Lucas expensus* etc., ib. 1643 in f. (agitur de evangelio et actibus ap.); *Paulus expensus,* ib. 1645 in f.; *Joannes* (evangelium, apocalypsis, tres ep. cum reliquis epistolis canonicis) *expensus,* ib. 1643; *Omnium scientiarum anima* h. e. axiomata physicotheologica ex probae notae auctoribus editis et ineditis prompta, Lugduni 1644—45 v. 3 in f. Complectitur hoc opus principia metaphysicae et ethicae. *Variorum opusculorum* t. 3, in quibus varia variae eruditioni qua sacrae qua profanae servientia exhibentur, plerique prisci ritus non adeo notitiae expositi educuntur in lucem etc., Veronae 1645—49 in f.; *Moses expensus etc.,* ib. 1647—48 t. f.; et quam plurima opuscula ascetica. — Jacobus Pintus S. J. Sassaritanus, in turritana academia divinarum Scripturarum professor multis annis († 1654), opus rarum reliquit hoc titulo: *Christus crucifixus*

[1]) Haec ipse recenset ep. 141. Petro Avitabile inscripta. Vezzosi II, 102 ss. sub 80 n. ea enumerat; omnia complent ultra 21 v. in f.; plurima manserunt inedita et inchoata.

sive selectorum e Scriptura universa locorum in certas classes pro variis Christi titulis digestorum nova et accurata discussio, Lugduni 1623—1654 v. 2 in f.; Neapoli 1858. 1859. Duos alios t. paraverat *de longitudine et latitudine crucis*, sed mors eos intercepit. *Commentaria in Is. c. 14.*, ib. 1648 in f.

459. Neque praetereundus est Fortunatus Scacchi O. Erem. s. Aug., Anconitanus, a loco ubi votis solemnibus Deo se dicavit, Fanensis dictus. Cum ingenti sublimioris eruditionis fame flagraret, in Hispaniam studiorum causa mittitur (1595). Inedia, lassitudine aliisque viae molestiis paene confectus tandem Complutum attigit, ubi studiis superioribus 7 annorum curriculo absolutis hispano more publicum haustae doctrinae specimen dedit, triduo Toleti et Compluti mane et vespere in arenam descendens et ad doctissimorum virorum argumenta respondens. Ad linguarum deinde cognitionem se impendit, e quibus hebraicam ita imbibit, ut ei nativa videretur. In Italiam redux eruditionis fama mox ita inclaruit, ut bononiensis senatus ipsum potissimum elegerit, qui Ulyssis Aldrovandi nominatissimi historiae animalium scriptoris ultimis quatuor de animalibus exsanguibus, quos morte praeventus imperfectos reliquerat, libris ultimam manum admoveret, quod ita perfecit, ut illi ll. a. 1606 typis publicis in lucem prodierint. Ubi singularem mirari licet modestiam viri, qui nullibi eo in opere sui laboris voluit exstare memoriam. Idem senatus cathedram ei concredidit theologicam in sua academia, eumque in concursu 30 celeberrimorum oratorum prae omnibus selegit, qui in solemnissima populi supplicatione de suggestu peroraret. Aliis deinde in civitatibus concionatus, vel sodalium suorum studia est moderatus; Romae 1622 ss. literas exposuit. Non diu tamen haesit, sed Bononiam rediit, inde Maceratum secessit, donec Romam denuo accedere jussus apostolici sacrarii praefectus est constitutus (1624—1639). Munere hoc in alium translato Fanum repetiit, ibi per quadriennium multiplici vexatus[1]) morbo a. aetatis 68. vita functus est 1. Aug. 1643. Haec ingenii sui monumenta: *Sacrorum elaeochrismaton Myrothecia,* in quibus exponuntur olea atque unguenta in divinos codices relata, et olim vel cunctis universim gentibus in vitae qua quotidiano qua molliore cultu, vel nominatim apud Israëlitas tam in sacrorum antistitibus, locis, supellectilibus, quam in regibus solemniter inaugurandis usurpata. Primum est *sacroprofanum,* in quo ex antiquis graecis ac latinis scriptoribus quidquid ad nomina, antiquitatem, usum et abusum oleorum et unguentorum ex sacris habetur literis, dilucide explicatur; alterum inscribitur *consecrationis,* in quo explicatur compositio et usus unguenti a Deo instituti ad consecrationem sacerdotum, altarium, tabernaculi et omnium mosaicorum utensilium eorundemque formas de novo ex ss. literis cognitas aperit; tertium inscribitur *de israëlitici regis inauguratione*, et explicat reipublicae israëliticae ordines tam senatorios, quam militares, inaugurationis pompam, adorationes, acclamationes, praecentiones et quidquid caeremoniarum in regis constitutione servabatur, Romae 1625. 1627. 1637. t. 3 in 4; Amstelodami 1701 in f. editio elegans; novo tantum frontispicio donata 1710, Hagae 1725 sub titulo:

[1]) Cf. plura de eo ap. Ossinger in bibl. august., Dupin XVII, 130, qui suam crisin ita absolvit: „Les Ouvrages de cet Auteur sont pleins d'érudition et de recherches curieuses. Il avoit bien étudié les Auteurs Ecclésiastiques et les prophanes. Il sçavoit parfaitement la Langue Hébraïque. Il écrivoit bien en Latin, et est assez éloquent dans ses Sermons et subtil dans ses Questions de Théologie. Il a ainsi joint des Etudes tout-à-fait differentes et qui semblent presque incompatibles dans un même sujet.“ Biogr. univ. XLI, 1 s.

thesaurus antiquitatum sacro-profanarum. Opus hoc singulari et recondita eruditione est refertum, ut passim testantur eruditi, Mich. a s. Joseph, Leo Allatius[1]), Dupin, Feller, Le Long etc. Cogitavit adjicere quartum myrothecium et quintum de condiendis defunctorum corporibus, sed non prodierunt. *Volumina ss. bibliorum* ex variis translationibus (ex vulgata, translatione ex hebraeo Sanctis Pagnini, romana ex LXX, et chaldaicae paraphrasis) congesta suisque numeris adeo distincta, ut dum versus versui respondet, ss. literarum pius contemplator eorundem mysteria facilius percipere queat, 3 distincta pp. Venetiis 1609; alias versionibus aucta, Antwerpiae 1616 v. 3 in f.; *De cultu et veneratione sanctorum* in ordine ad beatificationem vel canonizationem opus in 8 ll. dispertitum, e quibus primus tantum (de notis ac signis sanctitatis) prodiit Romae 1639 in 4.

[1]) In Apibus urbanis p. 110 s. Cf. etiam crisin, quam instituit Clericus in Bibliothèque choisie XX, 316—324, ubi eruditionem, judicium, diligentiam auctoris laudat, meliorem tamen methodum et stilum desiderat; Journal des Sçavans 1703 p. 531 ss.

IV. Patrologia.

460. Inter eos, qui de patribus meruerunt, prima communi eruditorum suffragio debentur Jacobo Sirmond[1]). Vir siquidem erat totius antiquitatis curiosus indagator, et latine graeceque impense doctus et in omni paene literarum genere excultissimus, qui humaniores literas theologicis admodum decore conjunxit, et infatigabili studio penetralia quaeque bibliothecae vaticanae perlustravit, qui inter seculi XVII. primos viros disertos merito est adnumerandus: quae omnia sunt card. Baronii de Sirmondo elogia[1]). Natus est Sirmond 12. Oct. 1559 in Riom Galliae oppido. Post suum in societatem Jesu ingressum (1579) scholas literaturae humanioris decennio tenuit singulari cum doctrinae laude, atque in iis discipulum habuit s. Franciscum Salesium. Hinc assecutus est latini graecique idiomatis peritiam atque stilum illum classicum, quo praecellentis ingenii sui sensa adeo proprie et limpide expressit, ut quidquid scripserit, magno habeatur in pretio[2]). Romam evocatus a P. Claudio Aquaviva societatis Jesu praeposito generali (1590) ei a secretis 16 annorum spatio fuit in conscribendis literis latinis. Horas ab hoc munere vacuas antiquitatis studio, perlustrandis bibliothecis, evolvendis codicibus inscriptionibusque investigandis impendit, unde magnam eruditionis supellectilem corrasit. Familiari consuetudine fruebatur cum doctissimis cardinalibus Toleto, Bellar-

[1]) Non confundendus cum cognato et sodali Antonio Sirmond († 1643), prout confundit Pascal in suis literis provinc. Antonius, non Jacobus, auctor est l. *La défense de la vertu*, Parisiis 1641 in 8, in quo damnata statuitur doctrina, assignari non posse tempus, quo homo tenetur satisfacere praecepto de amando Deo, atque huic praecepto satisfieri, dummodo quis nil contra hoc praeceptum agat; quam doctrinam ipsa Societas Jesu reprobavit. Eam impugnavit J. P. Camus. *De immortalitate animae*, ib. 1635, contra Pomponatium. Hujus frater Joannes gallici regni historiographus († 1649) praeter alia minoris pretii scripsit *Vie du card. d'Amboise*, Paris 1631 sub nomine D. des Montagnes. Cf. de his tribus Feller VIII, 43.

[1]) Annal. t. 5. in append.; t. 9 ad a. 814; t. 10 ad a. 956; in append. p. 662.

[2]) Dupin XVII, 210: „Ses dissertasions ont passé pour un modèle sur lequel il seroit a souhaiter qu'on se formât."

mino, du Perronio, Ossato et Baronio, quem etiam in concinnandis annalibus juvit. In Galliam redux (1608) studiis literariis incubuit; electus tamen est, qui esset Ludovico XIII. a confessionibus (1637—1643), quo defuncto ab aulae turbis plane liber, senex licet, indefesso fervore libris edendis totum se dedit. Ex disputatione nonnihil acriori morbum contraxit[1]), cui succubuit 7. Oct. 1651 a. aetatis 93. Valetudine utebatur semper vegeta, ut jejunium quadragesimale eodem rigore quo juvenis, etiam senex observarit. Disciplinae regularis et in primis obedientiae fuit cultor eximius, adeo ut his virtutibus veluti idea a superioribus proponeretur junioribus imitandus. Summis vero encomiis celebrantur et ab aequalibus et a posteris stupenda ejus eruditio, stili puritas, pressa disserendi ratio, quae superflua et aliena omittit, necessaria tantum et utilia quantum satis est attingit; judicium criticum et accuratum, ingenii acumen. »Dicam, inquit Arevalus[2]), me Sirmondum tanti facere, quanti paucos alios, cui in judicii exacti maturitate et hac sacra amoeniori doctrina neminem praefero. Vehementer etiam me oblectat placidum et aequabile dicendi genus etiam in contentionibus, ex quo, si aliunde nescirem, animo eum miti et tranquillo fuisse comprehenderem. Sed non propterea sine examine illico recipiendum est, quidquid ab eo profertur, ut ex aliquo veteri ms. videri possit desumptum. Mitto oscitationes quasdam tolerabiles, quas omnino cavere humana natura non potest. Illud non probo, quod saepe Sirmondus aliique in lucem scripta vetera proferebant, quin explicatius traderent, quid in membranis exstaret, quid ab ipsis additum fuisset, sive ut corrigerent, sive ut supplerent, sive ut declararent, ac nonnunquam neque indicarent, quo in loco codd. asservarentur etc.« „Commentarios in varios auctores, inquit Henricus Valesius[1]), ille tanta elegantia tantoque cum judicio conscripsit, ut nihil in eo genere perfectius esse possit; atque ut vel una ab Apelle ducta linea manum praestantissimi artificis olim indicasse dicitur, sic unica J. Sirmondi quantumvis brevis nota ad doctrinam ejus declarandam abunde suffecerit; sed celeberrimi et praestantissimi omnium judicio sunt ii libri, qui in contentioso et pugnaci scribendi genere versantur.« Ad rem advertit Baillet, providentiam divinam videri J. Sirmondi vitam prorogare voluisse (fere) usque ad obitum Salmasii, ut ipse critices honorem et auctoritatem tueretur, quam hic tyrannide sua dehonestarat et odiosam vilemque reddidisset, si nullibi nisi in ejus scriptis exstitisset.

1) De ejus vita cf. Sotvellum; Brietium, *Elogium P. Jac. Sirmondi*, Parisiis 1651 in 4; Coloniès, *Vie du P. Sirmond*, in fine bibliothecae selectae ed. Pariensis 1731 etc.

2) In prolegom. ad Dracontii carmina c. 2 n. 13.

461. »In expurgandis producendisque scriptoribus ecclesiasticis potissimum Sirmondus operam navavit. Et sic cum alii scribendo auctores fiant, hic scribendo factus est auctor auctorum et pater patrum. Pauca scripsit, multa tamen edidit et eam ob rem nomine suo orbem implevit[2])«. Illud autem memoria est dignum, Sirmondum adeo doctum nonnisi annos natum 51 opera sua coepisse publici juris facere. Plura

1) Orat. in obitum Sirmondi.

2) Cf. Epitaphium insigne a Fronteau can. reg. s. Genovefae eipositum, cui concinens Barthius Adversar. l. 29 c. 2 et l. 51 c. 4 scribit: „Tot ille bonis proximos scriptores e tenebris eruit, tot sagaci ingenio, judicio exquisito, certa lectione, industria fideli monumenta tineis erepta meritae laudi posterorum restituit, ut cum nomen ejus hominis praeferentes ego, quos quotannis bis accipimus, catalogos videam librarios, non possim non exsultare gaudio et novam animo meo laetitiam de adhuc incogniti alicujus scriptoris lectione polliceri.“

eorum, quae edidit, prodierunt collecta[1]), praemissa ipsius vita, Parisiis 1696 v. 5 in f., Venetiis 1728 v. 5 in f., cui editioni adjecta est appendix, quae complectitur *tres Gelasii I. epistolas* a Blanchinio e vetustissimo cod. editas et *historiam rhemensis ecclesiae ll. 4* auctore Flodoardo[2]) ex ed. Georgii Colvenerii (Duaci 1611 in 8.). Hujus collectionis t. 1. continentur Eusebii Caesariensis opuscula 14, quae prodierant etiam Parisiis 1643 in 8; Marcellini et Faustini presb. *libellus precum* ad imperatores (primum ed. ib. 1650 in 8.); Rufini presb. provinciae Palaestinae *l. de fide* (primum ed. et notis illustratum ib. 1650 in 8.); *notae in 40 sermones* s. Augustini ab ipso repertos (ib. 1631); *opuscula dogmatica* veterum 5 scriptorum, qui ante 1200 a. claruerunt i. e. Leporii presb. libellus emendationis, Capreoli episc. carthag. epistola ad Vitalem et Tonantium, breviarium fidei adversus arianos, Isaac ex Judaeo Christiani l. fidei, Victorini Afri ll. contra Manichaeos, de principio diei, notitia provinciarum et civitatum Africae (haec simul Parisiis 1630 in 8.); *Praedestinatus* seu Praedestinatorum haeresis et l. s. Augustino temere adscripti refutatio ab auctore ante annos 1200 conscripta, cum censura, in qua ostenditur nullam fuisse unquam Praedestinatorum haeresim (primum ed. ib. 1643 in 8.); s. Valeriani ep. cemeliensis homiliae 20; item *ep. ad. monachos* de virtutibus et ordine doctrinae apostolicae (ib. 1612 in 8.); C. Sollii Apollinaris Sidonii Avernorum episc. *opera omnia* notis illustrata (ib. 1614 in 8.); *appendix codicis theodosiani* novis constitutionibus cumulatior cum epistolis aliquot veterum conciliorum et pontificum romanorum (primum ed. ib. 1631 in 8.); Magni Felicis Ennodii ep. ticinensis *opera* in ordinem digesta, multisque locis aucta, emendata notisque illustrata (ib. 1611 in 8.). — Tomo 2. continenturs. Aviti archiep. viennensis *opera* (primum edita vel instaurata ib. 1643 in 8.); Idatii episcopi *chronicon et fasti consulares* (ib. 1619 in 8.); Marcellini viri cl. comitis illyriciani *chronicon* (ib. 1619 in 8.); Facundi ep. hermianensis pro *defensione trium capitulorum concilii chalcedonensis ll. 12* (primum ed. ib. 1629 in 8.); b. Eugenii ep. toletani *opuscula,* quibus inserti sunt Dracontii *libelli duo* ab Eugenio eodem olim recogniti, cum aliorum veterum scriptorum (Martini ep. Dumiensis, Columbani ab., Severini ep. et Tironis Prosperi) variis (ib. 1619 in 8.); Theodulfi aurelianensis ep. *opera* notis illustrata (ib. 1646 in 8.); Amolonis lugdun. archiep. *ad Gothescalcum epistola,* in qua ejus de praedestinatione et gratia errores aliquot reprehendit (primum ed. ib. 1649 in 8.); s. Augustini sententiae *de praedestinatione et gratia Dei et libero hominis arbitrio* ante annos 800 ex ejus ll. collectae (ib. 1649 in 8.); Servati Lupi presb. *de tribus quaestionibus. l.* (ib. 1650 in 8.); Rabani archiep. moguntini *de praedestinatione Dei* adversus Gothescalcum epistolae tres (primum ed. ib. 1647 in 8.). — Tomo 3. continentur Caroli Calvi et successorum aliquot Franciae regum *capitula* in diversis synodis ac placitis generalibus edita, collecta notisque (doctissimis) illustrata (ib. 1623 in 8.); Anastasii bibliothecarii *collectanea,* quae in gratiam Joannis diaconi, cum ecclesiasticam historiam meditaretur, e grae-

[1]) Haec collectio non est completa, nonnulla enim patrum opera in aliis editionibus et collectionibus prodierunt, vel, quia majoris erant molis, seorsim prodierunt. Exactum operum catalogum reperies apud Niceron t. XVII, 153 ss., qui sequitur ordinem chronologicum, Sommervogel II, 1237—61; Bibliothèque ancienne et moderne XXVIII, 237—299 a. 1717, auctore Clerico.

[2]) Ediderat hanc etiam Sirmondus cum aliis opusculis ad eandem ecclesiam spectantibus Parisiis 1611 in 8; sed praestantior et ad meliores codd. exacta editio est Colvenerii (cf. p.).

cis versa concinnavit (primum ed. 1620 in 8.); Goffridi ab. vindocinensis s. Priscae cardinalis *epistolae, opuscula, sermones* (ib. 1610 in 8., primum opus, quod Sirmondus edidit); Petri ab. cellensis *epistolarum ll. 9;* item Alexandrii III. ad Petrum eundem et alios ep. 56 (ib. 1613 in 8.). — T. 4. reperiuntur opuscula quaedam polemica (2) *de suburbicariis regionibus et ecclesiis* adversus Salmasium et Godefroy, in quibus (1618) solide demonstrat nomine regionum suburbicariarum intelligi regiones, quae subessent urbico magistratui seu Urbis vicario; *de canonis 2. conc. arausicani lectione* (2) adversus Petrum Aurelium, qui hanc prout a Sirmondo edita fuerat impugnavit; in his simul ostendere nititur Sirmondus, unctionem non esse materiam essentialem sacramenti confirmationis; dissertatio, in qua *Dionysii parisiensis et Dionysii Areopagitae discrimen* ostenditur (ib. 1641 in 8.), adversus quam sententiam plures calamum arripuerunt[1]); quaestio triplex de lege *Celebrandis,* de paragrapho *Duorum fratrum,* de cod. Alarici regis; *historia praedestinatiana,* quibus initiis exorta et per quos potissimum profligata predaestinatorum haeresis olim fuerit et oppressa, adversus divinationem Jansenii iprensis de praedestinatorum haeresi ex Augustini ejus t. 1 l. 8 c. 23 (ib. 1648 in 8.); quod opus Mauguinus duobus praegrandibus tomis aggressus est[2]); *historia poenitentiae publicae* ejusdemque disquisitio *de azymo,* semperne in usu altaris fuerit apud latinos (ib. 1651 in 8. et in Migne patrol. graeca 94, 400); *diatribae sirmitanae* 2, prima de anno synodi sirmiensis et fidei formulis in ea editis cum viri docti (Petavii) animadversionibus ad Epiphanium et nupera ejusdem dissertatione composita pro Baronio; altera de Photino haeretico ejusque damnatione in 5 synodis facta ac de duplici sirmiensi contra illum synodo et formulis in posteriore editis; alia quaedam minoris momenti. — Denique in tomo 5. reperiuntur s. Theodori Studitae epistolae aliaque scripta dogmatica graece et latine. Praeter haec edidit Sirmondus: Jac. Cosmae Fabricii *notas stigmaticas* ad magistrum 30 paginarum, qui libello uno ecclesiasticam et politicam potestatem complexus est, Francofurti 1612 in 4., scil. adversus Richerium, cujus libellus perniciosus 30 tantum numerat paginas; hujus refutationis Richerius prae ceteris rationem habuit; s. Fulgentii *de veritate praedestinationis et gratiae* ll. 3, Parisiis 1612 in 8; *Excerpta* ex ejusdem ll. contra Fabianum ib. 1643 in 8; s. Paschasii Radberti opera (maxima ex parte primum edita) ib. 1618 in f.; *concilia antiqua Galliae* (a sec. 4—10) cum epistolis pontificum,

---

[1]) Inter hos Germanus Millet O. S. Ben. e congr. s. Mauri († 1647) in op. *Vindicata ecclesiae gallicanae de suo Areopagita Dionysio gloria*, Parisiis 1638 in 8. cum responsione ad diss. nuper vulgatam de duobus Dionysiis, ib. 1642.

[2]) Varia sunt virorum eruditorum de hac Sirmondi historia judicia. Eos qui eandem historiam suis suffragiis comprobarunt recenset Baunius, operum Sirmondi editor, praef. ad t. 4 § 5. Verum Norisius iniquius, quod in hac quaestione non mirum, judicat hist. pelag. l. 2 c. 4: „Quae de haeresi praedestinatiana edisseruit Sirmondus, ea scripsit effeta aetate octogenario major. In quibus tam longe a veritate deflexit, ut ejusdem historia a Gilberto Mauguino v. c. Galliarum regi a consiliis, et in sacra et profana historia versatissimo († 1674), fabula ignominiae causa fuerit nuncupata. Hic autem scriptor adeo solide ac nervose 3 priora cc. historiae Sirmondianae de praedestinatianis confutat, ut Ludov. Cellotius in historia Gotheschalcana, in qua Mauguinum refellendum suscepit l. 2 c. 2, ubi de praedestinatianis agit, ne verbum quidem pro suo Sirmondo eidem Mauguino reponere potuerit.“ In eandem sententiam abiit et Tillemontius, Mém. eccl. XVI, 19. Ceterum Mauguinus nititur in illo suo opere *Vindiciae praedestinationis et gratiae* evincere, Gotheschalcum haeresim praedestinatianam non docuisse.

principum constitutionibus et aliis ecclesiae gallicanae monumentis (plurima primum edita), ib. 1629 v. 3 in f. Collectio eruditis admodum probata. Notas, quae magni fiunt, recepit Labbe in suam conciliorum collectionem; supplementum adjecit Petrus de la Lande (Sirmondi ex sorore nepos) ib. 1666 in f. Operam quoque suam contulit ad ed. conciliorum romanam 1608—12 v. 4 in f., cui praefationem admodum utilem praemisit. B. Theodoreti ep. Cyri *opera omnia*, quorum plurima graece, quaedam etiam latine nunc primum prodeunt, ib. 1642 v. 4 in f.; Hincmari rhemensis archiep. *opera*, ib. 1645 v. 2 in f.; s. Gregorii Neocaesariensis *in Origenem oratio prophonetica*, graecolatine (in edit. Vossii cf. p. 515); *opuscula varia*, ib. 1675 v. 3 in 8; et quaedam *vitae*, quae habentur in actis Sanctorum. Plurima reliquit inedita.

462. Hunc proxime sequuntur: Lucas Holstenius (Holste) Hamburgensis n. 1596, qui studiis feliciter absolutis se contulit Lugdunum Batavorum, ubi praesertim philosophiae platonicae et medicinae operam dedit, atque doctorum virorum ut Grotii, Gerh. Joannis Vossii, Danielis Heinsii et Joan. Meursii consuetudine fruebatur. Cum celebri geographo Philippo Cluverio pedes Italiam Siciliamque totam peragravit; Oxoniam et Londinum invisit, ubique cognitionis suppellectilem ampliare intentus. Muneris in ludo patrio Johanneo scholastici repulsam passus Lutetias secessit (1624), inque doctorum virorum, inter quos erant uterque Puteanus, Sirmondus etc., amicitiam fuit admissus ibique religionem catholicam est amplexus (1624 vel 1625). De hujus mutationis causa ita scribit ad Fabri de Peiresc: „Cum a Bessarione, Steucho aliisque Platonis doctrinam ss. patrum scriptis confirmari viderem, totum me latinis graecisque operibus legendis dedi, quibus illi contemplativam et mysticam theologiam pertractant, qua in Deum animus excitatur. Atque ita factum est, ut ss. patrum divinam ac solidam philosophandi rationem toto animo admirarer, et mox inscius ferme in catholicae Ecclesiae gremio me constitutum cernerem, quod sibi quoque usu venisse d. Augustinus in Confessionibus (VII, 20) testatur. Meum sane animum divinae illae contemplationes adeo ad veritatis cognitionem erexerunt et confirmarunt, ut nequaquam circa tricas et quaestiunculas, quales de fidei negotio novatores movere solent, postmodum langueret.“ Anno 1627 Romam profectus est, literis cardinalis Franc. Barberini, legati tunc apostolici ad aulam regiam, praecipui ejus patroni, Urbano VIII. commendatus. Hic indefessa opera bibliothecas lustravit, in primis vaticanam. Warsaviam destinatus, ut cardinali Sanctae Crucis pileolum rubrum transferret, omnes bibliothecas in via constitutas sedulo invisit. A cardinali Barberini institutus est ditissimae suae bibliothecae praefectus (1636), mox ab Urbano VIII. canonicatu vaticanae basilicae auctus et ab Innocentio X. custos renunciatus bibliothecae vaticanae; ab Alexandro VII. magni factus, imo et ad mensam saepe adhibitus est et dictus auditor rotae. Etiam in negotiis ecclesiasticis haud parva erat ejus auctoritas. Hinc ipse a pontifice Oenipontem ablegatus est, qui Christinam Sueciae reginam in Ecclesiam reciperet (1655); et in aliorum principum conversione haud ultimas habuit partes. Demum 2. Febr. 1661 ex hac vita migravit[1]) anno aetatis 65.

---

[1]) Plura de ejus vita cf. ap. Wilkens Leben des gelehrten L. H., Hamburgi 1723; Raess, die Convertiten V, 186 ss.; Leon. Allatium Apes urbanae p. 256; Boissonade in biogr. univ. XX, 484 ss. et L. Holstenii ep. ad diversos, quas ex editis et ineditis codd. idem collegit et illustravit, Parisiis 1817 in 8; Dupin XVIII, 1, qui ejus eruditionem, judicium sagax et criticum stilique nitorem commendat; Fabricium 2, 410, et Feller IV, 472, qui

Vir erat singularis doctrinae et admirandae eruditionis in omni genere literaturae, sed pauciora edidit, quam cogitaverat vel ab eo merito exspectari poterant[1]).

463. Ex Holstenii operibus[2]) ad rem nostram sunt: Epistola *de usitata etiam Abassinis communione sub unica specie* ad Bertholdum Nihusium (in Leonis Allatii l. Symmicta, Coloniae 1653 in 8.); *codex regularum,* quas ss. patres monachis et virginibus sanctimonialibus servandas praescripsere, collectus olim a s. Benedicto anianensi abbate (c. f. Nomencl. 1[3], 762 s.) cum appendice, in qua ss. patrum exhortationes ad monachos et virgines de observantia

de eo scribit: „Un jugement solide, un savoir profond, une critique judicieuse, un style pur et net, voilà les qualités des écrits de ce savant, qui réunissait beaucoup de modestie à un mérite reconnu.“

¹) Hinc ad rem Balzac literis ad Bouchard Holstenii familiarem datis (apud Raess l. c.) conqueritur: „Ich zweifle keineswegs an Holstenius' großen (literarischen) Schätzen, ich beschwere mich nur über seinen guten Haushalt. Wozu der Ueberfluß ohne Freigebigkeit? Es wäre besser, er besässe weniger und gäbe mehr. Obschon ich weiß, daß er für die Nachwelt sammelt und seine Nachkommen bereichern wird, so will es mir doch scheinen, als sollte er uns nicht enterben und nicht den besten Theil seines Ruhmes einer Zukunft, die er nicht sehen wird, vorenthalten.“

²) Horum catalogum cf. ap. Niceron XXXI, 236 ss. Ceterum advertit Zaccaria in biblioth. ritualis l. 2 c. 3: „Quam dolendum, neminem hactenus inventum esse, qui praestantissimi hujus bibliothecae vaticanae custodis opera edita atque anecdota collegerit! Id enimvero monumentum esset marmoreo, quod ei Card. Barberinus posuit, perennius.“ Addit vero Baillet, pleraque opera ejus posthuma, quae in lucem prodierunt, imperfecta videri, parum accurata, seu quod morte praeventus ultimam ipsis manum non adhibuerit, seu quod nimis negligentes fuerint, qui editiones ejus accuraverint. Praeter ea, quae indicabimus opera, edidit etiam scripta veterum philosophorum eruditis annotationibus illustrata.

vitae religiosae[1]), Romae 1661 in 4; Parisiis 1663 in 4; Augustae V. 1759 t. 6 optima ed. (m. 500); *collectio romana* bipartita veterum aliquot historiae ecclesiasticae monumentorum cum notis ipsius, Romae 1662 in 8., quae complectitur synodos 9, romanorum pontificum epistolas 52, et quaedam alia; *passio ss. Perpetuae et Felicitatis* et *Bonifacii Romani,* nec non *acta ss. Tarachi, Probi et Andronici* cum notis et ad Baronii martyrologium romanum animadversionibus, ib. 1663 in 8; Parisiis 1664; *Annotationes* in geographiam sacram Caroli a s. Paulo, Italiam antiquam Cluverii et thesaurum geographicum Ortelii, quibus plurima horum errata corrigit; accedit dissertatio duplex *de sacramento confirmationis* (scil. de ministro et ritu) apud graecos, Romae 1666 in 8. (etiam inter Morini opera posthuma, Parisiis 1703 in 4.); Theodori episc. ancyrani *expositio symboli nicaeni adversus Nestorium,* primum edita graece et latine, Romae 1669 in 8; *sententia de editione concilii basileensis* (recepta in Labbei collectionem t. XIII.); *dissertationes tres,* duae de epistola synodica Alexandri episc. alex., tertia de episcopatu Synesii (in Henr. Valesii editione historiae Theodoreti et Evagrii, Parisiis 1673); *dissertationes epistolicae* etc. Contulit etiam operam ad editionem s. Athanasii parisiensem 1627; Eusebii 1628. Ejus epistolae 114 (ex quibus 48 ineditae) prodierunt Parisiis 1817 in 8. Responsio ad q. *Se al romano Pontefice più convenga di abitare a s. Pietro* che in qualsivoglia altro luogo della città, edidit Fr. A. Zaccaria, Romae 1776.

¹) Cf. de hac ed. Mich. a s. Jos. II, 48—58, qui ea accurate describit pluraque erudite annotat. Reliquit Holstenius multa inedita, inter quae collectionem copiosam monumentorum antiquitatis inscriptam *Vitae pontificum* nunc in bibl. Barbarina codd. XXXIII, 18—21, quam accuratius describit Glasschroeder Röm. Qtlschr. IV, 125—133.

464. Multum debemus Joanni Aubert, lugdunensis ecclesiae canonico et in schola parisiensi laudunensis collegii magistro († 1650), qui primus et ad nostra usque tempora solus *opera omnia s. Cyrilli alexandrini* graece et latine Parisiis 1638 v. 7 in f. edidit, quorum quid singulis continetur accurate refert J. A. Fabricius in sua bibliotheca graeca (t. IX). Multa tamen in hac editione merito desiderantur. „Etenim, inquit Card. Angelus Mai[1]), haud minimus hujus editionis naevus est, quod latina graeci textus interpretatio varios habet auctores, qui viginti fere numerantur: quo fit ut Cyrilli elocutio neque consona neque uniformis latinis auribus oculisque accidat: et quidem veri etiam crassique errores interpretum latinas plagulas maculant. Necessariis insuper scholiis sive criticis sive exegeticis caret saepe Cyrillus, et materia ipsa respirationes capitulorum divisionesque idoneas haud raro desiderat: graecus vero contextus foedis quandoque mendis laborat: materiarum indices vel exiles sunt, vel alicubi nulli; quilibet denique editoris apparatus et isagoge et singulorum operum veluti historia et judicium frustra requiritur. Quamquam igitur haud leve est Auberti meritum, modesti ceteroqui hominis et ingenui, propter hanc tomorum tot quam gravi labore suo molem instruxit; attamen optandum erat, ut Maurinus aliquis monachus Cyrillum quoque consuetae suae sodalitatis splendore, doctrina ac studio sibi adornandum susciperet etc.“ Advertit deinde multa opuscula in hac desiderari editione.

465. Nicolaus Rigaltius (Rigault) Parisiensis, prius advocatus, dein regius in Mediomatricum senatu consiliarius regiaeque bibliothecae post Casaubonum custos (n. 1577, † 1654), non solum in edendis auctoribus profanis, sed etiam ecclesiasticis, inter criticos nomen quoddam sibi peperit. Edidit[1]) siquidem *opera Tertulliani* illustrata notis, Parisiis 1634 in f.; secundis curis ib. 1641: de qua edit. scribit Grotius ad Jacobum Puteanum ep. 159. d. 26. Apr. 1634: „Rigaltio pro Tertulliano plurimum debeo; editio est elegans: notae breves sed exacti judicii, et ut innueras interspersa libertate: praefationes nitidae et cultae;“ tamen nec bonum criticum egit nec orthodoxum theologum. Quod primum attinet, ita scribit Nourry[2]): „Quid, amabo te, sperandum de Rigaltio, qui ad emendandum Tertulliani textum nec ipsos, sicut diximus (art. praec.), quos prae manibus habebat, nec alios mss. codd. aut legere aut sequi curavit? Deinde vero non minima quidem in notis suis scribendis fuit illius audacia, quam in praefatione sua excusare coactus est. Sed paucos admodum invenias, quibus omnino accepta sit illius excusatio.“ Quod alterum spectat, „praeposterum novitatis studium in detrimentum catholicae veritatis“ ei exprobrant Lumper et Labbe[3]), et ipse Dodvellus eum

---

1) In praef. ad s. Cyrilli anecdota scripta ab ipso edita t. II. biblioth. patrum novae, Romae 1844.

1) Alia ejusdem opera, quae huc non spectant, cf. ap. Niceron XXI, 56 ss.: Biogr. univ. XXXVIII, 107 ss.

2) Dissert. de Apologetico Tertulliani c. 3 a. 3.

3) Ille histor. theolog. crit. ss. Patrum etc. t. 13 a. 2 in Pontii l. de vita et pass. s. Cypr.; hic vero de script. eccl. — ‚Mendacem scriptorem‘ illum dicit Berti de theologicis discipl. l. 31 c. 13 n. 14. Occasione eorum, quae scribit Tertullianus in exhort. ad castitatem, putavit laicos posse in necessitatis casu offerre et sacrificare, quam sententiam refellit Albaspinaeus l. 2 op. Ancienne police de l'Eglise sur l'administration de l'Eucharistie, et Petavius in Grotio (cf. supra p. 975). Feller VII, 268: „Il avait d'autres sentiments peu favorables à la croyance de l'Eglise romaine, et il remarquait avec plus de soin que de jugement dans les anciens ce qui lui parassait contraire à cette croyance.“ Quare a Muratori in dissert. de rebus li-

parum accuratum in iis dicit, quae asserit, eumque, quamvis romanam communionem colat, Calvinistarum partes ut plurimum tueri; cum vero apud auctores, quos in lucem edebat, aliquid ei videretur nedum suae Ecclesiae sed et aliorum coetuum ritibus adversans, id sollicite ab eo fuisse observatum, forsitan ut eo lectu jucundiores per novitatem fierent ejus observationes[1]). *Minucii Felicis Octavius* et *Caecilius Cyprianus de idolorum vanitate* cum observationibus, Parisiis 1643 in 4; Lugduni Batavorum 1652, »quae editio plurium vituperationem effugere non potuit. Ouzelius illum propterea arguit, quod conjecturis suis nimium indulgeat, easque Minucii verbis intermiscendo illum ea loquentem faciat, quae in mentem ipsi non venerant. Gronovio autem si credas, haec Minucii Felicis disputatio merebatur, ut procederet reverentius et acrius expolita ac meliore in lumine posita, quam in illa Rigaltii editione.« *S. Cypriani opera* cum observationibus, Parisiis 1649 in f. De hac repetas quae diximus de editione Tertulliani, unde in praef. editionis Migne legimus: »Quibuscum (heterodoxis) foede coutitur Rigaltius adeo nominis catholici indignus, ut eum respuerint ac saepe nota transverterint ipsimet editores anglicani aliique sectarii.« Et in annotatione ad ep. 12. ad Cornelium n. 14: »Huic agmini hostium, quorum imperitiam in promptu est confodere, jam nec pigeat praemitti Nic. Rigaltium, sublestae sane, ne dicam perditae omnino fidei hominem, eo interdum procacitatis abreptum, ut fronte licet catholicus ab heterodoxis nonnunquam increpandus sit ac merito vapulet.« *Commodiani instructiones adversus gentium deos* cum notis, Tulli Leucorum 1650 in 4.

466. Praeter Rigaltium duo alii adhuc de Tertulliano[1]) meruerunt, quorum potior est Joannes Ludovicus de la Cerda S. J. Toletanus, qui totum se erudiendae juventuti impendit eloquentiae ac poëticae totis 50 annis assiduus professor, dum aetas et vires siverunt. Sed vel in declivi senio totus in libris fuit vir multae lectionis atque indefessi studii, candoris autem et religiosae simplicitatis laude singularis. Magno in honore apud omnes, etiam principes, fuit ob excellentiam eruditionis, adeo ut em. cardinalis Franciscus Barberinus, cum legatum a latere ageret in Hispania, dignatus fuerit ipsum speciatim officiosissime invisere idque jussu, ut ajebat, Urbani VIII. patrui sui. Decessit optimus pater octogenario major 6. Maj. 1643. Edidit: *Q. Septimi Flor. Tertulliani presb. carth. opera* (exceptis tamen ll. contra Marcionem et aliis contra fidem catholicam) argumentis, explicationibus, notis illustrata, Lutetiae Parisiorum 1624. 1630 v. 2 in f.; 1641. Annotationes sunt eruditione plane singulari refertae, unde Barthius, qui eum passim doctissimum optimumque scriptorem appellat, ingeniosum eruditum, diligentem et candidum, »quod decus contra plurimos ingeniosos acutosque cum paucis habet:« »ejus viri, addit[2]), aut alius pari sane opera atque diligentia. quamvis

---

turg. c. 18 vocatur „Calvinianus aut certe ad Calvinianorum castra non raro deficiens." Notandum tamen, quod cum suae sententiae refutationem apud Albaspinaeum legisset, epistolam scripserit retractationis ad eundem *de sacrificio eucharistiae*, Parisiis 1629 in 8., cujus editio originalis est rarissima, cum impressa fuerint tantum 20 exemplaria.

[1]) Cf. Nourry diss. de Minucii Octavio c. 2 a. 3. 4.

[1]) Laurentius Landtmeter Tornacensis O. Praem., qui magna cum laude sodales theologiam docuit († 3. Jun. 1645) in Tertulliani pallium paraphrasim ex variis virorum eruditorum annotationibus et propriis conjecturis concinnavit, quae prodiit cum ejusdem *Encomio Veritatis*, Antverpiae 1645. Reliquit et opuscula ascetica, inter quae de vetere clerico monacho ll. 3, ib. 1635.

[2]) Ad l. Theb. 1 v. 601.

addita propriis aliena, illustratos vellem omnes latinos patres, etsi mixtis ad rem non pertinentibus justo prolixior.« Et paulo infra[1]): »Summo studio suo et collectione laboriosissima effecit, ut Tertullianum, qua mendosus non est, etiam qui horrebant, imo timebant antea, jam facilem amare etiam et intelligere possint.« De ejus commentario in l. de pallio speciatim advertit[2]): »Quod opus et propriis auctoris diligentissimi et aliorum observationibus sollerter constipatis meretur accenseri utilissimis antiquitati illustrandae commentariis.« Nourry[3]) vero carpit inutiles ac longiores a proposito alienas digressiones, quod textum non castigaverit ad mss. codd., neque omnia ediderit opera etc. Refert Schoenemann[4]) raro in bibliothecis refertissimis 2 istos La Cerdae t. inveniri, rarius secundo primum sociari. — *Adversaria sacra*, opus varium ac veluti fax ad lucem quam multorum locorum utriusque instrumenti patrumque et scriptorum quorumcunque: christianae antiquitatis et ss. rituum pancarpia, politioris denique literaturae thesaurus multiplex. Accessit psalterii Salomonis ex graeco ms. cod. pervetusto latina versio et ad Tertulliani l. de pallio commentarius auctior, Lugduni 1626 in f.; *de excellentia coelestium spirituum*, in primis de angeli custodis ministerio l., Parisiis 1631 in 8.

467. Alter est Georgius Ambianensis O. Cap., vir mire industrius († 1657), teste Genuensi, qui editioni Tertulliani inscripsit titulum: *Tertullianus redivivus* scholiis et annotationibus illustratus, in quo utriusque juris forma ad originem suam recensetur et avitae pietatis amatoribus inquirendi norma praescribitur etc. Parisiis 1646. 1648. 1650 t. 3 in f. Praemittit vindicias tertullianicas, quarum in prima curiosius agit de Tertulliani patria, educatione, studiis aliisque ad vitam ejus naturalem spectantibus; in 2. p. inter alia disquiritur, quibus motivis ad christianam fidem adductus fuerit? an statim a conversione baptismo initiatus fuerit? an et uxorem ad fidem traxerit? an Ecclesiae doctor, an sacerdos, an monachus, an martyr fuerit? 3. p. de Tertulliani doctrina ejusque scriptis tam apologeticis quam polemicis et paraeneticis agit. Ita autem de doctrina ejus se agere profitetur, ut ejus errores in bonam partem interpretari nitatur. Haec tamen ed. non tanti fit[1]), nec desunt qui carpant annotationum ad nauseam usque prolixitatem. *Trina s. Pauli theologia,* positiva, moralis et mystica seu omnigena in s. Pauli ap. epistolas commentaria, ib. 1649. 1650 t. 3 in f. Paratam habebat theologiam ss. patrum in 6 t. in f. distributam, quam morte praeventus praelis submittere haud valuit.

468. Praeter hos, quos modo laudavimus, mentione digni adhuc sunt: Dominicus Mita Ugutionelli parochus, antea legum et fori studio deditus, qui *Petri Chrysologi sermones* ad vetustos codices recognitos et suis scholiis non admodum doctis enucleatos edidit Bononiae 1643 in 4; Venetiis 1740. Adjecit *vitam* Petri Chrysologi ex ipsius homiliis et variis scriptorum monumentis tum impressis tum mss. conquisitam, collectam et ordinatim digestam. — *Opera s. Bernardi* annotationibus illustrata Coloniae 1641 in f.; Parisiis 1642; Lugduni 1679 edidit Jacobus Merlo oriundus ex Horst in ducatu geldriensi (24. Jul. 1597), hinc Horstius dictus. Vir erat pietatis insignis, qui ut suae et aliorum saluti liberius

---

[1]) Ib. ad l. 4 v. 414.
[2]) Ib. ad l. 3 v. 153.
[3]) Dissert. in Tertull. Apolog. c. 3 a. 3.
[4]) In biblioth. hist. lit. PP. lat. Cf. etiam Haverkamp in praef. ad Tertull. Apolog.; Sommervogel II, 984—90.

[1]) Cf. Nourry dissert. ad Tertull. Apologeticum C. 3 a. 2.

et perfectius vacare posset, voto speciali cupiditatem plurium beneficiorum et ambitionem dignitatis sibi praecidit: corpus suum ob indefessos studiorum labores non adeo validum ciliciis, nodosis funiculis, jejuniis et quotidiana fere inedia macerabat, ut thesaurum castitatis cautius custodiret, ideo etiam multis annis familiam domi non aluit, paratos e domo vicina cibos accipere solitus, ac licet supremis annis sororem domi recepisset, nunquam tamen vel ipsam vel aliam intra limen cubiculi sui pedem inferre passus est, praescripta hac epigraphe: „Mulieris pedes foras sunto.“ Summo ardebat desiderio cultum augustissimi sacramenti in se et in aliis promovendi: inter summos, quibus subinde premebatur dolores, suspirabat identidem: „Adde Domine dolores, auge patientiam.“ Cecidit caritatis victima, nam cum aegroto cuidam insanabili morbo laboranti et mephitim intolerabilem exhalanti diebus ac noctibus astitisset, tabem letiferam contraxit, qua consumptus ad meritorum praemia transiit 21. Apr. 1644 a. aetatis 47. Reliquit et plures libellos asceticos pietatem spirantes, inter quos laude dignus: *Septem tubae orbis christiani* ad reformationem ecclesiasticae disciplinae toto orbe et praesertim in Germania ad praesentium et graviorum malorum remedium necessario instituendam excitantes. Appendicis loco accedunt quaestiones variae hoc tempore plurimum utiles et necessariae, Coloniae 1635 in 4., quae editio complectitur septem opuscula ss. Bernardi, Gregorii M., Chrysostomi[1]), Prosperi, Petri Damiani, Petri Blesensis, Salviani novis sectionibus, prooemiis et annotationibus illustrata. *Paradisus animae christianae*, Coloniae 1630, iterum prodiit Dulmaniae 1898. — Eusebii Pamphili Caesariensis *praeparationem evangelicam* ex mss. codd. recensuit, latine vertit, notis illustravit Franciscus Vigerus S. J. Rothomagensis, insignis rhetor († 15. Dec. 1647). Adjecti sunt *de demonstratione evangelica ll. 10* graece et latine (interprete Donato veronensi), *ll. 2 contra Marcellum* nondum hactenus editi; *de ecclesiastica theologia ll. 3* et *contra Hieroclem* graece et latine, interprete et illustratore Rich. Montacutio, Parisiis 1628 v. 2 in f. Versio Vigeri est excellens, judice Simonio[1]), exactissima, et juxta Labbeum tersissima et castigatissima; editio vero ipsa est rara magnique fit[2]).

469. Constantinus Cajetanus (Gaetani) O. S. Ben. e nobili familia syracusana ortus (1560) ad perscrutanda antiquitatis monumenta ea animi contentione adhaesit, ut pervolutis fere omnibus Italiae archivis ab ecclesiastica recondita insignique eruditione magnum sibi nomen comparaverit. Hinc Clemens VIII. illum Romam accersivit, ubi indefesso labore antiquitatum studia secutus totum vitae cursum in pulverulentis archivorum angulis impendit, et e tinearum injuriis memorabilia ecclesiasticae historiae monumenta laudabiliter liberavit. Quare etiam Baronius in suis componendis annalibus ejus opera est usus, illius saepe cum laude meminit[3]) curavitque, ut a Paulo V. bibliothecae vaticanae custos praeficeretur, quo in munere ob singularem meritorum praestantiam ipsum confir-

---

[1]) S. P. Jo. Chrysostomi *homilias* XXXIII, graece et latine edidit Balthasar Etzelius S. J. Bremensis, linguarum orientalium admodum peritus († 2. Maji 1648), Moguntiae 1603: vertit etiam ex syriaco ep. 2. s. Petri, Judae, 2. et 3. s. Joannis necnon ejusdem apocalypsim, qua versione usus est Serrarius in suis commentariis. Cf. F. Falk Zeitschr. f. k. Theol. XXIII (1899), 367 s.; Sommervogel III, 481.

[1]) Bibl. choisie I, 35. 46. Cf. Fabricium biblioth. fabric. 1. 83; Saxium in Onomast. ad a. 1628.

[2]) Cf. De Bure, Bibliographie instructive, Theologie n. 297.

[3]) Cf. Annal. ad a. 1065 n. 16; a. 1072 n. 34; a. 1119 n. 3.

marunt Gregorius XV., Urbanus VIII. et Innocentius X. A Paulo V. abbas titularis s. Barontii fuit electus, et a Gregorio XV. receptus inter consultores congregationis de propaganda fide noviter institutae. Celebrem anicianam bibliothecam excitavit, in qua ingenti pecuniarum sumptu rariores antiquitatis ac eruditionis thesauros collegit. Literis studiisque semper pietatis ac regularium virtutum ornamenta sociavit, ideoque inculpatos tanti viri mores ac vitae integritatem non sine veneratione intuebantur omnes[1]). Magno literatorum dolore vivere desiit Romae 17. Sept. 1650 aetatis suae a. 90. Ab aequalibus ejus celebratur eruditio, defuit ei tamen judicium criticum, hinc prae nimio amore proprii ordinis sanctos aliorum ordinum ipsi asseruit, ut s. Thomam, Franciscum Assis., Ignatium Lojolam aliosque veteres[2]). Potiores ejus ingenii et laboris fructus sunt: *S. Petri Damiani opera* t. 4, Romae 1606–1640; Parisiis 1642; 1663; *de singulari primatu s. Petri solius* commentarius; item *de romano ejusdem s. Petri domicilio et pontificatu* concertatio in bibl. maxima pontificia Roccaberti t. VII, 29—132; *Vita Gelasii II.* a Pandulpho Pisano ejus familiari conscripta amplissimis commentariis illustrata, Romae 1638 in 4., a Muratori etiam collectioni suae scriptorum rerum italic. inserta III, 367 ss.; *Amalarii Fortunati archiep. trevirensis vita,* Romae 1612 in 4; *SS. Isidori Hispalensis, Ildephonsi Toletani et Gregorii card. ostiensis vitae* scholiis illustratae; accesserunt *opuscula quaedam s. Isidori* nondum edita, ib. 1616 in 4; *animadversiones in vitam s. Anselmi* etc. — Josephus Isaeus Caesenas *Lactantii opera* carminibus omissis summa diligentia recognita et non modo ex antiquissimis mss. codd. ac potioribus impressis, sed etiam ex doctissimis scriptoribus emendata et notis illustrata edidit Caesenae 1646 in f.; Romae 1650 (eadem plane editio titulo tantum nonnihil mutato ac mutata dedicatione). Plus ad restituendum illustrandumque Lactantium, quam priores et nonnulli sequentes contulit[1]).

[1]) Plura de ejus vita et operibus cf. ap. Ziegelbauer p. 3 c. 4 § 8 et passim p. 4; catalogum operum cf. etiam apud Cinelli Calvoli, Bibl. volante t. 2 p. 4.

[2]) Cf. Dupin XVII, 133; Feller IV, 71.

470. Claudius Dausque Audomarius, prius S. J., dein post egressum (1610) canonicus tornacensis († 1644), *b. Basilii seleuciensis orationes 44* primum latine fecit et notis illustravit[2]), Heidelbergae 1604 in 8. (latine tantum, excepta ultima); SS. PP. Gregorii Neocaesariensis ep. cognomento Thaumaturgi, Macarii Aegyptii et Basilii Seleuciae Isauriae ep. *opera,* quae reperiri potuerunt omnia, Parisiis 1622 in f.; in bibl. PP. col.; Migne PG. 85, 19—452. Decertavit quoque ll. 3 *de Pauli sanctitudine* in utero, extra in solo et in coelo, Parisiis 1627 in 8. — Franciscus Scorso S. J. Panormitanus n. 1593, vir vitae innocentissimae, insignis rhetoricae et s. Scripturae professor († 19. Dec. 1656) sapientissimi et eloquentissimi Theophanis Ceramei archiep. tauromentani (cf. Nomencl. II^3, 84) *homilias in Evangelia dominicalia et festa* totius anni graece et latine primum edidit ex multorum mss. fide, cum vaticano exemplari contulit et notis illustravit, Lutetiae Parisiorum 1644 in f.; *Latium christianum* sive loquendi formae ad explicanda christiana sacra latinis scriptoribus exquisitae, opusculum latine scribendi studiosis perutile, Panormi

[1]) Priorem editionem (raram) accurate describit Buenemannus in praef. ad Lactantium edit. n. 43. 44, multaque Lactantium Isaeo debere affirmat doletque, sequentes editores minus attendisse Isaei textum.

[2]) Alia ejus opera huc non spectantia vel minoris momenti cf. ap. Backer I, 1529; Bibl. nat. de Belg. IV, 698—702.

1648; 1655. — Georgius Galopinus O. S. Ben. Belga († 1657) *commentarios in Pentateuchum* sub nomine s. Brunonis Herbipolensis in Francia orientali episcopi primum edidit[1]) notisque illustravit, Duaci 1648 in 4; V. Petri Cantoris *Verbum abbreviatum* cum notis, Montibus Hannoniae 1639 in 4. — Georgius Colvenerius (Colveneere) Gempensis, Brabantinus (n. 21. Maji 1564), subinde Alostanus dictus, relictis armis philosophiae studio se addixit, quo absoluto ejusdem mox cathedram Duaci promeruit. Post Estii mortem praepositus ad s. Petri et cancellarius academiae duacenae factus est, quod munus gessit a. 36. Acer erat Jansenistarum adversarius († 29. Maji 1649). Edidit eruditisque annotationibus illustravit *opera Rabani Mauri*, Coloniae 1626 t. 6 in 3 v. in f.; *Baldarici chronicon cameracense et atrebatense,* antea ineditum, Duaci 1615 in 8. cum annotationibus valde eruditis; 1834 cur. Leglay; in MG. SS. VII, 393 cur. L. C. Bethmann, et apud Migne P. L. CXLIX, 9 ss. *Flodoardi historiam remensis ecclesiae* cum annotationibus (quas reperies etiam in Migne patrol. 135, 329—99), vita Flodoardi et catalogo omnium archiepiscoporum, ib. 1617 in 8; in bibl. max. PP. XVII; *Thomae Cantipratani l. de bono universali* sive de apibus mysticis cum scholiis et vita auctoris, ib. 1597; 1605; 1627 in 8. trium ed. optima; Jo. Nideri *Formicarium,* ib. 1602; *Kalendarium ss. V. Mariae* novissimum ex variis Syrorum, Aethiopum, Graecorum, Latinorum menologiis, breviariis, martyrologiis et historiis concinnatum, ib. 1638 t. 2 in 8. In lucem quoque produxit *synopsin rerum ecclesiasticarum,* auctore Eduardo Risthono Anglo a se auctam et recognitam ib. 1595. Cum Randour et van Couverden auctor fuit l. *Veritas et aequitas* censurae pontificiae Pii V, Gregorii XIII. et Urbani VIII. super articulis LXXVI (Baji) damnatis propugnata etc., Duaci 1649. — Maurus Marchesius O. S. Ben. Panormitanus (1650) publici juris fecit *s. Brunonis Astensis* ex abbate casinensi episcopi signini *opera omnia,* Venetiis 1651 t. 2 in f.; Romae 1655; Lugduni 1678 (in bibl. maxima patrum t. 2.) — Carolus Paulin (Poulain) S. J. Aurelianensis († 12. Apr. 1653) edidit *s. Optati Milevitani opera* cum observationibus Fr. Balduini et notis Gabr. Albaspinaei, Parisiis 1631 in f. — Claudius Menard Andegavensis (1580 —1652), antiquitatis sedulus indagator, historiae patriae pater dictus[1]), non tamen sat criticus, priores *duos libros operis imperfecti s. Augustini adversus Julianum* e tenebris eruit, Parisiis 1617. — Omnes *sex ll. hujus operis* cum quibusdam aliis Augustini libellis[2]) et sermonibus primus in lucem protulit Parisiis 1654 v. 2 in f. Hieronymus Vignier congr. orat. Blesensis († 14. Nov. 1661 a. aetatis 55) versatus admodum in linguis orientalibus, historia et numismatum cognitione, qui relicto errore calviniano veritatem complexus est catholicam[3]). Merito tamen notatur ab Havet Bibl. de l'école des chartes XLVI (1885) 205

[1]) Alia opera cf. in Biogr. nat. de Belg. VII, 468, et praesertim in notitia accurata auctore Th. Leuridan in Revue des Sciences eccl. 1898 II, 308—325; 481—504.

[1]) Cf. Biogr. univ. XXVIII, 265.

[2]) Inter quos et *Speculum* s. Augustini op. omnium supplementum (non tamen genuinum) in ed. cit. I, 515—46; quod longe accuratius recudit Weihrich inscriptum S. Aur. Augustini hip. ep. l. qui appellatur *Speculum* et l. de div. Scripturis sive speculum quod fertur s. Augustini in Corp. script. eccl. t. XII. Viennae 1887.

[3]) Cf. Raess III, 374 ss., ubi agit de ejus avunculo Nicolao et patre Nicolao, qui pariter relictis Calvini castris Ecclesiae se dederunt; Niceron II, 356 ss.: Feller VIII, 353; Dupin XVIII, 110, qui ejus humanitatem laudat, qua studiorum suorum fructum communicaverit aliis, Morino praesertim.

—271 eum plura confinxisse documenta ac si essent sec. V, eaque dedisse d'Achery, qui ea bona fide recepit in suum Spicilegium t. V et VI. — Selectas s. Augustini *epistolas* edidit Roland Ogier S. J. Gallus († 2. Jul. 1641). — Joannes Baptista Souchet Sorbonae doctor, theologus et canonicus ecclesiae carnotensis, *opera Ivonis carnotensis* annotationibus ditavit[1]). Edidit quoque *vitam* b. Bernardi tironiensis († 1114) auctore Galfredo Grosso notis illustratam (cf. II, 60), Parisiis 1649 († 1654). *Histoire du diocèse et de la ville de Chartres,* quae demum prodiit, Chartres 1866 —69 t. 3 in 8. Nimio amore patrio abreptus patriae originem repetit a Gomer Japheti filio, et conversionem ad Christum repetit a s. Sabiniano et s. Potentiano s. Petri ap. discipulis in Galliam missis c. a. 68.

471. Joannes Baptista Masculus S. J. Neapolitanus, bonus poëta lyricus († 20. Jul. 1656 a. aetatis 74), collegit *eruditarum lectionum veterum libros acroamaticos* sive medullam patrum, ubi collectum habetur, quod in eorum operibus intime reconditur vel acuminis vel eximiae venustatis cum ponderatione et usu sententiarum ad conciones t. 4 in f., Venetiis 1649 (t. 1); Neapoli 1652—60. Continetur scil. hisce tomis medulla opp. ss. Hieronymi, Augustini, Ambrosii, Gregorii Naz. *Gladius ac pugio impietatis* sive persecutiones Ecclesiae cruentae ab idololatris et haereticis . . . excitatae et in sacris fere fastis commemoratae, Neapoli 1651 in 4. — Quaedam patrum scripta debemus Guilelmo Camerario prius e S. J., dein congr. Orat., qui etiam theoriam Guil. Gibieuf (cf. p. 952) defendit in l. *Antiquitatis de novitate victoria* contra Pseudo-Eugenium Philadelphium, Parisiis 1634. In dissertatione edita 1648 tuetur, posse confessarium absolvere moribundum sensibus destitutum, qui nulla ediderit doloris signa[1]). — Simeon Wangnereck S. J. Monachiensis (1605—1657) *pietatem marianam Graecorum* descripsit e divinis eorum officiis pleramque partem jam ante mille annos quotidie usurpari consuetam, nunc primum ex antiquissimis codd. ac latine nunquam excusis, quos primum collegit s. Sabas, reparavit autem et auxit post s. Sophronium patriarcham hierosol. s. Joan. Damascenus, in latinum sermonem traductam atque ob tenerorum erga Deiparam affectuum copiam in plures centurias distributam; harum quinque prodierunt Monachii 1647 in 12. — *Favum patrum* ex variis eorundem operibus composuit Alexander Fichet S. J. Sabaudus (1588—1659) Lugduni 1617 in 16. aliaque opuscula polemica. Ceterum notior est propter aliud opus, cui titulus: *Arcana studiorum omnium methodus et bibliotheca scientiarum*[2]), librorumque earum ordine tributorum universalis, Lugduni 1644 in 8; 1649; 1668. Novam (sed mendosam) editionem curavit Jo. Alb. Fabricius hoc

[1]) De controversia cum Jo. Fronteau ob ed. operum Ivonis, quae sub hujus nomine prodiit, cf. Feret IV, 179—184.

[1]) Cf. Dupin XVII, 194.

[2]) De hoc opere ita scribit Backer I, 1885: L'ouvrage de Fichet est écrit avec élégance et se fait lire avec plaisir; parmi beaucoup de lieux communs on y trouve d'excellents procédés pour faciliter l'étude, pour faire des extraits etc.; mais on y voit percer par intervalle un esprit de charlatanisme qui fait soupçonner que l'auteur avait moins en vue de donner la théorie de l'instruction que celle du succès. La deuxième partie beaucoup plus étendue et consacrée à la bibliographie suppose une érudition immense; on y fait passer en revue un nombre prodigieux d'auteurs que l'on peut consulter et citer au besoin. Quoique chacun n'y soit cité que par un mot ou deux, et sans désignation d'éditions, cette bibliographie conserve quelque importance, parce qu'on y trouve cités des ouvrages peu connus et des mss. qui se trouvaient alors dans quelques collèges de Jésuites. Omnes quidem percurrit disciplinas, sed theologiam prae primis respicit. Cf. Feller III, 584.

titulo: Petri Lambecii Hamburgensis *prodromus historiae literariae* et tabula duplex chronographica universalis: accedunt in hac editione praeter auctoris iter cellense, Alex. Ficheti S. J. *arcana studiorum methodus* atque idea locorum communium, nunc primum in lucem editus Guil. Langii catalogus librorum mss. bibliothecae mediceae, Lipsiae et Francofurti 1710 in f.

472. Tandem memorandus hic etiam est Petrus Halloix S. J. Leodiensis, vir eruditione et pietate eminens. Sub mediam noctem ad orandum et se flagellis caedendum surgebat semper usque ad septuagesimum aetatis annum, quando ipsum vires attritae mitiores corporis afflictationes suscipere compulerunt. Humi fere tantum, nec nisi 4 aut 5 horas somno dabat: nec studere incipiebat, nisi prius hymnum »Veni Creator Spiritus« pronunciasset († 30. Jul. 1656). Ex ejus operibus huc spectant: *Vita et documenta s. Justini philosophi et M* . . . . accesserunt e Menaeo graecorum elogia cum vitae epitome: censura de s. Justini libris eorumque ordine et inscriptione: notae ad ejusdem vitam, Duaci 1622 in 8; *illustrium Ecclesiae orientalis scriptorum,* qui sanctitate juxta et eruditione primo Christi seculo floruerunt et apostolis convixerunt *vitae et documenta* . . . adjuncta sunt e Graecorum Menaeo de iisdem ss. viris elogia graecolatina; item notationes et quaestiones quaedam ad vitarum confirmationem et illustrationem pertinentes, ib. 1633. 1636 v. 2 in f. (m. 80), quo in opere erudito desideratur judicium criticum. Cogitaverat addere t. III., sed morte praeventus est. Inter vitas praecipuum occupat locum illa Dionysii Areopagitae, de quo verbis multis pauca dicit, cum fere nihil de eo constet[1]). Cogitaverat et alia volumina, sed prodiit tantum adhuc *Origenes defensus* sive Origenis . . . amatoris Jesu vita, virtutes, documenta: item veritatis super ejus vita, doctrina, statu exacta disquisitio, Leodii 1648 in f. (quondam in indice »donec corrigatur« decr. 12. Maj. 1655), quam impugnavit Norisius in diss. de syn. V; Garnerius operis synopsim exhibet in dissert. de synodo V. c. 5 § 1, et quae contra illud objecta fuere § 2; atque auctorem ipsum laudat ab eloquentia, scribendi methodo, curiosa patrum lectione, utriusque linguae eruditae peritia et elegantia sermonis. *Commentarius in evangelia quadragesimae* complectens expositionem literalem et moralem, Parisiis 1658 v. 3 in f., quem ut dubium allegat Backer, non est ipsius[2]).

---

[1]) Carolus Hersent (Hersen) Parisiensis, edidit: *In D. Dionysii Areopagitae de mystica theologia l. apparatus, interpretatio, notae, commentarii, periphrasis,* Parisiis 1626 in 8. Erat is quondam Oratorii sodalis, dein acer adversarius: Jansenii erroribus addictus, a s. inquisitione excommunicatus († 1660). Scripsit praeterea: *La pastorale sainte* ou paraphrase du cantique des cantiques selon la lettre et selon le sens allégorique et mystique, ib. 1635 in 8. Maxime vero innotuit famoso et rarissimo libello: *Optatus gallus de cavendo schismate,* in quo cardinalem Richelieu accusat de ambitu patriarchatus in universam Galliam. Nil mirum quod hic libellus undique in Gallia damnatus atque igni traditus fuerit. Contra eum scripsit praeter alios Michael Rabardeau S. J. Aurelianensis († 1648) *Optatus Gallus* de cavendo schismate, benigna manu sectus tarde, sed aliquando, Parisiis 1641, quod opusculum meruit decreto inquisitionis 18. Mart. 1643 propter audaces assertiones, temerarias, scandalosas damnari etc. Cf. Backer III, 1.

[2]) Cf. Sommervogel IV, 52—55.

V. Historia ecclesiastica.

473. De *chronologia* disputarunt Andreas Kovač gente Carniolus, ortus in oppido Zirknitz († 12. Febr. 1654), in *vindiciis astronomicis pro Dionysio cognomento Exiguo* abbate romano contra eximios chronographos praeterpropter summos imos aeram vulgarem dionysianam usurpantes seu in diss. de nato, mortuo redivivoque Jesu homine Deo, de incarnationis passionisque anno, mense, die, Viennae 1643 in 8. — et hujus popularis [1]) et collega in cathedra, Andreas Zergoll S. J., in *theorematis chronologicis de anno ortus et mortis D. N. J. Christi,* Viennae 1625. Statuit in his theorematis, Christum esse natum a. 40. Juliano, D. Laelio et C. Antistio coss., mortuum autem a. 74. Juliano, 29. Dionysiano, C. Rubellio et C. Fusio Geminis coss., ita ut passio et mors Christi inciderit in diem 23. Martii, quo etiam fuerat conceptus, post a. vitae 33 completos additis 3 mensibus. Docuit Zergoll philosophiam, s. Scripturam, mathesim et theologiam moralem partim Graecii, partim Viennae († 23. Jan. 1645). — Huc refer et Paulum Guldin S. J. Helvetum, Zwinglianum quondam. Cum in mathesi excelleret, huic tradendae fuit adhibitus († 3. Nov. 1643). Edidit *Refutationem Elenchi Calendarii Gregoriani* a Setho Calvisio conscripti et opera Davidis Origani editi ll. IV. Accessit l. V. de ratione et praxi Calendarii ecclesiastici Christianorum et computi Hebraeorum, Moguntiae 1616; ad refutationem calvisiani elenchi calendarii Gregoriani paralipomena sive *annotationes* ib. 1616.

474. *Annales sacros ab o. c. ad mundi Salvatoris a. 34*, Parisiis 1634 in f. texuit Joannes Vincent Fuliensis, dictus a s. Martiali, Gallus, Lemovix († 1648), cujus etiam sunt: *Explicatio familiaris in epistolam s. Pauli ad Philemonem,* ib. 1647; et *commentaria in epistolam ad Hebraeos,* ib. 1644 in f. — Hieronymus de Bochiis sive Brontrius O. Cap. Florentinus compendium historicum scripsit, cujus epigraphe est: *Monopanthon* sive harmonia novissima continens concinnationes theologicas tam sacrarum historiarum, quam non sacrarum ab o. c. usque ad nativitatem Domini, Venetiis 1656 in f. — Praetermissis Germano le Clerc Antisiodorensi, qui scripsit *Historiam sacram* usque ad sua tempora, ib. 1641 in 8; et forte etiam *Declaration* pour la defence de l'Immaculée Conception, Rotomagi 1652, l. rarus — Hermanno Fley (qui dictus etiam est Stangefol) in academia coloniensi philosophiae professore et a 28. Jun. 1639 —29. Martii 1641 rectore magnifico († 25. Sept. 1655), auctore operis [1]): *Eigentliche Beschreibung der uralten christlichen catholischen Religion* .... und aller Geschichten, so sich in den ersten 500 Jahren haben zugetragen, Coloniae 1640 in 4. — de *Ecclesiae universalis historia* meruit in primis Henricus Sponde (Spondanus). Ortus is est 6. Jan. 1568 Malleosolii (Mauléon) in Vasconia ex parentibus quidem nobilibus, secta tamen Calvinianis. Jam a primis annis ingenium ad omnes scientias aptum prae se ferebat, ac literarum humaniorum curriculum Orthesii in calviniano gymnasio feliciter

---

[1]) Italis illum accenset Sotvellus, sed natum dicit in oppido S. Crucis in regione, quae ad Carnos spectet.

[1]) Alia ejusdem opera cf. in bibl. colon. p. 135, inter quae etiam: *Opus chronologicum et historicum circuli westphalici* in 4 ll. congestum a Christo nato usque ad sua tempora, Coloniae 1654 in 4.

emensus, Scotiam petiit legati regii comes. Post suum in Galliam reditum totum se studio utriusque juris dedit: Turonii causidicum egit (1589) atque ab Henrico IV. libellorum supplicum magister est renunciatus. Interim tamen Bellarmini opera lectitabat, qua lectione, multo vero magis familiari cum magno Perronio colloquio, sectae suae errores agnovit atque demum 1595 fratris sui Joannis exemplum secutus ad Ecclesiae catholicae ovile reversus est[1]). Anno 1600 cum Surdisio cardinale Romam est profectus ibidemque sexto post anno sacerdotio initiatus (1606), atque a Paulo V. expediendis sacrae poenitentiariae literis admotus. Eruditione sua atque vita exemplari gratiam Baronii promeruit, qui illi etiam annalium suorum epitomen conscribendi facultatem fecit. Interim merita Spondani insignia Ludovicum XIII. permoverunt, ut ipsum ad episcopatum apamiensem nominaret (1626), verum sola Urbani VIII. auctoritas virum humilem adigere potuit, ut tantum in se susciperet onus. „Considero gradum, inquiebat ipse, et casum vereor; considero fastigium dignitatis, et intueor faciem abyssi jacentis deorsum: attendo celsitudinem honoris, et e vicino reformido pro eo, quod scriptum est: *Homo cum in honore esset, non intellexit* (Ps. 48, 13), ac si diceret: Honor absorbuit intellectum.“ In episcopum consecratus fuit Romae 17. Sept. 1626 praesentibus 24 cardinalibus. Tum suam adiens dioecesim eam a Calvinianorum faece expurgavit, multos eorum ad veram reduxit fidem erectisque seminariis atque instituta congregatione ecclesiastica pristinam Ecclesiae disciplinam revocavit. Demum dignissimus hic praesul, postquam per plurimos annos pastor bonus et vigilans gregi suae praefuit, resignata 1639 sua sede ad laborum mercedem transiit Tolosae 15. Maj. 1643 a. aetatis 75. Opera ejusdem sunt[1]): *Les cimetières sacrez,* Burdigalae 1596 in 12. et saepius; Parisiis 1600 (ed. jam sexta); latine versum et auctum: *Coemeteria sacra,* ib. 1638 in 4. etc., liber omnigena eruditione refertus et probatissimus, in quo ostendere nititur, coemeteria penes omnes populos habita fuisse sacra, merito proinde catholicos nolle illa cum protestantibus habere communia. *Annales ecclesiastici Caesaris Baronii in Epitomen redacti,* ib. 1612 in f.; Moguntiae 1618; 1647 v. 2 in f. (ed. bona); Lugduni 1660 (ed. omnium infima) etc., etiam in linguam gallicam a Petro Coppino († 1667) versi. Haec epitome laudatur; licet enim non undequaque sit perfecta, facta tamen potiora nitide et ex ordine proponuntur[2]). *Annales sacri a mundi creatione ad ejusdem redemptionem,* Parisiis 1637 in f.; 1639; 1660; Coloniae 1640 in f., qui annales epitome sunt annalium Tornielli; *Annalium Baronii continuatio* ab a. 1197, quo is desinit, ad a. 1640, simul cum duobus praecedentibus operibus, Parisiis 1639 v. 6 in f. ed. optima; Ticini 1675—82 t. 3 in f.; et saepius alibi cum Spondani vita conscripta ab ejus familiari Petro Frizon[3]), qui et Annales Baronii continuavit ad a. 1646.

[1]) De suo ad Ecclesiam reditu cf. ipsum in fine op. *De coemeteriis sacris;* Raess, die Convertiten III, 285 ss. Frater ipsius Joannes sui reditus rationem reddidit in op. valde raro: *Déclaration des principaux motifs* qui induisent le S. de Sponde ... à s'unir à l'Eglise catholique. Ensemble la responce d'un Catholique Romain sur le mesme subject, Melum 1594; Lugduni 1595 ed. jam 5 (m. 36). Obiit magno Catholicorum luctu ob insignia sua talenta jam 18. Mart. 1595. Cf. Raess III, 208—263.

[1]) Cf. Niceron XI, 16 ss.

[2]) Andres VII, 731; Feller VIII, 80.

[3]) Hic patria erat rhemensis, quondam S. J., theologiae doctor sorbonicus in magna Galliae eleemosyna vicarius generalis († 1651), cujus exstat etiam *Gallia purpurata,* seu historia cardinalium gallorum 1638 in f., emendata et aucta 1648, quae prius magni facta detrimenti aliquid pas-

475. Ad *romanorum pontificum historiam* nonnulla contulit Carolus Hannibal Fabrotus, celeber sui aevi juris peritus, Aquis Sextiis n. 1580, in patria academia juris professor († 16. Jan. 1659), editione op. Anastasii bibliothecarii *historiae de vitis rom. pontificum* a Petro ad Nicolaum I., Parisiis 1649 in f. Praeter plurima opera[1]), quae ad jus spectant civile, edidit quoque *opera omnia* doctissimi Cujacii (p. 333) Parisiis 1658 v. 10 in f. adjectis annotationibus doctissimis et utilibus. Et quaedam ad jus canonicum spectantia scripsit, ut praelectionem in lit. decret. Gregorii IX. *de vita et honestate clericorum*, Parisiis 1651 in 4., iterum in Struvii *bibliotheca librorum rariorum,* theca II. p. 206—238; et in Ger. Meermanni *thesauro* nov. jur. civ. et eccl. IV, 499—508. — Ad vitas romanorum pontificum Ciaconii (n. 172) *vitas Leonis XI., Clementis VIII., Pauli V., Gregorii XV. et Urbani VIII.* adjecit Andreas Victorelli[1]), presbyter bassanensis († 1653). Annotationibus quoque locupletavit Francisci Toleti *institutionem sacerdotum,* Romae 1636 in 4; Possevinum *de officio curati,* Lugduni 1614 in 16; *manuale* Navarri, Venetiis 1614 in 4; *de angelorum custodia* scripsit ll. 2, Patavii 1607 in 4; et *de extrema unctione,* ib. 1609 in 8; *de origine et clausura monialium* etc. — Michael Gorgeu O. Minim. collegit *Remarques sur les souverains Pontifes romains,* qui ont tenu le sainte siège depuis Celestin II. jusqu'a maintenant, Abbatis villae 1659 in 4. pp. 2 in 1 v., opus sat rarum. — Richard Wilfrid Selby, in ordine Richardus a s. Michaele dictus, O. S. Ben. Durhamensis sub nomine Joannis Rubei edidit l. inscriptum *Bonifatius VIII.*, Romae 1651. Erat Richardus congregationis anglae procurator, dein praeses († 1657). Clementis IV. gesta attigit Claudius Clement S. J. Sequanus († 23. Dec. 1642) in l.: *Clemens IV. eruditione, vitae sanctimonia, rerum gestarum gloria et pontificatu Maximus* etc., Lugduni 1624 in 12. Composuit etiam *Tablas chronologicas* en que se contienen los sucesos de España, Africa, Indias Orientales y Occidentales hasta el anno 1642, Matriti 1643; Valentiae 1689 in 4. Scripsit et *diss. christiano-politicam* ad Philippum IV., Matriti 1636 adversus Machiavelli. — Petrus Monod S. J. natione Allobrox, patria Camberiensis (n. 1586, † 31. Mart. 1644) edidit l. inscriptum: *Amedeus Pacificus* seu de Eugenii IV. et Amedei Sabaudiae ducis in sua obedientia Felicis V. nuncupati controversiis commentarius, Taurini 1624 in 4., in quo continetur accurata concilii basileensis historia.

476. *Conciliorum acta* collegit Severinus Binius Randeradii, quod Juliae est oppidum, natus a. 1573, academiae coloniensis rector magnificus

---

sa est propter Baluzii *Antifrizonium,* Turigii 1652 in 8., in quo hic quamvis juvenis nonnisi 18 annorum plura Frizonii errata detegit; *versio* gallica s. Scripturae cum summariis capitulorum in N. T. ex annalibus Baronii excerptis, cui adjecit *media secernendis catholicis bibliorum versionibus ab genevensibus idonea*, Parisiis 1621 in f., quae tamen versio judice R. Simon hist. crit. du N. T. c. 31 ejusdem pretii est, ac versio Ren. Benoit, de quo cf. p. 507; Cf. Biogr. un. XVI, 88. — Ceterum de cardinalibus gallis scripserunt praeterea Guilelmus du Peyrat regi ab eleemosynis († 1645) in Traité *de l' origine des Cardinaux du s. Siège* et particulièrement des François avec deux traittez des legats a Latere, Bruxellis 1665; Coloniae 1670; et Henr. Albi S. J. († 1658) in *Eloges historiques des cardinaux* illustres françois et estrangers mis en parallele avec leurs pourtraits au naturel, Parisiis 1644 in 4. cum 40 incisionibus (m. 36); 1653; 1659. Scripsit contra Bonaventuram de la Bassée (Bassaeum) O. Cap., de quo alias, et *Defense de la conception* toute pure et sans tache de la S. Vierge et des raisons que l'on a d'en esperer de l'Eglise une derniere definition, Gratianopoli 1654 in 8.

[1]) Cf. Biogr. univ. XIV, 76; Feller III, 506; Saxius ad a. 1615.

[1]) Cf. Verci Scrittori bassan. I, 57.

(a die 15. Nov. 1627 ad 9. Dec. 1629) et ecclesiae metropolitanae canonicus et demum electoris vicarius generalis in spiritualibus († 14. Febr. 1641). Quo in opere eum juverunt Gretser, Fronto du Duc, Colvener, Hutter canonicus coloniensis, suppeditatis actis conciliorum adhuc ineditis. Prodierunt vero hoc titulo: *Concilia generalia et provincialia* quotquot reperiri potuerunt, item epistolae decretales et romanorum pontificum vitae; adjecit quoque annotationes historicas et exegeticas (plerumque ex Baronio), Coloniae 1606 v. 4 in f. (latine tantum); aucta et cum textu graeco[1]) ib. 1618; demum Parisiis 1638 v. 9 in f. Edidit praeterea *historias ecclesiasticas* Eusebii, Socratis, Theodoreti, Sozomeni et Evagrii a se recognitas. — *Concilia Galliae novissima* post concilium tridentinum habita collegit Ludovicus Odesdun de la Meschinière 1646. 1666 v. 3 in f., quo opere (raro) continetur collectio sirmondiana (cf. p. 1080). — Gregorius de Rives O. Cap. Avenionensis, vir multae lectionis, conciliorum studio maxime se dedit atque posteris reliquit: *Epitome omnium canonum conciliorum* tam generalium quam provincialium ab apostolis usque ad haec tempora in locos communes per alphabetum digesta, Parisiis 1663 in f.; *conciliabula* tum schismaticorum tum acatholicorum cum controversia historica et declarationibus locorum difficilium in historia ecclesiastica, ib. 1663 in f.; omnia simul Lugduni 1663 in f. — Horatius Justinianus (Giustiniani) Congr. Orat. n. 28. Febr. 1580 in insula Chios, custos bibliothecae vaticanae, episcopus Montis alti in Piceno (1640), inde Nuceriam translatus (1645), demum cardinalis et summus Poenitentiarius († 25. Jul. 1649), composuit ex actis archivi vaticani *historiam concilii florentini,* Romae 1636; ab Hardouin in coll. conc. IX, 669 receptam. Eam tamen suae tribuit diligentiae Leo Allatius. Nititur autem illa praesertim notitiis manuscriptis Andreae de s. Cruce, ut jam diximus II³, 938. — Adversus Pauli Sarpii de concilio tridentino pseudohistoriam *censuram theologicam et historicam* Dilingae 1654 edidit Scipio Henricus (Herrico) Messanensis (n. 1592), notior tamen propter poemata et comoedias italicas. In duas p. suam censuram dispescit, quarum prior historiam continet concilii tridentini e Sarpio excerptam, quam non per omnia veram agnoscit. Posterior agit 1. de his, quae impie et stulte in praefatione continentur; 2. de mendaciis; 3. de his, quae pertinent ad concilium universale; 4. de concilio tridentino in particulari; 5. de argumentis adversus catholicam veritatem, ad quae ipse respondet[1]). — Ita etiam Philippus Quorli Romanus auctor est op. *Historia concilii tridentini* Suavis Polani (Sarpi) ex Auctoris assertionibus confutata Panormi 1661.

477. Plura magni momenti ad illustrandam historiam ecclesiasticam Germaniae reperies in opere Caroli Caraffa episcopi aversani (1616) et nuncii apostolici († 1644), cui titulus: *Commentaria de Germania sacra restaurata* sub ss. pontificibus Gregorio XV. et Urbano VIII. regnante Ferdinando II. imp. ll. 8, accedunt decreta, diplomata, privilegia aliaque in favorem religionis catholicae et catholicorum in Germania emanata 1620—1629, Coloniae 1639 in 12; continuata ad a. 1641, Francofurti 1641 in 16; Viennae 1748; *legatio apostolica* ab a. 1624—34, denuo edita a Jos. Aug. Ginzel, Wirceburgi 1840, utrumque opus rarum; *Relatione* dello

[1]) Plura de hac collectione deque iis quae merito in illa desiderantur cf. ap. Salmon Traité de l'étude des concils et de leurs collections etc. Parisiis 1724 p. 300 ss., 756—769.

[1]) Cf. Fabricium in hist. bibl. fabr. VI, 357 s.

stato dell'Imperio e della Germania[1]) a. 1628 ed. a J. G. Müller in Arch. f. Kunde öst. Geschichtsquellen XXIII, 100—450. — Adamus Adami in oppido ducatus montensis Mulheim ad Rhenum natus 1610 post absoluta Coloniae studia ingressus est ordinem s. Benedicti in monasterio brauweilerano (1628). Cogitabat de adornanda accurata bursfeldensis congregationis historia, sed aliis gravissimis negotiis praepeditus consilium laudabile exsequi non potuit. Sacerdos ordinatus (1633), primum praeficitur regundo seminario benedictino Coloniae, et 1637 prior eligitur monasterii s. Jacobi moguntini: inde accitus est prior abbatiae mohatensis (Muthart) in Sueviam. Bello dirissimo 30 a. ad finem vergente electus est ob suam in legibus peritiam ab abbatibus ordinis, ut monasteriorum jura et bona, cum ageretur de pace westphalica componenda, tueretur. Non inutilis erat rei catholicae Monasterii ejus praesentia. Pace westphalica composita (1648) ab archiepiscopo coloniensi Maximiliano Henrico Romam missus est pallii poscendi ergo. Facile illud impetravit, sed sibi nihil cogitans in praemium strenuae erga Ecclesiam navatae operae dictus est hieropolitanus episcopus et redux ad archiepiscopum constitutus vicarius et auxiliaris episcopus per dioecesim hildesheimiensem, quam ille pariter regebat. Post strenuam hujus dioecesis administrationem decessit 19. Febr. (vel 1. Mart.) 1663. Collegit *Arcana pacis westphalicae,* quae prodierunt, sed mendose et lacunose, Francofurti 1698; melius sub inscriptione Relatio historica *de pacificatione osnabrugiensi-monasteriensi* Lipsiae 1737, quamvis nec haec ed. sit integra, cum J. G. de Meiern autographum truncaverit, qua de re merito conquestus est Ziegelbauer libello Ratisbonae 1739 edito[1]). — Joannis Philippi a Vorburg praepositi monasterii Grandis Vallis in dioecesi basileensi († 1660) *historia romano-germanica* ab o. c. usque ad a. Christi 268, Francofurti 1645 t. 12 in f.; 1660, non multum laudatur ob defectum ordinis et judicii. — Andreas Brunner S. J. Halae in Tiroli natus 1589 in historia Bavariae egregie versatus, ut diceretur ‚Titus Livius bavarus' († 20. Apr. 1650) collegit[2]) *Annalium virtutis et fortunae Bojorum* pp. 3, Monachii 1626—1637, quarum 1. complectitur historiam ab a. 600. ante Christum natum ad a. 788 p. Christi nativitatem; 2. ab a. 788—1070; 3. ab 1070—1314; Francofurti 1710 cur. Leibnitio, qui de eo scribit: „Erat in illo viro praeter ceteras laudes, quas Alegambius praedicat, non vulgare acumen cum studio veri." Etiam alii viri critici agnoscunt auctoris accurationem et sagacitatem. Ejus quoque sunt *Fasti Mariani* cum illustrium divorum elogiis prope 600 in singulos anni menses diesque distributis, Antwerpiae 1623 ed. 2; 1660; Monachii 1630 t. 2 in 16 etc.

478. *Annales ecclesiasticos regni Hungariae* collegit Melchior Inchofer S. J., qui diu Messanae philosophiam, mathesin, theologiam moralem et scholasticam docuit († 28. Sept. 1648 a. aetatis 64). Prodiit tantum t. 1. Romae 1644 in f. (usque ad a. 1059); Posonii 1795—97 v. 4 in 8. Alia ejus opera sunt: *Tres magi evangelici,* Romae 1639 in 4; epistola Leoni Allatio inscripta circa q. *de aequali primatu et individua auctoritate Petri et Pauli* (in Allatii de Ecclesiae occidentalis et orientalis perpetua consensione l. 3.) etc. *Historia*

---

[1]) Cf. A. Pieper erudite de ea disserentem hist. Jahrb. II (1881), 388—415. Idem Caraffa pulchre describit vivendi rationem Ferdinandi II., quam relationem germanice edidit F. de Hurter in op. Friedensbestrebungen K. Ferdinands II., Wien 1860 p. 212—280.

[1]) Cf. Hartzheim bibl. col. p. 1—3; Evelt KL. I, 214—16.

[2]) Cf. Sommervogel II, 262—65; Duhr Ztschr. f. k. Theol. XIII (1889), 583.

latinitatis sacrae, Messanae 1635; Monachii 1638. Notior tamen forte est Inchofer propter l. *Epistolae b. Mariae V. ad Messanenses veritas vindicata* ac plurimis gravissimorum scriptorum testimoniis et rationibus erudite illustrata, Messanae 1629 in f., in quo tuetur illius ep. genuinitatem ut certam. Hinc a congregatione Indicis Romam citatus, ut rationem sui libri redderet, scite se defendit effecitque, ut saltem editiones nonnihil immutatae permitterentur[1]). Ita permittitur editio facta Viterbii a. 1631 in f. hoc titulo: *De epistola b. Mariae ad Messanenses conjectatio:* in qua ep. genuinitatem ut probabilem proponit. Prior ed. utpote prohibita (19. Mart. 1633) est admodum rara. Scripsit etiam contra Copernicum. Apud adversarios vero Societatis Jesu saepe nomen recurrit Inchoferi, cum ei per calumniam tributus fuerit libellus famosus Lucii Cornelii Europaei *Monarchia Solipsorum* Venetiis 1643, saepe editus, in alias versus linguas, qui est Clementis Scotti, de quo cf. t. seq. — Joannes Fervaux (Vervaux) S. J. electori Bavariae a confessionibus († 15. Sept. 1661) collegit *Annales boicae gentis,* quae sub nomine Joannis Adlzreiter electoris cancellarii prodierunt Monachii t. 2 in f. 1662.

479. Pro historia ecclesiastica *Hiberniae* tempore Elisabethae et Jacobi I. plura reperiuntur in *analectis sacris* (pretiosis) Davidis Rothe episcopi ossoriensis, qui a. 1650 occubuit martyr pro fide catholica[2]). Prodierunt primum 1616. 1617. 1619, demum curante Patricio Fr. Moran episcopo ossoriensi, nunc cardinali et archiepiscopo sedis Sidney in Australia, Dublinii 1884 in 8. — Historiam ecclesiasticam Angliae scripsit Michaël Alfordus S. J. proprie Griffith (aliquoties nomine utebatur Joannis Flood) Londinensis n. 1587, strenuus operarius in illa vinea per 20 annos, carcerem etiam expertus († 11. Aug. 1652). Prodiit opus inscriptum *fides regia britannica* sive annales ecclesiae britannicae, ubi potissimum Britannorum catholica, romana et orthodoxa fides per quinque prima secula et regum et Augustorum factis et aliorum sanctorum rebus e virtute gestis (stilo tamen nimis diffuso) asseritur t. 1, Leodii 1663; *fides regia anglosaxonica* sive annales etc., ubi... fides ab a. 500—800... asseritur t. 2; *fides regia anglicana*... ubi potissimum Anglorum... fides ab a. 800—1066... asseritur t. 3; *fides regia anglicana*... ubi Anglorum... fides ab a. 1066—1189... asseritur t. 4. (m. 110). Aliud opus idque rarissimum est: *Britannia illustrata* sive Lucii, Helenae, Constantini, primorum regum et Augustorum christianorum patria et fides, cum appendice de tribus hodie controversiis: de paschate Britannorum, de clericorum nuptiis et num olim Britannia coluerit romanam ecclesiam, Antwerpiae 1641 in 4. Utrumque opus magni est momenti pro historia ecclesiastica Angliae[1]). — *Florum historiae ecclesiasticae gentis Anglorum ll. 7,* ex quibus dulcissimum mel catholicae religionis ejusque admirabiles fructus in ea gente copiosissime colliguntur, cum epistola ad Jacobum regem de mutuis officiis inter summos pontifices et M. Britanniae reges, edidit Parisiis 1654 in f. Richardus Smith Lincolniensis n. 1560, in collegio Anglorum duaceno theologiae professor, episcopus (1624) chalcedonensis, notus propter acres controversias, quae inter ipsum et regulares excitatae fuere, quaeque

---

[1]) Cf. Benedictus XIV. de beatif. l. 4 p. c. 25 n. 7; Sommervogel I, 561—66.

[2]) Cf. Bellesheim Gesch. der k. Kirche in Irl. II, 352. 454. 489; III, 691.

[1]) De his ita scribit Backer I, 71: Il y a de profondes recherches dans ces Annales, où l'auteur a suivi la méthode de Baronius. Le P. Serein Cressy, Bénédictin anglais de Douai, en a profité pour son Histoire de l'Eglise d'Angleterre, 1688.

ipsum ut in Galliam secederet (1621), coëgerunt († 1655 a. aetatis 88). Regularium jura contra ipsum propugnarunt prae ceteris Knott et Floyd; ipsius vero partes tuendas suscepit in primis Kellison. Aliud ejusdem opus aeque rarum ac praecedens est: *Collatio doctrinae catholicorum et protestantium* cum expressis s. Scripturae verbis ll. 2, quae Summa controversiarum merito censeatur, Parisiis 1622 in 4; anglice (aucta) Duaci 1631. *De auctore et essentia protestanticae ecclesiae* et religionis, Parisiis 1619; 1621 s. l. aliaque plura lingua patria[1]).

480. *Hiberniae* historiam illustravit Michael O'Clery (Clerus) O. S. Franc., Hibernus, Ultoniensis, frater laicus tantum in conventu O. Min. Hibernorum Lovanii. Indefessa sedulitate a. 17 Hiberniam peragravit, ut colligeret antiquitatis monumenta, eaque quae spectabant sanctorum vitas et martyrologia diligenter transmisit Hugoni Wardaeo (cf. supra p. 852) et Jacobo Colgan (cf. infra p. 1144), qui de Hagiographia hiberna plurimum meruerunt. Ipse opus grande *de Hiberniae antiquitatibus* composuit, quod tamen ineditum mansit. Cum tribus sodalibus Feargo O'Conry, Peregrino O'Clery et Peregrino O'Duigenan collegit *Annals of the Kingdom of Ireland* by the Four Masters, opus laboriosissimum, quod incipit a remotissima aetate (ab a. 2242 o. c.) ad a. 1616, exhibetque regum, principum, heroum gesta, dissidia, conflictus, praelia, obitus; faciem rei catholicae et ecclesiasticae a suscepta primum fide etc. Errant quidem auctores circa chronologiam quae in periodis remotioribus differt semper aliquot annis a communi, cum qua tamen concordat ab a. 1000. Partes quaedam op. jam antea prodierant, ed. criticam totius operis demum curavit O'Donovan Dublinii 1851 t. 7, lingua originali et versione anglica annotationibus historicis et topographicis illustratum. Ediderat O'Clery etiam *Dictionarium* difficilium obsoletarumque vocum hybernicarum, Lovanii 1643, quo a. ipse ibidem decessit[1]). — Daniel O'Daly O. Praed. Hibernus in ordine Dominicus de Rosario dictus, in collegio Hiberno Lovanii professor, ex voluntate superiorum Olisipone aliud Hibernorum collegium erexit. Joanni IV. Lusitaniae regi erat a confessionibus. In variis legationibus fuit adhibitus. Sedem archiepiscopalem bracharensem recusavit decessitque nominatus episcopus conimbricensis ante consecrationem 30. Jun. 1662. Auctor est[2]) op. admodum rari *Initium, incrementa et exitus familiae Geraldinorum* Desmoniae comitum, palatinorum Kyerriae in Hibernia ac persecutionis haereticorum descriptio, Ulyssiponae 1655; anglice interprete Meehan, Dublini 1878 ed. 2.

481. Rocchus Pirrus Netinus n. 1571, vir admodum doctus, regiae capellae Panormi canonicus, thesaurarius et apostolicus protonotarius, aliisque muneribus honorificis functus († 8. Sept. 1654), de historia sicula sacra et profana meruit, in primis *Sicilia sacra* disquisitionibus et notitiis illustrata, ubi ll. 4, postquam de illius patriarcha et metropolita disquisitum est, a christianae religionis exordio ad nostra usque tempora cujusque praesulatus, majorumque beneficiorum institutio, archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, singulorum jura, privilegia, praeclara monumenta, civitates dioeceseon cum praecipuis earum templis religiosisque familiis atque viri siculi vel doctrina vel sanctitate illustres continentur, explicantur. Liber I. complectitur notitias

---

[1]) Alius ab eo, de quo supra II, 1464 egimus. Cf. de nostro Gillow V, 511—15.

[1]) Cf. Joan. a s. Ant. II, 371; Bellesheim Gesch. der k. Kirche in Irl. III, 697 s.

[2]) Cf. Bellesheim Gesch. der k. Kirche in Irl. II, 320; 361; III, 701; 756; Esser KL. III, 680.

trium Siciliae metropoleon panormitanae, messanensis et monteregalensis, quarum prima prodiit Panormi 1630 in f., duae reliquae cum l. II. notitias episcopatuum, qui jam perierunt, complectente, ib. 1633 in f., uterque tamen quondam (a. 1634) prohibitus »donec corrigatur«, unde correcta prodiit illa prima notitia, ib. 1644. Liber III. exhibet notitias episcopatuum nunc florentium atque eorum dioeceseon, ib. 1638; in l. IV. singularum abbatiarum ac prioratuum notitiae proponuntur, cujus p. 1. prodiit ib. 1647 in f., p. 2. ib. 1649; reliqua desiderantur; opus recusum fuit Lugduni Batavorum 1720 t. 2 in 1 v. in f.; continuatum cura A. Mongitori[1]), Panormi 1733 t. 2 in f. (m. 60). — Salvator Vitalis O. S. Fr. Sardus natione, Montis Alvernae pius incola, vitae austeritate clarus, multa ingenii sui monumenta reliquit, in quibus meliorem methodum, limatiorem doctrinam ac planiorem stilum desiderat Waddingus, et sane non pauca tumultuarie congesta videntur[2]). Potiora forte sunt *Annalium regni Sardiniae* partes 1. et 2., Florentiae 1639; Mediolani 1645 in f.; cum Propugnaculo triumphali in censuras auctoris innominati contra annales Sardiniae, Mediolani 1643; *Sanctuarium Corsicum* seu de sanctis hujus insulae historia (italice), Florentiae 1641. Obiit Romae 1647. — Laude dignus est[1]) Aegidius Gonzalez Davila (de Avila) Abulensis († 1658) propter duplex opus (rarum): *Theatro ecclesiastico de las Iglesias* metropolitanas y cathedrales de los Reynos de las dos Castillas. Vidas de sus arzopispos, opispos etc., Matriti 1645—50 t. 3 in f., quod vere dixeris Hispaniam sacram. *Theatro ecclesiastico* de la Iglesïa de las Indias occidentales. Vidas de sus arzobispos, obispos, cosas memorabiles de sus sedes, ib. 1649—56 t. 2 in f. (m. 150). *Historia de las Antiguedades de la Ciudad de Salamanca.* Vidas de sus Obispos y cosas sucedidas en su tiempo, Salmanticae 1606.

[1]) Si fanno primo critiche ed erudite ricerche sul patriarca o metropolita di quell'isola, e poi si contengono le notizie degli arcivescovi, de' vescovi e degli abbati. La diligenza nel ricercare le notizie, e l'esattezza nel porgerle hanno fatto riguardare sempre con molta stima quell'opera, non solo nella novità della sua produzione, ma eziandio ne' lumi del nostro secolo. Nella terza edizione è uscita accresciuta dal P. don Vito Maria Amico colle notizie delle badie de' benedettini, de' cisterciensi e d'altre, che nelle prime due edizioni mancavano, e sempre più s'è renduta preziosa quella storia. Andres VII, 773.

[2]) Cf. Joannes a s. Ant. III, 78.

482. Quaedam quae ad historiam sacram Brabantiae spectant reperis in op. *les Trophées tant sacrés que profanes du duché Brabant* ll. 9, Antwerpiae 1641 in f. (1652 ed. 2), quae collegit[2]) Christophorus Butkens O. Cist., de quo in epitaphio dicitur »non habens per Europam in scientia nobilitatis (scil. in prosapiis nobilium inquirendis) facile sibi parem, in Belgio primus«. In l. 10. alteroque t. dare cogitabat descriptionem urbium, municipiorum, baronatuum, item catalogum ecclesiarum, abbatiarum ac monasteriorum Brabantiae aliaque, quem tamen morte praepeditus (30. Sept. 1650 a. aetatis 60) edere non potuit[2]); prodiit vero cura Jaerens Hagae Comitis 1724 v. 2 in f., qui adjecit *Supplément aux Trophées* tant sacrés que profanes du Duché de Brabant de Ms. Butkens, traduit et recueilli des meilleurs Historiens et tiré des Archives de Brabant, ib. 1726 t. 2 in f. — Willibrordus Bossaert (Boschaerts) O. Praem. in Tongerloensi coenobio apud Brabantos professor, vir accurate doctus et in sacra profanaque historia juxta versatus († 25. Jul. 1657

[1]) Ibid. p. 769.

[2]) Cf. Foppens I, 175.

a. aetatis 80) praeter alia[1]) collegit *Enchiridion* de actis ss. P. Augustini ex ejus opp. Mechliniae 1647. *Feria VI sive ejus dignitas* ac opera sacra, ib. 1653; et praesertim diatribas *de primis veteris Frisiae apostolis* sive dissertationes 156, quibus eorum anni, actus, res, personae, loca, tempora in eorum actis occurentia discutiuntur, illustrantur, erroresque ab aliena manu illapsi refelluntur, Mechliniae 1650 in 4. — Guido Bentivoglio Ferrariensis archiepiscopus rhodiensis a Paulo V. creatus nuncius in Belgium ablegatus fuit, dein in Galliam rebusque bene gestis in cardinalium coetum a Gregorio XV. fuit 1621 adlectus († 7. Sept. 1644). Scripsit italice *Storia delle guerre di Fiandra*, Coloniae 1635—40 t. 3, quae Batavis minime arrisit; *Storia della nunziatura nella Fiandra* Antverpiae 1629; *Raccolta di Lettere* scritte in tempo delle sue Nunziature di Fiandra e di Francia, Coloniae 1631; 1807 curante Biagioli; Memorie ovvero: *Diario* a Clemente VIII. ad a. 1643, Venetiis 1648. Opera collecta prodierunt Venetiis 1667. Ea magni fiunt ob stili elegantiam[2]). — Jacobus Mallebrancque (Mallbrancq) S. J. Audomarensis, literarum humaniorum magister, dein concionator († 1653), fuse egit *de Morinis et Morinorum rebus*, silvis, paludibus, oppidis, regia comitum prosapia et territoriis, regioque praesidum splendore, viis caesareis ac portibus, caesarum domicilio, audomareae fidei perennitate, templis, monasteriis, centum divorum sanctimonia etc. Tornaci 1639, v. 3 in 4, ab a. scil. 309—1313. Tomi III. prodiit tantum p. 1 posthuma et valde rara; altera mansit inedita, in qua auctor prosequitur historiam ad a. 1553, scil. usque ad urbis Tariannae (Teronanne) per Carolum V. expugnatione. Disserit autem et de monasteriis deque purpuratis Tariannae episcopis etc. — Opus insigne inscriptum *Gallia christiana,* cujus velut fundamenta jecerunt Joan. Chenu et Claudius Robert (cf. p. 828), multum promoverunt fratres gemini Scaevola et Ludovicus Sanmarthanus (de Sainte-Marthe), quorum alter post mortem uxoris ecclesiasticae militiae se mancipavit, uterque vero prius advocatum egit, postmodum vero ambo omnia sua studia historiae illustrandae consecrarunt († Ludovicus 1656; Scaevola 1650). Prodiit Parisiis 1656 v. 4 in f. Ultimam illi manum apposuit dictionemque limavit Abel Ludovicus Sanmarthanus, Scaevolae filius: qui etiam cum fratribus suis Petro Scaevola († 1699) et Nicolao Carolo undique conquisivit documenta pro nova adornanda editione, quam tamen exsequi non potuit († 1697); eam seculo sequenti aggressus est Dionysius Sanmarthanus, sed non absolvit, quare editio a. 1656 pro sedibus metropolitanis turonensi, vesuntina, viennensi et ultrajectensi necessaria est[1]). Ceterum de hoc opere plura seculo sequenti. Abel Ludov. Sanmarthanus cum Petro Scaevola fratre suo aliiud opus immensae plane molis aggressus est, *orbis christianus* inscriptum, historiam scil. omnium orbis ecclesiarum, quod tamen nunquam lucem aspexit; quae vero collegerat multum juvarunt P. Lequien in componendo opere suo, cui titulus *Oriens christianus,* de quo alias.

483. *Particularium ecclesiarum* historiam plurimi jam hac epocha nar-

[1]) Cf. Foppens II, 1165; Biogr. belg. II, 753; Goovaerts Ecrivains de l'ordre de Prém. I, 75—78.

[2]) Cf. Eggs Purp. doctae l. V n. 96; Moroni Dizion. V, 124.

[1]) Cf. de his variis Sanmarthanis Bibl. univ. XXXIX, 549 ss. — *Histoire de France* t. 6 in f. stilo diffuso parumque grato concinnavit Scipio Dupleix († 1661 a. aetatis 92). Praeter opera philosophica scripsit etiam *La Metaphysique* ou science surnaturelle de la divinité, des anges et demons p. 4, Parisiis 1631. Cf. Feller III, 361.

rant[1]). Nicolaus Camusat, canonicus tricassinus († 20. Jan. 1655 a. aetatis 80) edidit[2]) *promptuarium sacrarum antiquitatum tricassinae dioecesis,* Augustae tricassinae 1610 in 12., quod complectitur monumenta scitu digna cum eruditis annotationibus, cui Petrus Joannes Grossley Tricassinus (†1785) adjecit *Supplément* ib. 1750 in 12; *historia Albigensium* auctore Petro monacho coenobii vallis Cerneji,

[1]) Praetermittimus Thomam Aquinatem a s. Joseph O. Carm. Monferrandi prope Claromontium in Alvernia natum († 6. Nov. 1649), qui praeter alia scripsit notas sat eruditas ad op. *de origine atque primordiis gentis Francorum* ab auctore incerto sec. IX, cui adjecit diss. *de avisitinensis episcopatus nomine,* situ, institutione, progressu et praesulibus, Parisiis 1644 in 4. — Jo. B. Rinuccini archiepiscopum firmanum († 13. Dec. 1653), ex cujus msc. prodiit cura G. Ajazzi *Nunziatura in Irlanda* degli a. 1645 a 1649, Florentiae 1844 in 8. Cf. de ejus legatione in Hibernia fuse disserentem Bellesheim Gesch. der k. Kirche in Irl. II, 410—469. — Samuelem Nakielski praepositum ecclesiae s. Hedwigis Cracoviae († 1651), qui collegit *promptuarium antiquitatum monasterii miechoviensis,* Cracoviae 1634 in f. (cf. Rotermund V, 359) — Raphaelem Castello S. J. bononiensem († 1656), qui disseruit *de donatione Constantini* ll. V (cf. Fantuzzi III, 150); et *de praesentia proprii parochi* in sacramento matrimonii, sub nomine Caes. Cantelli — Augustinum (in seculo dictus est Franciscus) Wychmans O. Praem., abbatem tungerloensem († 11. Febr. 1661), de quo cf. Foppens I, 113 — Christophorum a d. Antonio et Castro O. S. Franc. Hispanum, qui vernacule scripsit *historiam ecclesiasticam* et secularem Coloniae Baeticae i. e. urbis dictae Buxalancae, Granatae 1657 in f. — Anton. Spindler O. S. Ben. priorem mellicensem (1615), abbatem garstensem, dein monasterii Scotorum Viennae (1641—48), cujus *Correspondenz* ed. a Coel. Wolfsgruber Viennae 1893, pretio non caret pro historia sui temporis. — Philippum Malabailam O. Ci. (1580-1637), Astensem, qui ex nimio amore patrio monumenta finxit, ut ostendit C. Vassallo Le falsificazioni della storia astigiana in Archivio storico Italiano XVIII (1886), 75—84; 177—196.

[2]) Cf. Biogr. un. VI, 663.

Trecis 1615 in 8. (in patrol. Migne 213, 541); *monachi anonymi (Roberti) chronologia* ab orbis origine ad a. Christi 1220 cum appendice ad a. 1223, ib. 1608. — Petrus Coquault († 1645) paraverat[1]) jam plurima documenta pro historia ecclesiastica et civili rhemensi, sed prodiit tantum post ejus mortem hujus historiae *tabula chronologica,* Rhemis 1650 in 8. — Dioecesis aurelianensis historiam descripsit Symphorianus Guyon congr. Orat. († 1657) in op. erudito sed male scripto: *L'histoire de l'église et diocèse, ville et université d'Orléans,* 1647. 1650 v. 2 in f. — De *Massilia* meruit variis operibus Joannes Baptista Guesnay S. J. natus Aquis Sextiis 1585 († 4. Nov. 1658), scil.: *Provinciae massiliensis ac reliquae phocensis annales*[2]), sive Massilia gentilis et christiana ll. 4, Lugduni 1657 et iterum 1657 cum duplici additamento (fr. 30) in f.; *Magdalena massiliensis advena,* seu de adventu Magdalenae in Gallias et Massiliam appulsu disquisitio theologico-historica, ib. 1643 in 4., quam sententiam Launojus impugnavit. Hujus quaestionis occasione plurima prodierunt scripta[3]) in utramque partem. Guesnay adjecit *Auctarium historicum* de Magdalena massiliensi advena sive decretum senatus aquensis et universitatis censura in Jo. Launoii l., cui titulus: *Disquisitio* disquisitionis de Magdalena etc. cum scholiis adversus eundem Launoium, ib. 1644 in 4. sub nomine Petri Henry. *S. Joannes Cassianus illustratus* sive chronologia vitae s. Joan. Cassiani ab. et monasterii s. Victoris ab eodem conditi ab a. Christi 420 etc.

[1]) Cf. Biogr. un. IX, 173.

[2]) Backer I, 2328 de hoc opere scribit: „Cette histoire de Marseille n'est point estimée. L'auteur y suit pas à pas Clapiers et Nostradamus, et ne se montre ni plus exact, ni plus judicieux que ces deux écrivains.“ Eam crisi subjecit L. A. de Ruffi in op. Diss. historique sur les Evêques de Marseille, Marseille 1716.

[3]) Cf. catalogum ap. Backer I, 2326.

Accedit *Onomasticon* rerum et verborum difficiliorum in commentariis s. Cassiani, ib. 1662 in 4. Quae ad monasterium spectant, ea quidem satis bene se habent, ut ab auctore in his rebus diutissime versato et documentis vetustis abundante exspectari potest; sed quae de Cassiani vita disserit, pluribus displicuerunt. Totus enim in eo est, ut Cassianum tueatur vel excuset, iis tamen exceptis, quae s. Prosper refellit et erroris coarguit. Constat opus ll. 2, quorum l. cc. 64 effigiem s. Cassiani sive ideam vitae religiosae proponit, alter de gloria et beatitudine ejusdem cc. 29 agit. — Marcellinus Fornier (Fournier) S. J. († 1650) scripsit *Histoire générale des Alpes maritimes* ou Cottiènes et particulière de leur metropolitaine Ambrun, chronographique et meslée de la seculière avec l'ecclesiastique, Parisiis 1889—90 t. 2 in 8. — Claudius Héméré (1580—1650) auctor est op. *Augusta Viromanduorum* vindicata et illustrata 2 ll., quibus antiquitates urbis et ecclesiae s. Quintini[1]) ... explicantur etc., Parisiis 1643. — Franciscus Noguier scripsit *Histoire chronologique* de l'Eglise, Evêques et Archevêques d'Avignon, Avenione 1659 in 4. — Joannes Baiole S. J. Condomiensis († 29. Mart. 1650) reliquit *Histoire Sacrée d'Aquitaine,* première partie, contenant l'état du Christianisme, depuis la publication de l'Evangile jusqu'à nos jours, Cadurci 1644 in 4. — Joannes Bondonnet O. S. Ben. restituit et correxit *les Vies des Evêques du Mans,* Parisiis 1651 in 4. — De dioecesi bellovacensi meruit Petrus Louvet[2]), parlamenti advocatus († 23. Dec. 1646), in *Nomenclatura et chronologica rerum ecclesiasticarum dioecesis bellovacensis,* Parisiis 1613; 1628; *Histoire et antiquités du pays de Beauvais,* Bellovaci 1635 in 8., cui Dionysius Simon supplementa adjecit 1704; 1718. Haec historia nonnisi propter documenta in eam recepta est alicujus pretii. — Joannes de Sancto Albino S. J. (n. 1587, † 18. Oct. 1660) reliquit *Histoire Ecclésiastique de la ville de Lyon ancienne et moderne,* Lugduni 1666 t. 2 in f.

1) Cf. Feret IV, 376—80.
2) Cf. Biogr. un. XXV, 277.

484. Ad historiam Neustriae multa contulit Arthurus a Monasterio (du Monstier) O. Min. Rothomagensis († 1662), qui praeter vitas multorum sanctorum et beatorum, quae additae sunt floribus sanctorum Ribadeneirae ed. Parisiis 1627, et *martyrologium franciscanum* ib. 1638 in f.; 1653, breviatum a Balthassare messanensi Venetiis 1679, edidit opus egregium (modo rarissimum et carissimum) praenotatum *Neustria pia* seu de omnibus et singulis abbatiis et prioratibus totius Normanniae, quibus exstruendis, fundandis dotandisque pietas neustriaca magnificentissime eluxit et commendatur, Rothomagi 1663 in f.; *Sanctitas monarchiae gallicae* regum christianissimorum eorumque filiorum ll. 9, Parisiis 1638 in 8. De rebus neustriacis alia 4 volumina ad praelum matura habebat, scil. Neustria christiana, Neustria sancta, Neustria miscellanea[1]). Aliud ejusdem opus admodum rarum est *sacrum gynaeceum* seu martyrologium amplissimum, in quo sanctae ac beatae aliaeque Christi ancillae, martyres, virgines etc. recensentur, Parisiis 1657 in f. — Praeterito demum seculo e tenebris prodiit Simonis le Boucq laici et publicis muneribus dediti[2]), sed viri insigniter in historia patria versati et de ea benemeriti († 1. Dec. 1657) stilo neglecto conscripta *Histoire ecclésiastique de la ville et comté de Valenciennes,* cura Arth. Dinaux, Valentinis 1844 in 4.

1) Cf. Biblioth. franc. I, 143.
2) Cf. L. Devillers Biogr. nat. de Belg. XI, 539—45.

485. Aegidius Gelenius Kempensis[1]) n. 1595, collegii germanici alumnus, ardens s. Christophori parochus, historiographus archiepiscopi coloniensis, postea episcopus aureopolitanus episcopi osnabrugensis auxiliaris († 1656), in lucem dedit: *Vindex libertatis ecclesiasticae et martyr s. Engelbertus* archiep. colon. una cum brevi suae aetatis annalium, nobilium familiarum et monumentorum agrippinensium depromptorum editione, Coloniae Agrippinae 1633 in 4; 1634; quae vita commentarius est vitae Caesarii heisterbacensis (cf. II[3], 276). Sacrarium seu *de admiranda sacra et civili magnitudine Coloniae l.*, ib. 1645 in 4, opus ejus praecipuum; *pretiosa hierotheca duodecim unionibus historiae coloniensis exornata,* ib. 1634 in 4. Sed jam grandiori se accinxit operi. Frater ejus Joannes (n. 1585), archiepiscopi vicarius generalis, vir egregie doctus totum se dederat colligendis monumentis et notitiis ad historiam ecclesiae coloniensis illustrandam spectantibus. Jam impleverat volumina sex, cum mors eum hisce studiis abripuit (1631). Moriens rogavit fratrem, ut laborem continuaret, qui revera indefessa sollicitudine fratris studia est prosecutus atque stupenda diligentia collegit monumentorum vol. 30, quam collectionem inscripsit *Farrago* diplomatum et notationum pro historia. Collectio sane pretiosa (inedita), quod contineat documenta plurima, quae jam perierunt, neque ipsa amplius integra habetur[2]). — Philippus Caesar acer primum et fervidus pastor bremensis, qui tamen 16. Jan. 1630 ad Ecclesiam rediit catholicam, ex vetere cod. hamburgensi in lucem protulit *Triapostolatum Septentrionis* seu vitam et gesta s. Willehadi, s. Ansgarii, s. Rimberti trium principalium ecclesiae bremensis episcoporum, Septentrionis apostolorum, Coloniae 1642, opus valde rarum. — Claudius Sudan S. J. Friburgensis († 2. Dec. 1655) auctor est operis rarissimi: *Basilea sacra* sive episcopatus et Basileensium origo ac series, Bruntruti 1658 in 8. — Simon Starevolscius (Staravolscius, Starawolski † 1656) collegit[1]) *vitas antistitum cracoviensium,* Cracoviae 1655 in f. et *Epitomen omnium conciliorum tam* generalium quam particularium, Romae 1653 in f.; *breviarium juris pontificii,* ib. 1653 in 4; *monumenta et epitaphia Sarmatarum illustrium* beatae aeternitati adscriptorum collecta, Cracoviae 1655 in f., opus valde rarum (m. 75).

486. De ecclesia mediolanensi meruerunt Joseph Ripamonte ambrosiani collegii socius, mediolanensis urbis chronista et regius historiographus († 1641) qui composuit *historiae mediolanensis ecclesiae* pp. 3, Mediolani 1617—28 in 4; et *historiarum patriae* opus a Tristano Calcho coeptum continuavit, ut diximus II, 1152 a. — Joannes Petrus Puricelli (n. 23. Nov. 1589, † 7. Nov. 1659) vir eruditus et laboriosus, propter insignia merita factus a Frid. Boromaeo archipresbyter ad s. Laurentium, praeter alia[2]) edidit *Ambrosianae Mediolani basilicae ac monasterii hodie cisterciensis monumenta,* quibus historia mediolanensis illustratur et ab erroribus vindicatur, Mediolani 1645 in 4., etiam in Graevii *thes. Italiae* IV, 1 ss.; *de ss. martyribus Nazario et Celso, ac Protasio et Gervasio*

[1]) Cf. Hartzheim bibl. colon. p. 9; Saxius ad a. 1633. Ejus frater Victor O. Cap. ter suae provinciae praepositus, vir piissimus insignem reliquit *Summam practicam theologiae mysticae*, in omnes ab infimis usque ad supremos divini animi status, operationes et dispositiones magis notabiles ordine consecutivo digestam, Coloniae 1646; 1652; eam germanice vertit, ib. 1653.

[2]) Cf. de utroque Gelenio Ennen Allg. d. Biogr. VIII, 534—37; de Greck Leben und Wirken des Aegid Gelen, Köln 1835.

[1]) Cf. Zedler XXXIX, 1258.

[2]) Cf. Argelati II, 1137 ss.

historica dissertatio, 1656 in f.; *de ss. martyribus Arialdo, Aciato et Herlembaldo Cota ll. 4,* quibus historia mediolanensis illustratur, 1657 in f.; *s. Satyri conf. et ss. Ambrosii et Marcellinae tumulus luci restitutus,* ib. 1658; *Laur. Littae civis et archiepiscopi mediol. vita,* ib. 1653 in 4. — *Istoria ecclesiastica di Piacenza* t. 3 in f. (quorum 3. est valde rarus), Placentiae 1651—61 (l. 40) et *vita Gregorii X,* Romae 1635 in 4. sunt Petri Mariae Campi. — Bernardus Faynus collegit *catalogos quatuor* episcoporum, cardinalium, vicariorum generalium ecclesiarum brixianae sedis, Brixiae 1658 in 4. — Francisco Barbarano O. Cap. Vicetino († 1656) debemus *Istoria ecclesiastica della Città, Territorio e Diocesi di Vicenza,* Vicetiae 1649—53 t. 3 in 4. — Bernardini Manzoni O. Conv. († 1647) est *Caesenae s. historia ecclesiastica,* Caesenae 1643; Lugduni B. 1723 in f. — Felix Ciatti O. Min. Conv. Perusinus (n. 1592, † 1642) plurimum illustravit historiam perusinam suis scriptis, eruditis quidem, sed minus criticis, e quibus huc referri possunt: Paradosso storico *della Chiesa perugina* e del suo primo Vescovo, Venetiis 1634, opusculum sat rarum; *Delle Memorie Annali ed Istoriche delle cose di Perugia* ... nelle quali si descrive Perugia Etrusca, Romana ed Augusta, Perusii 1638 in 4., cui subjecit p. 4. *Perugia Pontificia*[1]). — Sebastianus Andreantonelli protonotarius et canonicus asculanus († 1644) scripsit *Historiae Asculanae* ll. 4. Accessit *Historiae sacrae* l. singularis, opus posthumum, Patavii 1673 in 4.

487. *De sacris ecclesiae neapolitanae monumentis* librum singularem (opus posthumum) reliquit (Neapoli 1645 in f.) Antonius Caraccioli, in quo pleraque in ea a primaeva ipsius institutione (tempore s. Petri ap.) ad usque a. Christi fere 900. gesta narrantur, illustrantur et ad historicam veritatem revocantur. Erat Antonius Caraccioli Neapolitanus e clericorum regularium familia, qui quamvis admodum parum valeret memoria, infatigabili diligentia et solertia huic medebatur defectui adeo, ut plura etiam docta composuerit opera († 19. Martii 1642 octogenarius). Adhuc puerulus libros semper secum ferebat, ut quovis temporis momento bene uteretur. Ordinem ingressus (1584) solidarum virtutum studio enituit. Aliquamdiu philosophiam docuit, sed cathedra relicta, sacrae scientiae totum se devovit. Opus ejus posthumum edidit ejus sodalis Franc. Bolvito[1]), qui cuncta digessit, stilum alicubi mutavit et innumeras penetrantes lacunas supplevit. Alia ejusdem opera sunt: *De vita Pauli IV. P. M.* collectanea historica; item Cajetani Thienaei, Bonifacii a Colle, Pauli Consiliarii, qui una cum Paulo IV. tunc theatino episcopo ordinem clericorum regularium fundaverunt, *vitae,* Coloniae 1612 in 4; vita s. Cajetani recepta fuit in acta SS. 7. Aug.; historica demonstratio *quod s. Januarii patria Neapolis fuerit* (recepta inter sacra monumenta ecclesiae neapol.); *nomenclator et propylaea in quatuor antiquos chronologos,* Neapoli 1626 in 4., scil. in Herempertum, monachum cassinensem, auctorem principum beneventanorum ab a. 785—888; Lupum Protospatham (cf. nomencl. I^{3}, 109^{5}), qui scripsit chronicon regni neapolitani ab a. 806—1102 sicut et tertius (anonymus monachus cassinensis) ab a. 1000—1195, et Falco notarius apostolicus (ib. II^{3}, 39) ab a. 1102—1140, opus rarum, quod post alias tres editiones recepit Muratori in t. V. script. rerum italicarum. *Biga illu-*

[1]) Cf. Vermiglioli, Biografia degli Scrittori Perugini I, 323 ss.

[1]) Hic Fr. Bolvito scripsit et *b. A. Avellini vitam ll. 3,* Neapoli 1622. Ejus clericorum reg. Scriptorum *Nomenclator,* quo alii usi sunt, videtur mansisse ineditus.

strium controversiarum: de s. Jacobi accessu ad Hispaniam et de funere s. Martini a s. Ambrosio procurato, Neapoli 1618 in 8; *synopsis veterum religiosorum rituum atque legum,* Romae 1612, in qua agit de origine clericorum tam regularium quam secularium, psallendi prisco usu et ritu, origine officii de b. Virgine, origine sacrae musices in ecclesiis, templorum nitore, ornatu et cultu, ss. ordinum collatione ac ministerio, priscis ss. virginibus, de concionatoribus, mentali oratione, conscientiae examine, officio sacerdotum e veterum exemplo, ritu audiendi confessiones, moribundis pie adjuvandis, funere christianorum, iteratione professionis religiosae, tribus votis religiosis, literis gratiosis, priscorum clericorum vestitu, jejunio, agape, cura aegrotorum, novitiorum educatione, studio literarum etc.[1]) — *Napoli sacra* edidit Caesar Eugenius Caraccioli 1623—54 in 4., quam auxit Carolus Lellis, opus valde rarum, in quo origo et fundatio omnium ecclesiarum, monasteriorum etc. describitur. — Bartholomaeus Chioccarelli eruditus juris consultus (n. 1580; † 1646) texuit *antistitum ecclesiae neapolitanae catalogum* ab apostolorum tempore ad a. 1643 (Neapoli); *de illustribus scriptoribus,* qui in civitate et regno Neapolis ab o. c. ad a. 1646 floruerunt, quod opus ex ejus msc. edidit Jo. Vincentius Meola, ib. 1780. 1781 t. 2 in 4. — *Historiam messanensis ecclesiae* et episcoporum vitas, et l. *de urbis Syracusarum antiquo archiepiscopatu,* ac de ejusdem in universa Sicilia metropolitico jure, Neapoli 1640, edidit praeter alia Antonius Amicus Messanensis, canonicus panormitanus, vir eximiae eruditionis historicae, et historiographus regius Philippi IV. († 1641). — Benedictus de Passaflumine O. S. Franc. Cephaleditanus († 1646) disseruit de *origine ecclesiae cephaleditanae* addiditque ejus urbis et dioecesis brevem descriptionem, Venetiis 1645. in 4.

488. Rodericus de Cunha Olisiponensis n. 1577, portalegrensis episcopus (1615), post triennium portuensis (1618), dein bracharensis (1627), mox olisiponensis († 4. Jan. 1643), disseruit *de primatu bracharensis ecclesiae,* Bracharae 1632, *Catalogo e Historia dos Bispos do Porto,* in portuensi urbe 1623; *Historia Ecclesiastica de Braga com as Vidas de seus Arcebispos e Varoens Santos e eminentes do Arcebispado pp.* 2, Bracharae 1634, 1635; Historia Ecclesiastica *dos Arcebispos de Lisboa,* Olisipone 1642, quae tamen alterius esse dicitur a Nic. Antonio II, 264, cui ille hoc opus imposuerit. *Super 1. p. decreti Gratiani commentarium,* Bracharae 1629 in f., edidit. Scripsit praeterea: Pro ss. papae Pauli V. statuto nuper emisso *in confessarios feminas sollicitantes in confessione* motae solutaeque quaestiones[1]), Beneventi 1611 in 4; cui operi additiones fecit Seraph. de Freitas O. b. M. de Merc. Vallisoleti 1620; locupletioribus additionibus illustratum ib. 1632 in 4. — Francisco Bermudez de Pédraza ecclesiae granatensis canonico (1655) debemus *Historia ecclesiastica,* principios y progresos de la ciudad y religion Catolica de Granada, Granatae 1638 in f., et *historiam eucharisticam,* ib. 1643 in 4. — Franciscus Rus de la Puerta Beaciensis († 1649) reliquit *La Historia Ecclesiastica del reyno y obispado de Jaen:* primera parte, que contiene sus principios y progresos en la Religion Christiana, Giennii 1634 in

[1]) Cf. Biogr. un. VII, 401; in primis Vezzosi I, 184 ss.

[1]) Expositionem const. Gregorii XV. *contra confessarios sollicitantes* in confessione dedit Joannes a Trinitate O. S. Fr. († 1645) Hispali 1643 in 8. Ei quoque debemus *Chronica de los frayles descalzos Menores* de la provincia de S. Gabriel, ib. 1652 in f.

4; altera non prodiit. — Bartholomaeus Fisen S. J. Leodiensis (1591—1649) descripsit *sanctam Legiam* romanae ecclesiae filiam, sive historiam ecclesiae leodiensis, Leodii 1642 in f.; 1696. Narrationem inchoat ab a. 600 ante Christum eamque perducit ad a. 1612; verum priora 10 secula vix aliquid continent, quod ad hanc spectet ecclesiam. Alia ejusdem opera sunt: *Origo prima festi corporis Christi* ex viso s. virgini Julianae divinitus oblato, ib. 1628 in 12; *flores ecclesiae leodiensis,* sive vitae et elogia sanctorum et aliorum, qui illustriori virtute hanc dioecesim exornarunt, Insulis 1647 in f., quae opera historica magnam produnt eruditionem. *Paradoxum christianum* laedi neminem nisi a se ipso, Leodii 1640 in 8. — Petrus de Wagenhare (Waghenare) O. Praem. Flander († 29. Aug. 1662) descripsit *s. Thomae cantuariensis et Henrici anglorum regis monomachiam de libertate Ecclesiae,* Coloniae 1626 in 8.

489. His merito addimus Carolum a s. Paulo abbatem fuliensem, congregationis Fuliensium superiorem generalem et demum (1642) episcopum abrincensem († 1644), propter suam *Geographiam sacram* sive notitiam antiquam dioecesium omnium patriarchalium, metropoliticarum et episcopalium veteris Ecclesiae ex ss. conciliis et patribus et historia ecclesiastica et geographis antiquis collectam, Parisiis 1641, quae cum notis et animadversionibus Lucae Holstenii, quibus plurimi auctoris errores corriguntur, et cum 10 tabulis geographicis Amstelodami iterum prodiit in f. 1704 (m. 30). „Primus quod quidem sciam, inquit Dupin[1]), veterem Ecclesiae africanae statum in tabula geographica exponere aggressus est R. P. Carolus a s. Paulo ... Opus arduum, in quo etiamsi multa peccaverit, illo tamen opere de republica christiana optime meritum nemo non fatebitur.“ Recensitis autem plurimis difficultatibus, quae in tali opere vincendae erant, prosequitur: „Has et alias difficultates superandas habuit R. P. Car. a s. Paulo, quo minus mirum est, illum in tot scopulos incautum impegisse. Queritur Nicolaus Sanson et jure queritur episcopatus ab illo plurimos omissos, aliquot vero duplicatos vel triplicatos, circiter trecenta nomina vitiose scripta, centum ad summum et septuaginta duos episcopatus in tabula collocatos, cum 300 positio potuerit stabiliri. Ex his 172 episcopatibus 5 aut 6 plus minus suum in tabula geographica locum obtinere, alios omnes perperam locatos etc.“ Divisum est hoc opus in 12 ll., pro variis partibus orbis christiani.

490. Secundus Lancilotti Ord. Olivet. suae congregationis[1]) fuit praepositus et etiam historiographus relicta *historia olivetana,* Venetiis 1623 in 4., in qua describit ejus originem, abbates, coenobia, viros egregios etc. — Joannes Michael Pio O. S. Dom. Plodius latine agnominatus, Bononiensis, theologiae lector, ab Urbano VIII. inquisitor generalis mediolanensis institutus († c. 1644), vir erat rerum ordinis diligens scrutator, cujus diligentiae argumenta sunt: *Della nobile e generosa progenie del P. S. Domenico in Italia* ll. 2, ove si tratta delle fondationi delli conventi e monasteri dell' ordine de' Predicatori eretti in Italia nel tempo che visse questo santo: si spiegano le vite di tutti

[1]) In admonit. in tabulam geographicam editioni Optati de schismate donatistarum praemissam. Cf. quoque ejus geographiam sacram in eadem editione p. 28. Loquitur autem Dupin tantum de ecclesia africana, quia de hac solum in editione operum Optati sollicitus erat; ita etiam Nic. Sanson, cujus mox verbis utitur. Brevem operis descriptionem cf. in *Bibliothèque choisie* II, 311.

[1]) Historiam ordinum illustrarunt etiam Jo. a s. Trinitate et Art. Monasterio, de quibus mox egimus.

gli huomini illustri per bontà, dignità e dottrina, che s' appartengono a questi conventi etc., Bononiae 1615 in f.; *delle vite degli huomini illustri* di s. Domenico pp. 2, ib. 1607. 1613 in f. — Nicolaus de Spinatiola O. Min., qui potiora sui ordinis munera obiit atque strenue pro disciplina laboravit († 1652), collegit *constitutiones omnes apostolicas* a religionis exordio usque ad a. 1648. Alia ejusdem scripta ad historiam ordinis spectantia non prodierunt. — Angelus a s. Francisco O. S. Franc. Anglus, lector theologiae primarius, descripsit *certamen seraphicum* provinciae Angliae pro Ecclesia, in quo declaratur, quomodo fratres minores angli calamo et sanguine pro fide certarunt, Duaci 1649 in 4., opus rarum, cui adjectus est catalogus scriptorum ex ord. fratrum minorum. — Bonaventura a Fasano O. S. Franc. collegit *Memorabilia Minoritica* provinciae s. Nicolai O. Min. reg. obs. ab a. 1222—1635, Barii 1656 t. 2 in 8., quorum primus continet situm et originem, fundationes et numerum conventuum et fratrum; secundus progressus particularium personarum, quae in officiis, dignitate, doctrina ac sanctitate floruere. — Andreas de Guadalupe O. Min. reg. obs. strenuus commissarius Indiarum generalis composuit *Historia de la Provincia de los Angeles de la reg. Obs. de s. Francisco,* Matriti 1662 in f. (m 88); *Mystica Theologia* supernaturalis infusa ex s. pagina, S. Dion. Areopagita, d. Bonaventura aliisque ss. patribus et doctoribus compacta, Matriti etc.

491. Franciscus de s. Maria O. Carm. Granatensis, strenuus religiosus, qui viae ducem habuit s. Theresiam sibi ex materno latere propinquam († 1654, juxta alios 1649), in laudem sui ordinis conscripsit *Historia profetica* de la Orden de Nuestra Señora del Carmen, Matriti 1630 t. 1. (et unicus) in f.; 1641 ed. 2. (m. 45) cum apologia adversus aliter sentientes. Prosequitur in eo historiam sui ordinis ab a. mundi 4048; ejus continuatio a tempore Christi usque ad a. 415 non prodiit. Descripsit dein tempora propinquiora reformationi in op. *Reforma de los Descalzos* de N. S. del Carmen de la prima observancia, ib. 1644 et 1655 (cum auctoris vita) t. 2 in f. — Marcus Antonius Alegre de Casanate O. Carm. Turiatonensis saepe concionabatur atque de antiquitate, nobilitate ac rebus gestis Carmelitarum disseruit *in Paradiso carmelitici decoris* sive de origine O. Carm. rebusque ab his per tot aetates gestis ac de Carmelitis pietate aut scientia claris, cui accedunt defensio pro Joanne patriarcha XLIV, Jo. Trithemii l. *de lauditus carmelitanae religionis* etc. Lugduni 1639 in f., quo tamen opere haud magnam gratiam apud sodales collegit, qui incuriose ac negligenter eum in historia domestica versatum fuisse conqueruntur. *Vida y encomios de s. Prudencio* Obispo de Tarazona, catalogo de sus Obispos y de algunos sucesos notables de aquella ciudad, Caesaraugustae 1626. Obiit 1658. — Martinus Marrier[1]) Cluniacensis (n. 4. Jul. 1572; † 1644) collegit *bibliothecam cluniacensem,* in qua ss. patrum abbatum cluniacensium vitae, miracula, scripta, statuta, privilegia, chronologia, catalogus abbatiarum, prioratuum etc. habentur, Parisiis 1614, cum annotationibus Andreae Du Chesne, ib. 1644 in f., ob monumenta, quae suppeditat, pretiosa. *Monasterii regalis s. Martini de Campis* parisiensis ord. cluniacensis *historia,* Parisiis 1637 in 4., opus rarum. — Angelus Manrique O. Cist. circa a. 1577 natus Burgis in Hispania propter eruditionem mentisque robur „Atlas salmanticensis academiae" dictus[2]), Scotum ibidem, divum dein Thomam est interpretatus, mox primam cathedram assecutus; a Philippo IV. episcopus Pacis Juliae (Ba-

---

1) Cf. Biogr. un. XXVII, 256.

2) Werner, der h. Thomas v. A. III, 14?.

dajoz) 1645 renunciatus († 1649). *Annales cistercienses* (seu verius ecclesiasticos) a condito Cistercio summa cura conscripsit [1]), sed defuit illi multarum rerum cognitio, quibus uberiores eos reddere potuisset. Prodierunt t. 4 Lugduni 1642—1659 in f. (m. 500); germanice, Augustae 1739—42 pp. 5 in 2 v. in f.

492. Mauritius du Pré (de Prato, du Preisive) O. Praem. Parisiensis „copiosos de monasterio s. Joannis ambianensi, de toto ordine, de sacra ascesi collegit meritorum manipulos“ [2]). Decessit 2. (juxta alios 8) Oct. 1645. Plurima reliquit opera, ex quibus tantum prodierunt: *La Vie du B. S. Norbert*... contenant l'Origine, progrez et advencement de l'Ordre de Prémonstré etc., Paris 1627; *Vie de S. Ulphe,* Amiens 1637; *Annales* breves O. Praem. (ad a. 1645), Ambiani 1645, quos diligenter quidem digessit, etsi non tali crisi, qualis in opere hujusmodi requiritur, ex defectu fere bonorum fontium: sunt vero compendium majoris operis, quod coeperat et cujus jam duo paraverat volumina. Prodierunt iterum cur. Ign. van Spielbeech Namurci 1886. — Marcus Mastelyn Bruxellensis (n. 24. Sept. 1599) Can. reg. O. s. Aug. in Viridi Valle (Groenendael), absolutis Lovanii studiis theologiam ibidem docuit. Postea factus est collegii sui ordinis Lovanii praeses (1631) et post aliquot annos (1536) praefuit coenobio Septem Fontium prior. Ejus tamen regimen fuit gravissime turbatum. Habito enim capitulo ob varia accusationum capita a praeposito generali fuit depositus aliusque in ejus locum substitutus. Sed agentibus ejus amicis demum post triennium in munus fuit restitutus († 23. Dec. 1652). His turbis non obstantibus juxta testimonium sodalium in obituario monasterii „Vir fuit lectionis et studii amantissimus, et quod hinc sequitur profundissime doctus, mirabiliter tamen comis et affabilis, jucunda ac lepida sua conversatione omnibus gratus et carus“ [1]). Et ab Val. Andrea in bibl. belg. dicitur: „Vir non minus religione vitaeque integritate quam ingenio doctrinaque excellens.“ Collegit *Necrologium* monasterii Viridis Vallis O. can. reg. s. Aug. congr. lat. et capituli windezemensis in nemore Zoniae prope Bruxellam, in quo agit de variis ordinis monasteriis, deque viris hujus monasterii claris praesertim fuse de Jo. Ruisbroek (cf. Nomencl. II³, 715). Joannis Bercht sodalis (cf. ib. II³, 922) *Elucidatorium in Psalmos davidicos* suppletis iis, quae a Ps. 114—133 deerant, edidit Antverpiae 1634 in 4. — Joannes Chrysostomus Vandersterre O. Praem. Silvaducensis coenobii praepositus a. 27 et visitator generalis apostolicus disciplinam regularem ita promovit, ut primus ubique vigor rediisse videretur († 28. Jul. 1652). Collegit *Natales SS. O. Praem.,* Antverpiae 1625; *Hagiologium* praemonstratense sive fasti SS. hujus ordinis videtur mansisse ineditum; *Chronicon praemonstratense* ecclesiae S. Michaelis fuit insertum Brabantiae illustratae A. Sanderi, quoad juxta alios est Mac. Simeomi. Praeter aliorum sanctitate illustrium virorum *vitas,* scripsit *vitam s. Norberti iconibus* illustratam Antverpiae 1622 in 4; etiam flandrobelgice ll. 3, et iterum latine l. 4. auctiorem; 1656 ed. annotationibus Polycarpi de Hertoghe sodalis locupletata, etiam in Act. SS. Iun. I, 804 ss. Cf. Goovaerts I, 287—95. — Petrus del Campo O. S. Aug.. Granatensis († 1660) scripsit *Historia general de los Eremitanos de la O. de S. Aug.,* Barcinone 1640 in f. — Antonius a Purificatione O. S. Aug. Lusita-

[1]) Cf. Nic. Antonius in bibl. hisp. n. I, 91, qui alia auctoris opera ascetica et concionatoria indicat; Pinius in actis de s. Bernardo (t. IV, Aug. d. 20) § 65.

[2]) Ita Georgius Spir. Norbert. lit. p. 471. Cf. Goovaerts Ecriv. de l'Ordre de Prém. I, 214 ss.

[1]) Cf. Alph. Goovaerts in Biogr. nat. de Belg. XIV, 6—11.

nus, patria Interamnensis, philosophiae et theologiae lector, munere chronistae suae provinciae functus est. Decessit die quem praedixerat 16. Apr. 1658 relictis pluribus operibus, inter quae *Theatrum triumphale* sive index rerum notabilium suae provinciae Lusitaniae XVI choris distinctum, Olisipone 1634; LL. 3 *de viris illustribus* antiquissimae provinciae Lusitaniae O. Fr. S. Aug., ib. 1642; *Chronologia monastica lusitana,* in qua omnes sancti ac beati, ac etiam venerabiles personae regulares, qui in Lusitaniae regnis ejusque ditionibus natae aut sepultae sunt, perhibentur, quoad fieri potuit, fidelissime ac brevissime referuntur, ib. 1642 in 4; Chronica *de antiquissima provincia de Portugal* da orden dos Eremitas de S. Ag., ib. pp. 2 1642. — Didacus a Matre Dei Toletanus vicarius generalis O. ss. Trin. Red. Capt. composuit *Chronica de los Descalzos de la SS. Trinidad,* 1652 pp. 2 etc.

493. Petrus Rovier (Roverius) S. J. Avenionensis in literis humanioribus excellens († 1649) auctor est operis: *Reomaus* seu historia monasterii s. Joannis Reomaensis in tractu lingonensi primariae inter gallica coenobia antiquitatis ab a. Christi 430. collecta et illustrata. — Neque praetermitti debet Philippus Brasseur Belga Montibus n. 1597, canonicus († 24. Oct. 1659). Illustrandae enim historiae ecclesiasticae Hannoniae totus incubuit, quam versibus heroicis, pluribus editis libellis, qui non carent pretio historico, celebravit. Constituunt ipsi unum corpus inscriptum *Prodromus Hannoniae,* in quo describit gesta eorum, qui sanctitate, dignitate, scientia floruerunt. Prior pars *Panegyricus sanctorum Hannoniae* prodiit Montibus 1644; altera *Theatrum abbatiarum* ib. 1645 in 12; tertia p. *Sydera illustrium scriptorum,* ib. 1637 in 12. Tota collectio est rarissima plane. Praeter alia[1]) ejus quoque est: *Origines omnium Hannoniae coenobiorum* 8 ll. breviter digestae, ib. 1650 in 12. — Ludovicus Beurrier O. Coel. Carnotensis († 18. Apr. 1645) narrat *Vies de fondateurs* et reformateurs des ordres religieux, Paris 1635, opus minoris pretii. Melior est *Histoire du monastère des Celestins de Paris,* 1634 in 4. Introductio ad scientiam *de sacramentis,* ib. 1631 in 12. — *Histoire générale de l'abbaye du Mont St. Michel* au peril de la mer Joannis Huynes O. S. Ben. prioris monasterii s. Florentii prope Salmurium in dioecesi andegavensi (fl. 1647), cujus etiam historiam scripserat, prodiit demum cura Eug. da Beaurepaire, Rotomagi 1872. — Denique Philibertus Monet S. J. gallus, linguae latinae peritissimus († 31 Mart. 1643) praeter multa ad literas humaniores spectantia[1]) concinnavit *literas annuas Soc. Jesu* a. 1612—14, Lugduni 1618. 1619 t. 2. — Jacobus d'Amiens (Damianus) S. J. Atrebatensis (n. 6. Jan. 1599, † 16. Dec. 1650) proposuit *synopsim primi seculi Societatis Jesu,* Tornaci 1641 in f., opus rarissimum, quod incendium, ut fertur, absumpserit integram fere exemplarium copiam.

494. Cum hoc seculo *missiones* multum florerent, non defuerunt qui copiosas de iis colligerent notitias. Praeter Franc. Colin aliosque, de quibus egimus nn. praeced., huc spectant Franciscus Andegavensis O. Cap. qui descripsit *Historiam missionis FF. Capuccinorum* ad regnum Marochii in Africa

[1]) Cf. Biogr. nation. belg. II, 909. Petrus Coens Halensis, canonicus antwerpiensis († 7. Aug. 1645) non ineredite disputavit *de origine Beghinarum et Beghinagiorum Belgii,* cum adjunctis notis, quibus declaratio veridica (Zegeri van Hontsum Antverpiensis, canonici et poenitentiarii cathedralis † 19. Jan. 1643), quod Beghinae nomen, institutum et originem habeant a s. Begga Brabantiae ducissa, illustratur, Leodii, 1629 in 8. Ipse illud derivat a Lamberto le Begue, presbytero leodiensi, qui floruit circa a. 1173.

[1]) Cf. Sommervogel V, 1207—1212.

cura et ordinatione P. Jos. le Clerc Matriti 1644 absque auctoris nomine. Narrat praeterea Vitam et gesta P. Jos. le Clerc Cap., qui erat omnium missionum commissarius generalis, Parisiis 1645 in 4. — Ejus sodalis Pacificus a Provino Parisiensis veri apostoli instar vitam duxit. Quippe missionarius evangelicus ad Persas, Aegyptios infideles se traduxit regionesque barbaras Orientis Occidentisque penetravit. Ivit, redivit, laboravit certavitque inter assiduas aerumnas, sed nunquam incassum, nam plenam undique retulit messem. Navigationem suscipiens ad plagam australem Americae, ibi meritis virtutibusque plenus obiit a. 1653. Prodiit *Relation historique de son Pèlerinage* ou de sa Mission en Terre Sainte[1]), en Egypte et en Perse, Paris 1648. — Plura de missione japonica variis in libellis refert Antonius Franciscus Cardim S. J. Hispanus diu per Japoniam, imperium sinense et siamense, per Cochinchinam et Tonquinum missionarius († 30. Apr. 1659). Ita in *Relatione della Provincia del Giappone,* Romae 1645; *Fasciculus* e japponicis floribus suo adhuc madentibus sanguine, Romae 1646; *Catalogus regularium et secularium,* qui in Japponiae regnis usque a fundata ibi a s. Francisco X.... ecclesia ab ethnicis in odium christianae fidei sub quatuor tyrannis violenta morte sublati sunt, Romae 1646 etc. — Ita et Christophorus Ferreira S. J. lusitanus, qui tempore gravissimarum persecutionum missionarius tormentorum crudelitate victus fidem negavit, sed lapsus poenitentiam sinceram egit atque iterum tormenta subiens sanguine constanter effuso omnem lavit culpae maculam c. 1652. Habemus ejus *Relaçaõ du Perseguiçaõ* contra a Fé levantada no Reyno de Taicu no anno 1627, in literis annuis Japoniae 1625—27 p. 189—245. 246—249, Romae 1632; *Relatione delle persecutioni* mosse contro la Fede di Christo in varii regni del Giappone negli anni 1628—30, Roma 1635. — Bernardinus Ginnaro Neapolitanus S. J. (17. Sept. 1644) collegit ex literis missionariorum *Saverio Orientale* o vera Istoria de Cristiani illustri dell'Oriente pp. 4, Neapoli 1641 in 4. ab a. scil. 1542—1600, tomus 1. (et unicus m. 36). — Joannes Bapt. de Machault S. J. Parisiensis († 1640) collegit ex literis missionariorum *Histoire* de ce qui s'est passé es royaumes du Japon et de la Chine, Parisiis 1627; *Histoire*... es royaumes d'Ethiophie, ib. 1629. — Emmanuel de Almeyda S. J. Lusitanus, missionarius per Indiam et Aethiopiae visitator († 1646) scripsit *Historia Geral da Ethiopia alta,* ou Preste Joam e do que nella obraram os Padres da Companhia de Jesus, Coimbra 1660 in f.; *literas annuas* ex Aethiopia (1626—27) et ex imperio sinensi (1625—26) ad praepositum generalem scripsit, quae italice prodierunt Romae 1629. — Didacus de Beroa seu Boroa S. J. Hispanus totam fere vitam in missione Paraquariae transegit, cui et praefuit munere praepositi provincialis († 13. Apr. 1658). Supersunt ejus *literae annuae* (1635—37) provinciae Paraquariae ad M. Vitalescum praepositum generalem (latine reditae a P. Fr. de Hamal S. J.) Insulis 1642. — Alphonsus de Ovalle (d'Ovaglie) S. J. in regno chilensi Americae meridionalis natus (1601; † 1651) familia no-

[1]) Eodem hoc tempore Eugenius Roger O. Min. Gallus auctor fuit op.: *La Terre Saincte* où Description topographique tres-particuliere des saincts Lieux et de la Terre de Promission, avec un Traitté de quatorze nations de differente Religion qui l'habitent, leurs moeurs, croyance, ceremonies et police. Un discours des principaux points de l'Alcoran. L'histoire de la vie et mort de l'Emir Fachr ed-din, Prince de Damas, Paris 1646; 1664; 1666. — Claudius Olgiati O. Min. reliquit *Viaggio di Gerusalemme* con la descrittione non solo dei santi luoghi ed altri visti si nell'andare come nel ritornare ma anche di molte altre cose degne etc., Milano 1647.

bili scripsit *Historica relacion del Reyno de Chile* y de las Missiones y ministerios que exercita en el la Compañia de Jesus, Romae 1646 in f. opus rarum; *epistola* ad praepositum generalem S. J., qua statum in provincia chilensi exponit, Matriti 1642. — Andreas Perez de Ribas S. J. Cordubensis, provinciae mexicanae praepositus (26. Mart. 1655) concinnavit *Historia de los triumphos de nuestra Santa Fé* entre Gentes las mas barbaras y fieras del nuevo Orbe: consegiudos por los Soldados de la Milicia de la Comp. de Jesus en las Missiones de la Provincia de Nueva España etc., Matriti 1645 in f. — Henricus More (Talman, Parr) S. J. ex illustri Thomae Mori familia[1]) post alia obita munera provinciae Angliae praepositus († 8. Dec. 1661), scripsit *Historiam missionis* etc. provinciae anglicanae S. J. ab a. 1580—1635, Audomari 1660 in f., opus rarum et pretiosum.

495. Hagiographis accensendi sunt[2]): Joannes d'Assignies O. Cist. nobilibus parentibus ortus († 1642), qui praeter plura ascetica edidit[3]) *Vies des personnes illustres en sainteté* de l'ordre de Citeaux, Duaci 1598; 1606 t. 2 in 4. — Petrus Saraceni Tommaso O. Carm., bononiensis n. 1562, philosophus ac theologus insignis († 21. Nov. 1643), qui collegit[4]) *menologium carmelitarum* sive acta sanctorum et sanctarum O. Carm. Bononiae 1627 in 4., sed judicibus bollandistis (acta ss. t. 1. Apr. ad diem 8.) „auctor infelix fuit in tradenda veritate et nec fictionibus sobrie uti novit.“ — Coelestinus Telera O. Coel. abbas Manfredoniae in regno neapolitano natus, edidit *Historie degli uomini illustri per santità del ord. dei Celestini,* Bononiae 1648. — Joannes Baptista Castaldo Pescara O. Theat. († 30. Mart. 1653) descripsit *vitas* plurium virorum sanctitate illustrium O. Theat., quas recenset Vezzosi I, 244—56. Inter ejus opera est et illud *Icones (46) sanctorum et illustrium virorum,* qui ab Ecclesiae nascentis exordio usque ad superioris seculi tempora in variis orbis partibus Cler. reg. institutum omnium primi fundaverunt, restituerunt, Romae 1620 in f. quo in op. nimis proprii ordinis amore plures tamquam ejusdem praecursores vel sodales depraedicat, qui diu ante illius institutionem floruerant. — Petrus Malpe (Malpeus, Maphaeus) O. Praed. Bruxellensis, conventus patrii prior antiquitatis ordinis erat studiosissimus, quam in rem multa paraverat edenda, nisi mors immatura consilia fere omnia praevertisset 29. Dec. 1645. Prodiit tantum *Palmae fidei* sacri ord. ff. Praed. i. e. de martyribus O. Praed. Antverpiae 1635 in 8. — Joannes a s. Maria O. Praed. in seculo dictus de Giffre de Rechac 25. Aug. 1604 apud Quillebovium Neustriae castrum est natus. Adolescens 14 annorum habitum s. Dominici induit absolutisque studiis, postquam aliquamdiu theologiam sodales docuit, missionarius in Orientem missus in insula Chio strenue fidei catholicae propagandae confirmandaeque incubuit. In Galliam redux laboribus pariter apostolicis se dedit, sed

[1]) Cf. Gillow V, 97 s.; Sommervogel V, 1305.

[2]) Inter hos memorari etiam debent R. Pirrus (p. 1114), Salv. Vitalis (p. 1115), Art. a Monasterio (p. 1122), Fisen (p. 1129), J. Chrys. Vandersterre (p. 1134) etc.

[3]) Cf. Biogr. nat. de Belg. I, 505.

[4]) Cresacre (Christophorus) More nepos B. Thomae Mori laicus († 26. Mart. 1649) scripsit The Life and Death of Sir Th. More, Paris 1626; Londini 1828, cur. Jos. Hunter, quae olim tributa fuit erronee Thomae More ejusdem fratri (cf. II, 1268). Cf. Gillow V, 93 ss. — Sanctus Burdegatus (Bordegato) O. Min. lector generalis narrat *vitam* s. Antonii Patavini, Patavii 1663. — Ludovicus du Four S. J. Gallus († 14. Nov. 1642) auctor est l. *S. Leontius ep.* suis Forojuliensibus restitutus. Opus ad instruendos ornandosque de sanctorum laudibus sermones panegyricos accommodatus, Avenione 1636.

et investigandis monumentis pro illustranda ordinis historia, in qua tamen paulo fuit credulior († 9. Apr. 1660). Praeter vitas sanctorum quorundam singularium, in primis s. Dominici, Parisiis 1647, scripsit[1]) ordine alphabetico *Les vies et actions memorables des Saintes et Bienheureuses* tant du premier que du tiers ordre du glorieux pere et patriarche s. Dominique, Parisiis 1635 t. 2 in 4., opus aestimatum; *Les vies et actions des Saints canonizez* de l'ordre des FF. Precheurs et de plusieurs Bienheureux et illustres personages du même ordre, ib. 1647 in 4; *Les Beatifiez de l' Eglise,* dont on celebre les festes par tout l'ordre ou en divers endroits avec le triomphe des Martyrs du même ordre, ib. 1650 in 4.

496. Joannes Tamayo de Salazar, vicarius generalis abulensis († 1662), male meritus de hispanica historia utpote Pseudo-Dextri et spuriorum similium historicorum assecla et propugnator, e quorum fere scriniis misere simplex consarcinavit[2]) *Martyrologium hispanum* sive anamnesim h. e. commemorationem omnium sanctorum hispanorum pontificum, martyrum, confessorum, virginum, viduarum ac ss. mulierum, per dies anni digestam et concinnatam ac notis apodicticis illustratam ad methodum martyrologii romani, Lugduni 1651—59 t. 6 in f. (m. 130). — Albertus Chanowsky S. J. Bohemus, per Moraviam et Bohemiam missionarius († 15. Maj. 1645, juxta alios 1643) absolvit inchoatas prius a P. Jac. Beskovio vitas Christi, b. Virginis et Sanctorum ediditque l. inscriptum *Vitae Sanctorum,* Pragae 1625 in f., qui est quasi Surii compendium. *Vestigium Boëmiae piae* seu res quaedam memoria dignae, quae in Bohemia . . . sunt pie erga Deum gestae vel a Deo hominibus singulari favore aut etiam in poenam acciderunt, quod opusculum Jo. Taner sodalis notis illustratum et auctum Pragae edidit 1659 in 12., estque op. majoris, quod Chanowsky cogitaverat, veluti quaedam adumbratio. — Franciscus Lahier S. J. Gallus aliquamdiu theologiae moralis professor († 1656) collegit *Le grand Menologe* des Saintes, bienheureuses et venerables Vierges, Lilles 1645 t. 2. — Angeli a s. Clara O. Min. *Certamen Seraphicum* fidei Provinciae Angliae, Duaci 1661, iterum editum fuit nostra aetate ad Aquas Claras (Quaracchi).

497. In primis laude dignus est Carolus Stengel[1]) O. S. Ben. Augustanus (n. 29. Jan. 1581), abbas anhusanus (1630), vir laboriosae industriae, otii acerrimus hostis, eruditus et ob editos libros a summis pontificibus, purpuratis patribus aliisque principibus et viris illustribus plurimum commendatus: nam libris undecentum de diverso argumento praelo subjectis immortale sibi nomen paravit, perdius et pernox vel oratione vel lectione vel scriptione gnaviter occupatus. Disciplinam monasticam verbo et exemplo egregie fovit et promovit. Bis ob turbas bellicas diu exsul a suo monasterio peregrinari debuit. Obiit 27. Jan. 1663 a. aetatis 82. Ex ejus operibus hic tantum aliqua indicabimus[2]): *Vita s. Joannis Ap.,* Ingolstadii 1653; *s. Wic-*

[1]) Alia ejusdem opera ascetica cf. apud Echard II, 594.

[2]) Cf. Nic. Antonius I, 784, et praesertim Hisp. vet. II, 30 n. 113 ss., qui acerrimam de eo pronunciat censuram, eique exprobrat linguae latinae ignorantiam, quae omnibus fere versibus se prodat, sermonis inelegantiam, quod sese totum dederit in ulnas confictorum auctorum omnesque paginas nugis et fabulis intolerandis et enormibus impleverit etc. Ita et alii apud Schüz in Com. crit. de script. hist. p. 446 s.

[1]) Distinguendus a Georgio Stengel, cujus facta est mentio p. 1023.

[2]) Cf. indicem post ejus vitam ap. Ziegelbauer III c. 4 § 11; Kienle KL. XI, 756 s.; P. Pirminius Lindner Diöcesanarch. von Schwaben 1890 n. 11 et 1891 n. 5.

perti episcopi augustani, 1607 in 8; *ss. Wilhelmi ab. hirsaugiensis* et *Wilhelmi gellonensis* cum commentario, Augustae 1611 in 4; *s. Wunibaldi ab.,* ib. 1612 in 4; *s. Symperti* ep. augustani, ib. 1615 in 8; 1616; *s. Benedicti,* ib. 1621 in 8; *s. Dominici,* ib. 1612 in 8; *s. Bernardi,* ib. 1614 in 8. (hae duae germanice); *de ss. 14 auxiliatoribus,* ib. 1620 in 16. etc.; *signaculum s. Crucis* contra sectarios assertum, Ingolstadii 1612 in 4. (germanice); *de reliquiarum cultu, veneratione ac miraculis* ll. 5, ib. 1624; *de statu animarum post mortem,* ib. 1645; *commentarius rerum a s. Petro gestarum* e ss. literis, ss. patribus et probatissimis scriptoribus, Augustae 1620; *Monasteriologia,* insignium aliquot monasteriorum O. s. Ben. in Germania origines, fundatores clarique viri ex eis oriundi describuntur pp. 2, ib. 1619 p. 1; 1638 p. 2, quae facta est rarissima, recusa a Kuen ib. 1755—56; chronologica et compendiosa *descriptio cel. et ant. monasterii ss. Udalrici et Afrae,* ib. 1613; *commentarius rerum augustanarum* ab urbe condita ad sua tempora i. e. a. 1647, Ingolstadii 1647 in 4; cui *mantissam,* in qua amplior dioeceseos augustanae notitia continetur, adjecit, Aug. 1650 in 4. Habentur in hoc commentario erudito vitae episcoporum augustanorum a s. Dionysio primo ep. usque ad Henricum V. episcopum 60; *Corona lucida* in coelo jam fulgens olim in terris conserta ex illustribus vita, doctrina, Sanctitate monachis O. S. Ben. descripta, ib. 1621; *Thesaurus biblicus* . . . in 9 priora cc. Genesis pp. 4, Ingolstadii 1651—52; *Origo monasterii Anhusani* libellus posthumus in *Notitia* codd. mscr. s. Udalrici ed. Braun 1, 141—164. — Martinus l'Hermite S. J. natione Belga († 6. Oct. 1652), praeter alia scripsit[1]): *Histoire des Saints de la Province de Lille, Douay, Orchies* avec la naissance, progrès, lustre de la Religion Catholique en ces Chastellenies. Sequitur: *Heureux progrès de la Religion sainte* a Lille. Douay, Orchies etc., Duaci 1638 in 4, (fr. 30). Ei quoque adscribitur: *Catéchisme ou Abrégé de Doctrine touchant la Grace divine* selon la Bulle de Pie V., Gregoire XIII., Urbain VIII. *Antidote des erreurs du temps,* ib. 1650 in 16., prohibitus decreto 6. Oct. 1650.

[1]) Cf. Backer II, 128; Foppens II, 856.

498. Magnum opus aggressus est Joannes Colgan O. Min. Hibernus philosophiae et theologiae lector. Cogitaverat colligere *Acta SS. Hiberniae* t. 6, cujus op. tamen prodiit tantum t. 1. inscriptus *Acta Sanctorum veteris et majoris Scotiae* seu Hiberniae sanctorum insulae partim ex variis per Europam mss. codd. exscripta, partim ex antiquis monumentis et probatis auctoribus eruta et congesta, omnia notis et appendicibus illustrata Jan. Febr. et Martium complectens, Lovanii 1645 in f. Hujus quasi alter t. est *Acta triadis thaumaturgae* seu divorum Patricii, Columbae et Brigidae, ib. 1647. Initio quidem hagiographis Acta haec suspecta videbantur: lapsu tamen temporis crevit eorum aestimatio et nostra aetate apud viros criticos magna eorum habetur ratio[1]). Scripsit etiam *de vita, patria, elogiis ac doctrina doctoris subtilis,* Antverpiae 1655. Obiit diligens et eruditus auctor 15. Jan. 1658. — Qua occasione praetermittendus non est Stephanus White (Vitus) S. J. Hibernus, theologiae professor Ingolstadii et Mussiponte († ante a. 1662), qui solicitissimus fuit de gloria patriae suae atque doctissima hunc in finem opera concinnavit, quae tamen ex subsidiorum defectu imprimi non potuerant: inedita servantur: ejus studiis usi sunt Bollandistae aliique viri eruditi[2]). — Ni-

[1]) Cf. Bellesheim Gesch. d. kath. Kirche in Irl. III, 694—697.

[2]) Cf. Bellesheim p. 699 s. qui eum encoimio prosequitur; Backer III, 1523, qui de eo scribit: Le P. White est incontes-

colaus Maria de Guerrois Orat. Trecensis concinnavit *Ephemeridem* Sanctorum ecclesiae trecensis, Trecis 1648 in 12. et aliis omissis *Histoire ecclesiasticae de Troyes,* ib. 1637. — Rainucius Pico Parmensis laicus Odoardo duci a secretis omne a negotiis tempus liberum Sanctorum vitis scribendis impendit († 1644). Inter plurimas biographias[1]) scripsit et *Specchio de' Principi* ovvero Vite (24) de' Principi Santi, Parmae 1622; *David glorioso*, Romae 1631; *Vita di Gottifredo duca di Buglione* re di Gierusaleme ove si descrive l'impresa di Terra santa, con varii esempi et osservationi spirituali, morali e politiche, Venetiis 1626; *Teatro de' Santi e Beati* della Città di Parma e suo Territorio, Parmae 1642; *Appendice* de' vari Soggetti Parmigiani, che o per bontà di vita o per dignità o per dottrina sono stati in diversi tempi molto celebri o illustri, ib. 1642 etc.

499. De historia *literaria* meruerunt praeter Wadding, Chiocarelli, Mich. Pio, Brasseur, Ang. a s. Francisco, de quibus jam egimus, Val. Andream et Swertium, de quibus mox, Celsus de Rosinis O. Cler. can. reg. lat., abbas, cujus exstat *lyceum lateranense* illustrium scriptorum s. apostolici ordinis reg. cler. can. Salvatoris lateranensis elogia ll. XX ad faciliorem ordinem digesta, in quibus eorum opera edita recensentur editionesque notantur et quae msc. integra reliquerunt, in quibus bibliothecis asserventur, adducitur, Cesenae 1649 t. 2 in f. (m. 30). — Joannes le Paige (Pagius) O. Praem., Sorbonae doctor, vir juxta Hugo[1]) „ambiguae fortunae, lectionis multae, criterii mediocris, qui bene audiit apud doctos, melius audiret, si ordinis scrinia fuisset scrutatus“ († 1650), collegit *bibliothecam ordinis praemonstratensis,* Parisiis 1633 t. 2 in f. (m. 200) opus rarum, cujus l. 1. continentur praeliminaria; 2. vitae et gesta SS. utriusque sexus O. Praem.; 3. privilegia pontificia et regia; 4. statuta et 5. quae electiones spectant. — Philippus Elsius O. S. Aug., Belga († 1651) collegit *Encomiasticon augustinianum,* Bruxellis 1654 (m. 40), in quo recensentur personae ordinis Erem. s. Aug. sanctitate, praelatura, legationibus scriptisque praestantes, judicio tamen non satis critico: avidius enim incautiusque multos aliorum ordinum scriptores suo asseruit, inter quos ipsum s. Franciscum Assisinatem: unde nil mirum, quod eorum recenseat ad 2500. — Philippus Alegambe S. J. Bruxellis n. 22. Jan. 1592, aliquamdiu in academia graecensi philosophiae professor († 6. Sept. 1652), longe accuratiori diligentia concinnavit *bibliothecam Scriptorum Soc. Jesu* post excusum a. 1608 catalogum R. P. P. Ribadeneirae Soc. ejusdem theologi, Antwerpiae 1643 in f.; accedit catalogus religiosorum S. J., qui hactenus pro catholica fide et pietate in variis mundi plagis interempti sunt: quem catalogum in opus dilatavit[2]), cui extremos aliquot annos mortesque illustres ad a. 1655 adjecit Joannes Nadasi ejusdem Soc. J. († 1679), Romae 1657 in f. — Praeiverat Daniel Hainal S. J. Silesius Graecii professor († 9. Aug. 1661), qui collegit *Centum S. J. heroes,* qui hoc primo seculo ex theologica, philosophica et humanistica facultate prodierunt, Graecii 1640. — Franciscus Maria Torrigius praeter plura reliquit l. *de cardinalibus S. R. E.* scriptoribus, Romae 1641.

---

tablement un homme très remarquable; V. de Buck in diss. L'Archéologie Irlandaise au convent de S. Ant. de Pad. à Louvain in Etudes relig. Paris 1869 p. 408—437; 586—603, et seorsim; Reeves Memoir of St. W. read before the R. J. Academy 30. Nov. 1861.

[1]) Cf. Affò Memorie degli Scritt. parmeg. V, 55—61.

[1]) In praef. Annal. Cf. Goovaerts Ecriv. de l'ordre de Prém. II, 7—10.

[2]) Cf. Sommervogel I, 151—155.

500. Jacobus Philippus Tomasini Patavinus, can. congreg. s. Georgii in Alga, hujus congr. visitator (1639), episcopus Aemoniae (Città nuova 1641; † 13. Jun. 1655) collegit *Bibliothecam patavinam* seu elenchum mss., quae sive in publica sive in privatis Patavii bibliothecis circa initium sec. XVII. inveniebantur, Utini 1639, cum collectoris notis brevibus, quibus minus noti scriptores illustrantur; *Bibliothecae venetae* manuscripta publica et privata, Utini 1650. Auctor est op. sub titulo *Parnasi Euganei* sive de scriptoribus ac literatis hujus aevi clarissimis, Patavii 1647 in 4. *Elogia illustrium virorum* iconibus exornata, Patavii 1630 pp. 2; *Prodromus Athenarum patavinarum,* ib. 1633, in quo catalogum exhibet virorum illustrium patriae suae: num ipsae *Athenae* patavinae, quarum Mazzucchelli mentionem facit et quas allegat, prodierint, valde est dubium. *Gymnasium patavinum* ll. V, Utini 1654; *Agri patavini inscriptiones* sacrae et profanae, Patavii 1696 in 4; *urbis patavinae* etc., ib. 1654 in 4; 1701; Tr. *de tesseris hospitalitatis,* Utini 1647; *Annales canonicorum reg. s. Georgii* in Alga Venetiarum, Utini 1642; pluresque biographiae aliaque ad literas humaniores spectantia[1]) etc. — *De viris illustribus* monasterii s. Martini tornacensis scripsit Aegidius Duquesne hujus monasterii bibliothecarius (fl. 1650). Quae leguntur de viris nondum notis exhibet U. Berlière in Studien u. Mitth. aus dem Ben. u. Cist. Orden XII (1891), 90—104. — Odo Cambier O. S. Ben. in monasterio affligheniensi († 1651) concinnavit opus inscriptum *Scholae benedictinae* sive de scientiis opera monachorum O. S. Ben. auctis, excultis, propagatis et conservatis ll. IV, quod demum G. Wilkens publicae luci dedit in iisdem Studien XVII (1896), 59—77; 239—55; 398—416; 601—9 etc.

[1]) Cf. Vedova Biogr. degli Scritt. padov. II, 334—45.

— Joannes Ego O. S. Ben. monasterii Augiae divitis prior († 25. Jul. 1643) l. *de viris illustribus* sui monasterii composuit editum a Pez Anecd. I p. 3 pag. 629—773, in cujus sect. 1. de sanctis et beatis augiensibus disserit; in 2. de doctoribus et scriptoribus, et in 3. de monachis Augiae ad varias dignitates assumptis. Reliquit et *Chronicon augiense.* — *Historiam academiae lovaniensis* ll. 3 describit Nicolaus Vernulaeus, in quibus disserit de ejus origine, incremento, forma, magistratibus, facultatibus, privilegiis, scholis, collegiis, viris illustribus, rebus gestis, Lovanii 1627; recognita et aucta per Christ. a Langendonck prodiit ib. 1667. Nic. Vernulaeus ex ducatu luxenburgensi oriundus n. est 10. Apr. 1583. Vir erat doctrina varius, ingenio politus et elegans, judicio perspicax, stilo praesertim latino facilis et eloquens. Caesarei et regii historiographi munere fuit auctus, in porcensi gymnasio Lovanii a. 30 rhetoricam docuit. Justi Lipsii in cathedra successor magnamque nactus est propter stili elegantiam nominis famam. Plurima reliquit opera poetica, oratoria, politica, historica. In suis de una et varia religione orationibus (X), Lovanii, acriter invehitur in sectarum tolerantiam[1]). Obiit 6. Jan. 1649.

501. Reliqua est *archaeologia christiana,* de qua inter alios meruit Nicolaus Hugo Menardus O. S. Ben. congr. maur. Blesensis n. 1585. Primus fuisse fertur, qui studia literarum in congregatione s. Mauri extulerit eaque cum sanctioris vitae cultu conjungenda esse qua sermone, qua exemplo docuerit. Temporis jacturam praeprimis deflebat. Hinc recessus et solitudinis amantissimus in paucis amicis acquie-

[1]) Cf. Foppens p. 922 s.; Bolte allg. d. Biogr. XXXIX, 628—638, qui accurate de ejus operibus rhetoricis et poeticis disserit.

scebat iisque selectis, quos inter principem locum obtinuit Jacobus Sirmondus S. J. Horum judicio, quidquid commentaretur, permittere solitus erat vir summae modestiae. Memoria erat egregia atque adeo tenaci, ut quae semel legerat oblivisceretur nunquam, hinc nulla unquam collectanea aut adversaria memoriae sustentandae gratia condidit: unde etiam Sirmondus dicere solebat, Menardi memoriam morosae plurium librorum evolutioni se praeferre, et si quo ex veteribus loco ad explicanda certorum scriptorum dicta opus esset, multo praesentiorem sibi opem expeditioremque rem ab una Menardi sui memoria, quam a pluribus commentariis fore. Morte pene repentina 20. Jan. 1644 sublatus est vir singulari pietate praeditus, antiquitatis ecclesiasticae peritissimus atque criticus solertissimus[1]). Hanc solertiam et peritiam testantur ejus opera, pauca quidem sed docta. Edidit in primis *S. Gregorii I. Papae librum sacramentorum* correctiorem et locupletiorem ex Missali ms. s. Eligii cum notis et observationibus eruditissimis, Parisiis 1642 in 4., etiam in edit. op. s. Gregorii a. 1705 t. 3. »Duo autem ibi consideranda sunt, scribit Muratori diss. de rebus liturg. c. 6, textus videlicet Gregoriani sacramentarii ipsiusque Menardi notae. Ad hasce quod attinet, eae ex multiplici eruditione, qua in liturgicis rebus eminebat vir doctissimus, summopere sunt commendandae, et dignae quae omnium manibus terantur. Quod vero pertinet ad Gregorianum textum ab eo editum, en quid de eo senserint patres Benedictini in praefatione ad idem Sacramentarium: ‚Et sane, inquiunt, perpensis omnibus aequiori lance, nullum ipsi vel ob antiquitatem vel ob integritatem praeferendum duximus, lecta, quam editioni suae vir doctissimus praefixit, praefatione.‘ Verum v. cardinali Thomasio, ut in ejus Vita memoriae proditum lego, aliter visum fuit. Scil. optasset ille, ut Benedictini Gregorianum a Pamelio editum Sacramentarium in edit. operum s. Gregorii M. praetulissent, cum illud magis conforme ac simile censeret primigenio textui s. pontificis, quam alterum a Menardo editum; quod tamen facere ii vetabantur, quando statuerant utilissimas Menardi notas in suam editionem inferre, quae textui diverso a Menardino minime respondissent. Ceterum quin Pamelii textus Menardino sit praeferendus, ut arbitratus est Thomasius ac dein confirmavit eximius P. Mabillonius, nemo dubitare poterit, qui diligentiori lance utrumque expendat.« Hactenus Muratori. *Epistola s. Barnabae ap.* cum doctissimis notis, Parisiis 1645 in 4. (opus posthumum); *martyrologium sanctorum* O. S. Ben. 2 ll. observationum illustratum, ib. 1629 in 8; *de unico Dionysio Areopagita*[1]) Athenarum et Parisiorum episcopo dissertatio seu diatriba, quam suppresso suo nomine adversus Joannis Launoji discussionem Milletianae responsionis vulgavit, ib. 1644 in 8.

502. Paulus de Angelis, Clementi VIII. acceptus, canonicus ad s. Mariam Maj. († 1647) dedit *Basilicae s. Mariae M.* de urbe a Liberio papa usque ad Paulum V. *descriptionem et delineationem*, Romae 1621 in f. et illustravit notis *basilicae veteris vaticanae descriptionem* auctore Romano (cf. II³, 149), ib. 1646 in f. — Joannes Baptista Casalius Romanus, Camerarius hospitii ss. Trinitatis († 1648, juxta alios post a. 1650) versatus tum in archaeologia profana[2])

[1]) Cf. Pez, bibliotheca benedictino-maurina l. 1 c. 1; Biogr. un. XXVIII, 264. De ejus oper. Journal des Sçavans 9. Mart. 1665; Dupin XVII, 226.

[1]) Jacobus Doublet O. S. Ben. († 1648) scripsit *Histoire chronologique* pour la verité de s. Denys Areopagite, Parisiis 1646 in 4; *Histoire de l'Abbaye de s. Denys* en France, ib. 1625 in 4.

[2]) Opera ad archaeologiam profanam spectantia cf. ap. Feller II, 369; Schlösser

tum christiana, quam illustravit hoc opere: *Sacrae profanaeque religionis vestutiora monumenta* seu de profanis et sacris veteribus ritibus opus tripartitum, Romae 1647 in f.; Francofurti et Hanoverae 1681. 1684. Prius seorsim ediderat *de veteribus sacris Christianorum ritibus* sive apud occidentales sive orientales catholica in Ecclesia probatis, quo in opere haud pauca, ut temporum praestitit ratio, de ss. ritibus ac de illorum mystico sensu, de ecclesiasticis historiis modo adnotata, modo discussa simplici stilo patebunt, Romae 1645 in 4., opus rarum protestantibus oppositum, quo in op. desiderat Zaccaria[1]) „majorem criticen (quod tamen fere omnium, qui eo tempore scripserunt, vitium est) et fortasse etiam exquisitiorem quendam sive argumentorum, sive testimoniorum delectum.“ *De Urbis ac rom. imperii olim splendore,* Romae 1650, librorum ejus optimus; *de ritu nuptiarum veterum; de tricliniis, conviviis,* hospitalitate et tesseris veterum; *de insignibus,* anulis et fibulis, inter Gronovii antiquitates t. VIII etc. — Augustinus de Herrera S. J. Hispalensis († 1649) scripsit *del Origen y progresso en la Iglesia catholica de los ritos y ceremonias que se usan en el santo Sacrificio de la Missa,* Hispali 1642 in 4; *Origen y progresso del Oficio divino* etc., ib. 1644 in 4., in quibus ll. teste Zaccaria multa invenies, quae frustra alibi quaeres[2]). — Eruditissimam absolutamque *de titulo crucis dissertationem* e sacrae et profanae historiae monumentis vulgavit Joseph Maria Caraccioli[1]) cler. reg. neapolitanus († 1656). — Marcus Paulus Leo S. J. Italus, juris utriusque doctor († 11. Oct. 1657), disseruit praeclare *de auctoritate et usu pallii pontificii,* Romae 1649 in 4., et *de praxi ad literas majoris poenitentiarii et officii s. poenitentiariae apostolicae* in 4 pp. distributa, Romae 1644 in 6; Mediolani 1665; Coloniae 1683.

503. Joannes Fronteau (n. 1614) prius congregationis Oratorii, dein canonicus regularis s. Genovefae et academiae parisiensis cancellarius, patria Andegavensis, novem linguarum peritia instructus, aliquamdiu Jansenii erroribus favebat, sed illorum veneno mox perspecto, eos respuit, formulamque Alexandri VII. licet cunctanter subscripsit († 17. Apr. 1662). Edidit[2]): *Kalendarium romanum* nongentis annis antiquius annotationibus (quae partim sunt Sirmondi) illustratum, cui duplicem adjecit dissertationem, alteram

KL. II, 2007. — De Vincentio Turtureto Panormitano viro eruditissimo († 1645), cujus est *Sacellum regium* h. e. de capellis et capellanis regum l. singularis cum notis perpetuis pro capella aulae hispanae, Matriti 1630 in 4. cf. Mongitore bibl. sic. II, 296.

[1]) Bibl. rit. II, 157; Cf. etiam Fabricium III, 90.

[2]) Alius ab eo est Thomas de Herrera O. S. Aug. Hispanus n. 11. Dec. 1585, Compluti theologiae professor, regi a sacratioribus consiliis, qui Hispaniae et Italiae bibliothecas et archivia lustravit, ut bibliothecam conderet augustinianam (ad illustrandam vitam praesertim atque opera s. Augustini), quae tamen nunquam prodiit. Bis provinciae praepositum egit. A Philippo IV. filio suo Joanni de Austria jussus est esse a confessionibus et a consiliis theologicis († 1. Jan. 1654). Praeter alia edidit *Alphabetum augustinianum,* in quo praeclara eremitici ordinis germina virorumque ac feminarum domicilia recensentur Matriti t. 2 in f.; *Historia del Convento* de s. Agostin de Salamanca, ib. 1652 in f.; *Compendio* de los Prelados Eclesiasticos y Ministros de summos Pontifices, Reyes y Principes de quienes haze mencion en su Alfabeto Augustiniano, ib. 1643 in 4. — Ceterum eodem fere tempore ejus sodalis Joannes Rivius Lovaniensis ordine chronologico contexuit *Vitam s. Augustini* ex ejusdem opp. ll. 4. Antwerpiae 1646, opus ut videtur doctum.

[1]) Cf. Vezzosi I, 209.

[2]) Cf. Niceron XXI, 74 ss.; *Joan. Frontonis memoria* dissertis per amicos virosque clarissimos encomiis celebrata, Parisiis 1663 in 4. auctore Lallemant; Biogr. un. XVI, 116 ss., Journ. des Sav. LXIX, 597.

de diebus festivis cum nativitatis tum mortis gentilium, Hebraeorum, Christianorum deque ritibus eorum; alteram de cultu sanctorum et imaginum et reliquiarum, et de adoratione veterum deque ritibus et speciebus eorum, Parisiis 1652 in 8; Hamburgi 1720 edente Fabricio. In suis epistolis, quae prodierunt Leodii Ebunorum 1674. plura christianae veritatis capita pertractat[1]), de ritibus scil. antiquis sese in compotationibus salutandi, ad illustrandam divinae eucharistiae institutionem (Parisiis 1660 in 4); de origine parochiarum (ib. 1660 in 4.); de modo quo se habeant Scriptura et Ecclesia ad mutuam sui probationem (ib. 1660 in 4); de canonicis cardinalibus (ib. 1661 in 4); de cultu SS., imaginum, reliquiarum: de virginitate honorata, erudita, adorata, fecunda; de familia christiana in primis Ecclesiae seculis (ib. 1661 in 4); de episcoporum pastorumque nomine, officio, dignitate; de festis nativitatis et mortis gentilium, Hebraeorum, Christianorum, de signo crucis (ib. 1662 in 4) etc. *Ivonis Carnotensis episcopi opera omnia,* ib. 1647 in f. cum annotationibus Joan. Bapt. Souchet (cf. supra p. 1097) et vita Ivonis; *antitheses Augustini et Calvini,* ib. 1451 in 16; quo in l. erroribus Calvini de gratia opponit doctrinae capita s. Augustini cum acribus animadversionibus; verum timens ne nimium eo rumorem excitaret, quotquot potuit exemplaria suppressit, unde editio originalis est rara; *Summa totius philosophiae* ex d. Thomae Aq. doctrina, Parisiis 1640 in f.

504. Inter archaeologos hujus periodi eminet Joannes Morinus congr. Orat. Natus is est a. 1591 ex parentibus calvinianis, literis humanioribus incubuit Rupellae, studio philosophiae Lugduni Batavorum[1]). Diligenter attenteque patrum opera atque acta conciliorum lectitabat, qua lectione sicut et dissidiis, quae tunc temporis maxime fervebant inter Arminianos et Gomaristas, circa sectam suam dubius veritatis lumini disposuit viam[2]), quam opera doctissimi Du Perronii tandem invenit (c. 1617). Oratorii congregationem ingressus (1618) est. De editione polyglottorum parisiensium in primis meruit. Hinc ab Urbano VIII. Romam accitus est, ut operam suam conferret ad unionis cum graecis schismaticis ineundae negotium. Verum post novem menses agente cardinale Richelieu a superioribus suis revocatus fuit (1640). Lucrandis Calvinianis, imo et Judaeis non sine fructu se impendit. Parisiis decessit[3]) 28. Febr. 1659. Haec ejusdem sunt opera[4]). *Exercitationum ecclesiasticarum ll. 2,* de patriarcharum et primatum origine, primis orbis terrarum ecclesiasticis divisionibus atque antiqua et primigenia censurarum in clericos natura et praxi, Parisiis 1626 in 4, in quibus multa scitu digna nec ubique obvia occurrunt,

---

[1]) Fuse de his epistolis disserit Dupin XVII, 275 ss., qui inter alia advertit: „Il ne s'attachoit pas à traiter les matières à fonds mais à faire de nouvelles découvertes, à donner des remarques curieuses, et à fournir des idées et des conjectures toutes neuves et d'un tour tout nouveau.“

[1]) Distinguendus est a Joanne Baptista Morino (23. Febr. 1583—1656) famoso astrologo, de quo cf. Feller VI, 167; Niceron III, 86 ss. Hic impugnavit systema copernicanum et refutationem compendiosam edidit erronei ac detestandi libri de Praeadamitis, Parisiis 1657 in 12.

[2]) Cf. Raess IV, 447 ss.

[3]) Cf. Niceron IX, 11 ss.; Fritz KL. VIII, 1917 ss.; Kaulen ib. VII, 1204.

[4]) Horum synopsim exhibet Dupin XVII, 227 ss., qui ejus stupendam miratur eruditionem. „Après tout, inquit ille, il faut avouer que de tous les Auteurs catholiques de ce siècle, il n'y en a point eu qui ait eu plus d'Erudition que lui, et ait fait des Ouvrages plus utiles au Public.“ Displicet ei tamen, quod Morinus non totum se dederit ejusmodi studiis archaeologiae christianae, sed se immiscuerit quaestionibus criticis de s. Scriptura, in quibus non ita erat versatus et aliorum facile sequebatur opiniones.

sed diligentiam majorem, judicium et pressum magis atque concisum scribendi genus desiderant nonnulli. *Biblia LXX interpretum graeco-latina* cum versione et annotationibus Nobilii, cum praefatione et prolegomenis, ib. 1628 v. 3 in f.; 1641, nova editio[1]) illorum, quae Romae prodierant 1588 (cf. supra p. 505). In praefatione nititur ostendere, textum hebraicum propter multiplices adulterationes minoris esse auctoritatis versione alexandrina et vulgata. Ceterum hoc acrius tuetur in *exercitationibus biblicis ac hebraei graecique textus sinceritate*, germana LXX interpretum translatione dignoscenda illiusque cum vulgata conciliatione, ib. 1633 in 4., quarum eruditionem laudat R. Simon Hist. crit. du V. T. III, 18, qui alioquin nullam praetermittit occasionem carpendi Morinum. Eas impugnavit[2]) Simeon de Muis (cf. p. 1049), cui respondit Morinus Diatribe elenctica *de sinceritate hebraei graecique textus dignoscenda* adversus insanas quorundam haereticorum calumnias. Accedunt appendix, in qua nonnulla divinitatis et incarnationis J. Chr. D. N. illustrissima testimonia in hebraico textu nunc corrupta Talmudis et rabbinorum auctoritate restituuntur, et animadversiones in censuram exercitationum ad Pentateuchum samaritanum, ib. 1639 in 8. Harum exercitationum pars altera prodiit nonnisi cura P. Frontonis Parisiis 1669 ll. 2, quorum prior in graecos s. textus codices inquirit, vulgatam Ecclesiae versionem antiquissimis codd. graecis conformem esse docet, germanae LXX interpretum ed. dignoscendae et illius cum vulgata conciliandae methodum tradit ejusdemque divinam integritatem ex Judaeorum traditionibus confirmat. Posterior explicat quidquid Judaei in hebraei textus criticen hactenus elaborarunt, Talmudis utriusque, paraphrasium chaldaicarum, Midraschim et omnium ll., quos jactant antiquissimos, aetatem examinat, portentosam apud eos historiae ignorantiam aperit, Masoretharum opus universum recenset, unde et quando occasionem accentuum, versuum et punctorum vocalium textui s. inscribendorum sumserunt. Hinc primum apud eos ortos esse grammaticos. Varias enarrat s. textus recensiones a Judaeis factas etc. Ob ejusmodi studia Morinus vocatur a Kaulen pater artis rigidioris criticae textus sacri, et Cornely advertit eum »de versione alexandrina propugnanda optime meritum esse, nec quemquam inter catholicos interpretes illo plus contulisse ad massoretici textus superstitiosam venerationem, quam protestantes provocaverant, reprimendam.« Cum Morinus duo accepisset exemplaria Pentateuchi, alterum hebraeum literis samaritanis exaratum, alterum continens versionem ejus samaritanam, *exercitationes ecclesiasticas in utrumque Samaritanorum Pentateuchum* scripsit, ib. 1631 in 4., in quibus hunc admodum extollit ac iterum textus hebraici integritatem in dubium vocat. Occasione quarundam lectionum, quas dicunt variantes, ipsi a Peiresc et Cambden transmissarum edidit *opuscula hebraeo-samaritana*, ib. 1657 in 12., quae complectuntur grammaticam et lexicon samaritanum. Hujus linguae, quam absque magistro didicit, restaurator dici potest Morinus. Pentateuchus vero uterque reperitur in polyglotta parisiensi t. VI.

505. Alia Morini opera sunt: *Histoire de la délivrance de l'Eglise Chrétienne par l'Empereur Constantin,* et de la grandeur et souveraineté temporelle donnée à Eglise Romaine par les Rois de France, ib. 1630 in f., opus parum diligens et accuratum, et Romae minus acceptum. Commentarius histo-

[1]) De praestanti hac editione cf. De Bure Bibliographie instructive, Theol. p. 26.

[2]) Plures etiam e protestantibus Morini opinionem impugnarunt, ut Rivetus, Ludovicus de Dieu, Buxtorf, Hottinger etc.

ricus *de disciplina in administratione sacramenti poenitentiae* 13 primis seculis in Ecclesia occidentali et huc usque in orientali observata in 10 ll. distinctus. His inserta sunt, quae Judaei antiqui et recentiores tradunt de poenitentia, ib. 1651 in f. (editio optima); Antwerpiae 1682; Bruxellis 1687; Venetiis 1702; opus studii 30 a. fructus, eruditum quidem, „sed in quo frequenter desideres rectitudinem ratiocinii, ut postquam plura legeris, nihil tandem habeas quod cum certitudine teneas [1].“ Quare quaedam etiam censores notarunt, quae in praemissa retractatione explicat vel corrigit. — Commentarius historicus ac dogmaticus *de sacris Ecclesiae ordinationibus* secundum antiquos et recentiores, Latinos, Graecos, Syros et Babylonios, in quo demonstratur orientalium ordinationes conciliis generalibus et summis pontificibus ab initio schismatis in hunc usque diem fuisse probatas etc., Parisiis 1655 in f., opus priore diligentius elaboratum et digestum, eruditione refertum.

[1]) Ita haud immerito Palmieri de poenit. in append. de indulg. § 2, qui illum saepius corrigit. Perrone in suis praelect. theol. de poenit. c. 2 prop. 3 in annot. ad n. 90 advertit „non sine aliquo delectu doctissimi viri opera legi debere.“ Feller VI, 167.

Opera posthuma[1]): 1. de catechumenorum expiatione, cujus diss. impressio initio non fuit permissa; 2. de sacramento confirmationis; 3. de contritione et attritione. Accesserunt Lucae Holstenii dissertationes duae de ministro et forma sacramenti confirmationis apud graecos, Parisiis 1703 in 4. cura P. Moret Orat. Nonnullae ejusdem epistolae de variis antiquitatis ecclesiasticae argumentis reperiuntur in opere collecto a R. Simon[2]): *Antiquitates ecclesiae orientalis* clarissimorum virorum epistolis enucleatae, Londini 1682; Lipsiae et Francofurti 1683; *epistolae septem* ad Leonem Allatium de graecorum basilicis exstant t. 1. operis inscripti: *Continuation des Mémoires de litterature et d' histoire,* Parisiis 1730. — De ejus (et Nobilii cf. p. 263) meritis in editione fragmentorum Hexaplae cf. Field in proleg. t. I. ed. Origenis Hexaplae Oxonii 1875.

[1]) Cf. de his *Mémoires pour l' Histoire des Sciences et des beaux Arts* a. 1703 III, 1605—1628, ubi de tertio tractatu dicitur, eum esse admodum confusum et informem; de altero vero, eum esse imperfectum, cum agat tantum de confirmationis ministro et materia, utilia tamen plura complecti.

[2]) Adjecit R. Simon *Morini vitam,* quam tamen alii satyram potius vocandam esse censent.

VI. Theologia practica.

506. Duo ad hanc periodum spectant pontifices, quorum primus fuit Urbanus VIII. Natus est nobili genere Maffeius Barbarinus, nam ita antea vocabatur, Florentiae 1568. Romae et Pisis studiis incubuit atque inclaruit in poësi tam etrusca quam latina. Postquam varia obierat munera legationemque binam ad Henricum IV. Galliae regem, creatus est cardinalis a. 1606 electusque in Gregorii XV. successorem 6. Aug. 1623. Tenuit apostolicam sedem ad 29. Jul. 1644. Inter gesta memoria magis digna referri debent emendatio martyrologii, ritualis et breviarii: verum in hymnis refingendis non omnibus arrisit; fundatio collegii Urbani pro propaganda fide, constitutiones pro sanctorum canonizatione, damnatio operis Jansenii, quod inscribitur *Augustinus* etc. Urbem splendidis ornavit aedificiis, codicibus graecis suam locupletavit bibliothecam. Gesta ejus politica praetermittimus. Major pars

pontificatus ejus coincidit cum tristissimo bello triginta annorum, quo universa Germania dire vastabatur. *Carmina* ejus saepe prodierunt[1]): *constitutiones* et *epistolae* sparsae reperiuntur in Bullario aliisque collectionibus. — Urbanum excepit Innocentius X. electus 15. Sept. 1644 annos habens jam 72. Romae natus est dictusque antea Joannes Baptista Pamfili. Ipse damnavit 31. Maj. 1653 famosas quinque Jansenii propositiones ex ejusdem opere Augustinus excerptas; et figmentum Ecclesiae bicipitis seu aequalitatis ss. Petri et Pauli; ipse protestatus est contra pacem dictam westphalicam, qua demum finitum fuit bellum 30 annorum: complectebatur enim plures articulos juribus Ecclesiae plane contrarios sanciebatque injustas bonorum ecclesiasticorum spoliationes[2]). Obiit 7. Jan. 1655. *Bullae* ejus reperiuntur in Bullario magno ed. taur. XV, 329 ss.

507. Quam plurimi sunt, qui de jure canonico scripserint[3]), ac in primis illi indicandi, qui juris canonici fontes illustrarint. Huc e *Gallis* spectant Innocentius Cironius juris utriusque professor, canonicus atque ecclesiae et academiae tolosanae cancellarius, qui *quintam antiquam compilationem decretalium Honorii III.* ex mss. cod. primum edidit cum notis; addidit *paratitla*[4]) *in 5 ll. decretalium Gregorii IX.*, et *observationum in jus canonicum ll. 5*, Tolosae 1645 in f., quae observationes quondam magni fiebant, et iterum prodierunt cura Joan. Sal. Brunnquell Jenae 1726 in 4. Omnia haec simul prodierunt cura J. A. de Riegger Vindobonae 1761 in f., qui in hujus operis commendationem ita praefatur: »Quis reperiri poterit in jurisprudentia ecclesiastica vel tenuiter versatus, cui exploratum non sit, nihil hoc libro ad jus canonicum ex suis genuinis principiis hauriendum accommodatius, nihil ad perfectam decretalium intelligentiam desideratius, nihil ad solidam juris ecclesiastici ejusque vicissitudinum cognitionem plenius aut uberius esse posse? Exhibet enimvero praestantissimum illud opus in compendio ad quemvis decretalium titulum ecclesiasticam omnis aevi disciplinam, et dum nobis illos, quos fidelis populus quovis tempore prae se tulit mores, ostendit, limpidissimos simul universae jurisprudentiae ecclesiasticae fontes recludit etc.« — Franciscus Florens (Florent) apud Arnaeum Ducis, quod Burgundiae oppidum est, sub exitum sec. XVI. natus, condiscipulus erat Petri de Marca, Franc. Bosqueti, Cironii etc. Absolutis jurisprudentiae studiis, in quibus Joannem a Costa (p. 866) audivit, aliquot annis causas egit in divionensi curia, inde ad cathedram aurelianensem promotus a. 1632 ac post a. 12 ad parisiensem scholam evocatus est († 29. Oct. 1650). Doujat, qui in ejus successit cathedram, antecessoris opera in unum collegit Parisiis 1679 t. 2, quorum prior praeter alia praefationem complectitur de methodo et auctoritate Gratiani et aliarum compilationum, tractatus 9 ad totidem priores l. 1. decretalium titulos, tr. ad tit. de vita et honestate clericorum, praefationem de dispensationibus ecclesiasticis, disp. de nuptiis consobrinorum; altero continentur tractatus ad varias causas et titulos Decreti, notae et observationes in Alex. Chassanei (p. 578) paratitla decretalium etc. Iterum prodierunt cura Ign. Chr. Lorber a Stoerchen Norimbergae 1756 t. 2 in 4. — Joannes Dartis Corduci natus a. 1572, canonum interpres in universitate parisiensi († 21. Apr. 1651 octogenarius), scripsit *commentarios in Gratiani decre-*

[1]) Caremus adhuc accurata vita hujus pontificis, quare consulendi sunt de eo historiographi illius temporis.

[2]) Cf. Brischar KL. VI, 751—53.

[3]) Plures reperies etiam inter eos, qui de theologia morali scripserint, ideoque infra p. 1185 ss. recensebuntur.

[4]) Cf. Doujat V, 9.

tum, de statu Ecclesiae tempore apostolorum, liber eximius, qui primum prodiit Parisiis 1634; iterum Viennae 1762; ll. 3 *de ordinibus et dignitatibus ecclesiasticis,* in quibus breviter respondetur ad Salmasium de primatu papae, Parisiis 1648; *de canonica Ecclesiae disciplina circa sacramentum poenitentiae, animadversiones in annales ecclesiasticos Baronii et Causaboni exercitationes* etc., quae opera collecta cura Doujati[1]) prodierunt Parisiis 1656 in f. — Joannes Majoret juris canonici professor Tolosae erudita scripsit *commentaria* in ll. 4 institutionum juris canonici Jo. Pauli Lancelotti (p. 335) a filio suo cathedrae herede Tolosae 1676 edita; Lugduni 1705. Ea textum praecellunt atque perficiunt.

508. Jus canonicum vel integrum vel ex parte plures exposuerunt. Ex *Belgis* Valerius Andreas (Walther Driessens), Desselius a loco nativitatis Deschel in Brabantia dictus (n. 27. Nov. 1588, † 29. Mart. 1655), discipulus cum A. Fr. Miraeo et Fr. Schott celebris A. Schott. Linguae hebraicae et imperialium constitutionum in academia lovaniensi erat professor (1628), bibliothecae praefectus et iterato (1644 et 1649) rector magnificus, qui „vel ob hoc solum aeterna memoria dignus est, inquit Foppens, quod illustrium scriptorum, quibus Belgium abundat, famam editis eorum elogiis librorumque nomenclatore perennaverit[1]).“ Praetermissis plurimis operibus, quibus maxime innotuit, sed quae huc non spectant, hic est nominandus non solum ob aliorum opera, quae in jure canonico versantur, a se edita, ut Henr. Zoesii, Jo. Vendeville etc., sed et ob *synopsim juris canonici per erotemata digesti* et enucleati juxta ordinem librorum et titulorum in decretalibus Gregorii IX. Prodiit ea saepe Lovanii, eique postmodum *programmata, notas et animadversiones* suas apposuit Adamus Struvius Lutheranus Jenae 1675; 1709; Lipsiae 1721, quae editiones propterea prohibitae sunt decr. 19. Sept. 1679. De historia literaria optime meruit[2]) *Catalogo clarorum Hispaniae scriptorum,* qui latine disciplinas omnes etc. illustrando etiam trans Pyrenaeos evulgati sunt, Moguntiae 1607 in 4., quem hortante A. Schott collegit, ex omnibus Nundinarum Catalogis ac bibliothecis. *Imagines doctorum virorum* e variis gentibus elogiis brevibus illustratae 1617; *Collegii trilinguis Buslidiani* in academia lovaniensi

---

[1]) Cf. hujus praenotationes V, 9; Dupin, qui XVII, 202 ss. ejus commentarium in Gratiani decretum laudat suamque recensionem hisce absolvit: „Dartis avoit beaucoup lu, beaucoup étudié et fait beaucoup de Recueils. Il s'est servi utilement de ses Recueils pour composer ses Ouvrages, qui ne sont presque qu'un tissu de passages, de Canons, de Décrétales, d'Ouvrages des Pères et de Canonistes. Il se sert aussi du Droit Civil, et des Auteurs profanes en divers endroits. Il a fait quelquefois des Observations curieuses et recherchées; mais souvent il ne dit rien que de commun et de connu de tous ceux qui ont quelque lecture. Il n'est pas toujours heureux ni judicieux dans ses conjectures. Il lui arrive bien de fois de citer des passages, qui ne prouvent pas ce qu'il prétend. Il est toujours très-louable pour son assiduité au travail, et ses Ouvrages sont utiles par le grand nombre de matières et de passages qu'ils contiennent. Son style est simple, sans ornement; mais assez pur et très-intelligible.“

[1]) Cf. Foppens II, 1647; Biogr. nationale de Belg. I, 281—90; Kelchner allg. d. Bi. I, 449.

[2]) Nolumus hac occasione silentio praeterire Franciscum Swertium, laicum quidem, qui eodem fere tempore cum V. Andrea Belgio illustrando operam dedit, adeo ut hic ipsi plagii vitium exprobraverit. Natus est Swertius diu ante V. Andream scil. 1567 Antverpiae. Mercurium secutus est, sed tempus omne a mercurialibus negotiis liberum scriptioni dedit († 1629). Plurima reliquit opera (cf. Foppens p. 313 s.), inter quae huc spectant: *Athenae belgicae* sive Nomenclator inferioris Germaniae scriptorum, Antverpiae 1628 in f.; *Rerum belgicarum annales,* ib. 1620, in quibus habes diss. de scriptoribus antiquis qui Belgii historias scripsere.

exordia et progressus et linguae hebraicae encomium, 1618; *Bibliotheca belgica*, in qua belgicae seu Germaniae inferioris provinciae urbesque, viri item in Belgio vita scriptisque clari et librorum nomenclatura, Lovanii 1623 in 8; 1643 ed. duplo auctior: collectio non sine merito, sed minus accurata in citandis ll. titulis, et in qua desideratur auctoris judicium de virorum quos laudat pretio literario. *Fasti academici studii generalis lovaniensis*, in quibus origo et institutio academiae; item series rectorum, cancellariorum, conservatorum in qualibet facultate, fundatorum et benefactorum ejusdem universitatis, Lovanii 1635 in 4., prioris velut appendix et complementum 1650 ed. aucta; quondam prohibiti 30. Aug. 1661 »donec corrigantur«, quod in iis reperiantur aliqua, quibus suum in Jansenianorum factionem propensionem ostendit. — Franciscus Zypaeus (van den Zype) Mechliniensis[1]), Joanni Miraeo antwerpiensi praesuli ab epistolis secretioribus, hujus ecclesiae canonicus, archidiaconus, et episcopi vicarius generalis, vir admodum versatus in utroque jure (1580—1650), reliquit l. inscriptum: *juris pontificii novi analytica enarratio*, quae tertiis curis auctior prodiit Coloniae 1641; *consultationes canonicae*, pleraeque ex jure novissimo concilii tridentini recentiorumque pontificum constitutionibus depromptae etc. Antwerpiae 1640 in f.; 1675, quibus in operibus (utilibus) principia Molinaei, Fevret, Van-Espen, Febronii aliorumque neotericorum refutata reperiuntur. Collecta prodiere Antwerpiae 1675 v. 2 in f. — Theodorus ab Ameyden (Amidenius) Silvaeducensis ab Andrea cardinale austriaco propemodum adhuc infans inter aulae pueros in Germaniam superiorem eductus, et deinde Romam perductus haesit ibidem, donec idem cardinalis ex morbo in itinere neapolitano contracto fatis cessit. Rediit inde in Germaniam et Belgium; iterumque post varia itinera Romam repetiit causarumque advocatum egit, quo in munere magnam nactus est nominis famam; fuit etiam rector ecclesiae Germanorum dell' Anima dictae[1]). Scripsit primus fusius tr. *de officio et jurisdictione datarii*, necnon *de stilo datariae*, opus, ut praefertur in titulo, omnibus episcopis et eorum vicariis singulisque ecclesiasticis judicibus, advocatis, parochis, confessariis etc. utilissimum, Romae 1645; Venetiis 1657; Coloniae 1701 in f., prohibitum quondam 10. Dec. 1653, quod sine approbatione editum fuerit.

509. *Germanus*[2]) est Jo. Strein S. J. ex oppido Franconiae Waldura (Waldthürn) (1584 — 10. Febr. 1662), qui philosophiam, divinas literas, theologiam scholasticam et moralem et jus canonicum Moguntiae, Herbipoli, Bambergae annis pluribus cum laude tradidit, et cancellarii munere in academia bambergensi diu functus est. Praeter alia opuscula composuit utilem *Summam juris canonici* comprehensam 3 pp., in qua distincte et succincte explicantur quae ad personas, negotia et judicia ecclesiastica ex canonum praescripto pertinent; accedit commentarius in regulas juris pontificii, quae in l. 5. et 6. decretalium continentur, et juris utriusque anatomia per 250 differentias plurium doctorum auctoritate probatas

[1]) Ejus frater Henricus O. S. Ben. et abbas S. Andreae prope Brugas (n. 1577, † 1659) reliquit l. cui titulus: *S. Gregorius M. ex familia benedictina oriundus*, Ipris 1611 in 8. adversus Baronium, opus quidem eruditum, non tamen semper satis solidum. Cf. Foppens I, 469; de Francisco ib. I, 317; Biogr. un. LII, 545; Feller VIII, 480: praesertim Feije de F. Zypaeo vita et meritis oratio, Lovanii 1852.

[1]) Cf. Foppens II, 1119.

[2]) Praetermittimus Georgium Müntzer juris doctorem, episcopi viennensis provicarium et officialem (fl. 1653), de quo cf. Schulte allg. d. B. 23, 37.

singulari studio in certas classes reducta, discussa et explicata, Coloniae 1658 in 4; 1659. — Urbanus ab Ascensione O. Carm. Gallus reliquit *institutiones juris canonici* novi et veteris principia complectentes, Lemovici 1659 in 16. — In *Italia* Hieronymus Nicolius O. Erem. S. Aug. Romanus († 1662) reliquit *lucubrationes utriusque juris* ad theoriam et praxim 4 ll. institutionum moralium conformes, Romae 1662; 1679; 1700 v. 2 in f.; flosculos sive *notabilia practica ex utroque jure* probatisque auctoribus ac theologiae praesertim fontibus libata ad juridicam praxim in unum collecta[1]) et methodo alphabetica disposita, Romae 1656; 1679; Venetiis 1683 in 4; 1694; 1706; 1722.

510. Omnium tamen princeps est Augustinus Barbosa Lusitanus, patria Guimaranensis (Guimaraens oppidum est Interamnensis provinciae, quod jura sacra Bracharam petit). Natus ipse est anno 1589; patrem habuit Emmanuelem Barbosam, regium advocatum, qui olim in *Lusitanorum ordinationes* seu constitutiones regias *commentaria* elaboravit; gentilem Petrum Barbosam, cujus docti et uberes in titulum ‚Soluto matrimonio' etc. in pandectis, atque item *de Judiciis* commentarii per manus circumferuntur. Intra Lusitaniam jam bene institutus Romam petiit, ut absolutam sacrorum canonum notitiam assequeretur. Vitam, quam ibidem degebat, ita describit Joan. Victorius de Rossi[2]): »Non bis sed semel tantum in die cibum capiebat. Libris omnino carebat: memoria erat summa, singulari, incredibili: haec erat illi pro bibliotheca; imo haec omnes omnium bibliothecas superabat. Quidquid in Urbe bibliopolarum est, arcta sibi familiaritate devinxerat, non alio vinculo, nisi vitae probitate atque innocentia morumque suavitate, quibus facile se in hominum gratiam insinuabat. Itaque quotidie modo in hac, modo in illa bibliopolae cujuspiam taberna a mane usque ad vesperam sedens totum se librorum, quibus maxime opus esset, lectioni tradebat, quaeque legebat memoriae custodienda mandabat; cujus tanta erat vis, ut domum rediens non solum eorum, quae legisset, fixas in animo sententias, verum etiam versuum ordinem numerumque referret literisque mandaret.« Ejus insignis eruditio interim ubique innotuit, hinc etiam protonotarii apostolici et consultoris s. indicis congregationis titulo auctus fuit. Tandem circa a. 1632 reversus in Hispaniam Matriti eodem vitae genere contentus vixit, dijudicandis ex commisso sibi munere causis ecclesiasticis librisque procudendis intentus usque ad a. 1648, quo eum destinavit Philippus IV. uxentinum in regno neapolitano praesulem. Romae 22. Martii 1649 in episcopum consecratus fuit. At cito eum e mortali sede ad immortalem Deus evocavit; vix enim 7 effluxerant menses ab eo die, quo primum salutatus fuit antistes, cum 60 annos natum mors immatura ad superos evolare fecit. Plane libris suis jurisprudentiae et canonum ss. studiosos mire instruxit, ut pro integra bibliotheca, pontificii saltem juris, unus Barbosa deservire posse videatur; hos enim edidit[1]): *Remissiones doctorum super varia loca conc. tridentini*, primum Olisipone 1618 in 4; Brixiae 1620; Antwerpiae ac saepius Lugduni in 8; demum sub titulo: *Collectanea* eorum doctorum, qui in suis operibus conc. tridentini loca referentes illorum materiam incidenter tractarunt, Lugduni 1642 in f., quondam in indice vi regulae universalis decr. 6. Junii 1621; pastoralis sollicitudinis sive *de officio et potestate episcopi*[2]) tri-

[1]) Cf. Analecta juris pont. X, 609.
[2]) Pinac. II, 18.

[1]) Cf. Bibl. hisp. n. I, 173 ss.
[2]) De hoc themate scripserunt eodem fere tempore Paulus Piasecius, Polo-

partita descriptio, Romae 1621; Lugduni 1629 in f.; 1641; 1650; Romae 1831 cum Ub. Giraldi animadversionibus et additionibus etc., quod opus tantum habuit commendationis, ut multorum beneficentiam ad auctoris inopiam sublevandam illexerit. Pastoralis sollicitudinis sive *de officio et potestate parochi* tripartita descriptio[1]), Romae 1632; Lugduni 1634; Coloniae 1662; Venetiis 1705 in 4; *variae juris tractationes*, scil. de axiomatibus juris usu frequentioribus, de appellativa verborum utriusque juris significatione, de locis communibus argumentorum juris, de clausulis usu frequentioribus, de dictionibus usu frequentioribus, Lugduni 1631 in f.; 1644; Argentorati 1652; *de canonicis et dignitatibus aliisque inferioribus beneficiariis cathedralium et collegiatarum ecclesiarum* eorumque officio tam in choro quam in capitulo tractatus, Romae 1632 in 4; Lugduni 1634; 1641; *juris ecclesiastici universi* ll. 3, Lugduni 1634 v. 2 in f.; 1645; 1718, cui inter opera Barbosae palma debetur. Ex hoc op. quae spectant romanum pontificem exhibet Rocaberti IV, 469—527. *Praxis methodica exigendi pensiones,* cui accesserunt vota decisiva et consultativa canonica ll. 2, Barcinone 1633 in f., Lugduni 1636; 1643; *collectanea bullarii* aliarumve ss. pontificum constitutionum necnon praecipuarum decisionum, quae ab apost. sede ac ss. congregationibus S. R. E. cardinalium Romae celebratis usque ad a. 1633 emanarunt, Lugduni 1634 in 4; Venetiis 1636; deinde sub titulo *Summa apostolicarum decisionum* extra jus comune vagantium, Lugduni 1645; 1680 in f. (quondam in indice decr. 22. Jan. 1642); *collectanea* doctorum tam veterum quam recentiorum *in jus pontificium universum* t. 6 in f. Lugduni 1637—1648, quorum 1. duos priores decretalium ll., 2. tertium et quartum, 3. quintum, 4. quinque ll. Sexti decretalium, Clementinas et extravagantes omnes, 5. decretum Gratiani, 6. selectas interpretationes juris canonici sive praetermissa et additamenta complectitur; *collectanea* ex doctoribus tum priscis tum recentioribus *in codicem Justiniani,* Lugduni 1638; 1648 v. 2 in f. *Opera* ejus *omnia ca-*

---

nus, episcopus premysliensis († 1649) notior ob accuratam et compendiosam *chronicam gestorum* in Europa singularium ab a. 1575 ad a. 1645, Cracoviae 1645 in f. 1648 ed. aucta; Amstelodami 1657 ed. plenissima et rara; in *praxi episcopali* (modo adhuc utili), Venetiis 1613 in 4; et saepius alibi, etiam Coloniae 1820 — Paulus Giordano, qui Patavii studiis operam dedit, episcopus Tragurii (Trau) in Dalmatia († 1649), cujus sunt *elucubrationes diversae* 3 v. distinctae, quibus pleraque ad episcoporum munus quocunque modo spectantia (per casus) explicantur, Patavii 1650 in f.; Venetiis 1693; Col. Allobrog. et Lugduni 1729 in f. — Andreas Gerunda S. J. († 28. Jul. 1652) Barensis, in opere, cui titulus: *Episcopus* sive ll. 8 de episcopatus ratione, necessitate, statu, causa subjectiva i. e. persona illum ineunte, de censuris, quae praesulatum impediunt deque aliis impedimentis et de ordine, quo insignitus esse debeat eligendus ad episcopatum; de praesulis electione, de persona eligenda et justitia in electione servanda deque aliis rationibus episcopum constituentibus, tum etiam de praesentatione, postulatione et aliis episcopatus functionibus, Neapoli 1649. 1653 v. 2 in f. — Jacobus Accarisi Bononiensis, episcopus vestiensis († 9. Oct. 1654) disseruit *de obligatione episcopi* adversus propriam ecclesiam et subditos, s. l. et a.

[1]) Idem argumentum tractarunt saltem ex parte: Emmanuel Cordeiro S. J. Lusitanus, theologiae moralis professor, in Africa dein missionarius, Romae poenitentiarius, qui eodem a. (9. Maj. 1649) decessit, in l. *de obligationibus clericorum secularium et regularium; de perfecto parocho clericoque beneficiato, eorumque privilegiis ac poenis,* Olisipone 1646 — Marcus Serius Panormitanus († 25. Sept. 1663) in tractatu *de officio et potestate parochi,* itemque de restitutionis onere, Panormi 1647 in f. Ejusdem auctoris sunt: *In primae et secundae tabulae praecepta* tractatus, ib. 1651; *in Ecclesiae censuras* tractatus, ib. 1655 in f.; *de legibus,* ib. 1658 in f.; *in d. Thomae summam* brevis expositio, ib. 1656 in f.

nonica, quae uberrima eruditione se commendant, prodierunt Lugduni 1657—1689 t. 23 in f.; 1698—1716 t. 20 in v. 18 in f. Ex his ejus frater Simon Vaz B., quem Augustinus secum Romam duxerat, ut ejus opera et diligentia in conscribendis ll. uteretur, collegit *repertorium juris civilis et canonici*, Lugduni 1668 in f., ac praeterea (teste Nicol. Antonio) ex ejusdem operibus edidit *Principia et locos communes* seu regulas tam decisionum quam argumentorum utriusque juris, Romae 1621; Lugduni 1630 in 8; Matriti cum variorum additionibus 1649; Genuae 1650 etc.; tractatum *de dignitate, origine et significatis mysteriosis ecclesiasticorum graduum,* officii divini, vestium sacerdotalium et pontificalium, atque verborum, caeremoniarum et aliarum rerum pertinentium ad ss. missae sacrificium, Lugduni 1635 in 8.

511. De singularibus quaestionibus et argumentis ad jus canonicum spectantibus scripserunt [1]) e *Germanis* Christophorus Toerring O. S. Ben., monachus gottwicensis, juris utriusque doctor et ss. canonum in universitate salisburgensi professor († 10. Nov. 1643), cujus habentur disputationes *de foro competente,* Salisburgi 1640 in 4; *de causa possessoria,* ib. 1641 in 4; *de jure rescriptorum,* ib. 1642 in4. — Carolus de Mansfelt Luxemburgensis [1]), Petri Ernesti principis et comitis Mansfelt filius, s. theologiae doctor, decanus primo Ivodii, deinde Bruxellis ad s. Gudulam et de oratorio sereniss. archiducum ac regis, regium quoque super exercitum hispanorum in Belgio vicarius generalis legati apostolici in spiritualibus († 1661), reliquit stilo sicco et conciso conscripta: *Paratitla decreti* seu de jure sacro in genere deque ecclesiasticorum moribus et officiis, Lovanii 1616; *utriusque juris concors discordia,* qua canones cum legibus pugnantes conciliantur, Luxemburgi 1619; et alia opuscula (15), inter ea quaedam ad curam spiritualem militiae spectantia. E *gallis* Joannes de Bordenave, qui disseruit *de ecclesiis cathedralibus et collegiatis*, Parisiis 1643 in f. —Franciscus Piasson — Gabriel du Pineau [2]) Andegavensis († 1644), qui propter summam integritatem dicebatur *Cato andegavensis,* propter sollicitudinem de patria *pater populi* — Petrus de Maurize parisiensis jurisconsultus — Petrus Franciscus Tondutus Sanlegerio (de Tonduti de S. Leger), juris-

[1]) Praetermittimus Joannem Aloysium Ricci episcopum Vico-equensem († 6. Jan. 1643), qui collegit varias decisiones (cf. Schulte III, 468) — Joannem Crusium S. J. Bremensem, ex secta lutherana ad fidem catholicam conversum († 1662) — Hermannum Wesseling, qui scripsit *de jure superioritatis ac summa potestate romani pontificis,* Coloniae 1662 etc. Cf. Schulte III, 187. — Franciscum de Quevedo Villagos Matriti n. 1580, virum laicum, admodum eruditum, in literis humanioribus egregie excultum, qui stilo hispano utebatur classico. Ut libertate frueretur munera in aula honorifica recusavit. Plurima reliquit omnis generis scripta († 1647), inter quae hagiographica et *Politica de Dios,* Gobierno de Christo, sacada de la sagrada Escritura pp. 2, quarum prior prodiit Caesaraugustae 1625; Matriti 1626; altera ib. 1655. Cf. N. Antonius B. H. N. I, 460—63. — Joannem des Loix O. Praed. Belgam, Artesium, theologiae magistrum et insignem concionatorem, regimini suorum saepe praefectum, a. 28 Bisuntii inquisitorem († 22. Jan. 1658 a. vitae 90, professionis 74), cujus est *Speculum inquisitionis* bisuntinae ejus vicariis et officiariis exhibitum, Dolae 1628 in 8. etc. Cf. Echard II, 589. — Hippolytum Grassetti Mutinensem S. J. (12. Jan. 1663), cujus est *Anatome necis proditoriae* continens accuratam inspectionem eorum omnium, quae ad homicidii proditorii fabricam spectant, Lugduni 1660 in f.

[1]) Foppens I, 158; Neyen, Biographie luxemburg. 1, 403; P. Bergmans Biogr. nat. de Belg. XIII, 368 s.

[2]) Cf. Feller VII, 6. Versatus est du Pineau magis in jure civili; tamen ejus animadversiones in decretales contra Dumoulin sunt doctae. Cf. Andres VII, 677; Biogr. univ. XXXIV, 466.

consultus avenionensis, qui edidit[1]): *Questiones et resolutiones beneficiales et canonicae et regulares et controversiae civiles,* Lugduni 1649—1663 v. 2 in f.; tr. *de pensionibus ecclesiasticis* cum selectarum rom. Rotae decisionum centuria, Lugduni 1671 in f.; 1734 etc. — Claudius de la Plaçe quondam (1652) rector universitatis parisiensis, qui scribens *contra beneficiorum pluralitatem* (1650) et (1655) *de pastorum officio residendi* in suis ecclesiis[2]) multos in se commovit — Nicolaus le Maistre[3]), Sorbonae doctor et universitatis rector (1628—29; † 1661), cujus est (erudita ex fontibus hausta) *illustratio sacri patrimonii* seu de bonis et possessionibus ecclesiarum, Parisiis 1636 in 4. — Melchior Pastor (Berger) canonicus apud Aquas Sextias et juris canonici professor, cujus opera omnia scil. *de beneficiis, bonis ecclesiasticis, jurisdictione ecclesiastica* etc. cum utilibus annotationibus Joan. Solier prodierunt Tolosae 1712 in f., de qua editione cf. Mémoires de Trévoux 1713 p. 1 p. 499—510.

512. Ex *Hispanis* et *Lusitanis* huc spectant Joseph Vela Palentinus († 1643), qui disseruit *de potestate episcoporum* circa inquirenda et punienda crimina in suis dioecesibus commissa, Granatae 1635 — Antonius de Fuertes y Byota — Felicianus de Oliva et Sousa juris canonici doctor, elvensis prius, dein et bracharensis antistitis vicarius generalis, visensis, postea lamecensis pro episcopo administrator, qui disputavit *de foro Ecclesiae,* sive de potestatibus spirituali et temporali pp. 3, Conimbricae 1649, 1650 in f. pp. 2; Coloniae 1678 in f. (opus integrum), prohibitum donec corrigatur 28. Jan. et 6. Maj. 1681 — Joannes de Escobar del Corro Hispanus Hispali in s. Mariae de Jesu collegio et universitate juris scientiam professus est decretorumque rexit cathedram. Hinc evocatus ut rebus et negotiis s. Officii ac fidei tuendis praeesset, inquisitor primum ellerenensis, deinde murciensis necnon et cordubensis, ac tandem supremi senatus sacrarum religionis causarum fiscalis, ut vocant, promotor fuit assumptus, vir juris egregie sciens tr. tres selectissimos et absolutissimos edidit 1. *de utroque foro,* in quo ostenditur nullam differentiam interesse forum conscientiae et forum exteriorem . . . 2. *de confessariis sollicitantibus* poenitentes . . . 3. *de horis canonicis* et distributionibus quotidianis, Cordubae 1642 t. 2 in f. — Didacus de Narbona juris canonici professor († 1650), cujus est *de aetate ad omnes humanos actus requisita,* Matriti 1642; Romae 1668 in f. — Michaël Ferro Manrique Philippo IV. a sacris, qui recentiorum quorundam sententias, Dianae in primis, impugnavit[1]) — Franciscus Valente S. J. Olisiponensis († 23. Nov. 1662 octogenario major), qui disseruit *de concordia juris pontificii cum caesareo et cum theologica ratione;* de causis et effectibus divini et humani juris in genere ad titulos de summa Trinitate etc., Parisiis 1654 t. 2 in f. — Franciscus de Cespide[2]) cler. regul. theatinus, cujus *de exemptione regularium* tractatus prodiit Venetiis 1647 in 4; *Dubia conscientiae militaria,* Mediolani 1643 in 4; *il soldato cattolico, che muove dubbj al suo Confessore,* ib.

---

[1]) Cf. Doujat V, 9; Zedler XLIV, 1197; Journal des Sav. 103, 130 s.
[2]) Cf. Dupin XVII, 164 ss.
[3]) Alius ab eo est Lud. Is. Lemaistre de Saci, de quo t. seq. et hujus frater Antonius Lemaistre prius advocatus, dein ascesi jansenianae penitus addictus in Port-Royal duce du Verger de Hauranne († 4. Nov. 1658), qui scripsit contra bullam Alexandri VII., qua damnantur propositiones Jansenii juvitque plurimum Pascal ad suas scribendas literas provinciales vertitque gallice Psalmis additis ex s. Augustino annotationibus. Cf. Streber KL. VII, 1714.

---

[1]) Cf. bibl. hisp. n. II, 135.
[2]) Cf. Vezzosi I, 262.

1629 in 12. — Emmanuel Temudo da Fonseca archiepiscopatus olisiponensis sede vacante vicarius generalis — Franciscus Pinheiro S. J. Lusitanus in eborensi academia diu primarius theologiae professor († 1661), qui fuse disseruit *de censu et emphyteusi*, Conimbricae 1655 in f.; Eborae 1681; *de testamentis*, Conimbricae 1681. 1684 t. 2 in f. opus posthumum; 1710—1715 — Didacus Garcia de Trasmiera Vallisoletanus, renunciatus Zamorae episcopus († 1661), cujus exstant *de polygamia et de polyviria* ll. 3 (post breviorem in re Montagnei Galli operam) Panormi 1638 in f. — Michaël Gomez de Luna et Arellano s. Jacobi ordinis eques et juris pontificii professor († 1662), qui edidit[1]) praeter *juris canonici antilegomena*, supplicationem ad Innocentium X. *pro immaculata conceptione V. Mariae*, Bruxellis 1652 in f.; *theoremata sacra, theologica et juridica, topica et anaglyphica* pro immaculata Deiparae V. conceptione, ib 1652 in f. — Petrus de Murga O. S. Ben., qui praeter alia[2]) reliquit *disquisitiones morales et canonicas*, Lugduni 1666 v. 2 in f.; Lucernae 1683 et tractatum *de beneficiis ecclesiasticis*, Lugduni 1684 in f. — Franciscus de Torreblanca et Villalpando Cordubensis, in granatensi curia advocatus († 1645), cujus in jure peritiam testantur *juris spiritualis practicabilium ll. 15* ex lege Domini, sive revelatis a Deo per s. Scripturam, vel in communi Ecclesiae vel in particulari hominum, Cordubae 1635 v. 2 in f., quibus continetur altera valde aucta editio operis, quod ediderat Hispali 1618 in 8. inscriptum: *Epitome delictorum*, in quibus aperta vel occulta invocatio daemonum intervenit.

513. Ex *Italis* nominari possunt Joannes Baptista Coccino († 1641) — Hieronymus Bascape patricius mediolanensis et senator cremonensis († 1641) — Andreas Lanfranchi cler. reg. Neapolitanus († 1642), qui praeter opuscula 60 theologica et moralia Neapoli 1625 et 1638 v. 2 in f., scripsit *de beneficiis ecclesiasticis* scil. quid juris habeant beneficiarii a suis beneficiorum ecclesiasticorum fructibus, Neapoli 1635; 1638 in 4. — Timotheus Timoteo Perusinus, canonicus, cujus praeter alia est *propugnaculum juris*, omnibus apprime proficuum, in quo de legato, de libertate matrimonii, de falsitate et perjurio, de fidelitate notariorum, de privilegiis aegrotantium et de societate officiorum et animalium cujusvis generis, Perusiae 1637 in 4. — Laurentius de Peyrinis O. s. Franc. de Paula, cujus opera omnia prodierunt Venetiis 1648 t. 2 in f. — Laetius Mancini juris canonici ultra 40 annos primum Pisae, dein Patavii professor († 1654) — Jacobus Cohellio advocatus, qui dedit *notitiam cardinalatus*, in qua nedum de cardinalium origine, dignitate, privilegiis, sed de praecipuis romanae aulae officialibus uberrime disserit, Romae 1653 — Marcus Paulus Leo S. J. Romanus († 1657), qui egregie disseruit *de auctoritate et usu pallii pontificii*, Romae 1649 in 4. et *de praxi ad literas majoris poenitentiarii* et officii s. poenitentiariae, ib. 1644 in 4. — Petrus Ridolfini — Carolus Antonius Thesaurus S. J. Taurinensis, quondam in academia pisana juris civilis professor, dein in taurinensi juris canonici, poenitentiarius pontificius per 20 annos († 3. Jan. 1655), cujus habemus *de poenis ecclesiasticis* seu canonicis latae sententiae a jure communi et constitutionibus apostolicis decretisque ss. congregationum praxim bipartitam, Romae 1640 in 4., auctam et emendatam ib. 1675 in f., accessionibus earundem poenarum ab a. 1653—1760 inflictarum locupletatam ab Ubaldo Giraldi a Cajetano cl. reg. schol. piar., ib. 1760 in f. — Valentinus Mangioni S. J. Perusinus, theologiae moralis professor ac

---

[1]) Alia cf. in Bibl. H. N. II, 136.
[2]) Ibid. II, 220.

s. poenitentiariae theologus († 11. Febr. 1660 a. aetatis 87), qui composuit *apologiam pro Bonifacio VIII. et Gregorio XIII.* asserentibus voti solemnitatem sola Ecclesiae constitutione inventam, necnon pro censura propositionis oppositae, Coloniae 1637, et opusculum quinquepartitum *de religiosa paupertate non excludente rerum dominium nec jus testandi*, ib. 1639 in 8. — Angelus M. Vericelli[1]) Neapolitanus († 1656) cler. reg., cujus *quaestiones morales et legales* prodierunt Venetiis 1653, in indice decr. 21. Apr. 1654 propter opinionum ut videtur laxitatem[2]) — Felix Contelorius Spoletanus, bibliothecae vaticanae custos, vaticani archivi praefectus ac vaticanae basilicae canonicus († 28. Sept. 1652), qui multa edidit[3]), inter quae est praxis *de canonizatione sanctorum*, Lugduni 1609; 1634 in 8. — Bonaventura Colonnesi O. Min. Conv. Florentinus († 19. Nov. 1659), qui vulgavit tractatum *de prohibitione duelli*, Florentiae 1650 in 4. — Joannes Baptista Ventriglia Capuanus, utriusque juris doctor et dein (1660) episcopus casertanus, qui institutis saepe collationibus pastoralibus studium in clero promovit († 23. Dec. 1662), cujus est *praxis rerum notabilium praesertim fori ecclesiastici*, Neapoli 1649; Venetiis 1694 in f.; 1702; cum novissimis observationibus Car. Ant. de Luca, ib. 1734 v. 2 in f.; *de jurisdictione archiepiscopi*, Neapoli 1656 in f.

514. Speciali adhuc mentione ex *Italia* digni sunt: Julianus Viviani[1]) Pisanus n. 26. Sept. 1581, juris civilis, dein canonici in patria academia professor (1611), Romam profectus magni factus est a Paulo V., qui eum visitatorem elegit dioecesis pisanae et praesidem aliquot synodorum dioecesanarum in ditione pontificia. Urbanus VIII. eum dixit episcopum Salonae in p. i. (1624), et cardinales Pius et Dominicus Ginnasio vicarium sibi substituerunt dioeceseon ostiensis et velitrensis. Promotus fuit ab eodem pontifice ad sedem Insulae in Calabria (1639), mox translatus ad sedem archiepiscopalem consentinam, verum eodem anno (1. Nov. 1641) decessit. Apis industriosae instar collegit quidquid reperire poterat in veterum scriptis et decisionibus curiae romanae condiditque opus utile inscriptum: *Praxis juris patronatus acquirendi, conservandi* etc. et s. Rotae decisionibus confirmata et ornata et ad singulas materias secundum stilum romanae curiae accommodata; Romae 1620, saepius aucta et edita ib. 1622; 1628; Venetiis 1648; 1670. — Leonardus (in baptismo Placidus nominatus) Duardus cler. reg. neapolitanus (n. 14. Sept. 1565, † 29. Martii 1643) insignis plane religiosus et eruditus canonista, reliquit *commentaria in Bullam Pauli V.* lectam in die coenae Domini a. 1618 ll. 3, Mediolani 1619 in f.; *in extravagantem Pii V.* de forma creandi census, v. 2 in f. Romae 1632—1634; *in extravagantem Pii V. de cambiis*, in quibus tota cambiorum materia traditur etc., Neapoli 1641 in f.; *de societatibus tr.*, ib. 1644 in f.; *commentaria in caput* »Omnis utriusque sexus« sive de omnibus statibus tum ecclesiasticis tum secularibus, ib. 1673 in f.; 1684. — Antonius Ricciulus Roblanensis, vir summe

---

[1]) Cf. Vezzosi II, 470.

[2]) Adeo enim progreditur, ut statuat teste Concina (Apparatus II, 449): „Puto posse me operari secundum opinionem cujusvis recentioris contra communem et propriam opinionem, quamvis judicem illam esse falsam ex principiis intrinsecis.“

[3]) Cf. L. Allatium in apibus urbanis; Jacobillium in catal. script. Umbriae p. 105. De ejus *vita Martini V.*, Romae 1641 cf. Nomencl. II[3], 855 a.

[1]) Alius a Joanne B. V., cujus supra fecimus mentionem p. 879. Cf. de nostro plura in Memorie istor. di più uomini ill. pisani 3, 331—45.

eruditus, probus et doctus[1]), ex advocato curiae romanae factus est Urbis vicesgerens, Urbano VIII. in apostolica visitatione a secretis, episcopus dein successive belcastrensis, umbriatensis, casertanus, demum archiepiscopus consentinus († 1642). Scripsit breviter et dilucide tr. *de jure personarum extra Ecclesiae gremium existentium*, nempe de Judaeis, infidelibus, catechumenis, excommunicatis, haereticis, apostatis a fide, apostatis a statu ordinis clericalis, apostatis a statu religionis et schismaticis. Accessit singularis et utilis tr. *de neophytis*, ubi de juribus fidelibus post baptismum competentibus, Romae 1622; 1651 in f. Opus est satis accurate lucubratum ac multigena eruditione refertum, in quo doctus scriptor praeter promissa saepe perplura alia dubia resolvit. *De personis, quae in statu reprobo versantur* ll. 12, Neapoli 1641, videlicet de blasphemis, meretricibus, concubinis, lenonibus, histrionibus, circulatoribus, personatis, choreis seu tripudiis, zingaris seu aegyptiacis, vagis, lusoribus, delatoribus, lictoribus et carnifice. *Lucubrationum ecclesiasticarum* ll. 6, Neapoli 1633, in quibus facili ac clara methodo disserit de cultu et veneratione ss. reliquiarum, de episcopo titulari contra errorem M. Antonii de Dominis, de eremitis, confraternitatibus, de laicorum praedicatore, de feriis festisque diebus[2]).

515. Joannes Petrus Moneta Mediolanensis (Alexander antea dictus), canonicus et protonotarius anno aetatis 40. regularium clericorum, qui s. Pauli decollati nuncupantur, coetui se addixit († 1654). Scripsit de jure canonico succincte quidem, sed perspicue plane et egregie: *de decimis* tam spiritualibus quam papalibus, Mediolani 1602; Romae 1618 in 8; *de optione canonica,* Mediolani 1602; Marpurgi 1659; cum praecedenti 1621 in 4; *de distributionibus quotidianis,* ib. 1621 ed. 3 aucta; *de commutationibus ultimarum voluntatum*, Lugduni 1624 in f. etc. — Pyrrhus Corradus[1]) Calaber, protonotarius apostolicus et canonicus neapolitanus, docte scripsit *de praxi dispensationum apostolicarum,* Venetiis 1656; 1735 in f., Coloniae 1672; 1716; *de praxi beneficiaria*[2]), Neapoli 1656 in f., Coloniae 1679. — Ascanius Tamburinus congregationis Vallis umbrosae generalis reliquit opera, quae modo adhuc laudantur, in quibus erudite, sed fuse admodum, disserit *de jure abbatum et aliorum praelatorum* tam regularium quam secularium episcopis inferiorum, Lugduni 1640 v. 3 in f.; 1650 ed. 3. *de jure abbatissarum et monialium,* sive praxis gubernandi moniales aliasque mulieres sub habitu ecclesiastico et regulari degentes, Romae 1638 in f., Lugduni 1668; cum praecedenti op. Coloniae 1691 t. 4; Augustae 1698. — Franciscus Maria de Samuellis O. Praed. Etruscus (1660) edidit: Disputationum controversiae *de canonica electione* in regularibus praelatis atque cathedralium ecclesiarum canonicis eligendis et in quibus omni-

---

[1]) Ughelli Ital. sacrae IX, 355.

[2]) Cf. M. a s. Joseph I, 277.

[1]) Distingui hic debet a Joanne Baptista Corrado O. Praed. Perusino († 1606), qui collegit *Quaesita 400* pro examinandis, qui ad animarum curam vel confessiones audiendas promovendi sunt, et responsa ad cujuscunque pene generis casus conscientiae, Perusii 1596; auctiora Venetiis 1598; recognita 1603 et 1606; 1620 v. 2 in 4. — De alio Jo. B. Corradi presbytero asculano cf. Morus in bibl. Pic. III, 301 ss. Hujus vitam descripsit ediditque Romae 1709 ejus ex sorore nepos Fr. Ant. Salustius.

[2]) De *praxi beneficiaria* ex concordatis inclytae nationis germanicae, regnorum Poloniae et Galliae cum sede apostolica initis ac privilegiis clero leodiensi ab eadem s. sede indultis . . . inducta, scripsit Laurentius Nicolarts Tungrensis, in academia coloniensi s. theologiae doctor, protonotarius apostolicus, olim inter practicos curiae romanae multum versatus, Coloniae 1658; 1707 in 4; 1733.

bus de jure canonico electio intervenit, necnon etiam de praelatorum eorundem jurisdictione ac potestate, de religiosorum appellatione, ubi quoque de propositaris, quae electoribus a praelatis non tuta fiunt conscientia; de tractatibus ante electionem ac subordinationibus, de schedulis nec ante nec post electionem manifestandis; de metu reverentiali et suspicione, de simonia, ac pactis simoniacis et conventionibus, de irregularitatibus in ordine ad canonicam electionem, omnia per conclusiones cum s. romanae rotae decisionibus, una cum doctorum allegationibus etc., Venetiis 1644 in f.; *praxis nova observanda in ecclesiasticis sepulturis* Christi fidelibus catholicis tradendis, Lucae 1653 in f., Taurini 1678 in 4.

516. Aliqui e *Gallia* speciali mentione digni sunt, quorum primus est Petrus de Marca[1]) Gantii in Bearnia 24. Jan. 1594 natus. Primum juris studio operam dedit, et a rege factus est praeses parlamenti palensis (1621) in praemium pro zelo exhibito in reducenda regione patria ad fidem catholicam. Mortua conjuge sua ecclesiasticae militiae nomen dedit; ac Richelii jussu librum cui titulus *Optatus gallus* (cf. pag. 1100 annot.) refellere, quodque libertates gallicanae pontificiae auctoritati minime derogarent, ostendere aggressus edidit famosum opus: *Dissertationes de concordia sacerdotii et imperii* sive de libertatibus ecclesiae gallicanae[2]), 1641 in 4. Verum hic liber sedi apostolicae minus placuit, eo quod plura ejusdem juribus contraria contineret, hinc prohibitus fuit 11. Jun. 1642 et ipse auctor interim conseranensis episcopus a rege nominatus (1643) apostolicae confirmationis literas nec ab Urbano VIII. nec ab Innocentio X. obtinere poterat (1647), donec literis da-

---

[1]) Distingui hic debet a Petro Marcha de Pras Vivariensi, quondam pastore calviniano, qui amplexus est fidem catholicam (1617), suaeque fidei rationem reddidit in op. *La discipline des Ministres renversée* ou Réfutation de l'ordre par lequel les Eglises prétendues réformées de ce Royaume sont conduites et gouvernées, selon la correction du dernier Synode National tenu à Vitré en Bretagne l'an 1617 l'Auteur présent, Paris 1619 in 12. Cf. Raess IV, 412 ss.

[2]) Libertatum gallicarum hoc tempore praecipuus fautor et vindex fuit Petrus Dupuy Agennensis n. 27. Nov. 1582, parlamento a consiliis et bibliothecae regiae praefectus († 14. Dec. 1651). In historia Galliae erat admodum versatus, ut diceretur ‚Varro gallicus', multaque antiquitatis monumenta e tenebris eruit. Praecipua ejusdem opera sunt: *Histoire générale du schisme* qui a été dans l'église depuis 1378 jusqu'en 1408, Parisiis 1654 in 4; *Histoire du différend entre le pape Boniface VIII. et le roi Philippe le Bel,* ib. 1655 in f.; *Histoire véritable de la condemnation de l'Ordre des templiers*, Bruxellis 1713 t. 2 in 8. (jam antea alia inscriptione Parisiis 1654; Bruxellis 1702 in 12); 1751 et 1757, cui ed. adjecta sunt *Histoire des Templiers* auctore Gürtler aliaque documenta huc spectantia edita a Jac. Godefroy, opus eruditum; *Traitez des droits et libertez de l'église Gallicane,* ib. 1639; 1651; 1731 t. 2 in f.; *Preuves des libertez de l'église gallicane,* ib. 1639; 1651; 1731 v. 2 in f. opus prohibitum et a 22 praesulibus ecclesiae gallicanae merito damnatum; *Commentaire* sur le traité des libertez de l'église gall. de M. P. Pithou, 1636. 1639 t. 2 in f.; ib. 1652 in 4; 1755 in f. Hisce tribus operibus plurimi alii libelli de hoc argumento aliorum auctorum continentur. Petri adjutor fuit ejus frater Jacobus prior s. Salvatoris et bibliothecae regiae pariter praefectus, quam liberalissime locupletavit († 17. Nov. 1656) fratrisque sui opera typis dedit. Cf. Rigault Vita Petri Puteani, Paris 1652. A Dupuy sejungendus non est Carolus Fevret, advocatus († 12. Aug. 1661), qui fuse magnoque eruditionis apparatu scripsit *Traité de l'Abus* et du vrai sujet des appellations qualifiées de ce nom d'Abus, Divione 1653 in f., l. parlamentis in tuendis sic dictis libertatibus gallicanis magnae auctoritatis, sed 5. Sept. 1695 prohibitus fuit. Jussu cleri gallicani eum impugnavit Dad. de Hautesere suis ecclesiasticae jurisdictionis *vindiciis*, Parisiis 1703. 1710. Cum hisce annotationibusque Brunet et Giberti prodiit ille tractatus iterum Lugduni 1736; Lausanne 1778. Cf. Streber Kirchenlex. IV, 1474.

tis alioque scripto[1]) opus suum sacrae sedis judicio subjecisset, atque promisisset se „in omnibus sequi et amplecti eam doctrinam de jurisdictione ac immunitate ecclesiastica ceterisque rebus et causis ecclesiasticis, quam docet romana Ecclesia eique firmiter adhaerere.“ Ceterum de Marca nonnisi 4 priores ll. prelo subjecerat, in quibus agit de sedis apostolicae legatis, de conciliis nationalibus et provincialibus, de judiciis canonicis, de episcopis, investituris, regalibus etc. Eo autem fatis functo 29. Jun. 1662 Stephanus Baluzius, quo studiorum socio et adjutore assiduo fuerat usus, et cui librorum suorum ac schedarum custodiam multis ante annis commendaverat, ex gallico ipsius autographo pleraque latine reddidit[2]), additionibus auctoris et suis notis auxit, 5. l. de legatis pontificiis supplevit, ll. 6—8, quos Marca gallice scripserat, latine vertit, atque auctoris vitam adjecit, Parisiis 1663, prima ed. integra. Verum et hanc editionem proscripsit congregatio indicis his verbis (7. Nov. 1664): „De concordia etc. l. a Steph. Baluzio impressus Parisiis a. 1663 perperam adscriptus Petro de Marca, ex cujus retractatis scriptis aliorumque erroneis sententiis opera praefati Baluzii editus est.“ Post paucos annos (1669) hoc opus recognitum emendatius copiosiusque iterum edidit auctioremque sui Maecenatis vitam praemisit, atque nonnullas ejusdem dissertationes (16) adjecit, in quibus de auctoritate rom. pontificis et ceterorum patriarcharum ac primatum, tum de vexatissima canonis arausicani explicatione, quae viros eruditissimos inter se commiserat, denique de initiis susceptae christianae apud gallos religionis erudite tractatum est. Plures deinde aliae hujus operis prodierunt editiones ut Parisiis 1670; 1704 (censetur optima) cum variis Baluzii animadversionibus; Francofurti 1708 et Lipsiae 1709 cura J. H. Boehmer, cum hujus observationibus; cura Carmini Firmiani Neapoli 1761—80; *opera omnia* cum pluribus additionibus Bambergae 1788 v. 6 in 4; Venetiis 1771 (cum Boehmeri observ.); Roboreti 1747; 1763; Boehmeri *observationes selectae ecclesiasticae* Petri de Marca dissertationes ecclesiasticas de concordia sacerdotii et imperii illustrantes et studio juris ecclesiastici inservientes prodierunt seorsim Lipsiae 1708 in f.

517. De Marca interim in presbyterum ordinatus et in episcopum consecratus est anno 1648; postea promotus ad sedem tolosanam 1652 (a sede apostolica confirmatus 1654), obiit vero designatus archiepiscopus parisiensis. Post ejus mortem edidit Baluzius 16 ejusdem *opuscula*[1]), Parisiis 1669; 1681, inter quae sunt ex gr. dissertationes de stemmate et genealogia Christi, de adventu magorum ad Christum, et an hi reges fuerint, de singulari primatu Petri, de Vigilio Papa (1646) etc.; de primatu lugdunensi et ceteris primatibus (prodiit Lugduni 1644 in 8.), de discrimine clericorum et laicorum ex jure divino deque forma regiminis ecclesiastici, de tempore synodi plenariae sirmiensis, de antiquis canonum collectionibus. Alias ejusdem *dissertationes* posthumas sacras et ecclesiasticas cum Petri biographia prolixa, quae complet Baluzianam, edidit P. de Faget Parisiis 1668, et quia partim suppressae fuere, iterum prodierunt in Hollandia 1669, inter

[1]) *Libellus, quo editionis ll. de concordia etc. consilium exponit,* opus ap. sedis censurae submittit et reges canonum custodes, non vero auctores esse docet, Barcinonae 1646. Cf. Reusch Index II, 364; Stimmen aus Maria Laach 1871 II, 638 s.

[2]) Secundum Biogr. univ. XXVI, 581 Baluzius l. tantum 6. et 7. latine reddidit.

[1]) Haec recenset omnia Fabricius in bibl. fabr. VI, 191 ss. et acta erud. lips. a. 1682 p. 318. Adjecta sunt opuscula Petavii et Sirmondi de synodo sirmiensi, quorum supra p. 1080 meminimus.

quas ex gr. dissertatio de eucharistia (quam Sorbonna suppressam voluit), in qua ostendit quantopere patres ab haeresi calviniana dissentiant; de sacrificio missae; de institutione patriarchatus constantinopolitani; tres (gallice) de sacramentis eucharistiae, poenitentiae et matrimonii[1]). *Lettres* inédites ... au chancelier Segier ed. Ph. Tamizey de Larroque, Paris 1881. Ceterum Petrus de Marca acer erat libertatum gallicanarum patronus, ex cujus operibus van Espen, Febronius etc. sua hauserunt arma: Ecclesiae tamen ex corde addictus, atque strenue Jansenismo se opposuit, hinc primus de formulario cogitavit, quo quinque Jansenii propositiones in sensu damnarentur auctoris; novem quoque propositiones ad Innocentium X. detulit, quibus jam in nucleo adumbratum erat Febronii systema. Licet hic auctor a pluribus multum laudetur, Bossuet tamen ita de eo pronunciat[1]): „Neque hujus viri verbis commovemur, cujus apud nos clarissimum ingenium, sed in theologia non satis exercitatum; ad haec versatile ac lubricum et nimia facilitate per varias ambiguasque sententias de re ecclesiastica ludere solitum habeatur.“

518. Alter est Franciscus Halier[2]) Carnotensis n. c. 1595, doctor et professor et syndicus sorbonicus (1649), a. 1657 episcopus cabellicensis (Cavaillon). Graeciam, Italiam, Angliam lustraverat ubique magnam sui existimationem propter insignes ingenii dotes sibi concilians. Jansenianis acriter obstitit, quos et scriptis impugnavit, quare et a Galliae episcopis Romam deputatus fuit, ubi quinque Jansenii propositionum damnationem promovit. Hinc Jansenistarum irae in ipsum. Paralysi tactus omnium oblitus est, vel ipsius orationis dominicae († 2. Jul. 1659). Praecipuum et egregium est ejus opus: *De sacris electionibus et ordinationibus* ex antiquo et novo Ecclesiae usu, Parisiis 1636 in f., Romae 1739 v. 3 in f.; etiam in cursu completo theologiae ed. Migne t. 24; *de hierarchia ecclesiastica* ll. 4, Parisiis 1646 in f. Collegit etiam *ordinationes universi cleri gallicani circa regulares conditas* primum in comitiis generalibus a. 1625, renovatas et promulgatas 1645, quas cum ipsius commentario edidit Gerbais Parisiis 1665 in 4. Cum Halier minus propensus esset in regulares, illum (et Petrum Aurelium seu Joan. de Verger) aggressus est (cum St. Bauny et Pintherau S. J., qui

---

[1]) De his aliisque hujus auctoris operibus fuse admodum disserit Dupin XVII, 145 ss., qui censuram hisce absolvit verbis: „M. de Marca avoit joint avec une érudition profonde une grande beauté de génie et une facilité admirable de tourner les choses comme il vouloit. Il excelloit en tout genre; il étoit grand Politique, bon Jurisconsulte, savant Theologien et habile Critique. Il a eu quelquefois beaucoup de ménagement pour la Cour de Rome, et il a soutenu fortement en d'autres occasions les intérêts de l'Eglise et du Roïaume: il ne paroît pas avoir toujours été bien constant dans les mêmes principes et il lui est arrivé de s'accommoder au temps. Il faisoit servir les faits aux desseins et aux fins qu'il avoit, au lieu d'ajuster ses desseins à la nature des faits. Son style est ferme et mâle, assez pur, sans affectation et sans embarras.“ Cf. Feller V, 520; Andres, qui p. 677 in l. de concordia etc. advertit: „La quale (opera), quantunque in alcuni punti di dottrina da molti non senza ragione impugnata, è stata da tutti rispettata e stimata pe' molti lumi d'antichità sacra, d'ecclesiastica disciplina et di dottrina canonica e ciò ch'è più, è stata da tutti consultata e studiata.“ Prolixus operis de concordia conspectus habetur in *Bibliothèque choisie* XVII, 270 ss. Cf. Jungmann KL. VIII, 642—48.

[1]) In diss. *Gallia orthodoxa* praemissa defensioni Cleri gallicani.

[2]) Cf. Feret IV, 305—10. Ejus frater, pariter doctor sorbonicus, vicarius generalis, canonicus theologus et poenitentiarius rothomagensis, ultra 2000 protestantes zelo suo ad Ecclesiam reduxisse narratur.

voluit latere sub nomine ab. de Boisic) Ludovicus Cellotius S. J. Parisiensis († 20. Oct. 1658 a. aetatis 70) in op. *de hierarchia et hierarchis* ll. 9, in quibus pulcherrima dispositione omnes hierarchici gradus et ordines, episcopalis principatus, clericalis dignitas, religiosa sanctitas secundum patrum doctrinam, decreta conciliorum, Ecclesiae ritus et mores sine justa cujusquam offensione explicantur, Rothomagi in f., quod tamen multorum incurrit offensionem, unde „donec corrigatur" prohibitum fuit 20. Nov. 1641. Sorbonae censuram[1]) evasit porrecto retractationis scripto 22. Maji 1641. Retractationis historiam exhibet *in horarum subcisivarum l. singulari* ad veram ll. de hierarchia ecclesiastica intelligentiam, Parisiis 1648 in 8. Edidit praeterea[2]) *historiam Gotteschalchi praedestinatiani* et accuratam controversiae per eum revocatae disputationem in ll. 5 distinctam, quibus accedit appendix miscellanea ex opusculis nondum editis aliisque tractatibus historiae lucem allaturis collecta, ib. 1655 in f. Opusculum quartum hujus appendicis de libero arbitrio prohibitum legitur decr. 3. Apr. 1731. *Concilium duziacense* (Douzy) primum celebratum a. 971, cum aliis *Hincmari utriusque opusculis* et vita Hincmari junioris, ib. 1658 in 8. — *De jure abbatum* disseruit Frid. Rommel abbas roggenburgensis O. Pr. († 30. Aug. 1656).

519. *Theologiam moralem*[3]) vel integram vel magna ex parte praetermissis Nicolao Perrault († 1661) jansenista, qui in op. posthumo *La Morale des Jesuites,* Mons 1667, sodales societatis Jesu laxismi turpis accusat adeo ut vel facultas theologica et parlamentum parisiense librum reprobarint (cf. Feret III, 371 ss.) — Joan. Anastasio de Arana O. Carm. († 1663) — ediderunt: Stephanus Bauny S. J. Campanus, Mesomensis, qui hanc disciplinam a. 16 docuit, vir antiquae probitatis et singularis circa quaestiones omnes de conscientia eruditionis, sed plus aequo benignus († 3. Dec. 1649). Prodiit ejus *Somme des péchés qui se commettent en tous etats,* de leurs conditions et qualités, en quelles occurrences ils sont mortels ou véniels, et en quelle façon le confesseur doit interroger son pénitent[1]), Parisiis 1630 in 8., 1633; 1639 (ed. 5.) etc. Hujus compendium prodiit (gallice) 1639. *Pratique du droit canonique* au gouvernement de l'Eglise, correction des moeurs et distribution des bénéfices; le tout au style et usage de France, avec la décision des principales questions sur les matières bénéficiales, qui se traitent dans les Cours du royaume, ib. 1633, 1640 in 8; *de sacramentis ac personis sacris,* earum dignitate, obligationibus ac jure juxta ss. litterarum testimonia, ss. patrum sententias, canonum ac conciliorum sanctiones, theologiae moralis p. 1., Parisiis 1640; de censuris ecclesiasticis p. altera, ib. 1642; ll. 3 in quibus, quae in contractuum ac quasi contractuum materia videntur ardua ac difficilia, enucleantur, ib. 1645; *Nova beneficiorum praxis,* in qua explicantur quae ad beneficia, eorum naturam ac speciem pertinent, suntque secundum magis communes juris cum canonici tum gallici observationes praejudicata ac decisa, ib. 1649. Priora duo opera sunt prohibita decr. 26. Sept. 1640; sed theologiae moralis p. tantum prima; facultas vero parisina plures pro-

[1]) D'Argentré Coll. judic. III, 40; Contin. H. E. Fleurii l. 200 § 6; Feret III, 164.
[2]) Cf. Sommervogel II, 948—52.
[3]) Tarquinius Galluzzi S. J. n. Montisbonae 1579 rhetoricam docuit Romae, dein et theologiam moralem. Rectoris collegii Graecorum munus egit a. 18 († 28. Jul. 1649). Praeter plura alia, quae ad nos minus spectant (cf. Sommervogel III, 1141—44), reliquit in Aristotelis *ll. V priores moralium* novam interpretationem, commentarios, quaestiones, Parisiis 1632 t. 2. in f.; in ll. V posteriores, ib. 1645 in f.

[1]) Cf. Sommervogel I, 1058.

positiones ex illis decerptas damnavit[1]), et clerus gallicanus Nannetis congregatus 1642 agentibus Jansenianis plures reprobavit. Ad hunc in primis auctorem provocant Pascal, Arnaldus et alii, qui societatem Jesu laxitatis in theologia morum accusant[2]). — Aegidius Trullench gente Valentinus, Villaregalensis († 1644), auctor gravis, scripsit: *Opus morale* sive in 10 decalogi et 5 Ecclesiae praecepta absolutissima et resolutoria expositio, Valentiae 1640 t. 2 in f.; *praxis sacramentorum,* ib. 1646 in f.; *de jure parochi* sive parochiali et de vicario perpetuo et temporali, ib. 1647 in 8., utrumque opus posthumum.

520. Stephanus Fagundez S. J. Lusitanus, patria Vianensis, per decennium theologiae moralis professor († 13. Jan. 1645) scripsit *in 10 praecepta decalogi*, Lugduni 1640 t. 2 in f.; *in 5 Ecclesiae praecepta,* ib. 1626 in f., Moguntiae 1628; cum vero hoc opus prohibitum fuisset ab inquisitione castiliana, apologiae loco edidit *Informationem pro opinione esus ovorum et lacticiniorum tempore quadragesimae,* 1630 in f.; *de justitia et contractibus, et de acquisitione et translatione dominii* ll. 7, Lugduni 1641 in f. — Josephus Rocafull Valentinus, metropolitanae hujus regni ecclesiae praepositus atque in ejusdem academia professor s. theologiae et procancellarius, edidit totius *theologiae moralis praxim,* Valentiae 1648. 1649 t. 2. — Martinus de s. Josepho O. s. Franc. Placentinus († 1649) concinnavit *summam theologiae moralis* cum propugnaculo suarum opinionum, Matriti 1649 in f. *Aviso de Confessores* y Guya de Penitentes, ib. 1649 in f. Scripsit etiam praeter alia *Cronica de las Provincias de s. Josef* y de s. Pablo de los Descalzos de s. Francisco, Arevali 1644 t. 2. *Vida del b. Fr. Pedro de Alc.,* Matriti 1644, quae tamen maxima ex parte hausta est ex Jo. a s. Maria chronico (cf. supra p. 841) non raro ad verbum. — Antonius Quintanaduenas S. J. Alcantarensis, strenuus operarius apostolicus, qui operam suam omnem dicavit 14 annis carceribus detentis atque peste infectis († 1651), scripsit *singularia theologiae moralis ad 7 Ecclesiae sacramenta,* quibus accedit ad celebriora christiani orbis jubilaea appendix, Hispali 1645 in f.; Venetiis 1648; *ad quinque Ecclesiae praecepta, necnon ad ecclesiasticas censuras et poenas,* Matriti 1652 in f. opus posthumum; *Santos ... de Toledo* etc., Madrid 1651 in f. — Leander de ss. Sacramento O. Excalceatorum sive Reformatorum ss. Trinitatis Navarrus ex oppido Villafranca, theologiae professor in academia complutensi, publicavit: Quaestiones morales theologicae *in 7 Ecclesiae sacramenta,* Matriti 1654 v. 2 in f., 1664; *in 5 Ecclesiae praecepta,* ib. 1649 in f.; quaestiones morales *de censuris ecclesiasticis,* Compluti et Lugduni 1664; *de impedimentis* seu poenis ecclesiasticis, ib. 1664; *de decalogo* in genere et in *praecepta,* Lugduni 1662—9; *in 4. ejusdem decalogi praeceptum,* ib. 1669. Laudantur in hoc

[1]) Cf. Argentré, Collect. judic. III, 28; Alex. a s. Joanne de Cr. in cont. H. E. Fleurii l. 199 § 96; Feret III, 344—49.

[2]) Moralistarum Soc. J. apologiam in se suscepit Georgius Pirot S. J. (n. 1599, † 6. Oct. 1659) in *Apologie pour les Casuistes* contre les calomnies des Jansénistes, où le lecteur trouvera les vérités de la morale Chrestienne si nettement expliquées et prouvées avec tant de solidité, qu'il luy sera aisé de voir que les maximes des Jansénistes n'ont que l'apparence de la vérité; et qu'effectivement elles portent a toutes sortes de pechés et aux grands relachemens qu'elles blasment avec tant de severité, Parisiis 1657 in 4. Quae tamen apologia minus fuit felix totque excitavit rumores et querelas, ut plures episcopi illam proscripserint, facultas theologica parisiensis subjecerit censurae (quacum prodiit 1659), Alexander VII. prohibuerit 21. Aug. 1659 et multi acriter impugnarint, inter quos in primis Carolus Desmarets Congr. Orat. Cf. literaturam de hac controversia apud Sommervogel VI, 856—64. Cf. Feret III, 361—65.

auctore verborum perspicuitas, proprietas, nitor; rationum pondus et nervositas, quaestionum ordinatissima series, sententiarum consultissima electio, allegationum copia et fidelitas[1]). Priores 5 pp. operum Leandri in compendium redegit et Lugduni excudi fecit Joannes a Conceptione; universa autem opera ejus moralia abbreviarunt et in lucem emiserunt Gregorius Salmanticensis O. Cap. Lugduni 1672 in f., Emmanuel a Conceptione, Leandri consobrinus, et Joannes de Thollenda, Barcinone 1680 in f. Est tamen Leander in re morali auctor nimis benignus († 30. Aug. 1663 a. aetatis 72). — Joannes de Dicastillo S. J., qui theologiam 25 annis docuit Toleti, Murciae et Viennae († 6. Martii 1653), disseruit[2]) *de justitia et jure* ceterisque virtutibus cardinalibus ll. 2, Antwerpiae 1641 in f.; *de sacramentis*, disputationes scholasticae et morales, ib. 1646—1652 v. 3 in f.; *de juramento, perjurio et adjuratione*, necnon de censuris et poenis ecclesiasticis, ib. 1662 in f.; *de incarnatione*, ib. 1642 t. 2 in f.

521. In *Italia* memoria digni sunt: Franciscus Bardi S. J. Panormitanus (1583—1661), qui docuit philosophiam quinquennium, theologiam moralem quinquennium, scholasticam a. 12. Edidit *quaestiones selectas* ex universa morali theologia, in quibus plura pro utroque foro exacte perpenduntur, ll. XI, Panormi 1653 in f.; disceptationes morales *de conscientia in communi, recta, erronea, probabili, dubia et scrupulosa*[3]), ib. 1650 in f.; Francofurti 1653; *commentaria in regulas juris canonici in Sexto,* quibus accessit quaestio *de summa Trinitate,* ubi omnimoda personarum aequalitas demonstratur, Panormi 1661 in f.; *bulla cruciatae explicata et illustrata* tractatibus locupletissimis, Panormi 1646 in f.; 1656. — Nicolaus Baldelli S. J. Cortonensis, vir egregrie doctus, qui philosophiam decennium, theologiam moralem sexennium, scholasticam Romae quadriennium explicuit († 16. Dec. 1655 a. aetatis 83), probabilista gravis, scripsit *disputationum ex morali theologia ll. V,* quorum 1. de humanis actibus in universum, 2. de vitiis et peccatis, 3. de vitiis capitalibus, 4. de conscientia, 5. de legibus agit, Lugduni 1637 in f.; *disputationum etc. ll. 4*, quorum 1. de fide et infidelitate, 2. de spe et caritate, 3. de adoratione et oratione, 4. de superstitione et irreligiositate agit, ib. 1644 in f. — Vincentius Tancredus S. J. pariter Panormitanus († 26. Oct. 1659) edidit: Libros X *de s. matrimonii sacramento,* in quibus universa P. Thomae Sanchez doctrina brevi periodo distincte ac dilucide explicatur et vindicatur, Panormi 1648. 1649 v. 2 in f.; tr. IV de *virtute religionis* (compendium magnae partis operis, quod de religione composuit Fr. Suarez) Monte-Regali 1651 in f.; *quaestiones morales,* in quibus selectiores casus passim in utroque foro occurrentes ab aliis aut nondum exagitati aut durius decisi breviter, solide ac mitius resolvuntur, Panormi 1654—1659 t. 2 in f. — *Seraphicam theologiae moralis polyantheam* ordine alphabetico e seraphici ordinis scriptoribus in singularium materiarum titulos digestam collegit Joannes Maria de Castilento O. S. Franc. († 1653), Venetiis 1652 t. 1. (et unicus). — *Summam theologiae moralis* collegit Joannes Elias Madao S. J. patria Bisensis calaritanae dioecesis († 21. Dec. 1662), quae in linguam castellanam versa prodiit Cagliari 1653. — Carolus Mallet Taurinensis O. Cist. († 1658) edidit *Aurum moralis theo-*

[1]) Cf. Mich. a s. Jos. III, 177; Chronicorum O. SS. Trin. t. IV l. 11, Granatae 1732.
[2]) Cf. A. Weiss Allg. d. Bi. V, 496.
[3]) Backer I, 397 et Sommervogel I, 876 tribuunt hoc opus Franc. Barado, quem distinguunt (sed immerito) ab auctore nostro.

logiae in subtilissimas bracteas malleatum, Taurini 1655 v. 2 in f. et *de hierarchia et jure Ecclesiae militantis* ll. VIII, in quibus de Ecclesiae majestate, fide, jurisdictione, dignitate personarum tam ecclesiasticarum quam secularium beneficiis, gradibus, officiis ecclesiasticis et secularibus ac judiciis summa brevitate plenissime tractatur, opus posthumum, ib. 1660 in f. — Gesualdus de Bononiis (de'Bologni) seu Panormitanus O. Cap. († 29. Apr. 1653) scripsit *cursum* integrum *theologiae moralis* t. 3 in f., Panormi 1646; Venetiis 1649; *in Scoti formalitates* subtilem disquisitionem, ib. 1652 in 4. — Vincentius Bertinus a Satriano O. S. Franc. reg. observ. († 1643) collegit centurias tres *quaestionum politicarum et moralium,* Senis 1634—43 t. 6; *Historia dell' antica e moderna Palestina,* Sienae 1633; Venetiis 1642.

522. Magnam consecutus est nominis celebritatem Antoninus Diana cler. reg. Panormitanus (1585—1663), qui tamen teste Ligorio „in seligendis sententiis ut plurimum in partem benignam declinat et non raro plus declinat, quam par est[1])." Aestimabatur dum viveret a viris doctis, a senatu panormitano, a praesidibus Siciliae, imo et a romanis pontificibus Urbano VIII., Innocentio X. et Alexandro VII., sub quibus erat episcoporum examinator; undique quoque consilia ab eo petebantur. Reliquit *resolutiones morales* t. 12, Lugduni 1629—1659 (9 partes), Venetiis 1652. 1655 (p. 10. et 11.), Romae 1656 (p. 12.), qua in ed. deest ordo. Neque enim cogitaverat auctor modestus de iis edendis, sed ad suum usum illas composuerat. Verum cum in aliorum venirent manus iisque placerent, amicorum precibus permotus paulatim illas resolutiones evulgavit[2]). Hinc aliam editionem curavit Martinus de Alcolea O. Carthus., cui hunc titulum fecit: *Antoninus Diana . . . coordinatus* seu omnes resolutiones morales ejus ipsissimis verbis ad propria loca et materias fideliter dispositae ac distributae, sed titulis novis, notis marginalibus et indicibus necessariis clara luce et clariori dispositione illustratae, ac in 9 t. digestae, Lugduni 1667 ss., quae cum esset mendosissima, adjecit t. 10. correctionum, ib. 1669; iterum ib. 1680 t. 10 in f.; Venetiis 1698 t. 10 in f. In iis auctor ad 28 millia quaestionum resolvit. Has resolutiones in compendium redegerunt[1]): Joan. de la Val, Lugduni 1634 pp. 3 in 24; Alex. Calamato Messinensis, Venetiis 1642 5 pp. in 8; Engelb. Ewich S. J. († 1637), Antwerpiae 1637 in 24; 1638 (sub nomine theologi clivensis) 1651 ed. 7; Jos. Andres[2]) S. J. († 1676) ib. 1676 in 8. (absque ejus nomine); Michaël van Triest S. J. († 1668) ib. 1660; Ausonius Noctinot (rectius ac vere Antonius Cotonius) regularis et generalis perpetuus tertiii ord. s. Franc., Nicosiensis († 1682), ordine alphabetico ex 7 pp. Lugduni 1644 in 4; Venetiis 1646; ab hac Summa distingui debet ejus *Summarium* summae Dianae cum 7. et 8. p. Venetiis 1648 in 24., saepissime recusum; Simon Rondelini Perusinus, Venetiis 1677 in 8; Matthaeus Defendi Venetus, ib. 1642; Laurentius Felini, Romae 1674, quae censetur omnium maxime completa epitome; Antonius Montes de Porres O. Red., Matriti 1657; Guilelmus Ocasa aliique. Carolus Tomasi Dianae sodalis

[1]) Theol. mor. l. 6 n. 257.

[2]) Cf. Vezzosi I, 301 ss.

[1]) Carolus Tomasi a. 1664 jam tredecim recenset, qui saltem ex parte resolutiones Dianae in compendium redegerint, plures Cotonius.

[2]) Hujus quoque est *Decor Carmeli* sive inclyti ord. carmelit. praerogativae in synopsim redactae ac multiplici patrum doctorumque auctoritate confirmatae, Saragossae 1668; Coloniae 1679; opus auctum et hispanice cur. Jo. Aug. Torrens O. Carm. prodiit Palmae 1860—61 t. 4.

confecit *tabulam auream* operum omnium Antonini Dianae, qua resolutionum plus quam sex millia pluraque aliorum casuum millia in 12 pp. promiscue impressa recta et clara methodo in 150 tractatus ... rite ac scholastice ordinantur, Romae 1664 in f., quae tabula aurea est tantum conspectus ordinatae editionis resolutionum Dianae, quam meditabatur Tomasi, sed praeventus ab Alcolea exsecutus non est. Aliud Dianae opus est: *De primatu solius d. Petri* ac differentia inter ipsum et divum Paulum disputationes apologeticae (valde rarae), Romae 1647 in 4., etiam in Rocaberti bibliotheca pontificia IV, 119—160. Quidquid in ejus operibus ad romani pontificis auctoritatem spectans reperitur, collegit Carolus Morales cler. reg. matritensis sub titulo *Antoninus Diana panormitanus dogmaticus,* Neapoli 1697 in f. adjecta apologia sub titulo: *Antoninus Diana vindicatus* sive ab omnibus fere propositionibus damnatis a summis pontificibus Alexandro VII., Innocentio XI. et Alexandro VIII. defensus.

523. De singularibus argumentis et quaestionibus ad theologiam moralem spectantibus disputarunt in *Germania:* Matthias Mairhofer (Meirhofer, Mayrh.) S. J. Landishutanus, qui Ingolstadii philosophiam (1576), dein (1582—1590) theologiam docuit, strenuus Gregorii de Valentia collega. Solebat hic de eo dicere[1]), se neminem in disputando nervosiorem expertum Mairhofero, si incaluisset († 7. Febr. 1641 a. aetatis 92). Reliquae sunt quaedam disputationes praesertim de re morali habitae eo praeside et libelli polemici adversus protestantes, inter quos *Predicanten Spiegel.* darin zu sehen, wie jetziger Zeit der Predicanten Lehr nit allein nicht Apostolisch, sondern auch meisten Theils der Vernunft zuwider, leichtfertig, unbeständig und ganz irrig sei etc. adv. Heilbrunner, Ingolstadii 1600 in 4. — Joannes Antoninus S. J., Lucernae in Helvetia theologiae professor († 1663 vel 1664), reliquit *assertiones theologicas* de praecipuis quibusque difficultatibus quae circa materiam de poenitentia tum in scholis disputantur, tum in sacro tribunali occurrunt, Lucernae 1656 in 12. — In *Belgio* floruit David Mauden Antwerpiensis, Bredae ad s. Petrum decanus († 1641 a. aetatis 66), secundum Bona rerum moralium peritissimus. Ejus sunt discursus morales *in praecepta decalogi,* Lovanii 1625 in f.; *Speculum aureum vitae moralis,* quo Tobias ad vivum delineatur atque explicatur, Antverpiae 1631 in f. — Petrus du Fay O. Praed. Brugensis, theologiae moralis lector († 1639 a. aetatis 54), edidit *de poenitentia* qua virtute qua sacramento disputationes theologicas circa textum d. Thomae a p. 3. q. 84 ad 16 suppl., Duaci 1626; discursus *de perpetuitate approbationum religiosorum* ad excipiendas confessiones et praedicandum verbum Dei ... ex hispano latine redditus, cui adjecit discursum circa jurisdictionem regularium, qua munus obeunt praedicandi Gandavi 1636 in 4; et iterum sub titulo: *Clypeus* ordinum mendicantium, Coloniae 1637 in 8. — Guilelmus de Paradis Namurcensis praepositus ecclesiae collegiatae Dominae nostrae in urbe patria († 1648) disseruit *de reservationibus,* Namur 1644. — Cornelius t'Sas Turnhautanus, philosophiae, dein theologiae in seminario mechlinensi professor, canonicus et vicarius generalis († 8. Oct. 1656) concinnavit *Epitomen praxeos virtutum theologicarum* ... praesertim qua media sunt salutis, Romae 1632 in 12, ex qua deducta dein fuit necessitas VII punctorum seu articulorum fidei necessitate medii ad salutem credendorum. Quod symbolum praetensum Innocentius XI. damnavit 16. Aug. 1682 una cum plu-

[1]) Cf. Mederer, annales acad. ingolstad. ad a. 1641 II, 297; Sommervogel V, 265—68.

ribus libellis vernaculis et anonymis idipsum inculcantibus. — Ex *Hispanis* praetermisso Paulo Duran Rotae auditore, dein urgellensi episcopo († 18. Febr. 1651) — *de contractibus* t. 3 scripsit Petrus de Onate S. J. Vallisoletanus († 31. Dec. 1646), Romae 1646—54 in f. — *Disquisitiones morales* in 1. 2. s. Thomae edidit Leander Montanus O. Cap. Murciensis, Matriti 1653. 1660 t. 2 in f.; *quaestiones selectas regulares,* ib. 1646; *qq. morales* ib. 1646; praeterea[1]): *Commentaria literalia et moralia in l. Esther,* ib. 1647 in f. — *De sacramentis in genere, et de baptismo, confirmatione, eucharistia nec non de sacrificio missae* disputavit Emmanuel Mascarenhas[2]) Olisiponensis († 28. Nov. 1654) Lutetiae Parisiorum 1656 in f. — Plura paraverat Petrus de Tapia O. Praed. Villoriae dioecesis salmanticensis natus 1582, qui theologiam docuit variis in locis. Demum a Philippo IV. delata ei fuit cathedra primaria salmantina (1623), mox conimbricensis, quam tamen complutensis suae amore captus recusavit. Crotoniensem quoque in ulteriori Calabria ecclesiam deprecatus est, sed et segobiensem ei delatam (1640) recusare in animo erat, ni mandatum summi pontificis irrevocabile nuncius protulisset. Mox illi ecclesia compostellana oblata fuit, verum illam acceptare renuit; ad saguntinam tamen se transferre coactus est a. 1644, sed ad valentinam, cui adjuncta erat regni praefectura, transire omnino detrectavit (1648), nec cordubensem admisisset, ni plus in ea laboris et boni operis (eam pestis tum infestabat) praevidisset

[1]) Hujus auctoris non fit mentio in bibl. O. Cap. auctore Bernardo a Bononia. Cf. de eo Sbaralea p. 485.

[2]) Alius a Ferdinando Martinez Mascarenha post gubernatam rectoris munere conimbricensem scholam episcopo silvensi († 28. Jan. 1628), cujus exstat tractatus *de auxiliis divinae gratiae* ad actus supernaturales, Lugduni 1615 in 4.

(1649). Hispalensis tandem ultima eum obtinuit (1651), in qua et obiit 25. Aug. 1657 a. aetatis 76. Vitam ejus apostolicam, piam et religiosam pluribus prosecuti sunt Davila[1]) et Antonius de Lorea, Matriti 1676 in f. Ex ejus operibus prodierunt tantum[2]): *Catena moralis doctrinae* t. 1. de actionibus moralibus et earum principiis in generali ll. 5, Hispali 1654 in f.; 2. *de virtutibus et vitiis* in specie, pars prior, de fide, spe et caritate, prudentia et justitia, ib. 1657 in f. Alii tomi non prodierunt.

524. De multis variisque argumentis disputavit Thomas Hurtado O. Cler. reg. min. Toletanus, qui Romae, Compluti et Salmanticae sacram theologiam docuit sodales, et magna doctrinae fama ss. literas in academia hispalensi. Vigebat enim ingenio et eloquentia, literisque theologicis non mediocrem conciliorum et canonum, patrum ad haec ss. et amoenae antiquitatis lectionem adjunxerat[3]). Ea erat vel juvenis (1618) ingenii capacitate et alacritate, ut Salmanticae, dum capitulum Franciscanorum generale celebraretur, ostentandae doctrinae causa una et eadem die universam angelici praeceptoris mane, subtilissimi autem Scoti vespere theologiam propugnaverit († 1659 a. aetatis 70). Haec ejus opera: *Tratactus varii resolutionum moralium,* Lugduni 1651 v. 2 in f., in quibus auctor se sat laxum exhibet; imo ipsius esse dicuntur plures ex prop. 45 ab Alexandro VII. damnatis. Resolutionum moralium ll. VI *de congrua sustentatione ecclesiasticorum omnium* tam secularium quam regularium utriusque sexus, Hispali 1659; Coloniae 1661; *de residentia sacra* ll. XII, Lugduni 1660 v. 2 in f.; resolutiones orthodoxomorales, scholasticae, historicae *de vero, unico*

[1]) In Teatro de las Espannas.

[2]) Cf. Echard II, 588; Loe KL. XI, 1214.

[3]) Cf. Bibl. hisp. n. II, 304.

et proprio martyrio fidei sanguine sanctorum violenter effuso rubricato adversus quorundam καινολογίαν de proprio martyrio caritatis et misericordiae, quibus junguntur digressiones de germana intelligentia quorundam canonum illiberitani concilii, de variis tormentorum instrumentis et de martyrio per pestem, de chori ecclesiastici antiquitate, necessitate et fructibus, de coronis gentilitatis, synagogae et christianismi, de religione nazaraeorum, de restrictione mentali, Coloniae 1655 in f., adversus Theoph. Raynaudi l. *de martyrio per pestem*, (cf. p. 982), qui punctus valide ab Hurtado in hoc tractatu et in alia resolutione *de communione pro mortuis*, reposuit duplicem *apologiam* acrem sub nomine Leodegarii Quintini Haedui, cui opposuit Hurtadus: *Antidotum duplex contra duplex venenum*, quod ex fonte Theophilino ebibit Leodig. Quintinus Haeduus propugnante D. Didaco Sanchez del Aquila, Hispali 1657 in 8. Hurtadi resolutiones prohibitae fuere, donec corrigantur 10. Jun. 1659. *Praecursor theologicus assecla d. Thomae* disputans de supernaturalitate entis, reviviscentia meritorum per poenitentiam, de augmento gratiae et caritatis per actus remissos, de intensione supernae beatitudinis, cui adhaeret digressio de qualitate intentionum, de distinctione reali et perfectione essentiali donorum supernaturalium tam comparatione facta inter sese, quam cum substantia deque eorundem causa morali, de potentiis animae vegetativae status innocentiae, Christi, V. Mariae et beatorum, Hispali 1641 in f. Ad hujus analogiam edidit etiam *praecursorem philosophiae asseclam Aristotelis et d. Thomae* disputantem de anima sensitiva, de sensibus internis eorundemque actibus, officiis et effectibus, Antwerpiae 1641 in f. *Chocolate o Tabaco si se compadecen con el ayuno,* Matriti 1642 in 4. — *De conscientia* resolutiones morales dedit Barnabas Gallego de Vera O. Praed. Matritensis, theologiae moralis lector († 1661), Matriti 1648 in f.; 1666; *controversias logicales* in defensionem doctrinae d. Thomae Aq., ib. 1623 in 4; Coloniae 1632 t. 1. (et ut videtur unicus), opus valde rarum. — Franciscus Soarez S. J. Lusitanus, qui per 18 annos theologiam scholasticam in primariis cathedris Conimbricae et Eborae professus est. Mortem oppetiit violentam in quadam pulveris pyrii explosione († 19. Jan. 1659 a. aetatis 54). Reliquit praeter *cursum philosophicum* Conimbricae 1651 t. 4 in f., Eborae 1670, *de virtute et sacramento poenitentiae* tractatus octo, Eborae 1678 in f. — Ex Gallis Yvo Pinsard O. Praed. Armoricus, ecclesiae corisopitensis annos ferme triginta canonicus theologus († 13. Apr. 1652), scripsit *La delegation des religieux* ou l'examen et rapport de la puissance legitime qu'ont les religieux privilegiez d'entendre les confessions des seculiers en tout temps et en tout lieu avec les declarations de la sacrée congregation du concile sur la constitution du pape Grégoire XV. et pulsieurs bulles et arrets concernant les messes des festes et dimanches, les visites, les questes et enterremens, Parisiis 1648, opus sat rarum, editum jam 1622, quod facultati theologicae parisiensi admodum displicuit: hinc auctor coactus est ejus censurae se subjicere [1]).

525. In *Italia* plures de singularibus argumentis disserunt [2]): Seraphi-

[1]) Cf. D'Argentré coll. jud. II, 2, 141—42; Feret III, 156.

[2]) Praetermittimus Juniperum Drepanensem O. S. Franc. († 1648), qui *de casibus reservatis* seu de regularium praelatorum jure reservationis juxta formam Clementis VIII. super casuum reservatione scripsit, Venetiis 1652 in f. — Dominicum Gampenburg (erronee Gumpenburg) O. Pr., cujus est *Clavis conscientiae,* Ingolstadii 1663 in 12. — Paulum Barisoni patavinum O. Theat. († 1648), qui scripsit *Dell' uso frequente del Eucaristia*, Patavii

nus a Conceptione O. Carm., cujus *tractatus de poenitentiae virtute et sacramento* post ejus mortem (18. Jun. 1663 a. aetatis 36) cura Jo. B. a s. Joseph prodiit Romae 1674 in f. Ortus is est Romae 25. Jun. 1628 nec citra b. Virginis patrocinium, in quam tenerrimo rapiebatur amoris obsequio, sic memoriae ac ingenii excrevit facilitate, ut omnes omnibus stupentibus superaverit condiscipulos. Puer adhuc solidarum virtutum studio incumbebat; in frequentandis nosocomiis sedulus, eximia humilitate et caritatis exhibitione in lecto decumbentibus ministrabat, nec minus pauperes quantum poterat eleemosynis sublevabat, quorum uni aliquando propriam vestem elargitus est. Studiis confectis philosophiam ac theologiam ea rationum ac doctrina firmitate docuit, ut „admirabilis speculativi“ nomen adeptus fuerit[1]). — Hieronymus Pecorarus S. J. Neapolitanus. theologiae moralis professor († 15. Dec. 1648), scripsit *moralium probabilitatum* t. 2. — Stephanus Spinula[1]) cler. reg. congregationis Somaschae disseruit *de libera et prudenti agibilium electione in moralibus*, Genuae 1648 in f. — Andreas Bianchi (Blancus) S. J. Genuensis († 29. Martii 1657) tutioris sententiae sectator, qui forte primum probabilismum impugnavit, sub Candidi Philaleti nomine in disput. *de opinionum praxi* additis tribus apologiis diversis temporibus editis, Genuae 1642 in 8., 1652; Matriti 1645 etc., adversus quem scripsit Fr. Bardi in suis disceptationibus de conscientia (p. 1189); de *Cambio* tractatum brevem, in quo ejus essentia et justitia declaratur et impugnantium argumentis respondetur, Genuae 1652 in 8; *de praescientia Dei ac praedestinatione* disputationem, ib. 1656 in 8; *Questioni filosofiche* facili ad intendersi, e vaghe a sapersi curiosamente risolute, ib. 1653. — *De justitia et jure* opus posthumum in duas partes distributum, Neapoli 1659 v. 2 in f. reliquit Thomas d'Afflitto cler. reg.[2]) Neapolitanus, natus circa a. 1570 in oppido s. Agathae religiosi viri imaginem ideamque ad unguem repraesentans oris habitu, gravitate, pietate, orationis studio, sacrorum cultu († 23. Maji 1643). — Andreas Santarelli (Sanctarellus) S. J. patria Adriensis in Samnio n. 1596, theologiae moralis per octennium professor, in excipiendis confessionibus erat indefessus. Annis aliquot ante mortem orbatus visu summa animi aequitate instar Tobiae senioris tulit suam coecitatem, et interrogatus saepius, an

---

1625. Alius fuit ab Albertino Barisoni pariter patavino, episcopo cenetensi († 1667), qui scripsit *de archiviis antiquorum* commentarium (in novis supplem. antiq. rom. Venetiis 1737). — Bernardinum Benedetti Picenum protonotarium apostolicum, qui disseruit *de jubilaeo extraordinario*, Arimini 1648. Alius ab eo est Thaddaeus Benedetti O. Er. cujus exstat *Significati e Meditazioni* del ss. Sacrificio della Messa, Macerata 1594; 1608. — Hieronymum Ferrantinum S. J. Anconitanum († 1. Jan. 1655) disserentem *de scandalo et correptione fraterna*, qua occasione ad molestas scrupulorum sollicitudines avertendas plures alii casus, praesertim ad confessionem peccatorum sacramentalem spectantes, et quidem difficiliores, in variis diversisque materiis explicantur, Romae 1653 in f. — Stephanum a s. Gregorio O. S. Aug. Neapolitanum, qui *divinae pietatis vincula* recenset, quibus quilibet vitae status Deo arctius conjungitur, Bononiae 1645 in f. — Petrum Paulum Guazini Orat. — Eliam Luna O. Carm. Drepanitanum, qui a Turcis captus Tuneti in captivitate decessit (15. Nov. 1656) etc. — Polonus erat Andreas Fesulanus a s. Theresia O. Carm., qui plurimum, Pragae praesertim, pro Dei gloria laboravit († 1651).

[1]) Cf. Martialis a s. Joan. Baptista in bibl. script. O. Carmel. p. 351 ss.

[1]) Alius ab eo est Augustinus Spinola Genuensis insignis theologus et canonista, quem Paulus V. petente Philippo III. cardinalem creavit. Episcopus hispalensis quotannis 30,000 aureorum inter pauperes dividere solitus erat († 12. Febr. 1644). Ediderat aliquot libellos pios.

[2]) Cf. Vezzosi 1, 4.

si a Deo daretur optio, malletne esse surdus quam coecus, constanter respondit, malle se esse coecum, quia si surditate laboraret, non posset audire confessiones poenitentium prout coecus faciebat, essetque penitus juvandis animabus inutilis († 5. Dec. 1649 octogenario major). Edidit *varias resolutiones et consilia*, Romae 1625 in 4. Praeter intentionem multum commovit theologos et parlamenta Galliae suo tr. morali *de haeresi, schismate, apostasia, sollicitatione in sacramento poenitentiae, blasphemia, maledictione* et de potestate romani pontificis in his delictis puniendis, Romae 1625 in 4., quo in op. pontifici tribuit jus deponendi reges haereticos et injustos[1]). Hinc acri censurae subjectus fuit liber a facultatibus theologicis parisiensi, tolosana, valentina, rotomagensi, cadomensi, pictaviensi, burdigalensi, bituricensi, aurelianensi, et a parlamentis igni addictus[2]). — Franciscus Pellizzarius S. J. Placentinus (n. 1596, † 17. Aug. 1651), theologiae moralis 11 a. professor, edidit *Manuale regularium* Venetiis 1647. 1648 t. 2 in f.; Lugduni 1653; 1665, in indicem tamen relatum decr. 20. Apr. 1651; *de monialibus*, in quo resolvuntur quaestiones morales ad illarum statum pertinentes, Bononiae 1644 in 4., pariter in indice donec corrigatur decr. 30. Mart. 1692; 12. Jan. 1694, etiam cum excerptis omnibus decr. 4. Dec. 1725; egregie autem correctus fuit a Francisco Montano S. J. rejectis opinionibus laxioribus, hinc editio romana 1755 in 4. (Venetiis 1761) permissa est. Magni hic tractatus fit. — Quadri protonotarius apostolicus collegit *viridiarium reservatum* seu de casuum reservatorum omnigena disputatione studiosa elucidatio, Noviocomi 1656 in f.

1) Cf. D'Argentré II, 2, 212; contin. H. E. Fleurii l. 196 § 1 ss. etc.; Feret III, 109 ss.

2) Libros contra illum scriptos cf. apud Backer III, 542 ss.; Sommervogel VII, 579 ss.

— Hyacinthus Donatus O. Praed. Calaber, insignis concionator et lector, in arcanis conscientiae dubiis solvendis ita peritus, ut Antoninus alter, consiliorum communis parens et dissidiorum arbiter haberetur († c. a. 1661), reliquit *regularium rerum praxim resolutoriam* in 4 t. distributam, in quibus omnes et singulae materiae, quae in rebus regularibus occurrere possunt sub diversis tractatibus succincte ac dilucide proponuntur, resolvuntur ac deciduntur, Neapoli 1652—61; Coloniae 1675 t. 4 in f. in 2 vol.

526. Ad theologiam *pastoralem*[1]) referri possunt Petrus Marchant Leodiensis O. Min., disciplinae religiosae in sua provincia egregius restaurator, primariis sui ordinis muneribus functus, verum seraphici ordinis columen (n. 1585, † 11. Nov. 1661), insignis probabilista, qui praeter plura ascetica reliquit[2]): *Tribunal sacramentale et vi-*

1) Ignatius Huart O. Cist. Belga, s. theologiae in abbatia de Alna in dioecesi leodiensi professor, evulgavit: *Bernardus abbas* seu sanctus praelatus h. e. flores pastorales ex selectissimis quibusque d. Bernardi operibus collecti in gratiam praelatorum omnium tam secularium quam regularium, Lovanii 1651 in 4. Jansenii erroribus addictus nisus est et s. Bernardum in Jansenii opinionem interpretari hoc opere: *D. Bernardi ab. claraevall. doctoris melliflui tractatus de gratia et libero arbitrio periodice dispunctus,* commentario illustratus, s. Augustino primario gratiae propugnatori consonus demonstratus, atque a filiorum alienorum depravationibus vindicatus, sub nomine annagrammatico Ranutii Higati. Librum hunc impugnavit Bernardus Texerius edita *disputatione theologica in janseniana dogmata,* Carolopoli 1651, cui opposuit Huartus *Bernardum abbreviatum;* impugnavit etiam Matthias Hauzeur O. Min. (de quo t. seq.) edito libello hujus tituli: *Correctio fraterna R. Higati,* cui Huart opposuit: *Vindiciae pro R. Higato,* quibus paulo post addidit appendicem. Cf. Foppens I, 553.

2) Cf. Joan. a s. Antonio II, 458; Dirks Histoire littér. et bibliographique des Frères Min. de l'Observ. de S. François

sibile animarum in hac vita mortali, Gandavi 1643 t. 2 in f., in quorum 1. agit modo nonnihil singulari de natura, institutione et partibus tribunalis sacramenti, de judice seu confessario ejusque potestate, qualitatibus, officio, obligationibus etc.; de materia judicii sive tribunalis sacramenti poenitentiae; de reo et actibus, ejus contritione, confessione et satisfactione; de actore contra reum et advocato pro reo sive de conscientia; de sententia et absolutione. In 2. disputat de legibus, legislatoribus et legum obligatione; de decalogo, de praeceptis Ecclesiae. His adjecit 1650 t. 3. complectentem omnium statuum, graduum, officiorum naturam, obligationes, peccata sive *speculum totius hominis christiani*. Porro in eo disputat de Ecclesia Christi visibili militante matre nostra et filiis ejus; de statu universali hominis christiani, de vicario Christi pontifice romano, de ejus potestate in ferendis censuris et poenis, in indulgentiarum erogationibus; de statu ecclesiastico sive clericali; de statu episcopali, de variis episcopi officiis; de archidiaconis, archipresbyteris, officialibus et curatis; de clericis beneficiatis, de beneficiis ac simonia; de statu religioso; de statu politico sive civili, ejusque gradibus, officiis, opificiis etc. Prodierunt hi tres tomi simul Antwerpiae 1672 t. 3 in f. in 2 v. *Notabiles resolutiones variorum casuum et quaestionum practicarum*, ib. 1655 in 8; *Expositio mystico-litteralis ss. incruenti missae sacrificii*, ib. 1653 in 8; *Baculus pastoralis* sive potestas episcoporum in regulares exemptos ab originibus suis explicata, Brugis 1638 in 8. Ejusdem l. *Sanctificatio s. Joseph sponsi Virginis nutritii Jesu in utero asserta*, Brugis et Gandavi 1630 in 8., pro Jo. de Carthagena (cf. supra p. 396) opinione a Cl. d'Ausque impugnata, in librorum prohibitorum indicem decr. 21. Apr. 1632 relatus fuit. Et hunc l. impugnavit Claudius d'Ausque canonicus tornacensis, cui ille respondit. Decessit 11. Nov. 1661 a. aetatis 76. — Multum laudatur[1]) Jacobi Marchant, fratris Petri, pastoris vere pii et eruditi († 1648) *Hortus pastorum*, Montibus 1631—32 ed. 2, Coloniae 1635; Lugduni 1652; 1673; Venetiis 1708; Patavii 1728 etc. Numerantur ed. 16, posteriores admodum auctae. *Opuscula* pastoralia (11) Coloniae 1635; 1700 in f. Montibus 1641; *Rationale evangelizantium* sive doctrina evangelica . . . plebi per anni circulum . . . exponenda, ib. 1637 t. 2 in 4; Coloniae 1642. Opera ejus gallice versa prodierunt Parisiis 1865—67 t. 13 in 8.

527. Philippus Rovenius Transisulanus, vicarius apostolicus per foederatum Belgium, archiepiscopus philippensis († 1. Oct. 1651) reliquit *reipublicae christianae ll. 2* tractantes de variis hominum statibus, gradibus, officiis et functionibus in Ecclesia Christi et quae in singulis amplectenda, quae fugienda sint, Antwerpiae 1638. Graves passus est calamitates a Batavis, qui eum exsilio damnarunt[2]). Edidit et tr. *de missionibus* Lovanii 1626 ed. altera, Bruxellis 1669. — Ambrosius Peuplus O. Min. Obs. Belga theologiae lector († 1658) praeter *breviarium universae philosophiae Scotoaugustinianae* in 3. pp. distinctum, rationalem, transnaturalem et moralem cum brevi reductione lectionum ad theologiam, Leodii 1648 in 4., concinnavit *breviarium practicae theologiae* ad usum confessa-

en Belgique et dans les Pays-Bas p. 216—29; Al. de Launoy Oratio de laudabili vita R. P. P. Marchant, Gand 1661.

[1]) Feller V, 526: „Ouvrage savant quoique d'une critique peu sévère, édifiant et utile, et où il y a des choses curieuses qu'il serait difficile de trouver ailleurs.“ Cf. de utroque T. J. Lamy Biogr. nat. de Belg. XIII, 447—454; Foppens bibl. belgicae I, 525.

[2]) Cf. van Slee Allg. d. Bi. XXIX, 410

riorum praesertim regularium, ib. 1653. — Bonaventura de Bassaeo (Bassaeanus) a loco natali, quod est oppidulum Gallo-Flandriae prope Insulas, dictus[1]), in seculo vocatus Le Pippre prius can. reg. O. S. Aug., dein sodalis O. Cap. († 11. Sept. 1650) innotuit op. *Parochianus obediens* seu de duplici debito parochianorum audiendi verbi et missae parochialis, Duaci 1533; auctum prodiit inscriptum *Theophilus parochialis* seu de quadruplici debito in propria parochia persolvendo: concionis, missae, confessionis paschalis paschalisque communionis, Antverpiae 1635 in 12; Rouen 1635; Romae 1638; Paris 1657; 1679; etiam gallice versum. Acriter in illud insurrexit Henricus Albi S. J. op. anonymo *L'Anti-Theophile* ou response au l. qui porte pour titre *Le Theophile paroissial* de la Messe de paroisse, Lugduni 1649. Cum interpres gallus Benedictus Puys opposuisset *Response chrestienne* etc., Lugduni 1649 scripsit Albi *Apologie* pour l'Anti-Theophile sub nomine Pauli de Cabiac, Lugduni 1649. Controversersia acris composita tamen fuit pacifice praesentibus 17 personis et reconciliatio in acta relata 25. Sept. 1650. Abusus est Pascal hac controversia ep. 15. provinciali[2]).

528. Carolus Musart S. J. Gallus, concionator insignis († 1653) praeter opuscula ascetica collegit *Manuale pastorum* opusculum utile curam animarum gerentibus, Duaci 1653; Viennae 1675; Monachii 1686 etc. — Joan. Machado de Chaves patria Quitensis, designatus episcopus popajanae provinciae († 1653), opus magni pretii reliquit *Perfecto Confesor y Cura de almas* v. 2 in f. — Petrus Anellus Persicus S. J. patria Massalubrensis haud procul Neapoli, diu theologiae moralis professor, vir vere apostolicus († 18. Martii 1644), scripsit *de primo ac praecipuo sacerdotis officio* ll. 3, in quibus omnia fere moralia dubia, quae sacerdoti tam ante missae celebrationem, quam in ipsa celebratione possunt occurrere quaeque ad sacrificii missae cognitionem, ad praeceptorum ad eucharistiae sacramentum spectantium explicationem conferunt, breviter dilucideque explicantur, Neapoli 1639 in f.; tractatus *de divino et ecclesiastico officio* seu de horis canonicis, in quo omnia, quae ad publicam chori et privatam divini officii recitationem pertinent, explicantur, ib. 1643 in 4. — Ejusdem sodalis Hyacinthus Manara (Manaria) Cremonensis († 29. Jan. 1662) auctor est operis: *Notti malinconiche*, nelle quali con occasione di assistere à Condannati à morte si propongono varie difficoltà spettanti a simile materia ... Con un appendice, nella quale si pone il modo di preparare i Rei a morire Christianamente etc., Bologna 1658 in 4. — Jacobus Raggius O. Cap. Genuensis dedit *monita necessaria confessariis tempore pestis ad sacramenta ministranda,* ne morbo afficiantur, in summum bonum animarum, Genuae 1657. — Vincentius a Monte Regali O. Conv. theologiae moralis lector, qui dedit *ad casus conscientiae et animarum regimen institutionem,* Florentiae 1641; et *selecta moralia* sive *de animae morbis et medicamine* brevem et selectam tractationem, ib. 1655. — Gavinus Carta S. J. Sessariensis († 9. Aug. 1653) conscripsit *Guia de confessores.* Practica de Administar los Sacramentos en especial el de la Penitencia, 1640; *canones conscientiae* ex utroque jure et probatis doctoribus collectos, Lugduni 1651 in 4., qui tamen Theophili Alarii O. Barn. sunt. — Joseph Rosell O. Carth. *praxim deponendi conscientiam in dubiis et scrupulis* circa casus morales proposuit Lugduni 1660;

---

[1]) Non invenitur hic auctor in bibl. O. Cap. auctore Bern. a Bononia, sed laudatur a Genuensi et Jo. a s. Antonio, a quo vocatur B. Basleau.

[2]) Cf. Backer I², 56; P. Bergmans Biogr. nat. de Belg. XI, 872—75.

Cracoviae 1662 in 16; Coloniae 1697. — Joannes Huchon in urbe insulensi pastor ecclesiae s. Salvatoris evulgavit *theologiam practicam de Sacramentis* cum commentario ad 1. p. Enchiridii Petri Binsfeldi (p. 355), Insulis 1641 in 12. — Marcellus Megalius cler. reg. Sqillacensis († 26. Martii 1643) plurium operum auctor¹), inter alia edidit: *Institutionis confessariorum et poenitentium* pp. III t. 4, Mutinae 1618—1621 in 4; *consilia seu decisiones diversorum casuum* praesertim ad conscientiae forum pertinentium, ib. 1625 in 4; *Promptuarium theologicum, morale-scholasticum, canonicum ac civile* alphabetica serie compositum, Neapoli 1633 v. 2 in f.; prodiit tamen tantum t. primus ex quatuor; *variarum resolutionum moralium, canonicarum et civilium,* ib. 1634 t. 2 in f. — Joannes Franciscus Rhemensis O. Cap. († 1658) in theologia mystica auctor insignis reliquit l. insriptum *Director pacificus conscientiarum* pp. 2, Parisiis 1638 et 1643 t. 2; *Vera perfectio* hujus vitae in exercitio praesentiae Dei, ib. 1646; 1648; Lugduni 1649. — Quibus addatur Joannes de Palafox et Mendoza Aragonius, qui postquam obierat munera honorifica secularia, viam iniit clericalem, factusque est episcopus angelipolitanus (Puebla de los Angelos) in nova Hispania Americae (1639), mexicanae provinciae prorex, demum oxumensis ecclesiae praesul (1653). Reliquit plurima scripta, quae collecta prodierunt Matriti 1762 t. 15 in 13 v. in f., inter quae multae sunt instructiones pastorales. Neque tamen hisce adeo debet sui nominis celebritatem, quam suis cum Jesuitis controversiis, in quibus nimio pro suis juribus zelo motus mansuetudinis limites excessit²). Non tamen negamus insignem eum fuisse episcopum de salute animarum sibi commissarum sollicitum, qui aliis occasionibus aestimationis in societatem Jesu signa haud ambigua dedit († 30. Sept. 1659). — Utilis est Methodus sive *norma visitationis ecclesiasticae* pro ratione temporis dioecesi wratislawiensi accommodata a Petro Gebauer a Dürgai administratore loco diu absentis episcopi, archidiacono, seniore et aulae episcopalis praefecto, Glogoviae. Ex illa discere tristem licet religionis catholicae per illas regiones conditionem. Erat Petrus Grosglaviae natus 8. Sept. 1575, Romae in collegio germanico institutus, unde rediit doctor philosophiae et theologiae, moxque factus est canonicus et concionator cathedralis atque altiores conscendit dignitates. Obiit¹) 8. Sept. 1646. — Guilelmus de Welsperg alumnus collegii germanici, illustris ecclesiae brixinensis praesul (1628—41) reliquit insigne *Sacerdotale Brixinense,* 1640, a Baruffaldo collaudatum. — Joannes Baptista Escardo S. J. Palmensis, missionarius (n. 23. Maj. 1581; † 23. Jun. 1652) scripsit *Rhetorica Christiana* ó Idea de los que desean predicar con espiritu y frutto de los almas, escondida en los avisos, que se dan en est libro para declarar la parabla de Dios con provecho de los oyentes etc., Mallorca 1647 in 4. — Cui adde sodalem Robertum Guyart Gallum († 16. Mart. 1663), cujus est *Le Sainct Charactere de l'eloquence sacrée* vray contrapoyson de l'Eloquence à la Mode. Extrait des plus Eloquents hommes du Monde ll. 3, A la Fleche 1638.

529. *Selectus et practicas resolutiones* de casibus tempore mortis occurrentibus tam in administratione et receptione sacramentorum quam in ceteris ad eum conflictum omnium maximum spectantibus dedit Petrus Aingo de

¹) Cf. Vezzosi II, 54.
²) Cf. Schroedl KL. IX, 1294.

¹) Cf. Dr. Jungnitz Archidiaconus P. Gebauer. Ein Zeit- und Lebensbild aus der schles. Kirchengesch. des 17. Jahrh. Breslau 1892; Steinhuber Gesch. des Coll. Germ.-Hung. I², 471.

Espeleta Navarrus, asturicensis ecclesiae vicarius generalis, Matriti 1660 in f. — Summam casuum conscientiae dederunt Antonius Naldi O. Theat. Faventinus senex morum candore, ingenuitate, simplicitate conspicuus († 1645), cujus resolutiones practicae notabiliores casuum fere omnium Romae prodierunt 1635 ed. 5. — Vincentius Candidus O. Pr. Syracusanus, sub Innocentio X. magister s. palatii, probabilista gravis († 7. Nov. 1654 a. aetatis 81), sub titulo: *Illustriorum disquisitionum moralium,* quibus omnes casus conscientiae maxime practicabiles explicantur ex ss. canonibus et probatis doctorum sententiis ad instructionem confessariorum et poenitentium t. IV in f., Romae 1638—1643, quae a nonnullis laxitatis nomine impugnabantur. — Carolus Zambertus S. J. Placentinus per 20 a. theologiae moralis professor († 27. Apr. 1650), qui sub nomine lectoris theologiae moralis in cathedrali Bononiae edidit: *Decisiones casuum conscientiae,* qui singulis mensibus in congregationibus archipresbyteralibus dioecesis bononiensis discutiuntur ab a. 1634—1639, Bononiae in 4. — Christophorus Fabritius Fuligniensis, canonicus lateranensis († 1651), et Alphonsus de Leone cler. reg. Neapolitanus († 1644), cujus *communium ac practicabilium conclusionum conscientiae casuum recollectiones* sub tractatu de officio et potestate confessarii prodierunt Arimini 1630 in 4; *de officio capellani* sive qualitates sacerdotis ratione beneficii, legati aut salarii etc. Neapoli 1635. — Illuminatus Moronus O. S. Franc. strict. observ. Bergomensis dedit *centum responsa centum quaesitis* ex his, quae ex omni theologiae practicae materia illi in dies solvenda deferebantur[1]), Venetiis 1644; Mediolani 1682 in f. — Marcus Vidal cler. reg. O. Theat. Venetus concinnavit *arcam vitalem,* in qua pretiosiores theologiae moralis margaritae ex vastissimo tum theologico tum canonico oceano diligenter collectae recluduntur seu inquisitiones theologicae morales casuum conscientiae, Venetiis 1650 in f., quod tamen opus decr. 23. Sept. 1653 prohibitum fuit. Illud retractavit recuditque inscriptum: *Arca salutaris* consultus utriusque juris includens, in qua humani generis spes naufraga ad salutis portum perducens seu inquisitiones morales casuum conscientiae, ib. 1660 in f., sed et hoc „donec corrigatur“ prohibitum fuit 8. Mart. 1661.

530. Sacram *liturgiam* plures illustrarunt, inter quos eminet Jacobus Goar O. Praed. Parisiensis n. 1601. Post emensa 6 annis philosophiae ac theologiae stadia, lector Tulli institutus sodales philosophiam docuit, tum et theologiam. Cum vero interea graecam linguam apprime coleret monumentaque vetera graeca evolveret ardentius, quae aliquando sibi proponebat edenda, ut horum omnium pleniorem compararet sibi notitiam simul et ut in rem catholicam fructum reportaret aliquem, a magistro ordinis Nicolao Ridolphi missus est in Orientem (1631), ubi in insula Chio annis 8 stetit apostolici etiam missionarii munere fungens, Graecorum ecclesias, ubicunque eum adesse contingeret, frequentans, illorum ritus singillatim investigans ac perscrutans, cum illorum sapientioribus ac peritioribus saepius colloquens ac omnium rationem diligenter exquirens, ipsis etiam schismaticis, quos ad romanam Ecclesiam pellicere nitebatur, ob morum suavitatem atque exactam eruditionem acceptissimus. Exinde vero c. 1640 Romam appulsus cum rerum rituumque orientalium doctioribus Leone Allatio, Basilio Falasca, monachorum s. Basilii apud pontificem procuratore generali, Georgio Coresio, Pantaleone Ligaridio aliisque primi subselliiviris eruditis familiaritatem et amicitiam inivit, quam deinceps literis ul-

1) Cf. Acta erudit. lips. a. 1684 p. 302.

tro citroque scriptis fovit, quo ex suavissimo utilissimoque commercio non potuit quin sapientiae disciplinaeque graecae peritissimus evaderet. Parisios (secundo) rediens (1644) demum operibus, quibus tantum desudarat, edendis serio appulit animum, hisque annos 8 solidos indefessus insumpsit[1]). Laboribus fractus lente consumptus est 23. Sept. 1653. Haec sunt ejus opera: *Euchologion sive rituale graecorum* complectens ritus et ordines divinae liturgiae, officiorum, sacramentorum, consecrationum, benedictionum, funerum, orationum etc. cuilibet personae statui vel tempori congruens juxta usum orientalis Ecclesiae . . . interpretatione latina necnon mixta barbararum vocum brevi glossario, aeneis figuris et observationibus ex antiquis patribus et maxime graecorum theologorum expositionibus illustratum, Lutetiae Parisiorum 1647 in f. (fr. 200), iterum Venetiis; quod opus doctum magni fit ab eruditis rarumque est. „Tandem prodiit a. 1647, inquit Renaudot[2]), opus insigne J. Goar ex ord. Dominicanorum viri doctissimi, quo Graecorum euchologion illustravit et latine versum egregio commentario explicavit, in quo Basilii Chrysostomique liturgias omniaque ad ritus eucharisticos spectantia, quae obscurissima erant, in magna luce collocavit, nihil adeo ut in hoc genere aetas nostra viderit praestantius. Nam vulgares, quae in manibus Graecorum erant, tum veteres editiones multosque antiquissimos codd. inter se comparavit, quibus textus emacularetur, cumque non modo in antiquitate ecclesiastica versatissimus foret, sed hodiernae etiam disciplinae, cum in Graecia missionibus operam dedisset, notitiam haberet non mediocrem, omnes, qui aliquid hac in parte tentaverant, longo intervallo superavit . . . adeo ut tot annorum cursu nemo quidquam illius laboribus addiderit, omnes ex illis se profecisse agnoverint.“ *Georgii Cedreni compendium historiarum* ex versione Guil. Xylandri cum ejusdem annotationibus. Accedunt huic editioni praeter lacunas tres ingentes et alias expletas in Cedrenum J. Goar *notae* posteriores et Car. Annibalis Fabrotti J. C. *glossarium ad eundem.* Item *Ioan. Scylitzes Curopalates* excipiens ubi Cedrenus desinit, nunc primum graece editus, ib. 1647 in f.; *Georgius Codinus Curopalata de officiis magnae ecclesiae constantinopol.* ex versione J. Gretseri S. J. cum ejusdem commentariorum in Codinum ll. 3. Adjunguntur recentiores orientalium episcopatuum notitiae, voces honorariae, appellationes dignitatum indices, quibus postremis seculis ecclesiastici et aulici proceres salutabantur, ib. 1648 in f.; *Georgii monachi et s. Tarasii patriarchae CP. quondam syncelli chronographia* ab Adamo usque ad Diocletianum (nunc primum), et *Nicephori patriarchae CP. breviarium chronographicum* ab Adamo ad Michaelis et ejus F. Theophili tempora. His tabulae chronologicae et annotationes additae etc., ib. 1652 in f. *S. Theophanis chronographia et Leonis grammatici vitae recentiorum imperatorum,* ib. 1655 in f. Editionem absolvit Goarii sodalis Combefisius. Ea non est adeo accurata, cum Goar jam obtusa visus acie laboraret, quo factum, ut aliquando impegerit, indeque a Possinio interdum vapulat in Pachymere suo Romae 1666 edito. Haec opera historica recepta fuerunt in collectionem historiae byzantinae.

531. Huic addantur Jacobus Eveillon, Andegavensis, parochus, dein canonicus et vicarius generalis (n. 1572, † 1651 a. aetatis 79), qui assidue lectitabat conciliorum acta patrumque opera, tantoque amore in pauperes ferebatur, ut plura sibi commoda subtraheret, ac

---

[1]) Cf. Echard II, 574; Niceron XIX, 384 ss.

[2]) In praef. collect. liturg. orient. t. 1. Cf. etiam Pérpétuité de la foi t. 4 l. 1 c. 1 (ed. Migne III, 24); Feller IV, 192.

quondam monitus, ut cubiculorum parietes tapetibus ornaret, respondit, parietes nunquam in hieme de frigore conqueri: tot vero pauperes ad januam stantes vestibus indigere[1]). Opera ejus sunt: *De processionibus ecclesiasticis l.,* in quo earum institutio, significatio, ordo et ritus explicantur, Parisiis 1641 in 8; *de recta psallendi ratione,* Flexiae 1646 in 4., liber rarus; *Traité des excommunications et monitoires*[2]), Andegavi 1651 in 4; Parisiis 1672; Romae 1712 t. 2 in 16. — Paulus Maria Quarto cler. reg. Atriae in regno neapolitano natus insignia opera quaeque magni fiunt edidit[3]), ut *rubricae missalis romani commentariis illustratae,* quibus servato rubricarum ordine distincte explicantur 1. ritus missae in sensu literali; 2. sacratiora mysteria singulorum rituum; 3. doctrina moralis et dubia conscientiae circa ritus eosdem; et resolvuntur innumerae difficultates de celebratione missarum deque aliis sacerdotum obligationibus, cum appendice quaestionum de sacrificio missae, Romae 1655 in f.; *de processionibus ecclesiasticis et de litaniis sanctorum* ac *de sacris benedictionibus, de rebus benedictione sacratis* (seorsim Neapoli 1659 in f.), omnia simul Romae 1674; Venetiis 1665; 1727; *matura discussio casuum episcopalium* seu atrociorum criminum, quae solent ab episcopis reservari in 2 sectiones distributa. In 1. accurate disseritur de casibus reservatis speciatim, qui singillatim examinantur; in 2. declarantur exacte omnia requisita ad validam et legitimam absolutionem a censuris et casibus reservatis, cum appendice selectarum questionum de sacramento poenitentiae, Neapoli 1668 in 4. — Henricus Hoffmann decanus teutobrodensis in Bohemia utilissimum vulgavit librum *Speculum pietatis christianae,* in quo omnes Caeremonias Ecclesiae romanae, quas haeretici superstitionis accusant, defendit et explicat, Pragae 1642; *de veterum Bohemorum pietate* (bohemice), ib. 1637, quam ex aedificatis tot sumptuosis ecclesiis et monasteriis colligit: qua occasione origines illorum ordine alphabetico recenset. — Michael Baudry OSB. primum latiniacensis tum malleacensis cathedralis ecclesiae magnus prior, auctor est praeclari operis, quod praenotatur *Manuale sacrarum Caeremoniarum* juxta ritum S. R. E., Parisiis 1646; Venetiis 1673; 1719 ed. 6. multum aucta; 1745, quod fuit admodum utile[1]).

532. De theologia *mystica* praeter alios meruerunt David Augustinus Baker[2]) O. S. Ben. Anglus n. 9. Dec. 1575, qui mortis periculo Dei miro beneficio ereptus ad fidem catholicam rediit totumque se Deo consecravit et piissimae vitae se dedit. Diu monialibus a confessionibus fuit, dein a. 1638 in Angliam missus plures sanctissimae vitae exemplo et orationibus convertit, sed laboribus, persecutionibus morbisque brevi consumptus ad praemia aeterna, ut sperare licet, evolavit 9. Aug. 1641. Ex ejus scriptis (40) jussu capituli generalis 1653 excerpta fuit a Cressy: *Sancta Sophia* or Direction for the Prayer of Contemplation, Duaci 1657 t. 2 in 8; Londini 1876. Ex ejus

1) Cf. Niceron XIV, 297 ss.; Bibl. un. XIII, 554; Feller III, 491.

2) Prolixam hujus operis synopsim exhibet Dupin XVII, 255 ss., quam ita absolvit: „On voit . . . que Eveillon a traité cette matière à fond selon les principes et les maximes du Droit canonique, des Canonistes et des Théologiens, et la pratique moderne de l'Eglise; mais il semble avoir negligé ce qui regarde l'ancien droit et l'usage de l'Eglise des premiers siècles, et s'être trop arrêté à des minuties et à des formalitez. Son Ouvrage est assez bien écrit en François, fort méthodique et plein de bon sens, de principes et de raisonnemens solides."

3) Cf. Vezzosi II, 201.

1) Cf. Gueranger Inst. lit. I, 530 s.

2) Cf. plura de eo apud Gillow I, 112—17; Mittermüller KL. I, 1867.

scriptis pariter prodiit cura Clementis Reyner O. S. Ben.: *Apostolatus benedictinorum in Anglia* sive disceptatio historica de antiquitate ordinis congregationisque monachorum nigrorum s. Benedicti in regno Angliae cum appendice, Duaci 1626 in f., opus quod magni aestimatur. — Benedictus (in seculo Jacobus dictus) van Haeften O. S. Ben. Ultrajectinus, afflighemensis monasterii praepositus (1618) strictiorem regulae observantiam seu reformationem in illud induxit suisque confratribus morum integritate, candore, modestia praeluxit, vir dictus a Martene aeterna memoria dignus († 31. Jul. 1648). Praeter plura opera ascetica[1]) mentionem in primis merent ejus *disquisitiones monasticae* ll. XII, quibus s. Benedicti regula et religiosorum rituum antiquitates variae dilucidantur, praemissa s. Benedicti vita, Antwerpiae 1644 t. 2 in f., opus a Martene summopere collaudatum[2]).

533. Joannes Hugo Quaré natione Gallus, ob diuturnam conversationem Belgis accenseri potest. Presbyter erat congregationis Oratorii, superior aliquot domorum per Belgium. Decessit Bruxellis 26. Mart. 1656 relictis pluribus operibus asceticis, quae recensentur ab Ernesto Matthieu in Biogr. nat. de Belg. XVIII., 403–6. — Franciscus Bourgoing Parisiensis (n. 1585) tertius praepositus generalis Oratorii († 1662) edidit Berullii *opera* praemissa ejusdem vita, Parisiis 1642. Ejusdem *Meditations sur les vérités* et excellenses de J. Christ, prodierunt ib. 1904. — Nicolaus Parent O. Ci. Insulensis († 1663) scripsit *L'abeille mystique* ou fleurons odoriferans et discours emmiellez du très dévòt père s. Bernard pour les trois voyes de la perfection religieuse purgative, illuminative et unitive, Tournai 1639 in 4. — Bonaventura Dernoye[1]) O. Min. strictioris obs. Leodiensis († 1653). — Joannes Neeffs (Nevius) O. S. Aug. Mechliniensis[2]), vir inter sodales magni aestimatus ob disciplinae zelum et in agendo prudentiam († 28. Jun. 1650 octogenarius). — Ignatius a s. Maria O. S. Aug. Excalceatus, Lusitanus, s. Theologiae lector, divinarum literarum sanctorumque patrum assiduus scrutator, vitae solitariae et contemplativae mire deditus, editis libris mystica theologia plenis, relicto regularis observantiae nobili exemplo obiit Mediolani in d. Franciscae Rom. coenobio 18. Aug. 1644. Ita inscriptio ei posita. Inter ejus opera est *Turris salutis*, Venetiis et Romae 1630—38 t. 2 in 4., cujus pars altera inscribitur *Propugnaculum contra vitia*. — Petrus Vander Kindere (Puerorum) O. Praed. Lovaniensis, vir apostolicus († 14. Jan. 1641), reliquit *Antidotum* seu medicina spiritualis contra pestem et mortem subitaneam, Lovanii 1625. — Franciscus Wennius O. Pr. religiosae disciplinae exemplar († 22. Oct. 1647), cujus est *Speculum religiosorum*, Lovanii 1645.

534. Insignes ascetas protulit Societas Jesu. Praeter Jo. Eus. Nieremberg (cf. p. 959) huc spectant Michael Godinez Waterfordiensis e Waddingorum familia, post suam in Mexicum missionem dictus Godinez, qui docuit Mexici et Guatemalae philosophiam et theologiam († 12. Dec. 1644), et reliquit opus insigne *Practica de la Teologia Mystica* Angelopoli 1681, Hispali 1682 et alibi, latine reddita et commentariis instructa ab Emmanuele Ignatio de la Reguera S. J., Romae 1740—45 t. 2 in f. — Nicolaus Lancicius (Lanczycki Leczycki) Lithuanus n. 10. Dec. 1574 ejurata haeresi calviniana, quam mordicus olim pro-

[1]) Cf. Foppens I, 133; Bibl. nat. de Belg. VIII, 598.
[2]) Cf. Heigl KL. V, 1440.

[1]) Cf. Foppens p. 141.
[2]) P. Bergmans in Biogr. nat. de Belg. XV, 537 ss.; Ch. Peeters J. Neeffs dit Nevius, Lovanii 1866.

pugnaverat, magno animo amplexus est fidem catholicam juvenis 17 annorum. Postquam et patrem ad veram reduxerat fidem, ingressus est societatem Jesu (1591). Romae studiis operam dedit atque ibidem maximo cum fructu familiari utebatur consuetudine Bellarmini, Suarii, Gregorii a Valentia. In collegio romano confessarii munere fungebatur. Redux in patriam docuit theologiam et ss. literas, saepius praefuit sodalibus, sed in primis eminuit[1]) solidae perfectionis studio et animarum zelo († 16. Mart. 1652). Plurima reliquit *opuscula spiritualia,* quae cura Jo. Bollandi collecta (21) prodierunt Antwerpiae 1650 t. 2 in f. (m. 250); Ingolstadii 1724 t. 2 in f. (m. 270) et t. 7 in 8. Plura ex iis recusa prodierunt Cracoviae 1883 et ss. Magni ea fiunt propter eruditionem sanam solidamque ascesim. *Collectanea Lanciciana* edidit Jo. Martinow, Parisiis 1877. — Opuscula pariter plane egregia solidaque ascesi referta reliquit latine partim polonice ejus sodalis Caspar Druzbicki Polonus, concionator insignis, qui Posonii sancte decessit 2. Apr. 1662. Multa collecta prodierunt[2]) Calissii et Posnaniae 1686—1691 t. 2 in f.; plura Ingolstadii 1732 t. 2 in f. (m. 225). Inter ea speciminis gratia sunt *Tribunal conscientiae* per varias examinum industrias seipsam discutientis, Cracoviae 1672; *Provisiones senectutis,* Calissii 1673; Ingolstadii 1732; *Negotiatio spiritualis* seu XXX Industriae, Ingolstadii 1738; *de perenni divinae voluntatis intentione,* executione et apprehensione, Calissii 1682; *de soliditate virtutis,* seu Lapis lydius, Ingolstadii 1732; tr. *de effectibus,* fructu et applicatione s. missae sacrificii, ib. 1632. — Joannes Baptista Saint-Jure Metensis (n. 1588; † 1657) multa reliquit opera, quae saepius fuere edita[1]) et cum magna utilitate leguntur. Inter ea nominare licet *de la connaissance et de l'amour du Fils de Dieu,* Paris 1634 etc., etiam in varias versum linguas; *Meditations* pour les plus grandes veritez de la foy rapportées aux trois Vies purgative, illuminative et unitive, ib. 1637; *Le livre des Eluz,* ib. 1643; *L'union avec N. S. J. Christ,* ib. 1653 t. 2; *L'homme religieux,* ib. 1657—58 t. 2 etc. — Vincentius Caraffa illustrissima natus familia Neapoli 1585, obiit septimus praepositus Societatis Jesu generalis 8. Jun. 1649. Plura composuit opuscula ascetica, ut *Fascetto di mirra* ovvero considerationi varie sopra le piaghe di Christo, sub nomine Al. Siderei (ut et reliqua opera), Romae 1635; 1638; *Camino del Cielo,* Neapoli 1641; Romae 1650 t. 4; 1654; *Cittadino del Cielo* overo celeste conversatione, Neapoli 1643; 1650; *Il Peregrino della terra* overo apparechio per la buona morte, Neapoli 1645 t. 3; Romae 1650; *Idea christiani hominis* seu directio ad christiane vivendum, Neapoli 1645; *Il Serafino* overo Scuola del santo Amore, Neapoli 1646 pp. 2; Romae 1649. 1650 pp. 2.

535. Minoris nominis fama fruuntur ex eadem societate Franciscus Aguado[2]) Hispanus prudentia doctrinaque spectatus et in ordine praecipuis muneribus adhibitus († 1654). — Alardus le Roy Insulensis († 1653). — Jodocus Andries Cortracensis (n. 15. Apr. 1588; † 21. Nov. 1658), concionator vere apostolicus, qui plurima hortamenta seorsim edita junctim typis dedit hac inscriptione *Faustus annus,* mensis, hebdomas, dies, hora christiani hominis,

---

[1]) Merito de eo scribit Fell S. J. KL. VII, 1380: Lancicius ist eine große Zierde der Gesellschaft Jesu, ein ächter Sohn des h. Ignatius, ein musterhafter Ordensmann, ein Spiegel für alle Oberen, ein gediegener Lehrer des geistlichen Lebens. Prolixum elenchum operum cf. apud Sommervogel IV, 1446 ss.

[2]) Cf. Sommervogel III, 212—224 sub N. 43.

[1]) Cf. Sommervogel VII, 496 ss.

[2]) Sommervogel I, 77.

Brugis 1638 in 4; 1639; 1679 etc. — Paulus de Barry S. J. Gallus (n. 1585; † 1661), plurium opusculorum sat singularibus titulis inscriptorum auctor[1]), quae olim avide legebantur, in alias linguas vertebantur, sed a Bl. Pascal irrisioni exponebantur. — Haud pauciora opuscula ascetica, inter quae et *catechismum* et libellos catecheticos, composuit ejus sodalis Amabilis Bonnefons Riomagensis in Alvernia († 19. Mart. 1653) in instituendo populo ad vitam vere christianam assiduus. — Joannes Suffren Gallus, Provincialis, philosophiae et theologiae professor, Ludovico XIII. aliquamdiu a confessionibus, insignis concionator († 1641), cujus laudatur opus *L'Année chrestienne* ou le sainct et profitable employ du temps pour gaigner l'Eternité, Parisiis 1641 in 12 pro numero mensium divisum pp.; 1647 v. 4 ed. 4. — Guilelmus Montanus (du Mont) Athensis (n. 1564; † 25. Mart. 1658), cujus inter alia est[2]) *Praesentatio perfecti religiosi* continens optima quaedam documenta et media, quibus multi ex illis ad magnam vitae perfectionem pervenerunt, Lille 1641 in 12. — Feracissimus scriptor fuit Georgius Ferus (Plachy) Bohemus († 21. Jan. 1659), qui sub alieno nomine plurima patrio sermone edidit opuscula, quae diligenter recenset Sommervogel sub n. 51 op. cit. III, 702—707. — Joannes Gruszewski Lithuanus, philosophiae et theologiae professor suaeque provinciae praepositus († 12. Aug. 1646) auctor est operis: *Ultima et maxima hominis mutatio* sive de mystica cum Deo unione eaque admirabili et de duplici dispositione ad illam eandem ll. 3, Vilnae 1641—44 t. 2, qui tamen constituunt tantum l. 1. pp. 1 et 2. — Inter *concionatores*[1]) demum eminet Didacus Nisseno Hispanus O. S. Barnabae non tam concionibus habitis (deficiebat enim eloquentia ad actum necessaria) quam scriptis, quarum plures quadragies et ultra intra Hispaniam prelo subjectae fuerunt et pulpita nihil aliud quam illas resonarent. Summis encomiis illas prosequitur Aub. Miraeus inter Script. sec. XVII § 246. Illas latine vertit Jo. a Freylink O. Praed. Germanus Coloniae 1646 t. 4 in 4; Moguntiae 1649. Decessit 1656.

---

[1]) Cf. Sommervogel I, 945 ss. Nostra adhuc aetate prodiit *Philagia* oder zehntägig Exercitien für eine nach Heiligkeit strebende Seele, interprete P. Bonifatio O. Cap. jam altera vice Mainz 1904.

[2]) Cf. Sommervogel V, 1230; E. Van Arenbergh Biogr. nat. de Belg. XV, 149.

[1]) Gerardus Pelletier S. J. Vosagiens († 4. Nov. 1648) composuit *Palatium reginae eloquentiae* etiam concionatoribus utile, Parisiis 1641 in f.; Moguntiae 1652 in 4; 1669; Lugduni 1653; 1657 et saepe alibi.

Addenda et corrigenda.

Dum tomus hic imprimeretur, quaedam vel sero nimis vel recentissime edita in auctoris manus venerunt, quae ad perficiendas corrigendasve notitias de aliquibus saltem theologis lectori haud inutilia erunt. Ea servata paginarum serie hic subjiciemus.

Pag. 30. De Seb. Haidlauf seu Haydlauf accurate disserit Frid. Lauchert in histor. Jahrb. im Auftr. der Görresgesellschaft XXVI (1905), 19—42. Erat Haydlauf theologiae licentiatus, parochus academicus Ingolstadii (1567) et 1568/69 rector universitatis. Obiit circa a. 1580 vel 1581. Septem ejusdem libellos diligens diss. auctor recenset et describit, inter quos tres praesertim polemicos adversus Jacobum Andrëa, theologum lutheranum tubingensem.

Pag. 307. In op. recenter a Fr. Steffens et Henr. Reinhardt Solodori 1906 ed. *Nuntiaturberichte* aus der Schweiz seit dem Konzil von Trient Abt. 1 t. 1. inscripto Die *Nuntiatur* (1579—81) von Giov. Fr. Bonhomini (non Bonomi sicut nos pag. cit. scripsimus) reperiuntur *die Nuntiaturberichte* Bonhomini's und seine Korrespondenz mit C. Borromeo aus dem J. 1579.

Pag. 361. Jacobi Mediolanensis O. Cap. libellus plane aureus *Stimulus amoris* prodiit Quarachi 1905 in bibliotheca franciscana ascetica medii aevi t. IV. Fuit Jacobus provincialis minister, exemplaritatis nota insignis, s. Carolo Borromaeo carus, qui ejus consilio et opera in gravissimis ecclesiae suae rebus et praecipue pro reformandis virginum monasterii utebatur. Hinc ejus audita morte (4. Aug. 1584) collacrymans dixit: „Doleo magnopere, quandoquidem magnus Dei servus nobis eripitur et fidelissimum in onere mihi commisso cooperatorem amitto.“ Vita illius describitur a Boverio t. II. Annal. Cap. ad a. 1584.

Pag. 419. Hugo Burlat parisiensis, Sorbonae doctor et professor, universitatis parisiensis rector (1576), canonicus theologus et poenitentiarius aurelianensis († 20. Dec. 1614) edidit conciones, plura opuscula adversus protestantes de eucharistia, sacrificio missae, confessione etc. necnon *Declarationem astutiarum vulpeculae* Domini vineam demolientis, Paris 1578 in 8., scil. adversus simoniacos. Cf. Feret La faculté de Théol. de Paris. Epoque moderne IV, 405—9.

Pag. 642. Juxta Feret, qui op. cit. IV, 329—39 agit de Duvallio, Tr. *de ss. pontificis auctoritate* adversus apologicas objectiones S. V., Evreux 1622 non videtur esse ipsius, sed Jo. Le Jau canonici et vicarii generalis eburovicensis, qui edidit revera tr. *de ss. pontificis auctoritate* in IV ll. distinctum, Evreux 1611. 1620. Cum Simon Vigor tueretur Richerium in op. Ex responsione synodali data Basileae oratoribus D. Eugenii P. IV. in congr. gen. III. non. Sept. 1432 *de auctoritate cujuslibet conc. generalis* supra papam et quoslibet fideles pars praecipua et in eam commentarius, Coloniae 1613, opposuit Duvallius *de suprema rom. pontificis in Ecclesiam potestate* disp. quadripartitam, etiam post commentarium in p. II. s. Thomae, quam solam commentariis illustravit, Parisiis 1636. Scripsit quoque La *Vie admirable de S. Marie de l'Incarnation* religieuse converse en l'ordre de N. D. du Mont Carmel et fondatrice d'iceluy en France appelée au monde la damoiselle Acarie, Paris 1625 et saepius deinceps.

Pag. 747. Germanis adde Wolfgangum Talhamer canonicum praemonstratensem, priorem Novaecellae (Neustift in Bavaria), cujus est opus rarum: *Thuribulum aureum*, quo purissimo numini in vera Christi Ecclesia purissima et unica quotidie immolatur hostia h. e. tr. absolutissimus de novo et unico N. T. sacrificio missae, Viennae 1636 in 8.

Pag. 796. De Petro Besse cf. Feret op. cit. IV, 161—170, ubi alia ejusdem recenset opera, ut *L'Heraclite chrestien* c'est à dire les regrets et les larmes du pescheur penitent, Paris 1612 in 12; latine Coloniae 1615; *Le Democrite chrestien* c'est à dire le mespris et moquerie des vanités du monde, Parisiis 1615; latine, Coloniae 1616, occasione accepta a duobus philosophis antiquis, de quibus refertur, illum semper plorasse, hunc semper risisse. *Sacerdotium regale* sive de sacerdotis eximia dignitate, dotibus ipsi necessariis ac rebus eidem prohibitis, Coloniae 1615. *Bon Pasteur*, Paris 1639 in 8, quo in op. disserit de dotibus boni pastoris. Reliquit et *conciones*. Obiit canonicus s. Germani antissiodorensis.

I. Tabulae chronologicae Theologorum

ab a. 1564—1663

secundum disciplinas dispositae.

II. Tabulae chronologicae Theologorum

ab a. 1564—1663

secundum nationes dispositae.

I. TABULÆ CHRONOLOGICÆ

ab a. 1564—1663 SECUNDUM

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1564	Aeg. Foscarari O. Praed. Jacob. Malafossa Conv.* J. Bologni Hip. Chizzuola*	Frid. Staphylus Barth. Camerarius Jul. de Pflug Petrus Duval Joan. Atrocianus Spiritus Roterus O. Pr. Matthias Aquensis Petrus Haffner* Joan. Albert*	Guil. Hammer OP.* Arch. de Burgonovo O. Min.* Vincentius Ciconia*
1565	Jac. Lainez S. J. Joannes Benoit OP.	Nicolaus Granerius* Caspar Macer* Leodeg. Bontems OSB. Florian. Trefler OSB. Albertus Sperling* Corn. Eselsperger* Jo. Blasius*	Martinus Martinez* Aloys. Vulcano Min.*
1566	Fr. de Mendoza et Bovadilla	Mart. Perez de Ayala Didacus de Noguera Gab. Puy-Herbault Thomas Heskin O. Pr. Joannes Hessel Georgius Cassander Jo. Perpinian SJ. Matth. Sittardus OP. Joan. Albinus Caes. Delfini Bl. Noziczka*	Joan. Hentenius O. Pr. Cosm. Dam. Hortulanus Seraph. Cumiranus Min.* *Joannes Hessel*
1567	Florim. Galeazzo	Albert. Laurentius* Ant. Rubio O. S. Franc.* Ant. Buonagrazia*	Fremin Capitis Min.*

THEOLOGORUM

DISCIPLINAS DISPOSITÆ.

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
Ludovicus Miraeus*	Ant. Milledonne* Torellus Phola* Caspar Gennep* Montfort*	Thomas Campegius Antonius Cucchus* Raph. Cyllenius* Matth. Ugonius*	1564
Joan. Picot Wolfg. Lazius	Balth. Werlin OP. Car. Visconti	Pius IV. Ant. de Bernardis Vicedominus Conv.*	1565
Nicasius Ellebodius*	Barth. de las Casas OP. Jo. Curtembrosch*	Lud. Blosius OSB. Marc. Hier. Vida Franc. de Vargas Mexia* Joan. de Ludeña OP.*	1566
	Roverus Pontanus O. Carm.	Jo. Sotellus Tullius Crispoldi*	1567

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1568	Barth. de Torres Oswald Fischer	Clem. Dolera Min. Marq. de Susannis* Nic. Olahus Theod. Malcotius Jo. C. Rutland* Jo. Matth. Grillus* Franc. de Guzman Mi.*	Laev. Lemnius Raph. Maphaeus SMV.*
1569	*Jac. Naclantus*	Cam. Campeggi OP. Theob. Thamer Petr. Doré OP. Thom. Jacomelli O. Praed Petr. Ponetus O. Carm. Nic. Beguin* Joan. Jubinus* *Jac. Naclantus*	Sixt. Senensis OP. Jac. Naclantus O. Pr. Joan. Arboreus Simon de Corroy O. Coel.
1570	Hier. a Pistorio Cap. Jo. de Combis O. S. Franc.*	Jod. Ravesteyn Guilelm. Eisengrein Joan. Faber OP. Barth. Latomus Joannes du Tillet Stanislaus Orichovius Leop. Dick*	Ant. Marinari Carm. Hier. Lorete OSB.* Caspar Graxar* Joan. Maria Ballianus* *Jo. du Tillet*
1571	Gabr. Buratelli OSA. Franc. Zamora Mi.	Claudius Espencaeus Jo. Genesius Sepulveda Joannes Garetius Nicolaus Durand de Villegaignon Raphael Aquilino* Franc. Vita Polynthius Mi.	Hieronymus a Mariano* Felic. Capito SMV. Lucr. Tiraboschus Carm.* *Claudius Espencaeus*
1572	Marca Ant. Natta*	Thomas Harding Seb. Schleupner Th. Elysius O. Pr. Phil. Agricola Fr. de Corduba Min.*	Jo. Leopolita Nicz Jo. Soares OSA. Jo. Mahusius O. Min. Pet. Caponsacchius Min.* Jo. Borrel s. Buteo OSAnt.
1573	Th. Manriquez OP.	Georgius Wicelius Vinc. Montagnesius OSA. Leon. Marini OP. Mich. Buchinger Lambertus Auer SJ. Henricus Joliffus Petr. Regis O. S. Franc.	Andreas Masius Joannes Benedictus Matth. Galenus *Georgius Wicelius*

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
	Onuph. Panvini OSA. Angel. Massarelli	Seb. Broilus Ammiani OSA. Petrus Divolé OP.	1568
	Alf. Garsia Matamoros*	Jo. de Avila Fabian. Clavarius OSA. Ludov. de Montoya OSA.	1569
Jo. Car. Bovio *Jo. du Tillet*	Laur. Hochwart Franc. a Canobio Cp.	Mutius Calini	1570
Thomas Gozaeus	Herc. Severoli Jo. de Muñatones OSA. Joan. Straetman OP. Melch. Nunnius Barreto SJ.	Did. Valades*	1571
Joannes Gillotius* Marianus Victorius Antonius d'Albon	Hieronymus Maggi Lud. Beccadelli Ast. Servantius Min.*	S. Pius V. S. Franc. Borgia SJ. Bern. de Sandoval	1572
	Mich. Buchinger OttoTruchsess deWaldb. Andr. de Resende OP. Fr. Rades de Alc. Min.*	Christophorus Madridius SJ.	1573

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1574	**Mart. de Ledesma OP.** Berardus Bonjoannes	**Antonius de Mouchy** Hier. Niger OSA. **Jacobus Hugonis Mi.** Franc. Richardot Ant. Floribellus	Cornelius Mussus O. Min. Casp. Barreiros Franciscus de Avila* Gerardus Mathisius Raph. Castrucci OSB. Danielus Barbaro
1575	Dion. Petrellus a Sigillo Aug.	**Simon Vigor** Vinc. Patinas OP. Dom. Graminea de Vig.* Jacobus Ledesma SJ.	Did. de Estella Min.* Guilelmus Canterus Joannes Boulaise*
1576	Marius Nizolius Jo. Ballaini Conv.*	Franciscus Sonnius **Matth.** Felisius Min. Fel. Amuccius SMV. Hieronymus Muzio Lud. Majoranus CRL.	Corn. Jansenius Joachim Hopper Conr. ex Heresbach
1577	Augustinus Hunnaeus Gerard Habbius	Thomas Dorman Joannes Rastel SJ. Jo. Hürlimann Christophorus Rasperger* Sebastianus Flasch*	Joannes Levita Isaac
1578	Jo. Paul. Donatus Ca.* Jo. B. Rubeus Ca. *Did. de Paiva de Andrada* *Ant. Cordubensis*	Did. de Paiva de Andrada Mich. Medina Martinus Eisengrein Rud. Clenke Arnald. Alostanus Min. Did. X. Arias O. Pr. F. Traub* Hanard. Gamerius*	Petrus Serrano **Jo. Cartenius Ca.** Joan. Harlemius SJ.
1579	**Joannes** Fowler Ant. Paleatinus Conv. Joannes Dovetus Min.*	**Stanislaus Hosius** **Petr. Fontidonius** **Artus Désiré** Mich. Hager* Nic. Xylander* Clemens Mercator* Michael Hager*	Petrus de Monte Min.

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
Franciscus Balduinus Franciscus Zinus*	Joan. Oldekop Casp. Gropper Barn. Scardeone Petr. Gonzalez de Mendoza	Georgius Vivienus* Guilelmus Redoanus Gilb. d'Oignies *Bern. Scardeone*	1574
	Nicolaus Harpsfield Nic. Psalmeus Hier. Garimberti Ludov. Gonzalves SJ. Aug. Florentinus Camald.*	Thom. Mercado OP. Fulvius Androzzi SJ. Joannes Molinaeus Matth. Alberti O. Oliv.	1575
Jo. Steph. Leinatius	Joan. Rioche O. Min.* Mich. Poccianti SMV.	Antonius Polus* Barthol. Carranza OP.	1576
Henricus Gravius S. J.*	Aug. Campi de Pontrém.	Did. Covarrubias Alph. Alv. Guerrero Joannes Polanco SJ.	1577
Mich. Thomasius de Taxaquet.	Laur. Surius Cr. Barthol. de Portia Alex. Piccolomini Leo Sibrand Pr. Joan. Latomus	Antonius Cord. Min. Did. a Rosario OP.* Joannes Ram Nicolaus van Esche	1578
Joan. Champaigne OP.*	Hier. de Mendieta Min.*	Aeg. Topiarius OP. Joan. de Montluc Daniel Venatorius* Alph. Hojeda de Mend.* Mich. de Aninnon*	1579

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1580	Melchior Flavius Min.* Petr. Stupano Obl.	Cunerus Petri Petrus Emotte Gabriel Sacconaeus Jacobus Foucht Matthaeus Launojus Sebastianus Hadlauf Joannes Delphius* Zacharias Andriani*	Hieron. Osorius Georgius Bulloc Sebast. Toscano OSA. Laur. de Villaviconcio OSA. Andreas Croquet Alanus Copus
1581	Barth. de Medina OP. Ferdinand. de las Infantas*	B. Edm. Campianus SJ. Nicolaus Saunders C. Cardillo de Villalp. Richardus Bristow Com. Adriaensz Min. Andreas Fabricius Ger. Busaeus Archangelus Hamilton*	Fr. Forerius OP. Jo. Couvillon SJ. Justus Rugerius* Barthol. Botta* Antonius Birriotus O. Min.* Franc. Polygranus Min.*
1582	Vinc. Justinianus OP. Joannes Forsannus Min.*	Joannes de Via Jac. Le Fèvre Petr. Illicinus* Joan. Engerd* Gregorius Martin Petrus de la Coste OP.	Paul. Palacios de Salazar Petrus Viel Jo. de la Fuente Min.* Pet. Martinez de Bree* Hieronymus Vielmius OP. Hier. Quainus SMV. Michael Aitsinger
1583	Martinus Rithove Bonav. Manenti Min.* Cosm. Filiarchus*	Damianus Rossi* Theod. Graminaeus* Joan. Brunner* Joan. de Moronval*	**Jo. Maldonatus SJ.** Gundis. de la Cerda* Jacobus Veld. OSA. Joannes de Fregeville*
1584	Franc. Ovando Min.* Hieronymus de la Rua*	Caspar Frank Theodorus Peltanus SJ. Franc. Horantius Min. Thomas Watson Alb. Langdale Dominicus Sergent OP. *G. Herret* *Franciscus Torres SJ.*	Angelus Buonricius* Hector Pintus OSHi. Nicolaus Faber* Joan. Dubliulius*
1585	Joan. Capella SMV.	Jacobus Gorski Joannes Howman de Feckenham OSB. Jo. Jac. Rabus Paul Weidner Paulus Bernardini O. Pr.	Alph. Salmeron SJ. Guilelmus Sirletus Christ. Adrichomius Antonius Guevara* Hilarion OSB. Petrus Bungus

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
	Jo. Morone Gundisalvus de Illescas Valent. Rotmar Petr. Calzolai OSB. Aloys. Lilius*	Hier. Natalis SJ. Remig. Nanni OP. Fridericus Schenk Caes. Grassi Joan. Billius Cr.	1580
Petrus Ciaconus Jac. Billius OSB. Theodorus Poelman	Anton. Lilius* Joannes Moreau* *Nicolaus Saunders*	Joannes Saint-André Jos. Pamphilus OSA. Adam Walasser Caesar Mazutelli Hadr. Adriaensz SJ. Marcellinus Francolini*	1581
Lambert Gruter	Mauritius Chauncy Cr. J. Langaeus*	Marcut. Benavidio Thomas de Jesu OSA. Paulus Constabilis OP. Michael Timotheus* Conradus Distel*	1582
Laur. Ren. de la Barre* Fridericus Morel	Zach. Delfino Rodericus de Yepes Hier.*	Did. de Simancas Laelius Jordanus Paulus Fusco Jo. Bapt. Antoniucci OSA.*	1583
Franc. Torres SJ. Gentianus Hervet Petrus Comestor Laurentius Cumdius*	Carolus Sigonius Franc. Commendone Hieronymus Bolsec Bonifatius de Steph. Min.	S. Carolus Borromaeus Jac. Mediolanensis Cp. Petrus Perusio* Melch. Hittorp Alfonsus Molina Min.	1584
Achilles Statius *Joannes Molanus*	Joannes Molanus Ant. Senensis OP. Henr. Fabricius Herm. de Korssenbroick Gabriel Flamma Eduard Rishton	Gregorius XIII. Alb. Bolognetti Antonius Scappi* Ferdin. de Zurita* *Joannes Molanus*	1585

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1586	Salv. Bartolucci Conv.*	Georgius Eder Mart. Bialobrzeski Henricus Blissemius SJ. Julius Castellani Christoph. Erhard*	Hier. Verlenius Leo de Castro Ant. Marinari Ca.* Joannes Paduanus*
1587	Jos. Angles O. Min. Franc. a Christo OSA. Ferdinandus Vellosillo	Casp. Casal OSA. Andreas Nidecki Tilmanus Bredenbach Petrus Busaeus SJ. Joan. de Caumont*	Jo. Quinarboreus Mart. Alph. del Pozo* Petrus de Escobar*
1588	Marc. A. Mazzaronus*	**Guil. D. Lindanus** Joannes Duraeus SJ. Guilelmus du Blanc Aug. de la Coulture*	Ludov. de Mont-Josieu Marc. de la Cumara Min.* Philippus Philomusus* Lud. a s. Francisco Min.*
1589	Aug. de SS. Trinit. OSA. Joan. Carpeneto Albertus Hero	Th. Pulcheramicus Ca. Martinus Cromer Georg. Gotthardt Hadr. Hecquet Ca. Joannes Gibbons SJ. Joannes B. Elian SJ. Joan. Bapt. Cardona Ang. Pientini OP. Adeodatus de Burgo OSA. (Michael Bajus)	Flaminius Nobilius Natalis Taillepied Cap. Paulus Sacratus* Antonius Scaynus* *Thomas Pulcher-amicus*
1590	Luc. Mencholini Min. Lud. Silv. a s. Ang. Conv.*	Joannes Nasus Min. Joannes Portez Min. Martinus Duncanus Barth. de Valv. et Gandia Pantaleo d'Av. Min.*	Bernardinus Sahag. Min. Petrus Carbo Carth. Thomas Nelus Didacus de Castillo* Caspar Serreno*
1591	Matthias Aquarius OP. Alph. de Mendoza OSA. Didacus de Tapia OSA. Hieronymus Accetti Joan. Roa de Av. CRA.*	Claud. Sanctesius Edmundus Auger SJ. Laur. Art. Faunt SJ. Lud. Majoranus CRB. Hermannus Thyraeus SJ. Arnoldus Gerardus	Franc. Ribera SJ. Lud. de Leon OSA. Antonius Caraffa Joan. de Alba Carth. Alph. de Horozco OSA.

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
Adalb. Fumano Raph. Bagata*	Thom. Bouchier Min.	**Mart. Azpilcueta** Ant. Augustinus Antonius Contius Joan. Leisentrit Mauritius Poncet OSA. Laurentius Belo	1586
Jacob. Pamelius Guilelmus Ruzé	Nic. Elgard Jo. Fr. Bonhomini Placidus diac. OSB.	Jacobus Barlaeus Lud. de Beja Pestrello OSA.*	1587
Joannes Antonianus OP.	Wiguleus Hund Gabriel Prateolus Sibrandus Leo Pr. Franc. Baudini	Lud. Granatensis OP. Joan. Cotereus* Fr. Graziani de Grazatoribus	1588
Marg. de la Bigne Barth. van Eerstel Pr.	Alex. Farnese Luc. Ferrini* Jac. Mosander O. Carth.	Joan. Steph. Duranti Petrus van Beck Antonius Pagani Min. Did. Per. de Valdivia M. Ant. Columna Marsilius	1589
Felix Perettus Min. (Sixtus V.) *P. Galesini*	Petrus Galesini Joan. de Pineda Min. Steph. de Lusignan OP. Ambr. Morales Guil. Paradin Casp. Coello SJ. Andreas Thevet	Urbanus VII. Jacobus Cujacius Joannes Wames Joan. Paul. Lancellotus Barth. de Mart. OP. Hannibal Grassi	1590
Antonius de Aquino* Victor Giselinus	Marc. Olisiponensis Fr. Timoth. Bottoni OP. Franc. Beaucaire Henricus Gravius Fulvius Cardulus SJ. Val. Moscheta OP*	Gregorius XIV. Innocentius IX. S. Jo. a Cruce Carm. Casp. Sanchez SJ. Hieron. Platus SJ. Hieronymus Albanus Maurit. Hylaret Min. Stephanus Medices* Jacobus Myller* *Antonius Caraffa*	1591

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1592	Aegidius Mancurtius*	Ninianus Winzetus O. S. Bened. Georgius Haenlin* Joannes Porta* Jacob. Cormans	Petrus Figueiro Fridericus Furios Seriol
1593	Mich. de Palacios* Petrus Trigosus Cap. Sebastianus Perez Jul. Sirenius OS. Hi.	Joannes Lensaeus Bened. Herbestus SJ. Ant. a Castro novo OSA. Joan. B. Fernandez Min.*	Raim. Pasqual OP. Evangelista Marcellinus Gerbi O. Min. Evangelista Bosius OSA. Angelus Sangrinus OSB. *Michael Palacios**
1594		Guilelmus Alanus Guilelmus Reginaldus Petrus Crespet O. Coel. St. Zdescheki Ostrowski* Antonius de Ribera*	Marc. Marinus CR. Laur. Cuypers Ca. Prosp. Rosetti Serv. MV.* Hieronymus Pertoles*
1595	Constantin. Buccafocus (Sarnanus) Min. Lact. Domanini Ca. Joannes Vincentius OP.	Chr. Cheffontaines Min. P. Mich. Brillmacher SJ. Joannes Spondaeus Laev. Torrentius Petrus de Bollo OP. Corn. Loos	Hieron. Prado SJ. Hieron. de Guadelupe* Joannes Ferdinandus SJ. Joannes Buisson Joannes de Bustamente*
1596	Georgius Busti OR. Paul. Franzosi*	Henricus Vicus Andreas Jurgiewicz* N. Wolffsbach* Joannes Szilvási* *Ang. del Pas Min.*	**Franc. Toletus SJ.** Emmanuel Sa SJ. Angelus del Pas Min. Alp. de Avendano OP. Petrus Lopez* Jo. Maria Capalla OP.*
1597	Ludov. Carboni Franc. Patrizi Alph. de Luna Pr. Fr. Ant. Casimirus Conv.*	B. Pet. Canisius SJ. Fr. Panigarola Min. Jacobus Wiecus SJ. B. Jo. Despruets Pr. Jo. Marshall Sigismundus Enhoffer SJ. Cosm. Philiarchus*	G. Genebrardus OSB. Nic. Ramos Min. Petr. Bulliod Fr. Raphelengius Casp. de Melo OSA. Matthias a Castro

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
	Vinc. Laureo Jo. Bapt. Santonio Titian. Werner CRA*	Jacob. Anellus de Bottis* Joannes M. Albini Ludov. de Torres OP. Joannes Michel*	1592
Latinus Latinius	Ferdinando de Castillo O. Pr. Hugol. Martelli Joan. a Costa* Georg. Willer	Quint. Mandosi Alph. Lupus Cap. Petrus de Bullo* Thaddaeus Benedetti*	1593
	Maurit. Tertius OSA. Franc. Benci SJ. Dom. Hess Min.	Fr. Panigarola Min. Vincentius Bruno SJ. Petrus de Navarra* Gerhardus Rudolphus Quirinus II. Rest OSB.	1594
Dan. Augentius	Petrus Opmeer Florentius van Oyen Min. Arn. Wion OSB.*	Lud. de Lopez OP. Petrus Aragon OSA.* Fel. Niguarda OP. Fr. Sarmiento de Mend. Emericus de Bonis SJ. Aug. Mol. Fivizanus OSA. Evang. a Canobio O. Cap. Gabriel Alessandri OP.	1595
	Alexander Scultetus Philippus Sega Petrus Pithou August. Lapini* Ferd. de Sotomajor*	Josephus Mascardi* Aymarus Hennequin Valer. Polidorus Min.* Petrus Malon OSA.* *Petrus Pithou* *Emmanuel Sa SJ.*	1596
Joannes Bapt. Perez Sim. de Maille de Brézé Ci. *B. Petrus Canisius SJ.*	Suffridus Petri Mich. ab Isselt Hier. Roman OSA. Faust. Tasso Min. Aug. Leondelicatus Ca. Ludovicus Froës SJ. Jacobus Tyrie SJ. *Gilb. Genebrardus OSB.*	Petrus Gregorius Gabriel Paleottus Sim. Masoli Petrus Schneuwly Marc. Ant. Colonna *Lud. Carboni*	1597

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1598	Jacobus Mazzoni Damianus Giner Min.*	**Thomas Stapleton** Alphonsus Pisanus SJ. Stanislaus Rescius Carol. Hofstadius Min. Joannes B. Gratianus Aug.* Nicolaus Rusca*	Benedictus Arias Montanus Abraham Ortelius Vitus Faber Nicol. de Leuze Petrus Boulenger *Thomas Stapleton*
1599	Vinc. Just. Antistit OP.	Georgius Gaugler*	Blasius Viegas SJ. Joannes Livinejus Did. Zuniga OSA. Andreas Azitores Cist. Flor. Nannius CRL. Laurentius Lauretus Ca. Franc. Guerrero
1600	Lud. Molina SJ. Ang.M.Montursius SMV. Franc. de Herrera Min. Hannibal Roselli Min.	Laelius Zecchius* Chr. Varsevicius*	Jos. de Acosta SJ. Ascanius Martinengus Joan. Ceverio de Vera
1601	Dion. Zarate OSA.	Petrus Thyraeus SJ. Val. Vidavius Petrus Bacherius OP. Wenceslaus Sturm SJ.	Petrus Bongius Joannes Brunus Min.* Paulus Rivière*
1602	Propert. Resta Conv. Jacobus Cheyne	S. Sart. Miltenberger* Ludovicus Rogerius SJ. Jacobus Zittardus OP.* *Florimundus Raemundus*	Joan. Bapt. Navarette*
1603	Petrus Morales SJ. *Gregorius de Valentia SJ.*	**Greg. de Valentia SJ.** Petrus Charron Aegidius van de Walle Matth. Tympe*	Melchior Zanger Mauritius Hibernicus*

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
	Joan. Latomus Jo. Franc. Besozzi*	Petrus Binsfeld Hieronymus Manfredi Joan. Castaniza OSB. Garz. de Loaysa Giron Ludov. de Paramo Did. de Avellaneda SJ. Fr. Castellani*	1598
Joannes Grial* Ger. Mosanus OPr.* Gund. M. Ponce de Leon. *Joan. Livinejus.*	Zach. Lippelous Cr. Horat. Tursellinus SJ. Ant. Riccoboni Guido Panciroli Henricus Willot Min. P. Drouet de Gaillard	Boetus Epo Joannes Capetia Matthias Bossemius Petrus Courtin Carm. Adamus de Winorze*	1599
Fulvius Ursinus	Leon. de Moniaco* Petrus Gomez SJ. Joan. Mechtel* Vict. Briganti SJ.* Victorius Bandini*	Ge. Brandon* Dion. P. Llopis* Petrus de Vega OSA.* *Laelius Zecchius* *Ludovicus Molina SJ.*	1600
Petrus Ridolfi Conv.	Alph. Ciaconus OP. Hieron. Pollini OP. Dom. Tempesta*	Stephanus de Avila SJ. Nic. Aurif. Buonfigli Car. Joannes Gutierez* Joannes Wiringus Petrus Vicecomes OP.*	1601
	Florimund. Raemundus Barn. de Montalvo Ci. Matthias Lambrecht Did. Mart. Coria Ca.* Fr. Cabrera de Morales*	Greg. Sayrus OSB. Petrus Coret Jo. Frid. Lummius Godefr. Billius Franc. Ortiz Arias Min.* Laurentius Neydecker*	1602
	Petr. Jo. Maffei SJ. Lud. de Rebolledo Min. Greg. Polydorus OSA*. Petr. Lucius (de Licht) Ca. Albertus Borutus Minim.*	Joannes Azor SJ. Flam. Parisius Silv. Antonianus Thomas Zerola Stanisl. Karnkowski Corn. Benincasa Leon. Vairus OSB. Nicolaus Frerotus*	1603

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1604	Gabr. Vasquez SJ. Dom. Bannez OP. Franc. de Avila OP. Franc. Piccolomini	Albertus Hunger Isidorus Mosconius* Joannes Fonian Min.* *Cornelius Schulting*	Hier. Almonacir OP. Josephus Esteve Franc. Sanchez OSB. Petrus Machado Merc. Ludovicus da Cruz SJ.
1605	Joan. Bapt. Arrighi OSA. Aug. Gothusius Min.*	Petrus Simons Georg. Scherer SJ. Joannes Nopelius Fab. Quadrantinus SJ.	Leonardus Abela Barth. Dionigi*
1606	Petrus Lorca Cist. Luc. Pinelli SJ. Joan. Paul. Pallanterius Conv. Alexander Pesantius* Steph. Mendez OP.*	Hieron. Stephanowski Christ. Andr. Fischer* Abr. Schaedlin* Justus Lipsius P. Gonzalez de Azevedo Joannes Hammer SJ.	Petrus Garcia Gallartz Thad. Guidellus OSA. Tuccius Tuccius*
1607	Jac. Tavanthius SMV. Franc. Zumel Merc. Joan. Gaa OSF.	Hadrianus Jung SJ. Joannes Hajus SJ. Christ. Marianus Richardus Walpole SJ. Alph. Bovosius CRL. Conradus Dosch*	Roder. Dosma Delgado Petr. de Barahona Min.*
1608	Petrus Arrubal SJ. Christoph. Gillius SJ. Jo. de Rada Min. Chr. Silvestranus Ca. Petr. Bonaventura Min.*	Joannes Pistorius Joannes Zehender* (Calvinus) Baronius* Renatus Benoits Joan. Durie SJ. Paulus Hoffaeus SJ. Guilelmus Taelboom Cl. Boucart* Georgius Pomerius*	Ant. Agellio Theat. Villalpandus SJ. Mart. Ant. Delrio SJ. Petrus Morinus Chr. S. Brenzoni Ca. JoannesAnt. Brandus Franc. Sebast. Bravo OP. Franciscus Moncaeus* Caspar Salzedo* *Ren. Benoist*

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
	Cornelius Schulting Paulus Morigia A. Davila y Padilla OP. Germ. Malaspina Eman. a Costa SJ. Joan. Ant. Gabutius* Christ. Facciardi Cap.*	Rich. Hall Jo. van Langhecruys Barthol. de Ledesma OP. Jo. Buiza y Llamazares* *Josephus Esteve* *Gabriel Vasquez SJ.*	1604
	Arnold. Pontacus Petrus Cratepoil Min. Ant. Gallonius Orat. Lud. Guzman SJ.	Leo XI. Clemens VIII. Mart. Alph. Vibaldus Fr. Arias SJ. Petrus Gambacurta SJ. Guil. Barclay Melch. Zambrano*	1605
	Nic. Orlandini SJ. Conradus Zittard OP. Joannes Ant. Gabutius*	Augustinus Valerius Joan. Bonifacius SJ. Fabius Albergati Ger. Kalckbrenner Cr. Jacobus Strozzi* Renatus Choppinus	1606
M. Alph. de Carranza Ca. Pomp. Brunelli SJ.*	**Caes. Baronius Or.** Franciscus de Padilla Hieron. Rubeus Jo. Bertels OSB.	Joannes Wiringus Steph. d'Alvin O. Min.* Jos. Branchmann O. Min.*	1607
Carolus de Villiers*	Ambr. Steibanus OSA.* Ambr. Morandi OSA. Franc. de S. Angelo Ca.*	S. Andr. Avellini Theat. Henr. Henriquez SJ. Ferd. Rebellus SJ. Joan. Eisengrein Alex. Ambrosini* Greg. Servantius OP. Ascanius Colonna	1608

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1609	Jo. Alphonsus Curiel Prosp. Urbanus Conv. Ferd. della Bastida* Ludovicus Boroso Min. Jo. ab Incarnatione Min.*	Henricus Cuyck Jo. Mühlhusinus SJ. Fridericus Barscius SJ. Paulus Grysaldus OP. Sebast. Cattaneus OP. Alexander Porrus Carm. Joannes Magirus SJ. Leonardus Rubenus OSB. Joan. Aquapontanus SJ. *Nicolaus Serarius*	Nic. Serarius SJ. Joannes Bochius
1610	Jo. D. Montagniuoli OP.* Jo. Ovando Min.* Guido Bartholucci Conv.* Franciscus Diotallevius	Fr. Feuardentius Min. Robertus Personius SJ. Thomas Bozius Orat. P. Victor Palma Cayet Joannes B. Fickler Jacobus d'Illaire* Georgius Lauter Bernardus Verger O. Min. Legerus Pauwels Ca.*	Bened. Pererius SJ. Lud. Sotomajor OP. Andreas Capella Cr. Jo. Horozko Covarruvias Christophorus Lauretus* Constantinus Leonida* *Franc Feuardentius Min.*
1611	Raphael Ripa OP. Victor. Mansus OSB. Petrus Cabrera Hier.* Mars. Vasquez Carth.	Ant. Possevinus SJ Hieron. Torres SJ. Joannes Busaeus SJ. Albert. Theobolcius SJ. Jacobus Vidouzo* Robert Viseur*	Hieronymus Osorius Joannes Nodin Min. Alex. Archirota Oliv. Christoph. Santo-Tis. OSA. Jacobus Logenhagen Petrus Pantinus Sixtus Lampertus*
1612	Greg. Falconius OSA.* Lud. Fern. Blasco Min.* Casparus Ram*	Petrus Skarga SJ. Joannes Huber SJ. Steph. Szanto SJ. Joannes Brouet* Justus Rab SJ. Paulus Joseph*	Ferd. Escalante Trin.* Christoph. Fonseca OSA. Pantaleon Panvini* Franciscus Laurelotius* Joannes Placentinus Min.*
1613	Greg. Ruiz Min.* Eust. a s. Paulo Cist.* Paul. Fabulotti Barn.* Joannes Vasquez* *Guilelmus Estius*	Joannes David SJ. Jodocus Lorich Carth. Stanisl. Grodicius SJ. Seraph. Razzi OP. Rutilius Benzoni Fr. de Tolosa Min.	Guilelmus Estius Lud. ab Alcazar SJ.

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
Gerardus Vossius *Henricus Cuyck*	Ludov. de Torres Jo. Franc. Bordinus Orat. *Nicolaus Serarius SJ.*	Seraphinus Olivier Nicolaus Garzia* Matthaeus Pstrokonski Dion. Perronet Ca. Petrus Gil SJ. Hieronymus Gonzalez Ant. Cardoso de Amaral* Franc. Ortiz de Salzedo*	1609
Henricus Canisius Jo. Theod. Macherentinus SJ. *Franc. Feuardentius Min.*	Henricus Samerius SJ. Arn. Havensius Ca. Petr. de Salazar Min.* Joannes Alberici OSA.	**Th. Sanchez SJ.** Barthol. Hugolinus Laurent. Scupoli Theat. Hieron. Mengus OSF. Jo. Bapt. Segni CRL. Alphonsus Paleoti Laurentius Ortiz OSB.* *Th. Bozius Orat.* *Henricus Canisius*	1610
Joannes Pap. Masson Hier. Rom. de la Higuera SJ. Joannes Peretti Phil. Rubenius *Joannes Busaeus SJ.*	Jacobus Middendorp Pet. de Ribadeneira SJ. Jo. Marieta OP. Lud. de Urreta OP.*	Pet. de Valderrama OSA. Did. de la Vega Min.* Martinus de Funez SJ. Joan. Bapt. Rubeus Carm.* Antonius Augustinus SJ.* *Petrus Cabrera O. S. Hier.**	1611
Joan. Vlimmerius CR. Nicolaus Faber	Christoph. Clavius SJ. Franciscus Guilliman Oct. M. Frangipani Guilelmus Gazaeus Nicolaus Fitztherbert Fr. Pasio SJ. Hieron. Beroardi OP.*	Raph. de la Torre OP. Joannes de Salas SJ. Franciscus Pegna Ludov. Mendoza Ci. Celsus Mancini CRL. Carolus Regius SJ. Martinus Fornari SJ.	1612
Jo. Picardus Min.* Augustinus Floritius SJ. Hieronymus Brunelli SJ.	Jo. Bapt. a Glano OSA. Did. de Yepes Hier. Jo. Andr. Caligari Gabriel Bisciola SJ. Guilelmus Mush Sylvester Maurolicus*	Em. Rodriguez Min. Petrus Villarsius Joan. Franc. Leoni Ad. Blackwood Ge. Blackwell Petrus Vinc. Marzilla OSB.*	1613

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1614	Capponi a Porr. OP. Franc. de Cuniga SJ. Did. Nuño Cabezudo OP. Lud. de Zamora Cist. Petrus Hier. Sanchez Ant. Sardus Merc.*	Sebast. Heiss SJ. Jacobus Bajus Joannes Peit* Hugo Burlat Benjamin Carrier Matthias Mayle SJ. Jacobus Guibert* Dismas Serpi OSFr.* Thomas Kemeis*	Joannes Hajus SJ. Vincent. Regius SJ. Ludovicus Ysteila OP. Petrus Maldonado OSA. Jacobus Suarez Min. Sam. Loyaerts Jacobus Bundi Gundisalvus de Cervantes* Galeatius Trissinus* *Cap. a Porrecta OP.*
1615	Daniel Malloni Hier.* Petrus Ant. Spinelli SJ. Vincentius Pons OP.*	Vitus Miletus Martinus Lascius SJ. Aur. Menochius SMV. Joannes Fenu Corn. Columb. Uraux OSB. Arnoldus Olorinus*	Sebast. Barradas SJ. Christoph. de Castro SJ. Joannes a Jesu M. Ca. Antiochus Brondo Merc.*
1616	Franc. de Pitigianis Min. Petrus de Ledesma OP. Paulus Berti OSA. Laur. Fassano Viola Min.*	Joannes Gontery SJ. Leon. Coquaeus OSA. Valent. Gerard SJ. Romualdus Taurin. Cap. Sylvester Lavallensis Cap. Petrus Linteo Litomerzicki Balth. Hagel SJ. Simon Gorski SJ. Oliverius Hattemius Rich. Fr. Britton Min.*	Gabriel d'Acosta Alexander Manerba OP.
1617	**Franc. Suarez SJ.** Jo. de Carthagena Min. Franc. Moreno Min.* Gundis. Sanchez Lucero Fortunatus OSB.*	Caspar Ulenberg Jacobus Crusius SJ. Franc. Hamilton OSB. Dan. Bourguignon* Joannes Duperche* Fr. Pradiel Min.* *Franciscus Suarez SJ.*	Jo. Bapt. Canotus Min.*
1618	Pet. Corn. de Pedrosa Ca. Arch. de Rubeis CRL. Franciscus Sosa Franc. Christoph. Marasca Ca.* Andreas Henriquez* Ferd. Bacan OP.*	**J. Davy du Perron** Mart. Smiglecius SJ. Rich. Stanihurst Andreas Forner* Sever. Lubomlius OP.* Emmeranus Welser SJ. Sebast. Michaelis OP.	Jac. Raym. a Gavio Ca.

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
Jac. Breulius OSB. Marcus Welser	Ferreolus Locrius Joannes l'Heureux Claud. Villette* Vinc. Barralis OSB.* Victorius Scialac* Dismas Serpi Min.*	Hier. a Matre Dei Ca. Franciscus Mantica Alex. de la Chassagne* Nicolaus Garcia* Guilelmus Bathe SJ. Ludov. de Cerqueiro SJ. Ant. Fernandez de Moura* Joan. Bapt. de' Berti* *Did. Nuno Cabezudo OP.*	1614
Dom. Bolani OP.*	Car. Basilica Petri Barn. Coel. Coleoni Cap.* Fr. Diago OP. Jac. Faucquenberghe*	Vinc. Fernandez de Heredia Joannes Narbona* Fr. Peliginnis*	1615
	Petrus du Jarric SJ. Ge. Barth. Pontanus Nicol. Godigno SJ. Michaelis Cotignon* Matth. Lauretus OSB.*	Joannes Pitseus Alph. Rodriguez SJ. Joan. W. Viringus Joannes Valero Carth.* *Petrus de Ledesma O. Pr.*	1616
Joan. Dadraeus	Christoph. Browerus SJ. Ferdin. Guerreiro SJ. Bern. de Brito Cist. Franciscus Ferrari Joannes Baldi* Ant. Jo. Garcia de Car.* *Jo. Chapeauville*	S. Alph. Rodriguez SJ. Joannes Chapeauville Joannes Botero Carolus de Grassis Georg. Vetter OP.* Joannes van Uffele Stanislaus Krzystanowic Angelus Elli O. Min. Jo. Gonzalez de Losada OP.* *Franciscus Suarez SJ.*	1617
Alardus Wyelius*	Jo. Gonzalez de Mend. OSA. Georgius Stobaeus Guilelmus Delacroix Nic. Novillanius Joan. Penza O. Carm.* Petrus Ja. Tristan Min.* Joannes Schaefer Ci.*	Prosperus Farinacci Marius Italia Hieron. de Ripalda SJ. Marius Altieri* Rog. Widdrington* Didacus Alvarez SJ. R. Talamellus Aug.* *Pet. Cornejo de Pedrosa Carm.*	1618

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1619	Franc. Albertini SJ. Philip. Moncaeus SJ.	Jodocus Coccius Franc. Costerus SJ. Stanisl. Socolovius Joachim Backius Alb. Rosciszevski SJ. Rem. de Vaulx*	**Fr. Lucas Brugensis** Mart. Sebaldus* Christophorus Coster*
1620	Lael. Balleonius SMV. Gr. Nunnez Coronel OSA. Joan. Bapt. d'Asti OSA. Jacobus Hacker*	Caspar Sawicki SJ. Guilelmus Baile SJ. Jac. Forgemont Jo. Paul. Windeck Ant. van Kerebeeck OSA. Michael Walpole SJ. Joannes Bordes SJ. Alex. de Angelis SJ. Guil. Patrisonius OSA.*	Marcus a Calassio Min. Tob. Hentschel Min. Joannes Freire SJ. Arnoldus Cathius SJ.
1621	Ludov. de Montesinos Bonav. Passerus Conv. Hieron. Colombi* Joan. Ir. Brasavola Min. Petrus Diaz de Aguero* Cyprianus Masi OSA.*	**Rob. Bellarminus SJ.** Jac. Le Noir (Niger) Mi. Joannes Meredith* Antonius Farfan O. Hieros.*	Gregorius Bapt. OSB.* Antonius Giggeus*
1622	Hieron. Medices OP. Joannes Gonçales de Albelda OP. Gisb. Schevichavius SJ. Jo. B. Tufo Theat. Joan. Marius Scribonius Min.* Hieron. Tamarit Min. Franc. Arriba OSF. Red. Baranzano O. Barn.	Conradus Vetter SJ. Jodocus Coccius SJ. Alex. a Turre can. r. lat. Jo. Ant. Bovio Ca. Michael Mauclerus* Joan. W. van Vieringen SJ. Corn. Lancilottus OSA. Petrus Biard SJ. Herb. Croft Laurentius Nicolai SJ. Martinus Vauthier SJ. *S. Fr. Salesius*	L u d o v i c u s d e T e n a B e n. J u s t i n i a n u s SJ. Augustinus de Quiros SJ. Josephus Garcia O. Cist. *A. Tornielli B.*
1623	**Leon. Lessius SJ.** Joan. Pelecyus SJ. Joan. Puteanus OSA. Em. de la Cerda OSA.* Phil. Bernal OP.	S. Josaphat M. Nicol. Coeffeteau OP. Hermann Bosendorf SJ. Jacobus Severt* Jac. Anderton* Thomas Saillius SJ. Jacobus Colens SJ. *Leonardus Lessius SJ.*	Petrus Stevart Didacus Daza SJ. Joannes Tremino*

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
	Joannes Deckers SJ. Jo. Brasichellensis OP. Joan. Machault SJ. Ambr. de Rusconibus OSB.* Jos. de Brunis Min.* Joan. van der Straeten Min.*	Ant. de Molina Cr. Paul. Carraria OP. Valentinus Leucht Theophorus Bouju* Stephanus Quaranta* Stephanus Daoiz	1619
	Angelus Rocca OSA. Octavius Cajetanus SJ. Prud. de Sandoval OSB. Franc. Gonzaga Fr. Ludov. Pineyro SJ. Ambrosus Gozzeus OP. Jul. de Madariaga Cr.	Mich. Barthol. Salon OSA. Jac. Graffius OSB. Jac. Alvarez de Paz SJ. Dominicus Tuscus Aeg. Albertinus Lud. Miranda Min. Petrus Guzmann SJ.	1620
Nicolaus Chamart*	Car. de la Saussaye Henr. Sedulius Min. Joan. Marquez OSA. Christophorus Gewold Jo. Fr. Mathenesius Jo. Rosanensis Ci. Ign. Firminus Ci.* August. Manno Orat.*	Paulus V. Petrus Matthaeus Vincentius Cabot Barth. Saluzzo Min. Antonius Fernandez* Jos. Burger OSB. Joannes Barclay Franciscus Pithou Roder. de Quesada et Molina*	1621
Joan. Savaron	August. Tornielli O. Barn. Em. Barradas SJ. Sebast. Berettari SJ. Franciscus Schottus Petrus Paez SJ. Jo. a s. Maria Min. Vinc. Blascus de Lanuga* Jos. Mozzagrugno* Joan. dos Santos OP.*	**S. Francisc. Salesius** Vincent. Filliucius SJ. Ant. Gaudier SJ. Balthasar Nardi* Hieron. de Zeballos* Martinus de Carillo Paulus J. Arriaga SJ. Dionys. a Matre Dei Ca. Paulus de Blanchis OP.* Laur. Em. Soares SJ.*	1622
Fronto Ducaeus SJ. _Petrus Stevart_*	Arch. M. Giani SMV. Jo. Ant. Petramellarius Jo. Petr. Glussianus Joan. Nic. Alidosi Pasquali August. Bruno Min. Gabr. de la Charlonie* Pius Rubeus Hier.*	Gregorius XV. Valer. Reginaldus SJ. Alph. Villagut OSB. Jacobus Ant. Marta Jul. Sannazari Hieron. Podovius Franc. Ménard Antonius Duelken Cr. Joannes de Cruce OP.* Matth. Marechal* Frid. Henr. Onuphrius* _Leonardus Lessius SJ._	1623

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1624	Josephus Ragusa SJ. Mich. Vasquez de Padilla SJ. Joannes Salzedo Min.* *Mart. Becanus SJ.*	Mart. Becanus SJ. Franciscus Agricola Guilelmus Bishop Gabr. Penotto CRL. Anast. Cochelet Carm. Patricius Anderson SJ. Ge. am Ende SJ. Ed. Burton SJ. Jo. W. Coelestinus Joannes Zeschlin*	Joannes Mariana SJ. Petrus Stevart Cosmas Magalianus SJ. Ludovicus Ballester SJ. Ludovicus de Ponte SJ. Bernardus de Ribera Cist. Aeg. Camartus O. Min. Franciscus de Primis* *Martinus Becanus SJ.*
1625	Philippus Gamachaeus Blasius Verdu OP. Petr. Capullius Conv. Balth. Navarette OP.* *Fr. a Coriolano Cap.*	**Jac. Gretserus SJ.** And. Eudaemon-Joan. SJ. Ludov. Richeome SJ. M. Ant. Capelli Conv. Thomas Balasfy Ge. Tyszkiewicz SJ. Sancius Davilla et Tolodo Eduard Mayhew OSB. Bern. Sutholt*	Fabricius Paulutius Joan. Fernandez OP. Claud. Rangolius Min. Joannes Gallemart Jacobus Jansonius Joannes Hesronita* Andr. Alleret O. Conv.* Henricus Holland
1626	Hugo Cavellus Min. Theod. Smising Min. Valent. de Herice SJ. Aeg. de Praesentatione et Fonseca OSA. Petrus de Hortigosa SJ. Jos. a Jesu Maria Carm. Jac. Bossu OSB.	Petrus Coton SJ. Thom. Worthington SJ. Iren. Avallonensis Cp.* Jo. A. Coppenstein OP.* Christophorus Mayer SJ. Christophorus Holiwood (a Sacrobosco) SJ. Jeremias Ferrier Eduard Coffin SJ.	Franc. Mendoza SJ. Paulus Metezellus Or.*
1627	Ferd. Ponzettus Bern. de Leone Pr. Andr. Rochmarinus Min.*	Thomas de Jesu Carm. Balthasar Hager SJ. Jo. Raphael Cobenzl SJ. Joan. Wenc. Coelestinus*	Fab. Justiniani Orat. Laurentius Beyerlink Jo. B. Rossi Som.*

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
Joannes Olivarius *Petrus Stevart*	Henr. Harvillaeus Cp.* Jo. de Grijalfa OSA. Petrus a Beeck Luc. de Montoya Min.* Th. Messingham*	Petrus Alagona SJ. Simon Vigor Marc. Antonius Joannes Sanchez* Petrus de Ochogavia Hor. Phil. Giovagnoni Oliv. Beltramini Barthol. Carthagena* Flavius Cherubini* *Ludovicus de Ponte SJ.*	1624
Pius Rubeus Hier.* *Jac. Gretserus SJ.*	Franc. a Coriolano Cp. Thomas Dempster Franc. Sacchini SJ. Thomas Morus Petrus Morin SJ. Petrus Lombard Joannes Vastovius*	Er. de Surlet Choquier Julius Nigronius SJ. Michael Roussel* Blasius Bagni* Hier. de Carate* Fr. Ghislieri can. r. Jacobus Lechassior Martinus Carillo* Nicolaus Janvier* Jo. Redé de la Gormandière* Seraphinus de Freitas*	1625
Alard. Gazaeus OSB. Jacobus Pontanus SJ. Cl. Morel Antonius de Henin Franciscus Juretus Joan. de Bosco Coel.	Joannes Buzelin SJ. Phil. Ferrari SMV. Prosperus Stellartius Andreas Hojus Nic. Alemanni Phil. Pigafetta* Aug. de Witte Min.*	Laërtius Cherubini Aug. M. Cherubini OSB.* An. Fabric. Bleynianus Paulus Comitolus SJ. Alex. Carriero Ad. Schulkenius Joannes M. Belletti Martinus Heerfort* Jul. Lavorius* Antonius Ragucci*	1626
	P. Merula* Joannes Chenu Alph. Maldonado OP.* Alp. Fernandez OP.* Thomas Gratianus Raymundus Ribes OP.*	Anastasius Germoni Henricus Zoesius Jo. Baptista Scortia SJ. Tobias Corona Paul. Joannes Baptista Rombold Henr. de Villalobus Min. Emmanuel Laur. Suarez* *Thomas de Jesu Ca.*	1627

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1628	Pet. Posnaniensis Min.* Jo. Matth. Rispolis OP. Alp. Sobrino Carm. Ferd. Mart. Mascarenhas	Stephanus Moquot SJ. Joannes Clare SJ. Alp. Bavosi CR. Al. Albertus OSA. Jacobus Jaquot Carm. Nicolaus Wiggers Min. Henricus Schellenberg SJ.* Philippus Eilbracht*	Casp. Sanctius SJ. Thom. Malvenda OP. Ant. Fernandius SJ. Joannes B. Baudini Joannes Gorcomius Camill. Pulsictus Carm.*
1629	Th. de Lemos OP. Jo. de Portugal OP. Petrus de Berulle Or. Flor. Conrius Min. Matth. de Sousa Min.*	Carolus Scribanius SJ. Guilelmus Giffard OSB. Bernardus Galtier SJ. Dominicus Garzia Jacobus Isnar SJ. Balth. Bolognoti SMV. Hermannus Hugo SJ. Andreas Forner Humfredus Leech	Jo. Hier. Sopranis SJ. Laelius Bisciola SJ. *Dominicus Garzia*
1630	Petrus de Herrera OP. Thomas de Ituren SJ. Philippus Faber Min. Livius Galantes Min.* Henr. Ant. Burgus SMV.	Hier. Floravantius SJ. Joannes Boucher Min. Joannes Gouda SJ. Bernardus Paxillus de Brzezek OP. Joannes Forner Matthias Klesel Silvester Noritius SJ. Joannes de Wielen Jacobus Scharpe SJ. Joannes Saller SJ. Franc. van Dusseldorp Jo. Ant. Calvenzanus Neophytus OSB.*	Bened. Fernandius SJ. Joan. van den Broeck Bartholomaeus Petri Vit. Zuccoli Carm. Ant. de Balinghem SJ. Guilelmus Ader
1631	Joan. Guissanus Carm. Ant. Ajossa cler. reg.* Alph. de Sanchez Zarzosa* Raymundus Breganius OP.*	Jacobus Keller SJ. Thomas Ramos* Jac. Montanari Min. Franciscus Garasse SJ. Bened. de Benedictis Aug. Riuvère OSA.* Petrus Berger* Martinus Inniganus*	Joannes de Paiva* Jo. de Reyroles Minim.* Joannes Garnerius*

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
	Ludovicus de Bavia Jul. Caesar Bulenger SJ. Franciscus Solier SJ. Nicolaus Trigault Barth. Cimarellus Min. Jacobus Merck* Eug. Cattaneo* Henricus Mirwart Min.*	Honor. van Axel* Guilelmus Bernardon Joannes Ant. Massobre* Hier. Venero de Leyva Christ. de Avendano Ca. Marc. Ant. Othelius Al. Bariola OSA. Antonius Quintanadveñas Joannes Bapt. Vivianus* Sebast. Caesar de Meneses* Joan. Bapt. Bizzozero*	1628
And. Schottus SJ. *Heribert. Rosweydus SJ.*	Herib. Rosweydus SJ. Antonius Bosius Nicol. Crusenius OSA. Hieronymus Aleander Franciscus Swertius Petrus Bertius Hadrianus Crucius SJ.	Bas. Pontius OSA. Laurentius Bochel Anacl. Siccus Barn.* Marcus Antonini* Hieronymus de Saracenis And. Castaldi Pescara Theat. Joannes Vasquez* Joan. Jordanaeus*	1629
Gabriel Albaspinaeus Fr. Morel	Marcus de Guadalaxara Fr. Lanovius Minim.* Balth. Alvarez SJ. Joan. Nunnez Min. Emman. Roman Ca. Lael. Marini Coel.* Hipp. Donesmundus Min.* *Gabriel Albaspinaeus*	Jo. Zapata y Sandoval OSA. Fridericus Martini Alexius a s. Franc. Ca. Guil. van Oonsel OP. Petrus Giustinelli SJ. Antonius Sousa OP.* Marc. A. Scipio OSB.* Vincentius Ricci* Laurentius Portel OSFr.* Lud. a s. Jo. Ev. OSFr.	1630
	Edmundus Richer Joannes Paulus le SJ. Sim. Eust. Kapihorsky Ci.* Cher. Mirtius OSB. Joan. Gelenius Virgil. Cepari SJ. Ant. Govea OSA.	Mart. Bonacina L. Castellinus Aem. OP. Frid. Borromaeus Melch. Lotterio* Joan. Boden* Franc. Labbata SJ. Petrus Blanchot Mauritio de Alcedo* Andreas Lipski*	1631

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1632	**Did. Ruiz de Mont. SJ.** **Adamus Tanner SJ.** Jacob. Granado SJ. Theod. Pybes de Adama Ci.*	Ludov. a Castro Conv. Nicolaus Romaeus SJ. Joan. B. Catumsyritus* Josephus Malavalette SJ. Paulus Metezeau Or. Elias Graff SJ. *Adamus Tanner SJ.*	Petrus Lanselius SJ. Antonius Perez Bas.* Anton. Bacelar Min.* *Franciscus Haraeus*
1633	Mart. de Alviz. OSA. Nicol. de Grachis OSA. *Joannes Malder* *Aeg. Coninck SJ.*	Leo Menzel Eduardus Weston Franc. Bozio Orat. Marq. Leo OSFr. Guil. Spoelberch Min. Theodorus Krall SJ. Joannes Fried. Rorich SJ. Tranq. a s. Remigio Cap.*	Georg. Witweiler SJ. Thom. de Beira Min.* Petrus a J. Maria Merc.*
1634	Joan. Praepositus SJ. Cos. Alamannus SJ. Stephanus del Bufalo de' Cancellieri SJ. Didacus de Alarcon SJ. Ludov. a Dola Cap.* Andr. Perusinus Min. Caspar Hell SJ.	Bald. Junius Min. Caspar Lechner SJ. Petrus Arcudius* Jacobus Hack SJ. Balthasar Chavassius SJ. Jacobus Stratius SJ. *Rich. Broughton*	Joan. Lorinus SJ. Georgius Kaldi SJ. Isidorus Barreira Marcellinus de Pise Cap.* Fr. da Piedade Maciel OP.*
1635	Did. Alvarez OP. Augustinus Oregius Philib. Marchini Barn.*	Adam. Contzen SJ. Jo. Maria a s. Jos. Carm. Dan. a s. Severo O. Cap. Alexander Regourd SJ. Bonav. Jackson Min. Joannes Marcel* Conrad Gruthor*	Arthur Pitts Didacus Lopez Ludov. de Vera Merc.* *Adam Contzen SJ.*
1636	Eleuth. Albergoni Conv.	Jo. Gonçales OP. Jo. Matth. Caryophilus Jacobus Gualterus SJ. Jo. Falces a s. Steph. Hi. Nicolaus Cusanus SJ. Helferich Ulrich Hunnius Joannes Arnoux SJ. Reyn. Mercator Jo. Perco Min.	Leander a s. Mart. OSB. Jacobus Tirinus SJ. Thomas Massutius SJ. Phil. Bosquier Min. *H. Philippi SJ.*

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
Richard. Gibbon SJ. *Jac. Granado SJ.* *Petrus Lanselius SJ.*	Franciscus Haraeus Joannes Lopez O. Praed. Chrys. Henriquez Cist. Christ. Fleming Min. Hieron. Vecchietti* Joan. B. Bonelli SJ.	Laur. Empoli OSA. Matthias Mittner Cr. Ovid. Amici* Sig. Guil. a Vorburg* Car. Andr. Bassi* Marc. Ant. Erri* Petr. Bellocchi Mi.*	1632
Blanchot O. Minim.*	Joseph Visconti Georg. Maigret OSA. Petrus Grisius* Petrus de Moreiron* Fel. Milensius OSA. Gabriel de Matos SJ. Matthias Couros SJ.	Aegid. Coninck SJ. F. de Castropalao SJ. Joannes Malder Stephan. Weyms Hier. Rodriguez O. Min.*	1633
Matth. Rader SJ.	Matthaeus Rader SJ. Richard Broughton Nic. Janssenboy OP. Jo. Adolph. Cypraeus* Corn. Thielmans Min. Fridericus Planck OSB. Sigism. Dullinger OSB.	Alex. Pellegrino Theat. Ludov. Cressolius SJ. Flor. van der Haer Jo. de Loyac Ca.* Hieron. Dandini SJ. Ant. Fern. de Corduba SJ. Ferd. Waizenegger Paul. Squillante*	1634
	Dion. Mudsaerts Pr. Petrus Chirino SJ. Hugo Ward Min. Hieron. Marullus* Paul. Aem. Sanctorius Bernardus de Carol. Mi.*	**Paulus Laymann SJ.** Luis. Turrianus SJ. Jul. Pace Ambrosius Gaufreus Paulus Boudot Martin. Bresserus SJ. Hier. Fernandez de Otero Fridericus Spee SJ. Samuel a Lublino OP. Jos. Macharius Antonius Goffart Joannes Beckaert Praem. Ludov. Lallemant SJ.	1635
	Henricus Philippi SJ. Joannes Cousin Claudius Robert Petr. Lopez O. ss. Trin.* Franciscus de Bivar O. Cist. Sebastianus Tengnagel Petrus Eulard SJ. Rich. Verstegan *Jac. Gualterus SJ.*	Andreas Vallensis Barth. a s. Fausto Cist. Hugo Ant. Roth SJ. Fab. Birkowski OP. Anacl. Secchi O. Barn. Laur. Franchi Michael Loescher SJ. Coelest. Suessionensis Min.*	1636

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1637	Theodorus Foresti Cp. Greg. Martinez OP. Georgius Hemelman SJ. Joannes Serrano Min. Jul. Castelvi Ca. Hieronymus Perez*	Petr. Pázmány SJ. Th. Bacon (Southwellus) SJ. Joan. Ctibor Kotwa Jac. Browerus OPr. Hil. a s. Augustino Ca.* *Ant. Perez OSB.*	Corn. a Lapide SJ. Anton. Perez OSB. Joan. de Pineda SJ. Franciscus Pavone SJ. Martinus de Roa SJ. Petrus Bardin Alph. de Padilla Minim.*
1638	Andreas Duvallius Joannes Perlinus SJ. Matth. Weiss OSB. Did. de Caceres Hieron.*	Zach Boverius Cap. Andreas Wagner SJ. Wolfg. Talhamer Pr.*	Joan. B. Filesac Sergius Risius Cornelius Jansenius Hubert Phalesius OSB. Balth. Paez Trin. Hieron. de Cruce Hier.* Hieron. Averoldi Cap.*
1639	Joannes Wiggers Hieron. Fasolus SJ. Georg. Aur. Dayneffe OSA.	Jscobus Bidermann SJ. Guilelmus Wright SJ. Leon. Patornau SJ. Hadr. Bratkowicz Conv.	Dominicus Ginnasius Laur. de Ponte cler. min. Octavianus de Tufo SJ. Petrus de Besse Berlingher. Ventimiglia Joseph Speranza Orat.
1640	Maur. Centini Conv. Joannes Biescas OP. Josephus Balli Franciscus Collius Petrus Gottrau SJ. Pet. Posnaniensis Min.* Ambrosius Machin* Didacus Ortiz OP.	Theod. Petrejus Cr. Thomas Fitzherbert SJ. Georgius Conaeus Joan. D'Espiennes du Fay Thomas Preston Raymundus des Etroits SJ. C. Fr. Haraucourt de Ch. SJ. Joannes Kircher*	Eustachius Gault Or. Caspar Fernandez SJ. Placidus Nigidius Polyc. de la Rivière Cr. Matth. Navaeus* *J. Salianus SJ.*
1641	Ant. a Matre D. Ca. Ant. Hyquaeus Min. Claudius Tiphanus SJ. Claudius le Petit* Ambr. Saxius Min.* Fr. del Castillo Vel. Min.* Franc. Felix Min.* Angelus Vancius OSA. Phil. Fezayus Ca.* *Matth. Kellisonius*	Matthias Kellisonius Joannes Fisher SJ. Thomas Henrici* Andreas Fremiot Franc. a Rodraseu Cap.*	Jacobus Gordon SJ. Henricus Rampen Paulus Vecchius* Nicol. Guillebert*

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
M. Mil. Sarazanius*	Abraham Bzovius O. Pr. Christ. Hartmann OSB. Petrus Saxius Aloysius Aurelius Antonius Sanders Guilelmus Rushworth Joan. Dressel Ci.	Franc. Poiré SJ. Joannes a Costa Philipp. Bebius SJ. Fr. M. Novarius* Engelb. Ewich SJ. Barthol. Berteaut* Arnold Paludanus Mi.*	1637
Sebastianus Caesar*	Henric. Murer Carth. Chr. Besold Corn. Curtius OSA.* A. de la Calancha OSA.* Bernardinus a s. Ant. RC. Jo. Vander Linden Alex. Willebr. Van der Heyden SJ.	Barth. Gavanti Barn. Fr. Merolla Orat. Hieron. Drexel SJ. Hadr. van Moerbeeck Pr. Hadr. Behotte	1638
	Jodocus Mezler OSB. Franc. d'Oresmieux CR. Jo. Wielewicki SJ. Anton. Contini Olivet.*	Guilelmus Mercerus Franc. Ghetius OP. Baptista Fragosus SJ. Petrus du Fay OP. Nicol. Riccardi OP. Stephanus Binet SJ. Stephanus de Castro SJ. August. Spinola *Joannes Wiggers*	1639
Andreas du Chesne *Aub. Miraeus* *Theod Petrejus Carth.*	Jacobus Salianus SJ. Aubertus Miraeus Did. de Cea Min. Stanislaus Lubienski Jo. B. Machault SJ. Alb. le Grand OP.* *Andr. du Chesne*	Felic. de Vega Theod. Rubeus* Dom. Anfosso	1640
Rolandus Augier SJ. Guilelmus Camerarius Or.*	Antonius Amicus Jos. Ripamonte Franc. a Secli Min.* Germanus le Clerc* Fr. M. Torrigius*	Severinus Binius Julius Viviani Hieronymus Bascape David Aug. Baker Ben. Matth. Mayrhofer SJ. Joannes Suffren SJ. David Mauden Joannes Bapt. Coccino Petrus Vander Kindere OP. Guil. de Welsperg Joannes Huchon* *Jacob. Gordon SJ.* *Fr. Felix OSF.**	1641

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1642	Nicol. Ysambertus Augustus Bernal SJ. Ild. a s. Hilarione Ca. Michael Zanardi OP. Gregor. Schiero Mi. Greg. Donatus OP. Nicasius a s. Theresia Ca. Jos. de Corduba OSA.* Raphael Aversa Min.*	Petrus Roest SJ. Armand. Jo. du Plessis de Richelieu Joannes Moquet SJ. Ign. Landriano Oliv. Sebast. Pikielius SJ.*	Jac. Bonfrerius SJ. Jac. d'Auzoles Joannes Bence Orat.
1643	Jos. Agostini SJ. Franc. Le Rees* Ildeph. a s. Augustino OSA. Jos. Caglioca O. Min.*	Dom. Gravina OP. Laur. Anderton SJ. Henr. Lancilottus OSA. Anton. Sirmond SJ. Alv. Arias SJ. Joan. Jobertus de Barraut Bertrand. du Chesne*	Fortun. Scacchi OSA. Joannes Phelipeaux SJ. Joan. B. Gault Or. Joannes Tollenaer SJ.
1644	**Jo. a s. Thoma OP.** Petrus Wadding SJ. Mart. Meurisse Min.* M. Ant. Palumbus SJ. Hier. Gallus OSF. Ferd. a Jesu Carm. Anton. Blondus Conv. Ghiel. Antonius Orat.	Henr. Fitz-Simon SJ. Ge. Polacch* Andreas de Castellana* Joan. a Syderno O. Cap.*	Simeon de Muis (Marotte) Paulus Aresi theat. Thomas Calona O. Cap.
1645	Jos. de la Cerda Ben. Jo. Paul. Nazarius OP. Hyac. Choquet OP. Pet. Fernandez Torrejon	Michael Veresmarti Joannes Price SJ. Hyac. Kerver Cap.* Thomas Vane* Matthaeus Bembus SJ. Simon Stock Carm. Fr. Rochefoucauld Fr. Moloy OSF.*	Gabriel Alvarez SJ. Franciscus a Vitrio Cap. Paulus Minerva OP.

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
	Ant. Caraccioli cl. reg. Fel. Ciatti O. Conv. Claud. Clement SJ. Jo. d'Assignios O. Cist. Ludovicus du Four SJ. Philippus Caesar* Hor. Scogli*	Antonius Ricciullus Andr. Lanfrancus cl. reg. Jo. de Escobar del C.* Henr. Hoffmann* Matthaeus Defendi* *Nicolaus Ysambertus* *Michael Zanardi*	1642
Jo. Lud. de la Cerda SJ. Dominicus Mita*	Henricus Spondanus Sec. Lancilotti Oliv. Arn. Raissius Joan. Ego OSB. Paulus Guldin SJ. Mich. O'Clery Mi. Philib. Monnet SJ. Petrus Jac. Tommaso Carm. Leger van Hontsum *Roder. de Cunha*	Leon. Duardus cl. reg. Marc. Megalius cl. reg. Christ. Toerring OSB. Rodericus de Cunha Joannes Al. Ricci Illuminatus Moronus* Vincentius Bertinus OSF. Jos. Vela *Jos. Agostini*	1643
Jacob. Merlo Horstius Claudius Dausqueus	Nic. Hugo Menard OSB. Carolus a s. Paulo Cist. Martinus Marrier Joan. Mich. Pio OP. Guido Bentivoglio Rainucius Pico Seb. Andreantonelli Car. Caraffa Petrus Monod SJ. Bernardin. Ginnaro SJ. *Mart. Meurisse OSF.*	Urbanus VIII. Gabriel du Pineau Pet. Auellus Persicus SJ. Mich. Godinez SJ. Jo. Aeg. Trullench Ign. a s. Maria OSA. Alph. de Leone cler. reg. Mich. de la Noue Minim.*	1644
Joannes Rivius OSA.*	Andreas Zergoll SJ. Ludov. Beurrier Coel. Mauritius du Pré Praem. Vinc. Turturetus Petrus Coquault Guilelmus du Peyrat Petrus Coens Petrus Malpe OPr. Alb. Chanowsky SJ.	Stephan. Fagundez SJ. Thom. d'Afflitto cler. r. Innocens Ciron* Jo. a Trinitate OSFr. Laur. Landtmeter Pr. Franc. de Torreblanca Ant. Naldus Theat. Steph. a s. Gregorio Aug.*	1645

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1646	Greg. Cippullus OP.* Clem. Brancasius SF.* Vinc. Surianus Carth.* Partitius Raw OSA.	Car. Franc. de Raconis Georg. Holzhay SJ. Stephanus Audebert SJ. Georgius Froyer Joannes Hofer SJ.	Mich. Ghislieri Theat. Ferd.Quir.de Salazar SJ. Paulus Sherlogus SJ. Bern. Montereul SJ. Bened. Mandina Theat. Nicolaus Lombard SJ. Thom. Calona Cap. Petrus Loycx
1647	Angelus Vulpes Conv. Caspar Hurtado SJ. Jo. Lallemandet Minim. Jul. Caes. Recupito SJ. Ludovicus de Ribas SJ. Ludov. Caspensis Cap. Marcus Serra OP.* Thomas Villar OP.*	Silv. Petra-Sancta SJ. Jos. de Bergaigne Min. Robertus Svertius Franc. Walsingham SJ. David Codner OSB. Hier. a s. Hyacintho Carm.* Henr. de Lamormaini SJ. Angelus ab Insulis Cap.*	Didacus de Baëza SJ. Alex. Pellegrinus SJ. Franc. a Jesu Carm. Alph. Dominicus Trin.*
1648	**J. Martinez de Rip. SJ.** Ant. Serpa OSF.* Christoph. Brenzoni Ca. Petrus P. Philippi OP. Fulg. Petrellus OSA. Jo. Ildeph. Bapt. OP.* Mich. Ripol Carm. Paulus Ciera OSA. Petrus Simanca OSA. Joseph. Maldonado OSF.* Joannes Tytz*	Emmanuel Vega SJ. Petrus de Sesmaisons SJ. Alph. Pandolfi Petrus Paul. Bombini Som. Raphael Dieppensis Cap. Didacus Gatica O. Merc.* Joannes Lud. de Rouvray*	Gabriel Sionita Mar. Mersennius Min.
1649	Franc. Silvius Antonius Perez SJ. Jo. Maria Zamora Cp. Petrus de Oviedo Ci. Franc. Alphonsus SJ. Tarq. Galluzzi SJ. Casp. de la Fuente Min.* Raph. de Clayes Cap.* Joannes Muñoz O. Min. Joannes Polman Guilelmus Tasselon OSA.	Franc. Veronius Joannes Floyd SJ. Petrus Cudsemius Caspar Scioppius Paganin. Gaudentius Guilelmus ab Angelis Ambr. Corbie SJ. Joannes Guil. Gotthart Joannes Stalens* Matth. Zelhorst*	Hieron. Guevara SJ. Salvator de Leon SJ. Petrus Maucorps SJ. Thomas Cathini Cr. Didacus Lopez SJ. Francisc. de Lemos OSB.* Carolus Joan. Golinus* Nicolaus Gillebert*

Franciscus Silvius

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
Josephus Isaeus*	Barthol. Chioccarelli Emman. de Almeyda SJ. Fr. Andegavensis Cap.* Franc. Bolvito Theat.* Petrus Louvet Ben. de Passaflumine OSF. Eugen Roger Min.*	Petrus de Onate SJ. Petrus Gebauer Jo. Gruszewsky SJ. Ludovicus Odesdun* Theod. Amydenius* Michael Bauldry OSB.* Joannes Boucher Joannes Antoninus SJ.*	1646
Germ. Millet Ben. Franciscus Viger SJ.	Bern. Manzoni Conv. Paulus de Angelis Jac. Canisius SJ. Salv. Vitalis Min. Antonius Collasso SJ. Joan. Huynes OSB.* Bened. Sanbenedictus Cap.*	Franc. de Quevedo Joannes de Bordenave* Laur. de Peyrinis Min.* Wennius Fr. Pr. Franc. de Cespides Theat. Bernard. Benedetti* *C. Hurtadus SJ.*	1647
Balth. Etzelius SJ.	Joannes Bapt. Casali Joannes Vincent Melchior Inchofer SJ. Jac. Doublet OSB. Matthias Tanner Cr. Anton. Spindler OSB. Coel. Telera Coel.* Nic. M. des Guerrois Orat.*	Jacobus Marchant Bened. Haeften OSB. Ger. Pelletier SJ. Steph. Spinula Som.* Ant. de Fuertes y B.* Tim. Timoteo* Hieronymus Pecorarus SJ. Juniperus OSF. Alex. Calamato Paulus Barisoni Guil. de Paradis Mich. Rabardeau SJ. *Jo. Ild. Baptista OPr.*	1648
Georgius Colvenerius	August. de Herrera SJ. Barthol. Fisen SJ. Ang. Manrique Cist. Petrus Roverius SJ. Nicol. Vernulaeus Ang. a s. Francisco Min.* Cels. de Rosinis CRL.* Hor. Justiniani Or. Franc. Rus de la Puerta Th. Aq. a s. Joseph Carm. Joannes Sirmond Christophorus More	**August. Barbosa** Mart. a s. Josepho OSF. Hadr. Mueleman Paulus Giordano Antonius Santarelli SJ. Stephanus Bauny SJ. Paulus Piasecius Vinc. Caraffa SJ. Joannes Rocafull* Emman. Cordeiro SJ. Sigism. Campeggi* *Franc. Silvius* *Ant. Perez SJ.*	1649

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1650	Guil. Gibieuf Orat. Matth. Ferchi Conv. Laur. Chrysogonus SJ. Hier. Scarparius SMV.* Joannes Ricci OSF.* Ludov. del Campo Carm.* Petr. Virgilii Conv.*	Aug. de Raconis Cap. Joannes Harscher SJ. Jacobus Beaufez SJ. N. Forest Duchesne Ci.* Coel. Niortensis Cap.* Ludovicus Centoflorenus Guilelmus Beyer*	Alois. Novarini Theat. Balthasar Corderius SJ. Jac. Bolduccius Cap. Coel. de Monte Mars. Cap. Ant. a s. Michaele Min. Jacobus Pinto SJ. Philippus Aquinas Franc. de Franchis O. Cap. Jacobus de Cambolas*
1651	Franc. Amicus SJ. Maurit. de Gregorio OP. Petrus Hurtado SJ. Franc. de Oviedo SJ. Alex. Rub. de Lugo Conv. Caspar Macrini SJ. Fr. Rellio OSFr.*	Georgius Stengel SJ. Fr. M. de Monacho Theat. Matthias Pauli OSA. Jul. Caes. Coturius SJ. Joannes Muelman SJ. Jacobus Schueler* Jo. Lud. de Rouvray* *Jo. Robertus SJ.*	Petrus Redanus SJ. Henr. Ludov. Castaneus Joannes Roberti SJ. Joannes Plantavit Nicolaus Caussin SJ. Hadrian. Crommius SJ. Petrus Clement*
1652	Franciscus de Lugo SJ. Michael Stella Conv. Mich. Paludanus OSA. Barth. de los Rios OSA. Caspar Ruiz OPr.* Henr. Borghesi SMV. Hermann Gnadt SJ.*	**Dion. Petavius SJ.** Ignat. a Jesu Ca.* Gebhard. Razenriedt SJ. Joannes Petrus Camus *Leon. Marius*	Leonardus Marius Spipio Sgambata SJ. Petrus de Aritzizabal Min.
1653	Bonav. Lingoniensis Cp.* Wolfgang. Biber SJ.* *Jo. de Dicastillo SJ.*	Andeolus Lictav. Cp. Valentinus Randour Matth. Faber SJ. Franciscus de Harlay Ludov. de Mertola Carm. Jacobus Corbin Bonav. a Carpentoracte Cp.* Petrus Guiffart* Andreas Vochetius*	Jo. Bourghesius SJ. Libertus Fromondus Lucas Vellosus SJ. Matthaeus Hoen.

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
Joannes Aubertus Const. Cajetanus OSB. Maurus Marchesius Ben. *Balth. Corderius SJ.*	Scaevola Sanmarthanus Joan. le Paige Praem. David Rothe Joannes Bajole SJ. Marcellin Fournier SJ. Andreas Brunner SJ. Christoph. Butkens O. Cist. Claudius Hémeré Joannes Rubeus Ben.*	Asc. Tamburini Cam.* Franciscus Zypaeus Franciscus Florens Did. de Narbona Leander Montanus Cp.* Felic. de Oliva* Carolus Zambertus SJ. Bonav. Bassaeanus Cap. Em. Temudo da Fonseca* Petrus Paul. Guazini Or.* Jo. de Soria Buitron OSF.*	1650
Jacob. Sirmond SJ.	Clem. Reyner OSB. Rochus Pirrus Sam. Nakielski Odo Cambier OSB. Alphonsus de Ovalle SJ. Petrus Frizon Petrus Dupuy Joannes Bondonnet* Aegid. Duquesne OSB.*	Jacobus Eveillon Joannes Dartis Ant. Quintanadveñas SJ. Paulus Duran Franc. Pellizzarius SJ. Christoph. Fabritius Andr. Fes. a s. Theresia Ca. Phil. Rovenius Ign. Huart O. Cist.* Nicolaus Remocampius* *Maur. de Gregorio OPr.* *Fr. de Oviedo SJ*	1651
Claudius Menard *Dion. Petavius SJ.*	Mich. Alford (Griffith) SJ. Phil. Alegambe SJ. Jo. Chr. Vandersterre Pr. Marc. Mastelyn CRL. Nic. de Spinatiola Mi. Jac. Polius Min.* Mart. l'Hermite SJ. Phil. Quorli* Christoph. Ferroira SJ. *Di. Petavius SJ.*	Nicolaus Lancicius SJ. Andreas Gerunda SJ. Felix Contelorius Jacobus Cohellius* Yvo Pinsard OP. Joan. B. Escardo SJ. Joannes Hon. van Axel* *Fr. de Lugo SJ.*	1652
Car. Paulin SJ.	Andreas Victorelli Jac. Fuligatti SJ. Jac. Mallebrancque SJ. Pacificus a Provino Cp. Cordova OSA.* Joannes Bapt. Rinuccini Jo. B. Castaldo Pescara Theat. Antonius Mesenich OSB.*	J a c o b u s G o a r OPr. Joan. de Dicastillo SJ. Jesuald. de Bononiis Cap. Jo. M. de Castilento OSF. Joannes de Machado Amab. Bonnefons SJ. Gavinus Carta SJ. Carol. Musart SJ. Alard. le Roy SJ. Bonav. Dernoye Min. *Andr. Victorelli*	1653

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1654	Dominicus a s. Ther. Ca. A. Pintus Ramirez SJ. Andreas a s. Th. OSA. Antonius Calderon Hieronymus Vives OP.*	Sanctes Franco OP.* Godefr. Wandelmann SJ.	Oliv. Bonaert SJ. *Andr. P. Ramirez SJ.*
1655	Jo. Thom. Gastaldi OP. Jo. Joanniz et Escal.* Hyac. de Rugeriis OP.* Silv. de Saavedra Merc.* Franciscus de Amolaz*	Hiernoymus Seguin SJ. Antonius Rusca Alexander Baillie OSB. Christoph. Pflaumer SJ. Joannes Rosenthal SJ. Tobias Matthew *Rich. Smith*	Jo. Steph. Menochius SJ. Did. de Castillo et Artiga Nicolaus Abram SJ. Didacus de Turegano Carm. Jo. Rudolph. de Cordova SJ. Philippus Massaria SJ. Franciscus Salinas SJ.
1656	Joannes Irribarne OSF. Bernard. Mazziotta SJ. Jo. Baptista Rossi SJ. Fr. Bermingham OSF.* M. Ant. Alos et Orraza* Valentinus Koerner SJ. Leo a Regibus Carm. Michael Bannez *Max Sandaeus SJ.*	Maxim. Sandaeus SJ. Ambr. de Peñalosa SJ. Guilelmus Malone SJ. Eduardus Knott SJ. Hil. a s. Anastasio Ca. Phil. Guadagnolo cl. r. Ignatius Derkenius SJ. Thomas Bailey Joannes Falconer SJ. Simon Felix SJ. Matthias Nennichen SJ. *J. E. Choquier Surlet*	Vinc. Giliberti cler. reg. Franc. Quaresmius Min. Franc. de Rojas Min. Fabricius Britius SJ.
1657	Lucas Wadding O. Min. Bern. de Alderette SJ. Raph. Aversa cl. r. min. Caspar Sghemma Conv. Franciscus Vermeil OP. Ant. Ruteus Minim. Leon. de Penafiel SJ. Henr. van den Leemputte Jo. Benadu cler. reg.	Jodocus Kedd SJ. Barthold. Nihusius Petrus Wittfeld SJ. Alex. Sebille OP. Joannes Dorisy SJ. El. Schiller* Ludov. Preumont O. Min.*	Joannes de Pina SJ. Laur. Ramirez de Prado Joannes B. Uwens SJ. Doubdan* *Geo. Ambianensis O. Cap.*

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
Nicolaus Rigaltius Joannes Bapt. Souchet	Thomas de Herrera OSA. Caesar Eug. Caraccioli Andreas Kovač Franc. a s. Maria Ca. Phil. Elsius OSA. Scipio Herrico* Did. a Matre Dei Trin.*	Joannes Petr. Moneta Lael. Mancini Franc. Aguado SJ. Emmanuel Mascarenhas SJ. Vinc. Candidus OP. Jacobus Accarisi Franciscus Piassonio* Petrus Piart Minim.* *Oliv. Bonaert SJ.*	1654
	Joan. Colgan O. Min. Jac. Phil. Tomasini CR. A. Perez de Ribas SJ. Hermannus Fley Richardus Smith Fr. Bermudez de Pedr. Cl. Sudan SJ. Nicolaus Camusat Petrus Maria Campi* Britius Rhedon. Cap.*	Innocentius X. Car. Ant. Thesaurus SJ. Nicolaus Baldelli SJ. Hier. Ferrantinus SJ. Andreas Valerius Paul M. Quarto Theat.* Claud. de la Place* Vinc. a Monte Regali Fr.*	1655
Petrus Halloix SJ. Jo. Bapt. Masculus SJ. Franc. Scorso SJ.	Ludov. Sanmarthanus Aegid. Gelenius Sim. Starevolscius Fr. Barbaranus Cap. Franciscus Lahier SJ. Marc. de Pise O. Cap.* Jos. Maria Caraccioli cl. reg. Raphael Castelli	Jo. Ern. Choquier Surlet Fabric. Pignatelli SJ. Jacobus Dupuy Joannes Neeffs OSA. Cornelius t' Sas Jo. Hugo Quarré Or. Did. Nisseno Bas. Pyrrhus Corradus* Frieder. Romelius Praem. Ang. Maria Verricelli cl. reg. Elia Luna Carm. Jo. Th. de la Torre OP. Andreas Cadaeus*	1656
Georgius Ambian. Cap. Ge. Galopinus OSB. Simon Waugnereck SJ.	Symph. Guyon Orat. Simon le Boucq Phil. Malabaila Ci. Franc. Noguier* Willebr. Bosschaerts Praem. Nicolaus Bailly SJ. Rich. Wilfr. Selby OSB. Bonav. a Fasano OSF.* Christoph. a d. Ant. OSF.*	Petrus de Tapia OPr. Andr. Blancus SJ. Jo. B. Saint-Jure SJ. Mich. Ferro Manrique* Marcus Paulus Leo SJ. Philip. Chifflet Jac. Raggius O. Cap.* Ant. Montes de Porres* Georgius Müntzer* *Raphael Aversa O. cler. reg. min.*	1657

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1658	Jo. Eus. Nieremberg SJ. Modest. Gavazzi Conv. Alph. Miguel OP. Martinus Convelt SJ. Franc. Guerra OSF. Ludov. Crespi et Borja* Paulus a s. Cath. OSA.*	Cl. de Bane Dominicus Segneri*	Matth. Ferreri Cp.* Barthol. Holzhauser Andr. Lucas de Arcones SJ.
1659	Jo. B. Lezana Ca. Vinc. Venantius Conv.* Joannes B. Poza SJ. *Th. Hurtado cl. r.*	Laurent. Forer SJ. August. de Bellis Theat. Wolfgang. Herman SJ. Eutrop. Bertrand Fr.* *Jo. Morinus Orat.*	Gregorius Ferrari SJ. Hercules Audifret *Jo. Morinus Orat.*
1660	Jo. de Lugo SJ. Xant. Mariales OP. Joan. Poncius OSF. M. Perez de Unanoa SJ. Joan. Prudentius Merc.* Wolfgang. Speth SJ. G. Baldi Gherardesca SMV.*	S. Vinc. de Paulo Car. von Kreitzen SJ. Joannes Schueking SJ. Petr. van Steenbergen Fr. Balthasar Conrad SJ. Arnoldus van Geluwe*	Joan. a s. Maria OP. Ang. Paciuchelli OP. Guilelmus Coeffeteau Alphonsus de Flores SJ. Jo. Ja. Chifflet
1661	Georgius Rhodes SJ. Carolus Jacobus OSB. Mich. a ss. Trinitate Ca. Franc. Gonzalez SJ. Caes. Jo. B. Comitinus SJ.* Joannes M. Sfortia Conv.*	Valerianus Magnus Cap. Phil. Nutius SJ.	Joannes de la Haye Min. Didacus de Celada SJ. Petrus Gorsius SJ. Joseph Ferrer Min.*

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
	Joan. Bapt. Guesnay SJ. Aeg. Gonzalez Davila Ant. de Purificatione OSA. Marc. A. Alegre Ca. Stephanus White SJ.* Didacus de Beroa SJ. Bonav. Malvasia Min.* Bern. Faynus*	Ludov. Cellot SJ. Carol. Mallet O. Cist. Guil du Mont SJ. Jo. Fr. Rhemensis Cp. Petr. de Murga OSB. Ambr. Peuplus O. Min. Joan. Des Loix OP. Jodocus Andries SJ. Petrus de Maurize* Laur. Nicolarts* Quadrius* *Jo. Eus. Nieremberg SJ.*	1658
Alex. Fichetus SJ.	Joan. Morinus Or. Joan. Petrus Puricelli Carol. Hannibal Fabrot Phil. Brasseur Henricus Albi SJ. Franc. Cardim SJ. Caes. Becillo Orat. Mich. Gorgen O. Minim.* *Coel. de Monte Marsano Cap.*	Franciscus Hallier Joannes de Palafox Thomas Hurtado cler r. Franciscus Soarez SJ. Vincentius Tancredi SJ. Ge. Ferus (Plachy) SJ. Petrus Ridolfini* Georgius Pirot SJ. Petrus Franc. Tondutus* *Barth. Mastrius Conv.* *Jo. B. Lezana Carm.*	1659
Carolus Hersent Barth. de la Haye Cap.	Jo. de Sancto Albino SJ. Franciscus Colin SJ. Petr. del Campo OSA. Jo. Phil. a Vorburg Matth. Ferreri O. Cap.* Hieron. de Bocchiis O. Cap. Vinc. M. Cimarelli OP.	Fr. de Samuellis OP. M. Pastor (Berger)* Valentinus Mangionius SJ. Petrus Aingo de Espeleta* Josephus Rosell Carth.* Urbanus ab Ascens. Ca.* *Joan. de Lugo SJ.* *Mart. Perez de Unanoa SJ.*	1660
Lucas Holstenius Hieronymus Vignier Or.	Scipio Du Pleix Henricus More SJ. Joan. Fervaux SJ. Aug. Wychmans Praem. Daniel Hainal SJ. Angelus a s. Clara Min.*	Carolus de Mansfelt Franciscus Bardi SJ. Petrus Marchant O. Min. B. Gallego de Vera OP. Franc. Pinheiro SJ. Carolus Fevret Hyac. Donatus OP. Paulus de Barry SJ. Nic. le Maistre Did. Garcia de Trasmiera Nicolaus Perrault Marc. Vidal Theat.*	1661

	Theologia scholastica (Philosophia)	Theologia polemica et positiva	Disciplinae ad ss. literas spectantes
1662	Jo. Martinonus SJ. Lud. Bertr. Loth OP. Petr. Dam. de Conink OSA. Gregorius Sanchez OSF.* *Petr. a s. Joseph Cist.*	Petrus a s. Joseph Cist. Henricus Holden Blasius Pascal Hippolytus Chizzuola* Gregorius Angellerius Cap. Georgius Ernestus SJ. Joannes Gans SJ. Moys. du Bourg SJ. Joannes Heim SJ.	Joannes Rho SJ. Petrus Caranus
1663	Joan. Merinero OSF. Vinc. Fassarus SJ. Petrus de Urbina OSFr. Barth. Camblat* *Theoph. Raynaudus SJ.*	The. Raynaud SJ. Guil. Johnson OSB. Jos. Arcamonio Nicol. Cornet Joan. Lenthall* Ant. Delva* Andr. Lao Carm.* Edmundus Amyot* Franc. Dempster SJ.*	Joannes Jac. Koenigsegg

Patrologia	Historia ecclesiastica	Theologia practica	
	Arth. du Monstier Min. Joannes Fronteau Dan. O'Daly (Dom. de Rosario) OP. Andr. de Guadalupe Min.* Joan. Tamayo de Salazar Petrus Wagenhare OP.	Petrus de Marca Joan. Bapt. Ventriglia Joannes Strein SJ. Franciscus Valente SJ. Hieron. Nicolius OSA. Casp. Druzbicki SJ. Franc. Bourgoing Or. Georgius Reeb SJ. Mich. Gomez de Luna Herm. Wesselius* Joannes Crusius SJ. Joannes Elias Madao SJ. Ant. a Matre Dei Ca. *Jo. Martinonus SJ.*	1662
	Car. Stengelius OSB. Adam Adami OSB. Greg. de Rives O. Cap.* Maxim. DegendorfiensisCap. Sanctus Bordegato Min.* *Theoph. Raynaudus SJ.*	Ant. Diana Theat. Leand. de ss. Sacr. Trin. Seraph. a Concept. Ca. Greg. Valentiani Cap. Marc. Serius Simon Vaz Barbosa* Joannes Majoret* Joannes Antonius SJ. Jo. Anast. de Arania Ca. Nicolaus Parent Ci. Hippol. Grassetti SJ. Robert. Guyart SJ. Dom. Gampenburg OP.* *Theoph. Raynaudus SJ.*	1663

II. TABULÆ CHRONOLOGICÆ

ab a. 1564—1663 SECUNDUM

	Italia	Hispania et Lusitania	Gallia
1564	Thomas Campegius Antonius Cucchus* Aeg. Foscarari O. Praed. Barth. Camerarius Jacob. Malafossa Conv.* J. Bologni Matth. Ugonius* Hip. Chizzuola*	Jo. Blasius* Joan. de Ludeña OP.*	Petrus Duval Ludovicus Miraeus* Spiritus Roterus O. Pr. Montfort*
1565	Pius IV. Jac. Lainez S. J. Car. Visconti Ant. de Bernardis Torellus Phola* Ant. Milledonne* Vincentius Ciconia* Raph. Cyllenius*	Martinus Martinez* Franc. Vargas de Mexia*	Joannes Picot Joannes Benoit OP. Nicolaus Granerius* Leodeg. Boutems OSB.
1566	Seraph. Cumiranus Min.* Marc. Hier. Vida Franc. Vicedominus Conv.* Caes. Delfini Aloys. Vulcano Min.*	Mart. Perez de Ayala Didacus de Noguera Fr. Mendoza et Bovadilla Cosm. Dam. Hortulanus Barth. de las Casas OP.	Gab. Puy-Herbault Jo. Perpinian SJ. Joan. Albinus
1567	Florim. Galeazzo Marq. de Susannis* Arch. de Burgonovo Min.* Ant. Buonagrazia*	Antonius Rubio Min.	Fremin Capitis Min.*

THEOLOGORUM

NATIONES DISPOSITÆ.

Belgium	Germania (Bohemia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
	Frid. Staphylus Jul. de Pflug Joan. Atrocianus Matthias Aquensis Guil. Hammer OP.* Jo. C. Rutland* Caspar Gennep* Joan. Albrecht Min.* Petrus Haffner*		
Nicasius Ellobodius *	Wolfg. Lazius Balth. Werlin OP. Caspar Macer* Florian. Trefler OSB. Corn. Eselsperger* Albertus Sperling*	Jo. Curtembrosch*	
Lud. Blosius OSB. Jo. Hentenius O. Pr. Joannes Hessel Georg. Cassander	Matth. Sittardus OP. Bl. Noziczka*	Th. Heskin O. Pr.	
Roverus Pontanus Ca. Joannes Sotellus	Albert. Laurentius*		

	Italia	Hispania et Lusitania	Gallia
1568	Onuph. Panvini OSA. Clem. Dolera Min. Angel. Massarelli Seb. Br. Ammiani Tullius Crispoldi* Raph. Maphaeus SMV.* Jo. Matth. Grillus*	Barth. de Torres	Petrus Divolé OP.
1569	Sixt. Senensis OP. Jac. Naclantus O. Pr. Cam. Campeggi OP. Fabian. Clavarius OSA. Thom. Jacomelli O. Praed	Jo. de Avila Alf. Garcia Matamoros* Ludov. de Montoya OSA. Joan. Jubinus*	Petr. Doré OP. Joan. Arboreus Simon de Corroy O. Coel. Nic. Beguin*
1570	Ant. Marinari Carm. Hier. a Pistorio Cap. Mutius Calini Franc. a Canobio Cp. Jo. Car. Bovio Joan. Maria Ballianus*	Hier. Lorete OSB.* Caspar Graxar*	Joannes du Tillet Jo. de Combis O. S. Franc.*
1571	Herc. Severoli Gabr. Buratelli OSA. Franc. Zamora Mi. Hieronymus a Mariano* Felic. Capito SMV. Franc. Vita Polynthius Mi. Raphael Aquilino* Lucr. Tiraboschus Carm.*	Jo. Genesius Sepulveda Jo. de Muñatones OSA. Melch. Nunnius Barreto SJ. Franc. de Guzman Min.*	Claudius Espencaeus Nic. Durand de Villegaignon
1572	S. Pius V. Marianus Victorius Hieronymus Maggi Lud. Beccadelli Th. Elysius O. Pr. Pet. Caponsacchius Min.*	S. Franc. Borgia SJ. Jo. Soares OSA. Bern. de Sandoval Fr. de Corduba Min.* Did. Valades*	Antonius d'Albon Joannes Gillotius* Ast. Servantius Min.* Jo. Borrel Ant.
1573	Leon. Marini OP. Marc. Ant. Natta* Hier. Niger OSA.	Vinc. Montagnesius OSA. Th. Manriquez OP. Andr. de Resende OP. Christophorus Madridius SJ.	Joannes Benedictus

Belgium	Germania (Bohemia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Laev. Lemnius	Oswald Fischor		Nic. Olahus
Petr. Ponetus O. Carm.	Theob. Thamer		
Jod. Ravesteyn Barth. Latomus	Guilelm. Eisengrein Joan. Faber OP. Laur. Hochwart Leop. Dick*		Stanisl. Orichovius*
Joannes Garetius Thomas Gozaeus Joan. Straetman OP.			Jo. Leopolita Nicz
Jo. Machusius O. Min.	Phil. Agricola Seb. Schleupner	Thomas Harding	
Franc. Balduinus Andreas Masius Matth. Galenus Petr. Regis O. S. Franc.	Georgius Wicelius Mich. Buchinger Otto Truchsess de Waldb. Lambertus Auer SJ.	Henricus Joliffus	

	Italia	Hispania et Lusitania	Gallia
1574	Bern. Scardeone Cornelius Mussus Min. Daniel Barbaro Ant. Floribellus Berardus Bonjoannes Guilelmus Redoanus Raph. Castrucci OSB. Franciscus Zinus *	Mart. de Ledesma OP. Casp. Barreiros Petr. Gonzalez de Mendoza Fr. Rades de Alc. Min.* Franciscus de Avila*	Antonius de Mouchy Jacobus Hugonis Mi. Franc. Richardot OSA.
1575	Vinc. Patinas OP. Hier. Garimberti Fulvius Androzzi SJ. Petrellus a Sigillo OSA. Matth. Alberti O. Oliv. Aug. Florentinus Camald.*	Thom. Mercado OP. Did. de Estella Min.* Jacobus Ledesma SJ. Ludov. Gonzalves SJ.	Nic. Psalmeus Simon Vigor Joannes Boulaise*
1576	Fel. Amuccius SMV. Hieronymus Muzio Mich. Poccianti SMV. Marius Nizolius Jo. Ballaini Conv. * Lud. Majoranus CRL. Jo. Steph. Leinatius	Barthol. Carranza OP.	Joan. Rioche Min.*
1577	Antonius Polus* Gerard Habbius	Did. Covarrubias Alph. Alv. Guerrero Joannes Polanco SJ.	Joan. Champaigne OP.*
1578	Jo. B. Rubeus Ca. Barthol. de Portia Alex. Piccolomini Jo. Paul. Donatus Ca. *	Did. de Paiva de Andrada Antonius Cord. Min. Petrus Serrano M. Thomas. de Taxaquet Mich. Medina Did. X. Arias O. Pr.	Clemens Mercator*
1579	Ant. Paleatinus Conv. Aloys. Lilius* August. Campi*	Petr. Fontidonius Did. a Rosario OP.* Alph. Hojeda de Mend.* Mich. de Aninnon*	Joan. de Montluc Artus Désiré Franc. Fremin Min.* Joannes Dovetus Min. *
1580	Jo. Morone Remig. Nanni OP. Petr. Calzolai OSB. Petr. Stupano Obl. Caes. Grassi Zacharias Andriani*	Hieron. Osorius Gundisalvus de Illescas Hier. Natalis SJ. Hier. de Mendieta Min.* Laur. de Villaviconcio OSA. Sebast. Toscano OSA.	Petrus Emotte Gabriel Sacconaeus Melchior Flavius Min.* Joan. Billius OSB. Matthaeus Launojus

Belgium	Germania (Bohemia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Georgius Vivienus* Gilb. d'Oignies	Joan. Oldekop Casp. Gropper Gerardus Mathisius		
Guilelmus Canterus Joannes Molinaeus	Dom. Graminea*	Nicolaus Harpsfield	
Corn. Jansenius Franciscus Sonnius Matth. Felisius Min. Joachimus Hopper	Conr. ex Heresbach		
August. Hunnaeus Hanard. Gamerius*	Joannes Levita Isaac Jo. Hürlimann Christ. Rasperger*	Thomas Dorman Joannes Rastall SJ.	
Jo. Cartenius Ca. Arnald. Alostanus Min. Joannes Ram Joan. Harlemius SJ. Nicolaus van Esche Leo Sibrand Pr.	Laur. Surius Cr. Martinus Eisengrein Rud. Clenke Joan. Latomus F. Traub*		
Aeg. Topiarius OP. Petrus de Monte Min. Henricus Gravius SJ.	Daniel Venatorius* Sebastianus Flasch* Nic. Xylander*	Joannes Fowler	Stanisl. Hosius
Cunerus Petri Georgius Bullosus Hadr. Hecquet Ca.* Andreas Croquet Fridericus Schenk Joannes Delphius*	Valent. Rotmar Jacobus Feucht Sebastianus Haydlauf Michael Hager*	Alanus Copus	

	Italia	Hispania et Lusitania	Gallia
1581	Caesar Mazutelli Justus Rugerius* Barthol. Botta* Anton. Lilius* Marcellinus Francolini*	Fr. Forerius OP. Petrus Ciaconus Barth. de Medina OP. C. Cardillo de Villalp. Ferdinand. de las Infantas*	Jac. Billius OSB. Joannes Saint-André Antonius Birrietus O. Min.* Joannes Moreau*
1582	Vinc. Justinianus OP. Marcut. Benavidio Paulus Constabilis OP. Cosmas Filiarchus* Petr. Illicinus* Hieronymus Vielmius OP. Hier. Quainus SMV.	Paul. Palacios de Salazar Thomas de Jesu OSA. Jo. de la Fuente Min.* Pet. Martinez de Bree*	Jac. Le Fèvre Petrus Viel Mauritius Chauncy Cr. Petrus de la Coste OP. Joannes Forsannus Min.*
1583	Zach. Delfino Bonav. Manenti Min.* Mich. Timotheus* Damianus Rossi* Laelius Jordanus Paulus Fusco Jo. Bapt. Antoniucci OSA.*	**Jo. Maldonatus SJ.** Gundis. de la Cerda* Did. de Simancas Rodericus de Yepes Hier.*	Fridericus Morel Laur. Ren. de la Barre* Joannes de Fregeville*
1584	S. Carolus Borromaeus Carolus Sigonius Franc. Commendone Jac. Mediolanensis Cp. Angelus Buonricius* Petrus Perusio* Antonius Scappi* Bonifatius de Steph. Min.	Franc. Torres SJ. Hector Pintus OSHi. Franc. Horantius Min. Franc. Ovando Min.* Hieronymus de la Rua* Alfonsus Molina Min.	Gentianus Hervet Petrus Comestor Hieronymus Bolsec Dominicus Sergent OP. Laurentius Cumdius*
1585	Gregorius XIII. Guilelmus Sirletus Joan. Capella SMV. Ant. Senensis OP. Alb. Bolognetti Hilarion OSB. Paulus Bernardini OP. Gabriel Flamma Petrus Bungus	Alph. Salmeron SJ. Achilles Statius Antonius de Guevara* Ferdin. de Zurita*	Joannes de Caumont*
1586	Adalb. Fumano Ant. Marinari Ca.* Antonius Scappi* Julius Castellani Laurentius Belo	**Mart. Azpilcueta** Ant. Augustinus Leo de Castro Petrus de Escobar*	Antonius Contius Thom. Bouchier Min. Mauritius Poncet OSB.

Belgium	Germania (Bohemia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Jo. Covillonius SJ. Corn. Adriaensz Min. Theodorus Belman Andreas Fabricius Ger. Busaeus Hadr. Adriaensz SJ. Theod. Graminaeus*	Adam Walasser Fr. Polygranus Min.*	Nicolaus Saunders B. Edm. Campion SJ. Richardus Bristow Archimb. Hamilton*	
Lambert Gruter	Joannes de Via Michael Aitsinger*	Gregorius Martin J. Langaeus*	
Martinus Rithove Jacobus Veld OSA. Joan. de Moronval*	Joan. Engerd* Conradus Distel* Joan. Brunner*		
Theod. Peltanus SJ.	Caspar Frank Melch. Hittorp Joan. Dubliulius Min.*	Thomas Watson Alb. Langdale	
Joannes Molanus Christ. Adrichomius	Jo. Jac. Rabus Paul Weidner Henr. Fabricius Herm. de Kerssenbroick	Joannes Howman de Feckenham OSB. Eduard Riston	Jacobus Gorski
Aeg. de la Coulture*	Georgius Eder Joan. Leisentrit Henr. Blissemius SJ. Christoph. Erhard*		Mart. Bialobrzeski

	Italia	Hispania (Lusitania)	Gallia
1587	Franc. M. Bonhomini Salv. Bartolucci Conv.* Placidus diac. OSB. Joannes Paduanus*	Casp. Casal OSA. Jos. Angles O. Min. Franc. a Christo OSA. Mart. Alph. del Pozo* Ferdinandus Vellosillo Lud. de Beja Pestrello OSA.*	Jo. Quinarboreus Guilelmus Ruzé Jacobus Burlaeus
1588	Marc. A. Mazzaronus* Fr. Graziani de Garzadoro Franc. Bandini Philippus Philomusus* Raph. Bagata* Paulus Sacratus*	Lud. Granatensis OP. Marc. de la Camara Min.* Lud. a s. Francisco Min.*	Gabriel Prateolus Nicolaus Faber* Joan. Coterée* Ludov. de Mont-Josieu Guilelmus du Blanc
1589	Flaminius Nobilius Joan. de Carpeneto Joan. B. Cardona Alex. Farnese Ant. Pagani Min. Luc. Ferrini* Adeodatus de Burgo OSA. Ang. Pientini OP. M. Ant. Columna Marsilius Jo. B. Elian (Romanus) SJ.	Aug. de SS. Trinit. OSA. Did. Perez de Valdivia	Th. Beaux-Amis Ca. Marg. de la Bigne Stephanus Duranti Natalis Taillepied Cap.
1590	Sixtus V. Urbanus VII. Petrus Galesini Luc. Mencholini Min. Joan. Paul. Lancellotus Lud. Silv. a s. Ang. Conv.* Hannibal Grassi Antonius Scaynus*	Caspar Coello SJ. Barth. de Valv. et Gandia Joan. de Pineda Min. Barth. de Mart. OP. Ambr. Morales Didacus de Castillo* Caspar Serrano*	Jacobus Cujacius Joannes Portez Min. Steph. de Lusignan OP. Guil. Paradin Andreas Thevet
1591	Gregorius XIV. Innocentius IX. Antonius Caraffa Matthias Aquarius OP. Lud. Majoranus CRB. Timoth. Bottoni OP. Hieron. Platus SJ. Antonius de Aquino* Fulvius Cardulus SJ. Hieronymus Albanus Hieronymus Accetti	Franc. Ribera SJ. S. Jo. a Cruce Carm. Lud. de Leon OSA. Alph. de Mendoza OSA. Marc. Olisiponensis Fr. Joan. de Alba Carth. Casp. Sanchez SJ. Alph. de Horozco OSA. Didacus de Tapia OSA.	Claud. Sanctesius Edmundus Auger SJ. Franc. Beaucaire Maurit. Hylaret Min.

Belgium	Germania (Bohemia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Jacob. Pamelius Petrus Busaeus SJ.	Nic. Elgard Tilmanus Bredenbach		Andreas Nidecki
Guil. D. Lindanus Sibrandus Leo Pr. Joan. Antonianus OP.	Wiguleus Hund	Joannes Duraeus SJ.	
Hadr. Hecquet Ca. Petrus van Beck Michael Bajus Jac. Mosander Carth. Barth. van Eerstel Pr.	Albertus Hero Georg. Gotthardt	Joannes Gibbons SJ.	Martinus Cromer
Martinus Duncanus Joannes Wames	Joannes Nasus Min. Petrus Carbo Carth.	Thomas Nelus	
Arnold. Gerardus Henricus Gravius	Hermann Thyraeus SJ. Jacobus Myller*	Laur. Art. Faunt SJ. Victor Giselinus	

	Italia	Hispania (Lusitania)	Gallia
1592	Jacob. Anellus de Bottis* Sebastianus Medices* Aegidius Mancurtius* Val. Moschetta OP*	Petrus Figueiro Pantaleo de Alv. Min.* Fridericus Furios Seriol Bernardinus Sahag. Min. Joan. Roa de Av. CSA.*	
1593	Latinus Latinius Quint. Mandosi Jul. Sirenius OSHi. Ant. a Castro novo OSA. Evang. Marc. Gerbi O. Min. Evangelista Bosius OSA.	Mich. de Palacios* Petrus Trigosus Cap. Ferdinando de Castillo O. Pr. Raim. Pasqual OP. Sebastianus Perez Joan. B. Fernandez Min.*	
1594	Marc. Marinus CR. Franc. Benci SJ. Fr. Panigarola Min. Vincentius Bruno SJ. Maurit. Tertius OSA. Prosp. Rosetti Serv. MV.*	Petrus de Navarra* Antonius de Ribera*	Petrus Crespet O. Coel.
1595	Const. Buccafocus Min. Fel. Niguarda OP. Lact. Domanini Ca. Emericus de Bonis SJ. Evang. a Canobio O. Cap. Aug. Mol. Fivizani OSA. Gabriel Alessandri OP. Hieronymus Pertoles*	Hieron. Prado SJ. Lud. de Lopez OP. Fr. Sarmiento de Mend. Petrus Aragon OSA.* Hieron. de Guadelupe* Joannes Vincentius OP. Joannes Ferdinandus SJ. Joannes de Bustamante*	Chr. Cheffontaines Min. Joannes Spondaeus Daniel d'Augé Petrus de Bollo OP.
1596	Georgius Busti OR. Philippus Sega Josephus Mascardi* August. Lapini* Jo. Maria Capalla OP.* Paul. Franzosi* Valer. Polidorus Min.*	**Franc. Toletus SJ.** Emmanuel Sa SJ. Angelus del Pas Min. Alp. de Avendano OP.* Petrus Lopez* Ferd. de Sotomajor*	Petrus Pithou
1597	Gabriel Paleottus Fr. Panigarola Min. Faust. Tasso Min. Sim. Majoli* Ludov. Carboni Franc. Patrizi Aeg. Leondelicatus Ca. Marc. Ant. Colonna Fr. Ant. Casimirus Conv.* Cosm. Philiarchus*	Casp. de Melo OSA. Joannes Bapt. Perez Hier. Roman OSA. Nic. Ramos Min. Ludovicus Froës SJ. Alph. de Luna Pr. Petrus Malon OSA.*	G. Genebrardus OSB. Petrus Gregorius B. Jo. Despruets Pr. Petr. Bulliod Sim. de Maille de Brézé Ci.

Belgium	Germania (Helvetia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Joannes Porta* Jacob. Coemans*	Georgius Haenlin*	Ninianus Winzetus O. S. B.	
Joannes Lensaeus			Bened. Herbestus SJ.
Laev. Torrentius Gerhardus Rudolphus Laur. Cuypers Ca.	Dom. Hess Min. Quirinus Rest OSB.	Guilelmus Alanus Guilelm. Reynolds	St. Zdescheki Ostrowski*
Petrus van Opmeer Corn. Loos Joan. Buisson (Rubus) Flor. van Oyen Min.	Mich. Brillmacher SJ.		Andreas Jurgiewicz*
Henricus Vicus Aymarus Hennequin Arn. Wion OSB.*	N. Wolffsbach*		Alex. Scultetus Joannes Szilvási*
B. P. Canisius SJ. Suffridus Petri Fr. Raphelengius Matthias a Castro	Mich. ab Isselt Petrus Schneuwly Sigism. Ernhoffer SJ.	Jacobus Tyrie SJ. Jo. Marshall	Jacobus Wiecus SJ.

	Italia	Hispania (Lusitania)	Gallia
1598	Hieronymus Manfredi Jacobus Mazzoni Joan. Castaniza OSB. Joannes B. Gratianus Aug.* Fr. Castellani* Nicolaus Rusca* Jo. Franc. Bosozzi*	Benedictus Arias Montanus Garz. de Loaysa Giron Alphonsus Pisanus SJ. Ludov. de Paramo Did. de Avellaneda SJ. Damianus Giner Min.*	Vitus Faber Petrus Boulenger
1599	Horat. Tursellinus SJ. Guido Panciroli Vinc. Just. Antistit OP. Ant. Riccoboni Laurentius Lauretus Ca. Flor. Nannius CRL.	Did. Zuniga OSA. Blasius Viegas SJ. Andreas Azitores Cist. Joannes Grial* Franc. Guerrero Gund. M. Ponce de Leon.	Ger. Mosanus OPr.* Petrus Courtin Carm.
1600	Fulvius Ursinus Ang.M.Montursius SMV. Hannibal Roselli Min. Laelius Zecchius* Ascanius Martinengus Vict. Briganti SJ.*	Lud. Molina SJ. Jos. de Acosta SJ. Franc. de Herrera Min. Joan. Ceverio de Vera Petrus Gomez SJ. Dion. P. Llopis*	P. Drouet de Gaillard
1601	Petrus Ridolfi Conv. Nic. Aurif. Buonfigli Car. Hieron. Pollini OP. Petrus Bongius Dom. Tempesta* Petrus Vicecomes OP.*	Alph. Ciaconius OP. Stephanus de Avila SJ. Joannes Gutierez* Fr. Cabrera de Morales* Petrus de Vega OSA.*	Paulus Rivière*
1602	Propert. Resta Conv. Ludovicus Rogerius SJ. Isid. Mosconius* Victorius Bandini*	Dion. Zarate OSA. Barn. de Montalvo Ci. Did. Mart. Coria Ca.* Joan. Bapt. Navarette*	Florimund. Raemundus Godefr. Billius
1603	Flam. Parisius Silv. Antonianus Thomas Zerola Petr. Jo. Maffei SJ. Corn. Benincasa Greg. Polydorus OSA*. Leon. Vairus OSB. Mauritius Hibernicus*	**Greg. de Valentia SJ.** Joannes Azor SJ. Petrus Morales SJ. Lud. de Rebolledo Min. Franc. Ortiz Arias Min.*	Petrus Charron Nicolaus Frerotus*

Belgium	Germania (Helvetia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Abraham Ortelius Nicol. de Leuze Joan. Latomus	Petrus Binsfeld Carol. Hofstadius Min.	Thom. Stapleton	Stanislaus Rescius
Joannes Livinejus Boetus Epo Zach. Lippelous Cr.* Joannes Capetia Henricus Willot Min. Matthias Bossemius	Ge. Brandon* Georgius Gaugler*		
	Joan. Mechtel* Adamus de Winorzo*		Chr. Varsevicius*
Petrus Bacherius OP. Joannes Wiringus	Petrus Thyraeus SJ. Wenceslaus Sturm SJ.	Joannes Brunus Min.*	Val. Vidavius
Petrus Coret Jo. Frid. Lummius Jacobus Zittardus OP.*	S. Sart. Miltenberger* Matth. Lambrecht	Greg. Sayrus OSB. Jacobus Cheyne	
Petr. Lucius (de Licht) Carm. Aegidius van de Walle	Melchior Zanger Laurentius Noydecker* Matth. Tympe*		Stanisl. Karnkowski

	Italia	Hispania (Lusitania)	Gallia
1604	Paulus Morigia Franc. Piccolomini Germ. Malaspina Prosp. Urbanus Conv.* Joannes Ant. Gabutius* Leon de Maniaco* Christ. Facciardi Cap.* Albert. Berutus Minim.*	Gabr. Vasquez SJ. Dom. Bannez OP. Franc. de Avila OP. Jo. Esteve (Stephanus) Hier. Almonacir OP. Franc. Sanchez OSB. A. Davila y Padilla OP. Eman. a Costa SJ. Barthol. de Ledesma OP. Petrus Machado Merc. Ludovicus da Cruz SJ.	Joannes Fonian Min.*
1605	Leo XI. Clemens VIII. Ant. Gallonius Orat. Petrus Gambacurta SJ. Joan. Bapt. Arrighi OSA. Leonardus Abela Aug. Guthusius Min.* Barth. Dionigi*	Alphonsus Vibaldus Fr. Arias SJ. Lud. Guzman SJ- Jo. Buiza y Llamazares* Melch. Zambrano*	Arnold. Pontacus
1606	Augustinus Valerius Thad. Guidellus OSA. Joan. Paul. Pallanterius Conv. Nic. Orlandini SJ. Luc. Pinelli SJ. Fabius Albergati Alexander Pesantius* Tuccius Tuccius*	Petrus Lorca Cist. Petrus Garcia Gallartz Joan. Bonifacius SJ. Steph. Mendez OP.* Petr. de Barahona Min.* P. Gonzalez de Azevedo	Renatus Choppinus
1607	**Caes. Baronius Or.** Jac. Tavanthius SMV. Hieron. Rubeus Jacobus Strozzi* Pomp. Brunelli SJ.* Jos. Branchmann O. Min.* Alph. Bovosius CRL.	Franciscus de Padilla Roder. Dosma Delgado Franc. Zumel Merc. Joan. Gaa OSF. M. Alph. de Carranza Ca.	Steph. d'Alvin Min.*
1608	Ant. Agellio Theat. S. Andr. Avellini Theat. Chr. Silvestranus Ca. Chr. S. Brenzoni Ca. Petr. Bonaventura Min.* Alex. Ambrosini* Joannes Ant. Brandus Min. Greg. Servantius OP. Ambr. Morandi OSA. Ascanius Colonna	Villalpandus SJ. Christoph. Gillius SJ. Petrus Arrubal SJ. Jo. de Rada Min. Mart. Ant. Delrio SJ. Henr. Henriquez SJ. Ferd. Rebellus SJ. Sebast. Bravo OP. Caspar Salzedo* Franc. de S. Angelo Ca.*	Petrus Morinus Renatus Benoits Cl. Boucart* Carolus de Villiers*

Belgium	Germania	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Jo. van Langhecruys	Albertus Hunger Cornelius Schulting Vitus Miletus*	Rich. Hall	
Petrus Simons	Georg. Scherer SJ. Joannes Nopelius Petr. Cratepoil Min.	Guil. Barclay	Fab. Quadrantinus SJ.
Justus Lipsius Conradus Zittard OP.	Ger. Kalckbrenner Cr. Abr. Schaedlin* Joannes Hammer SJ.		Hier. Stephanowski
Jo. Bertels OSB. Joannes Wiringus	Chr. Andr. Fischer* Christ. Marianus Conradus Dosch*	Joannes Hajus SJ. Richardus Walpole SJ.	Hadrianus Jung SJ.
Guilelmus Taelboom Franciscus Moncaeus*	Joannes Pistorius Paulus Hoffaeus SJ. Joan. Eisengrein Joannes Zehender* (Calvinus) Baronius* Georgius Pomerius*	Joan. Durie SJ.	

	Italia	Hispania et Lusitania	Gallia
1609	Paulus Grysaldus OP. Prosp. Urbanus Conv. Ambr. Steibanus OSA.* Sebast. Cattaneus OP. Alexander Porrus Carm. Franc. Bordinus Orat. Ludovicus Borojo Min.	Jo. Alphonsus Curiel Ludov. de Torres Ferd. della Bastida* Nicolaus Garzia* Petrus Gil SJ. Hieronymus Gonzalez Jo. ab Incarnatione Min.* Ant. Cardoso de Amaral* Franc. Ortiz de Salzedo*	Seraphinus Olivier Jacobus d'Illaire* Dion. Perronet Ca.
1610	Thomas Bozius Orat. Guido Bartholucci Conv. Barthol. Hugolinus Hieron. Mengus OSF. Laurent. Scupoli Theat. Jo. D. Montagniuoli OP.* Jo. Bapt. Segni CRL. Franciscus Diotallevius Joannes Alberici OSA. Alphonsus Paleoti	**Th. Sanchez SJ.** Bened. Pererius SJ. Lud. Sotomajor OP. Andreas Capella Cr. Jo. Horozko Covarruvias Jo. Ovando Min.* Did. de la Vega Min.* Antonius Augustinus SJ.* Laurentius Ortiz OSB.*	Fr. Feuardentius Min. P. Victor Palma Cayet Christophorus Lauretus* Bernardus Verger O. Min.*
1611	Ant. Possevinus SJ Raphael Ripa OP. Victor. Mansus OSB. Alex. Archirota Oliv. Joannes Poretti Sixtus Lampertus* Constantinus Leonida* Joan. Bapt. Rubeus Carm.*	Pet. de Ribadeneira SJ. Hieronymus Osorius Jo. Marieta OP. Hieron. Torres SJ. Pet. de Valderamma OSA. Petrus Cabrera Hier.* Christoph. Santo-Tis. OSA. Martinus de Funez SJ. Hier. Rom. de la Higuera SJ. Mars. Vasquez Carth.	Joannes Pap. Masson Joannes Nodin Min. Jacobus Vidouze* Robert Viseur*
1612	Greg. Falconius OSA.* Oct. M. Frangipani Celsus Mancini CRL. Carolus Regius SJ. Pantaleon Panvini* Martinus Fornari SJ. Fr. Pasio SJ. Jo. B. de' Berti* Hieron. Beroardi OP.* Joannes Placentinus Min.*	Franciscus Pegna Raph. de la Torre OP. Ludov. Mendoza Ci. Christoph. Fonseca OSA. Joannes de Salas SJ. Ferd. Escalante Trin.* Lud. de Urreta OP.* Lud. Fern. Blasco Min. Casparus Ram*	Nicolaus Faber Joannes Brouet* Alex. de la Cassagne*

Belgium	Germania	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Gerardus Vossius Henricus Cuyck Joannes Bochius	Nic. Serarius SJ. Joan. Spitznaes SJ. Joannes Magirus SJ. Leon. Rubenus OSB.	Joan. Aquapontanus (Bridgwater) SJ.	Frider. Barscius SJ. Matthaeus Pstrokonski
Henr. Samerius SJ. Arn. Havensius Ca. Zegerus Pauwels Ca.*	Henricus Canisius Joannes B. Fickler Georgius Lauter Jo. Theod. Macherentinus SJ.	Rob. Personius SJ.	
Joannes Busaeus SJ. Jacobus Middendorp Jacobus Logenhagen Petrus Pantinus	Phil. Rubenius		Alb. Theobolcius SJ.
Jo. Vlimmerius CR. Guilelmus Gazaeus Franciscus Laurelotius*	Joannes Huber SJ. Franc. Guilliman Christ. Clavius SJ.	Nicolaus Fitztherbert	Pet. Skarga SJ. Steph. Szanto SJ. Justinus Rab SJ. Paulus Joseph*

	Italia	Hispania et Lusitania	Gallia
1613	Seraph. Razzi OP. Rutilius Benzoni Joan. Franc. Leoni Jo. Andr. Caligari Paul. Fabulotti Barn.* Hieronymus Brunelli SJ. Angustinus Floritius SJ. Gabriel Bisciola SJ. Sylvester Maurolicus*	Lud. ab Alcazar SJ. Em. Rodriguez Min. Did. de Yepes Hier. Greg. Ruiz Min.* Petr. de Salazar Min.* Pet. Vinc. Marzilla OSB. Joannes Vasquez* Ant. Fernandez de Moura* Franc. de Tolosa Min.*	Petrus Villars Eust. a s. Paulo O. Cist.* Joan. Picardus Min.*
1614	Capponi a Porr. OP. Vincent. Regius SJ. Franciscus Mantica Galeatius Trissinus* Ant. Sardus Merc.* Victorius Scialac* Vinc. Barralis OSB.* Fr. Peliginnis* Dismas Serpi OSFr.* Jacobus Bundi	Did. Nuño Cabezudo OP. Franc. de Cuniga SJ. Hier. a Matre Dei Ca. Lud. de Zamora Cist. Petrus Hier. Sanchez Petrus Maldonado OSA. Jacobus Suarez Min. Ludovicus Ystella OP. Ludov. de Cerqueiro SJ. Gundisalvus de Cervantes*	Jac. Breulius OSB. Joannes l'Heureux Claud. Villette* Hugo Burlat
1615	Aur. Menochius SMV. Car. Basilica Petri Barn. Daniel Malloni Hier.* Dom. Bolani OP.* Petrus Ant. Spinelli SJ. Antiochus Brondo Merc.*	Sebast. Barradas SJ. Christoph. de Castro SJ. Joannes a Jesu M. Ca. Nicolaus Garcia* Fr. Diago OP. Vinc. Fernandez de Hered.* Vincentius Pons OP.*	Jacobus Guibert* Dan. Bourguignon*
1616	Franc. de Pitigianis Min. Joannes Gonterius SJ. Romualdus Taurin. Cap. Ge. Barth. Pontanus Alexander Manerba OP. Laur. Fassano Viola Min.*	Petrus de Ledesma OP. Gabriel d'Acosta Alph. Rodriguez SJ. Nicol. Godigno SJ. Joannes Valero Carth.* Matth. Lauretus OSB.* Joannes Narbona*	Leon. Coquaeus OSA. Valent. Gerard SJ. Petrus du Jarric SJ. Sylvester Lavallensis Cap.
1617	Joannes Botero Carolus de Grassis Paulus Berti OSA. Angelus Elli O. Min. Franciscus Forrari Fortunatus OSB.* Jo. Bapt. Canotus Min.* Joannes Baldi*	**Franc. Suarez SJ.** Jo. de Carthagena Min. Ferdin. Guerreiro SJ. S. Alph. Rodriguez SJ. Bern. de Brito Cist. Franc. Moreno Min.* Gundis. Sanchez Lucero Jo. Gonzalez de Losada SJ. Ant. Jo. Garcia de Car.*	Joan. Dadraeus Joannes Duporche* Michaelis Cotignon* Fr. Pradiel Min.*

Belgium	Germania (Bohemia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Guil. Estius Jo. B. a Glano OSA. Joannes David SJ.	Jo. Lorich Carth.	Ad. Blacwood Ge. Blackwell Guilelmus Mush	Stanisl. Grodicius SJ.
Joannes Hajus SJ. Ferreolus Locrius Jacobus Bajus Sam. Loyaerts	Sebast. Heiss SJ. Marcus Welsor	Guilelmus Bathe SJ. Benjamin Carrier Thomas Kemeis*	
Corn. Col. Uraux OSB. Jac. Faucquenberghe* Arnoldus Olorinus*	Vitus Miletus Joannes Peit*	Joannes Fenn	Mart. Lascius SJ.
Joan. W. Viringus Oliverius Hattemius	Pet. Linteo Litomerzicki Balth. Hagel SJ.	Joannes Pitseus Rich. Fr. Britton Min.*	Simon Gorski SJ.
Joan. Chapeauville Joannes van Uffele	Caspar Ulenberg Christ. Browerus SJ.	Franc. Hamilton OSB.	Stanisl. Krzystanowic

	Italia	Hispania et Lusitania	Gallia
1618	Arch. de Rubeis CRL. Prosperus Farinacci Marius Italia Jac. Raym. a Gavio Ca. Marius Altieri* Christoph. Marasca Ca.* Joseph de Brunis Min.*	Pet. Corn. de Pedrosa Ca. Franciscus Sosa Min. Hieron. de Ripalda SJ. Jo. Gonzalez de Mend. OSA. Ferd. Bacan OP.* Andreas Henriquez* Didacus Alvarez SJ.	**J. Davy du Perron** Guilelmus Delacroix Nic. Novillanius Sebast. Michaelis OP.
1619	Franc. Albertini SJ. Jo. Brasichellensis OP. Stephanus Quaranta* Joan. Penza Carm.* Coel. Coleoni Cap.* Hieron. Colombi* Ambr. de Rusconibus OSB.* Th. Talamellus OSA.*	Ant. de Molina Cr. Paul. Carraria OP. Petrus Ja. Tristan Min.* Stephanus Daoiz	Philip. Moncaeus SJ. Theophorus Bouju* Joan. Machault SJ.
1620	Angelus Rocca OSA. Marcus a Calassio Min. Dominicus Tuscus Jac. Graffius OSB. Octavius Cajetanus SJ. Lael. Balleonius SMV. Franc. Gonzaga Fr. Aeg. Albertinus Joan. Bapt. d'Asti OSA. Alex. de Angelis SJ. Ambrosius Gozzeus OP.	Mich. Barth. Salon OSA. Gr. Nunnez Coronel OSA. Jac. Alvarez de Paz SJ. Prud. de Sandoval OSB. Ludov. Pineyro SJ. Joannes Freire SJ. Jul. de Madariaga Cr. Petrus Guzmann SJ. Lud. Miranda Min.*	Guilelmus Baile SJ. Jac. Forgemont Joannes Bordes SJ. Dan. Bourguignon*
1621	**Rob. Bellarminus SJ.** Paulus V. Barth. Saluzzo Min. Bonav. Passerus Conv.* Balthasar Nardi* Joan. Ir. Brasavola Min. Cyprianus Masi OSA.* Antonius Giggeus* August. Manno Orat.*	Ludov. de Montesinos Joan. Marquez OSA. Antonius Fernandez* Greg. Baptista OSB.* Roder. de Quesada et Molina* Petrus Diaz de Aguero* Laur. Em. Soares SJ.* Antonius Farfan O. Hieros.*	Car. de la Saussaye Petrus Matthaeus Vincentius Cabot Franciscus Pithou Gabr. de la Charlonie*
1622	Aug. Tornielli Barn. Ben. Justinianus SJ. Vincent. Filliucius SJ. Alex. a Turre CRL. Jo. Ant. Bovio Ca. Sebast. Berettari SJ. Hieron. Medices OP. Red. Baranzano O. Barn. Paulus de Blanchis OP.*	Ludovicus de Tena Jo. Gonç. de Albelda OP. Jo. a s. Maria Min. Petrus Paez SJ. Hieron. Tamarit Min.* Franc. Arriba Min.* Vinc. Blascus de Lanuga* Josephus Garcia O. Cist. Augustinus de Quiros SJ. Paulus J. Arriaga SJ. Martinus de Carillo	**S. Francisc. Salesius** Ant. Gaudier SJ. Joan. Savaron Joan. Marius Scribonius Min.* Michael Mauclerus* Dionys. a Matre Dei Ca. Petrus Biard SJ. Martinus Vauthier SJ.

Belgium	Germania (Bohemia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Rem. de Vaulx* Joan. van der Straeten Min.*	Georgius Stobaeus Alardus Wyelius* Andreas Forner* Emmeranus Welser SJ.	Rich. Stanihurst	Mart. Smiglecius SJ. Sever. Lubomlius OP.*
Fr. Lucas Brug. Joannes Deckers SJ. Franc. Costerus SJ. Joachim Backius Christophorus Coster*	Jodocus Coccius Valentinus Leucht Mart. Sebaldus* Joannes Schaefer Ci.*	Rog. Widdrington*	Stanisl. Socolovius Alb. Rosciszevski SJ.
Ant. van Kerebeeck OSA. Arnoldus Cathius SJ.	Jo. Paul. Windeck Tob. Hentschel Min. Jacobus Hacker*	Jac. Gord. Huntlaeus SJ. Michael Walpole SJ. Guil. Patrisonius OSA.*	Caspar Sawicki SJ.
Nicolaus Chamart* Henr. Sedulius Min. Jac. Le Noir Min.	Jo. Fr. Mathenesius Christophor. Gewold Jo. Rosanensis Ci. Jos. Burger OSB.	Ign. Firminus Ci.* Joannes Barclay Joannes Meredith*	
G. Schevichavius SJ. Franciscus Schottus Corn. Lancilottus OSA. Joan. W. van Vieringen SJ.	Conradus Vetter SJ. Jo. B. Tufo Theat. Jodocus Coccius SJ.	Herb. Croft	

	Italia	Hispania et Lusitania	Gallia
1623	Gregorius XV. Alph. Villagut OSB. Jo. Ant. Petramellarius Jacobus Ant. Marta Jul. Sannazari Arch. M. Giani SMV. August. Bruno Min. Joan. Nic. Alidosi Pasquali* Pius Rubeus Hier.*	Hieron. de Zeballos* Joan. dos Santos OP.* Em. Barradas SJ.* Didacus Daza SJ. Joannes de Cruce OP.* Joannes Tremino* Em. de la Cerda OSA.* Phil. Bernal OP.*	Fronto Ducaeus SJ. Nicol. Coeffeteau OP. Valer. Reginaldus SJ. Joan. Puteanus OSA. Jacobus Severt* Franc. Ménard
1624	Josephus Ragusa SJ. Petrus Alagona SJ. Gabr. Penotto CRL. Marc. Antonius Jos. Mozzagrugno* Oliv. Beltramini Hor. Phil. Giovagnoni Flavius Cherubini* Frid. Henr. Onuphrius*	Joannes Mariana SJ. Cosmas Magalianus SJ. Ludovicus Ballester SJ. Ludovicus de Ponte SJ. Jo. de Grijalfa OSA. Joannes Sanchez* Petrus de Ochogavia et Mauleon Mich. Vasquez de Padilla SJ. Bernardus de Ribera Cist.* Barthol. Carthagena*	Simon Vigor Henr. Harvillaeus Cp.* Anast. Cochelet Carm. Aeg. Camartus O. Min. Matth. Marechal* Nicolaus Janvier*
1625	Franc. a Coriolano Cp. Fabricius Paulutius And. Eudaemon-Joan. SJ. Petr. Capullius Conv. M. Ant. Capelli Conv. Franc. Sacchini SJ. Julius Negrone SJ. Blasius Bagni* Fr. Ghislieri can. r.	Blasius Verdu OP. Joan. Fernandez OP. Balth. Navarette OP.* Luc. de Montoya Min.* Sancius Davilla et Toledo Seraph. de Freitas Merc.* Martinus Carillo* Joannes Salzedo Min.*	Philippus Gamachaeus Ludov. Richeome SJ. Claud. Rangolius Min. Petrus Morin SJ. Andr. Alleret O. Conv.* Michael Roussel* Jacobus Lechassier
1626	Paulus Comitolus SJ. Laërtius Cherubini Alex. Carriero Phil. Ferrari SMV. Joannes M. Belletti Nic. Alemanni Ang. M. Cherubini OSB.* Hier. de Carate* Joannes Hesronita* Joan. de Bosco Coel. Jul. Lavorius* Antonius Ragucci*	Valent. de Herice SJ. Petrus Hortigosa SJ. Aeg. de Praesentatione et Fonseca OSA. Franc. Mendoza SJ. Jos. a Jesu Maria Carm.	Petrus Coton SJ. An. Fabric. Bleynianus Jac. Bossu OSB. Cl. Morel Iren. Avallonensis Cp.* Franciscus Juretus Jeremias Ferrier

Belgium	Germania (Bohemia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Leon. Lessius SJ. Petrus Stevart Thomas Saillius SJ.	Joan. Pelecyus SJ. Herm. Bosendorf SJ. Jacobus Colens SJ. Antonius Duolkon Cr.	Jac. Anderton* Th. Messingham*	S. Josaphat M. Hieron. Podovius
M. Becanus SJ. Petrus Stevart Petrus a Beeck Joannes Olivarius	Franciscus Agricola Ge. am Ende SJ. Joannes Zeschlin* Jo. W. Coelestinus*	Guilelmus Bishop Petrus Anderson SJ. Ed. Burton SJ.	Joannes Vastovius*
Jacobus Jansonius Er. de Surlet Choquier Joannes Gallemart	**Jac. Gretser SJ.** Bern. Sutholt*	Thomas Dempster Thomas Morus Petrus Lombard Henricus Holland Eduard Mayhew OSB.	Thomas Balasfy Ge. Tyszkiewicz SJ.
Alard. Gazaeus OSB. Joannes Buzelin SJ. Antonius de Henin Pr. Stellart OSA. Andreas Hojus Aug. de Witte Min.*	Jac. Pontanus SJ. Theod. Smising Min. Ad. Schulkenius Jo. A. Coppenstein OP.* Christoph. Mayer SJ.	Hugo Cavellus Min. Thom. Worthington SJ. Eduard Coffin SJ. Christophorus Holiwood (a Sacrobosco) SJ.	

	Italia	Hispania et Lusitania	Gallia
1627	Anastasius Germoni Fab. Justiniani Orat. Jo. Baptista Scortia SJ. Tobias Corona Paul. Antonius Ragucci* J. Ant. Massobre* Phil. Pigafetta* P. Merula* Jo. B. Rossi Som.*	Thomas de Jesu Carm. Bern. de Leon Pr. Henr. de Villalobus Min. Alph. Maldonado OP.* Alp. Fernandez OP.* Emmanuel Laur. Suarez*	Joannes Chenu Jo. Bede de la Gormandière* Paulus Metezellus Or.* Raymundus Ribes OP.*
1628	Al. Alberti OSA. Alp. Bavosi CR. Barth. Cimarelli Min. Marc. Ant. Othelius Jo. Matth. de Rispolis OP. Al. Bariola OSA. Joannes B. Bandini Eug. Cattaneo* Joan. Bapt. Bizzozero* Joannes Bapt. Vivianus* Camill. Pulsictus Carm.*	Casp. Sanctius SJ. Thom. Malvenda OP. Ant. Fernandius SJ. Ludovicus de Bavia Hier. Venero de Leyva Christ. de Avendano Ca. Alp. Sobrino Carm. Ferd. Mart. Mascarenhas Antonius Quintanadveñas Sebast. Caesar de Meneses*	Stephanus Moquot SJ. Jul. Caesar Bulenger SJ. Franciscus Solier SJ. Guilelmus Bernardon Jacobus Jaquot Carm.
1629	Antonius Bosius Jo. Hier. Sopranis SJ. Hieronymus Aleander Anacl. Siccus Barn.* Marcus Antonini* Laelius Bisciola SJ. Balth. Bologneti SMV. And. Castaldi Pescara Theat. Hieronymus de Saracenis	Bas. Pontius OSA. Th. de Lemos OP. Jo. de Portugal OP. Dominicus Garzia Matth. de Sousa Min.* Joannes Vasquez*	Bernardus Galtier SJ. Petrus de Berulle Or. Laurentius Bochel Jacobus Isnar SJ. Petrus Berger*
1630	Philippus Faber Min. Hier. Floravantius SJ. Livius Galantes Min.* Alexius a s. Franc. Ca. Petrus Giustinelli SJ. Hier. Donesmundus Min. Henr. Ant. Burgus SMV. Jo. Ant. Calvenzanus Vit. Zuccoli Carm. Vincentius Ricci* Neophytus OSB.*	Petrus de Herrera OP. Thomas de Ituren SJ. Bened. Fernandius SJ. Marcus de Guadalaxara Jo. Zapata y Sandoval OSA. Balth. Alvarez SJ. Joan. Nunnez Min. Emman. Roman Ca. Laurentius Portel OSFr.*	Gabriel Albaspinaeus Joannes Boucher Min. Fr. Morel Fr. Lanovius Minim.* Guilelmus Ader Aug. Riuvère OSA.*

Belgium	Germania (Bohemia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Laur. Beyerlink Henricus Zoesius Th. Gratianus OSA.	Balthasar Hager SJ. Martinus Heerfort* Jo. Raphael Cobenzl SJ. Joannes B. Rembold		Andr. Rochmarinus Min.*
Nicolaus Trigault Honor. van Axel* Joannes Gorcomius Nicolaus Wiggers OSF. Henr. Mirwart Min.*	Jacobus Merck* Philippus Eilbracht*	Joannes Clare SJ.	Petr. Posnaniensis Min.*
And. Schottus SJ. Car. Scribanius SJ. Her. Rosweydus SJ. Nic. Crusenius OSA. Franciscus Swertius Hermannus Hugo SJ. Petrus Bertius Hadrianus Crucius SJ.	Andreas Forner Henr. Schellenberg SJ.* Joan. Jordanaeus*	Flor. Conrius Min. Guil. Giffard OSB. Humfredus Leech	
Joan. van den Broeck Barthol. Petri Joannes Gouda SJ. Guil. van Oonsel OP. Joannes de Wiclen Ant. de Balinghem SJ. Franc. van Dusseldorp	Joannes Forner Fridericus Martini Matthias Klesel Joannes Sallor SJ.	Jacobus Scharpe SJ. Silvester Noritius SJ.	Bernardus Paxillus de Brzezek OP.

	Italia	Hispania et Lusitania	Gallia
1631	Mart. Bonacina L. Castellinus Aem. OP. Joan. Guissanus Carm. Frid. Borromaeus Jac. Montanari Min. Virgil. Cepari SJ. Ant. Ajossa cler. reg.* Marc. A. Scipio OSB.* Bened. de Benedictis Lael. Marini Coel.*	Ant. Govea OSA. Joannes de Paiva* Thomas Ramos* Antonius Sousa OP.* Franc. Labbata SJ. Alph. de Sanchez Zarzosa* Mauritio de Alcedo* Lud. a s. Jo. Ev. OSFr.	Joannes Paulus le Jau Edmundus Richerius Franciscus Garasse SJ. Petrus Blanchot Jo. de Reyroles Minim.* Joannes Garnerius* Raymundus Breganius OP.*
1632	Laur. Empoli OSA. Hieron. Vecchietti* Petrus Arcudius* Ovid. Amici* Joan. B. Catumsyritus* Car. Andr. Bassi* Joan. B. Bonelli SJ. Marc. Ant. Erri* Petr. Bellocchi Mi.*	**Did. Ruiz de Mont. SJ.** Jacob. Granado SJ. Joannes Lopez O. Praed. Chrys. Henriquez Cist. Theod. Pybes de Adama Ci.* Antonius Perez Bas.* Anton. Bacelar Min.*	Petrus le Gris* Josephus Malavalette SJ. Paulus Metezeau Or.
1633	Joseph Visconti Franc. Bozio Orat. Melch. Lotterio* Nicol. de Grachis OSA. Paul. Squillante* Bernardus de Carol. Mi.*	F. de Castropalao SJ. Mart. de Alviz OSA. Thom. de Beira Min.* Matthias Couros SJ. Fel. Milensius OSA. Gabriel de Matos SJ. Petrus a J. Maria Merc.*	Blanchot O. Minim.* Joannes Marcel* Tranq. a s. Remigio Cap.*
1634	Stephanus del Bufalo de' Cancellieri SJ. Cos. Alamannus SJ. Alex. Pellegrino Theat. Andr. Perusinus Min.* Balthasar Chavassius SJ. Hieron. Dandini SJ.	Didacus de Alarcon SJ. Petrus de Moreiron* Ant. Fern. de Corduba SJ. Isidorus Barreira Fr. da Piedade Maciel OP.* Hier. Rodriguez O. Min.*	Joan. Lorinus SJ. Ludov. Cressolius SJ. Ludov. a Dola Cap.* Jo. de Loyac Ca.* Marcellinus de Pise Cap.* Joan de la Val*
1635	Augustinus Oregius Jo. Maria a s. Jos. Carm. Jos. Macharius Jul. Pace Philib. Marchini Barn.* Hieron. Marullus* Paul. Aem. Sanctorius	Did. Alvarez OP. Luis. Turrianus SJ. Petrus Chirino SJ. Didacus Lopez Hier. Fernandez de Otero Ludov. de Vera Merc.*	Ambrosius Gaufreus Paulus Boudot Alexander Regourd SJ. Dan. a s. Severo O. Cap. Ludov. Lallemant SJ.

Belgium	Germania (Bohemia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Joan. Boden*	Jacobus Keller SJ. Cher. Mirtius OSB. Joan. Gelenius Sim. Eust. Kapihorski Ci.* Martinus Inniganus*		Andreas Lipski*
Nicol. Romaeus SJ. Franciscus Haraeus Petrus Lanselius SJ. Lud. a Castro Conv. Christ. Fleming Min.	**Adam. Tanner SJ.** Sig. Guil. a Vorburg* Matthias Mittner Cr. Elias Graff SJ.	Richard Gibbon SJ.	
Aeg. Coninck SJ. Joannes Malder Stephan. Weyms Guil. Spoelberch Min. Georg. Maigret OSA.	Leo Menzel Marq. Leo Min. Ge. Witweiler SJ. Theodorus Krall SJ. Joannes Fried. Rorich SJ.	Eduardus Weston	
Jo. Praepositus SJ. Bald. Junius Min. Flor. van der Haer Nic. Janssenboy OP. Jacobus Stratius SJ. Corn. Thielmans OSF.	Matth. Rader SJ. Caspar Lechner SJ. Jo.Adolph.Cypraeus* Matthias Mayle SJ. Jacobus Hack SJ. Ferd. Waizenegger Caspar Hell SJ. Fridericus Planck OSB. Sigism. Dullinger OSB.	Richard Broughton	Georgius Kaldi SJ.
Dion. Mudsaerts Pr. Martin. Bresserus SJ. Joan. Beckaert Praem. Antonius Goffart	**Paul. Laymann SJ.** Ad. Contzen SJ. Frid. Spee SJ. Conr. Gruther*	Hugo Ward Min. Arthur Pitts Bonav. Jackson Min.	Sam. a Lublino OP.

	Italia	Hispania et Lusitania	Gallia
1636	Barth. a s. Fausto Cist. Thomas Massutius SJ. Jo. Matth. Caryophilus Anacl. Secchi O. Barn. Eleuth. Albergoni Conv. Laur. Franchi	Jo. Falces a s. Steph. Hi. Jo. Gonçales OP.* Petr. Lopez Trin.* Franciscus de Bivar O. Cist. Hil. a s. Augustino Ca.*	Jacobus Gualterus SJ. Claudius Robert Joannes Arnoux SJ. Coelest. Suessionensis Min.*
1637	Theodor. Forestius Cp. Franciscus Pavone SJ. Alois. Aurelius Fr. M. Novarius* Franc. Torrigius*	Anton. Perez OSB. Joan. de Pineda SJ. Greg. Martinez OP. Georgius Hemelman SJ. Joannes Serrano Min. Martinus de Roa SJ. Jul. Castelvi Ca. Hieronymus Perez* Alph. de Padilla Minim.*	Joannes a Costa Petrus Saxius Franc. Poiré SJ. Petrus Bardin
1638	Barth. Gavanti Barn. Zach Boverius Cap. Fr. Merolla Orat. Sergius Risius Hieron. Averoldi Cap.* Bernardinus a s. Ant. RC.	Joannes Perlinus SJ. A. de la Calancha OSA.* Balth. Paez Trin. Did. de Caceres Hieron.* Hieron. de Cruce Hier.* Sebastianus Caesar*	Andreas Duvallius Joan. B. Filesac Hadr. Behotte
1639	Hieron. Fasolus SJ. Dominicus Ginnasius Laur. de Ponte cler. min. Franc. Ghetius OP. Octavianus de Tufo SJ. Nicol. Riccardi OP. August. Spinola Berlingher Ventimiglia Joseph Speranza Orat.	Baptista Fragosus SJ. Stephanus de Castro SJ. Hil. a s. Augustino Ca..* Arnold. Paludanus Min.*	Petrus de Besse Stephanus Binet SJ. Leon. Patornau SJ. Franc. d'Oresmieux CR.
1640	Franciscus Collius Josephus Balli Maur. Centini Conv. Ambrosius Machin* Theod. Rubeus* Franc. a Secli Min.* Placidus Nigidius Dom. Anfosso Anton. Contini Olivet.*	Joannes Biescas OP. Did. de Cea Min. Felic. de Vega Caspar Fernandez SJ. Didacus Ortiz OP.	Jacobus Salianus SJ. Andreas du Chesne Eustachius Gault Or. Jo. B. Machault SJ. Alb. le Grand OP.* Raymundus des Etroits SJ. C. Fr. Haraucourt de Ch. SJ. Polyc. de la Rivière Cr.

Belgium	Germania (Bohemia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Jacobus Tirinus SJ. Henr. Philippi SJ. Joannes Cousin Andreas Vallensis Phil. Bosquier Min. Regn. Mercator Jo. Perce Min. Petrus Eulard SJ.	Hugo Ant. Roth SJ. Michael Loescher SJ. Helferich Ulr. Hunnius Sebastianus Tengnagel Nicolaus Cusanus SJ.	Leander a s. Mart. OSB. Rich. Verstegan	Fab. Birkowski OP.
Corn. a Lapide SJ. Philipp. Bebius SJ. Jac. Browerus OPr.	Christ. Hartmann OSB. Joan. Ctibor Kotwa Engelb. Ewich SJ. Joan. Dressel Ci.	Thom. Bacon SJ. Antonius Sanders Guilelmus Rushworth	Petr. Pázmány SJ. Abraham Bzovius OP.
Cornelius Jansenius Hub. Phalesius OSB. Corn. Curtius OSA.* Hadr. van Moerbeeck Pr. Jo. Vander Linden Alex. Willebr. Vander Heyden SJ.	Chr. Besold Hieron. Drexel SJ. Henr. Murer Carth. Andreas Wagner SJ. Matth. Weiss OSB.		Petr. Posnaniensis Min.*
Joannes Wiggers Guilelmus Mercerus Petrus du Fay OP. Ge. Aur. Dayneffe OSA.	Jodoc. Mezler OSB. Jacobus Bidermann SJ. Wolfg. Talhamer Pr.*	Guilelmus Wright SJ.	Jo. Wielewicki SJ. Hadr. Bratkowicz Conv.
Aubertus Miraeus Theod. Petrejus Cr. Jo. D'Espiennes du Fay Matth. Navaeus*	Petrus Gottrau SJ. Joannes Kircher*	Thomas Fitzherbert SJ. Georgius Connaeus Thomas Preston	Stanisl. Lubienski Laur. Susliga SJ.

	Italia	Hispania et Lusitania	Gallia
1641	Antonius Amicus Julius Viviani Hieronymus Bascape Jos. Ripamonte Ambr. Saxius Min.* Paulus Vecchius* Joannes Bapt. Coccino Angelus Vancius OSA. Hieronymus Scogli* Andr. de Castellana*	Ant. a Matre D. Ca. Fr. del Castillo Vel. Min.* Franc. Felix Min.*	Claudius Tiphanus SJ. Joannes Suffren SJ. Andreas Fremiot Claudius le Petit Min.* Phil. Fezayus Ca.* Rolandus Augier SJ. Guilelmus Camerarius Or.*
1642	Michael Zanardi OP. Ant. Caraccioli cl. reg. Antonius Ricciullus Andr. Lanfrancus cl. reg. Fel. Ciatti Conv. Gregor. Schiero Mi. Greg. Donatus OP. Ign. Landriano Oliv. Illuminatus Moronus* Raphael Aversa Min.* Matthaeus Defendi*	Augustus Bernal SJ. Ild. a s. Hilarione Ca. Jo. de Escobar del C. Jos. de Corduba OSA.*	Nicol. Ysambertus Armand. Jo. du Plessis de Richelieu Joannes Moquet SJ. Jac. d'Auzoles Nicol. Guillebert* Claud. Clement SJ. Joannes Bence Orat. Ludovicus du Four SJ.
1643	Dom. Gravina OP. Fortun. Scacchi OSA. Leon. Duardus cl. reg. Joannes Al. Ricci Jos. Agostini SJ. Sec. Lancilotti Oliv. Marc. Megalius cl. reg. Vincentius Bertinus OSF. Petrus Jac. Tommaso Carm. Dominicus Mita* Jos. Caglioca O. Min.*	Jo. Lud. de la Cerda SJ. Rodericus de Cunha Alv. Arias SJ. Jos. Vela Ildeph. a s. Augustino OSA.	Henricus Spondanus Joannes Phelipeaux SJ. Jo. Bapt. Gault SJ. Anton. Sirmond SJ. Philib. Monnet SJ. Franc. Le Rees* Joan. Jobertus de Barraut Germanus le Clerc* Bertrand. du Chesne*
1644	Urbanus VIII. Paulus Aresi cler. r. M. Ant. Palumbus SJ. Hier. Gallus OSF. Fr. Ant. Blondus Conv. Pet. Anellus Persicus SJ. Joan. Mich. Pio OP. Guido Bentivoglio Rainucius Pico Seb. Andreantonelli Car. Caraffa Alph. de Leone cler. reg. Ghiel. Antonius Orat. Petrus Monod SJ. Bernardin. Ginnaro SJ.	**Jo. a s. Thoma OP.** Jo. Aeg. Trullench Ferd. a Jesu Carm. Ign. a s. Maria OSA.	Simeon de Muis Nic. Hugo Menard OSB. Carolus a s. Paulo Cist. Mart. Meurisse OSF. Martinus Marrier OSB. Gabriel du Pineau Claudius Dausqueus Mich. de la Noue Minim. Eugen. Roger Min.*

Belgium	Germania (Bohemia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Henricus Rampen David Mauden P. Vander Kindere OP. Joannes Huchon*	Matth. Mayrhofer SJ. Severinus Binius Thomas Henrici* Guil. de Wolsperg	Matthias Kellisonius Ant. Hyquaeus Min. Joannes Fisher SJ. Dav. Aug. Baker Ben. Jac. Gordon SJ.	Franc. a Rodrasen Cap.*
Jac. Bonfrerius SJ. Petrus Roest SJ. Nicas. a s. Theresia Ca. Jo. d'Assignies Cist.	Henr. Hoffmann* Philippus Caesar*		Sebast. Pikielius SJ.*
Henr. Lancilottus OSA. Arn. Raissius Joannes Tollenaer SJ. Leger van Hontsum	Christ. Toerring OSB. Joan. Ego Paulus Guldin SJ.	Laur. Anderton SJ. Mich. O'Clery Min.	
Jac. Merlo Horstius Franc. Wennen Pr.		Petrus Wadding SJ. Henr. Fitz-Simon SJ. Mich. Godinez SJ.	

<table>
<tr><th></th><th>Italia</th><th>Hispania et Lusitania</th><th>Gallia</th></tr>
<tr><td>1645</td><td>Jo. Paul. Nazarius OP.
Thom. d'Afflitto cler. r.
Vinc. Turturetus
Franc. Bolvito Theat.*
Paulus Minerva OP.
Franciscus a Vitrio Cap.
Ant. Naldus Theat.
Joan. a Syderno O. Cap.*
Steph. a s. Gregorio Aug.*</td><td>Stephan. Fagundez SJ.
Jos. de la Cerda Ben.
Gabriel Alvarez SJ.
Jo. a Trinitate OSFr.
Pet. Fernandez Torrejon
Franc. de Torreblanca</td><td>Ludov. Beurrier Coel.
Mauritius du Pré Praem.
Innocens Ciron*
Hyac. Kerver Cap.*
Petrus Coquault
Fr. Rochefoucauld
Guilelmus du Peyrat</td></tr>
<tr><td>1646</td><td>Mich. Ghislieri cler. r.
Barthol. Chioccarelli
Clem. Brancasius OSF.*
Greg. Cippullus OP.*
Josephus Isaeus*
Ge. Polacch*
Vinc. Surianus Carth.*
Bened. Mandina Theat.
Ben. de Passaflumine OSF.
Thom. Calona Cap.</td><td>Ferd.Quir. de Salazar SJ.
Petrus de Onate SJ.
Emman. de Almeyda SJ.</td><td>Car. Franc. de Raconis
Bern. Montereul SJ.
Ludovicus Odesdun*
Fr. Andegavensis Cap.*
Michael Bauldry OSB.*
Nicolaus Lombard SJ.
Petrus Louvet
Stephanus Audebert SJ.
Georgius Froyer</td></tr>
<tr><td>1647</td><td>Angelus Vulpes Conv.
Jul. Caes. Recupito SJ.
Silv. Petra-Sancta SJ.
Alex. Pellegrinus SJ.
Paulus de Angelis
Bern. Manzoni Conv.
Salv. Vitalis Min.
Laur. de Peyrinis Min.*
Bened. Sanbenedictus Cap.*
Bernard. Benedetti*</td><td>Didacus de Baëza SJ.
Ludov. Caspensis Cap.
Ludovicus de Ribas SJ.
Antonius Collasso SJ.
Franc. de Quevedo
Marcus Serra OP.*
Thomas Villar OP.*
Alph. Dominicus Trin.*
Franc. de Cespides Theat.*</td><td>Jo. Lallemandet Minim.
Germ. Millet Ben.
Joannes de Bordenave*
Joan. Huynes OSB.*
Franciscus Viger SJ.
Angelus ab Insulis Cap.*</td></tr>
<tr><td>1648</td><td>Joannes Bapt. Casali
Christoph. Brenzoni Ca.
Petrus P. Philippi OP.
Fulg. Petrellus OSA.
Gabriel Sionita
Steph. Spinula Som.*
Paulus Ciera OSA.
Alex. Calamato
Juniperus Drepan. OSF.
Hieronymus Pecorarus SJ.
Alph. Pandolfi
Petrus Paul. Bombini Som.
Paulus Barisoni
Coel. Telera Coel.*</td><td>J. Martinez de Rip. SJ.
Emmanuel Vega SJ.
Jo. Ildeph. Bapt. OP.*
Ant. Serpa OSF.*
Ant. de Fuertes*
Mich. Ripol Carm.
Petrus Simanca OSA.
Joseph. Maldonado OSF.*
Didacus Gatica O. Merc.*</td><td>Mar. Mersennius Min.
Jac. Doublet OSB.
Joannes Vincent
Ger. Pelletier SJ.
Petrus de Sesmaisons SJ.
Raphael Dieppensis Cap.
Mich. Rabardeau SJ.
Joannes Lud. de Rouvray*
Nic. M. des Guerrois Orat.*</td></tr>
</table>

Belgium	Germania (Bohemia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Fr. Hyac. Choquet OP. Peter Malpe OP. Laur Landtmeter Pr. Petrus Coens	Andreas Zergoll SJ. Alb. Chanowsky SJ.	Joannes Price SJ. Thomas Vane* Simon Stock Carm. Fr. Moloy OSF.*	Michael Veresmarti Matthaeus Bombus SJ.
Theod. Amydenius* Jo. Rivius OSA.* Petrus Loyex	Georg. Holzhay SJ. Petrus Gebauer Joannes Hofer SJ. Joannes Antoninus SJ.*	Paulus Sherlogus SJ. Patritius Raw OSA.	Jo. Gruszewsky SJ.
Jos. de Bergaigne Min. Robertus Svertius Franc. a Jesu Carm.	Jac. Canisius SJ. Henr. Lamormaini SJ.	Franc. Walsingham SJ. David Codner OSB.	Hier. a s. Hyacintho Carm.
Jacobus Marchant Bened. Haeften OSB. Guil. de Paradis	Melch. Inchofer SJ. Matthias Tanner Cr. Anton. Spindler Balth. Etzelius SJ. Joannes Tytz*		

	Italia	Hispania et Lusitania	Gallia
1649	Jo. Maria Zamora Cp. Antonius Santarelli SJ. Paulus Giordano Vinc. Caraffa SJ. Cels. de Rosinis CRL.* Tarq. Galluzzi SJ. Tim. Timoteo* Hor. Justiniani Or. Thomas Cathini Cr. Petrus Paul. Guazini Or.* Carolus Joan. Golinus* Sigism. Campeggi*	**August. Barbosa** Antonius Perez SJ. August. de Herrera SJ. Hieron. Guevara SJ. Ang. Manrique Cist. Petrus de Oviedo Ci. Mart. a s. Josepho OSF. Joannes Muñoz O. Min. Julius Aleni SJ. Franc. Alphonsus SJ. Casp. de la Fuente Min.* Joannes Rocafull* Emman. Cordeiro SJ. Franc. Rus de la Puerta Salvator de Leon SJ. Didacus Lopez SJ. Francisc. de Lemos OSB.*	Franc. Veronius Stephanus Bauny SJ. Petrus Roverius SJ. Raph. de Clayes Cap.* Simon le Boucq* Petrus Maucorps SJ. Th. Aq. a s. Joseph Carm. Joannes Sirmond Nicolaus Gillebort*
1650	Alois. Novarini Theat. Const. Cajetanus OSB. Matth. Ferchi Conv. Laur. Chrysogonus SJ. Hier. Scarparius SMV.* Jacobus Pinto SJ. Ludovicus Centoflorenus Carolus Zambertus SJ. Maurus Marchesius Ben. Franc. de Franchis O. Cap. Ludov. del Campo Carm.*	Did. de Narbona Felic. de Oliva* Leander Montanus Cp.* Ant. de Fuertes y Biota* Em. Temudo da Fonseca* Jo. de Soria Buitron OSF.*	Joannes Aubertus Scaevola Sanmarthanus Franciscus Florens Joan. le Paige Praem. Joannes Bajole SJ. Jac. Bolduccius Cap. Ang. de Raconis Cap. Jacobus Beaufez SJ. Marcellin Fournier SJ. Guil. Gibieuf Orat. Coel. de Monte Mars. Cap. Ant. a s. Michaele Min. Philippus Aquinas Claudius Héméré
1651	Franc. Amicus SJ. Maurit. de Gregorio OP. Rochus Pirrus Fr. M. de Monacho Theat. Franc. Pellizzarius SJ. Caspar Macrini SJ. Al. Rub. de Lugo Conv.* Christoph. Fabritius Joannes Ricci OSF.*	Petrus Hurtado SJ. Franc. de Oviedo SJ. Ant. Quintanadveñas SJ. Paulus Duran Fulg. de Ovalle SJ.	**Jacob. Sirmond SJ.** Jacobus Eveillon Joannes Dartis Henr. Ludov. Castaneus Joannes Plantavit Nicolaus Caussin SJ. Petrus Frizon Petrus Dupuy Petrus Clement* Joannes Bondonnet* Aegid. Duquesne OSB.*

Belgium	Germania (Bohemia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Franc. Silvius Georg. Colvenerius Barthol. Fisen Hadr. Muelman Nic. Vernulaeus Joannes Polman Guilel. Tasselon OSA. Guilelmus ab Angelis Joannes Stalens* Matth. Zelhorst*	Petrus Cudsem Caspar Scioppius Paganin.Gaudentius Joannes Guil. Gotthart	Joannes Floyd SJ. Ang. a s. Francisco Min.* Ambr. Corbie SJ. Christoph More	Paulus Piasecius
Balth. Corderius SJ. Franciscus Zypaeus Christoph. Butkens Ci. Bonav. Bassaeanus Cap. Guilelmus Beyer*	Joan. Harscher SJ. Andreas Brunner SJ.	David Rothe Joannes Rubeus Ben.*	
Joannes Roberti SJ. Odo Cambier OSB. Hadrian. Crommius SJ. Matthias Pauli OSA. Jul. Caes. Coturius SJ. Phil. Rovenius Ign. Huart O. Cist.* Nicol. Remocampius*	Clem. Reyner OSB. Georg. Stengel SJ. Joannes Muelman SJ. Jacobus Schueler*	Petrus Redanus SJ. Fr. Rellio OSFr.*	Sam. Nakielski Andr. Fes. a s. Theresia Carm.

	Italia	Hispania et Lusitania	Gallia
1652	Andreas Gerunda SJ. Felix Contelorius Michael Stella Conv. Nic. de Spinatiola Mi. Asc. Tamburini Cam.* Jacobus Cohellius* Scipio Sgambata SJ. Henr. Borghesi SMV. Phil. Quorli* Petr. Virgilii Conv.*	Franciscus de Lugo SJ. Barth. de los Rios OSA. Caspar Ruiz OPr.* Petrus de Aritzizabal Min. Christoph. Ferreira SJ. Joan. B. Escardo SJ.	**Dion. Petavius SJ.** Coel. Niortensis Cap.* N. Forest Duchesne Ci.* Ignat. a Jesu Ca.* Claudius Menard Joannes Petrus Camus Yvo Pinsard OP. Jacobus de Cambolas*
1653	Andreas Victorelli Jesuald. de Bononiis Cap. Jo. M. de Castilento OSF. Jac. Fuligatti SJ. Alex. Sperelli* Gavinus Carta SJ. Joannes Bapt. Rinuccini Jo. B. Castaldo Pescara Theat.	Joan. de Dicastillo SJ. Joannes de Machado Ludov. de Mertola Carm. Lucas Vellosus SJ. Did. a Matre Dei Trin.*	J a c o b u s G o a r OP. Andeolus Lictav. Cp. Franciscus de Harlay Pacificus a Provino Cp. Amab. Bonnefons SJ. Carol. Musart SJ. Jac. Mallebrancque SJ. Bonav. Lingoniensis Cp.* Jacobus Corbin Car. Paulin SJ.
1654	Vinc. Candidus OP. Caesar Eug. Caraccioli Lael. Mancini Joannes Petr. Moneta Andreas a s. Th. CSA. Jacobus Accarisi Sanctes Franco OP.* Scipio Herrico*	Emmanuel Mascarenhas SJ. Dominicus a s. Ther. Ca. A. Pintus Ramirez SJ. Franc. a s. Maria Ca. Thomas de Herrera OSA. Franc. Aguado SJ. Antonius Calderon Hieronymus Vives OP.*	Nicolaus Rigaltius Joannes Bapt. Souchet Bonav. a Carpentoracto Cp.* Franciscus Piassonio* Ludov. de Rouvray* Petrus Guiffart* Petrus Piart Minim.*
1655	Innocentius X. Jo. Steph. Menochius SJ. Jo. Thom. Gastaldi OP. Car. Ant. Thesaurus SJ. Antonius Rusca Nicolaus Baldelli SJ. Hier. Ferrantinus SJ. Jac. Phil. Tomasini CR. Paul M. Quarto Theat.* Petrus Maria Campi* Philippus Massaria SJ. Hyac. de Rugeriis OP.* Vinc. a Monte Regali Fr.*	A. Perez de Ribas SJ. Fr. Bermudez de Pedr. Did. de Castillo et Artiga Jo. Joanniz et Escal.* Didacus de Turegano Carm. Jo. Rudolph. de Cordova SJ. Franciscus de Salinas SJ.* Silv. de Saavedra Merc.* Franciscus de Amolaz*	Hiernoymus Seguin SJ. Nicolaus Abram SJ. Nicolaus Camusat Britius Rhedon. Cap.* Claud. de la Place*

Belgium	Germania (Bohemia)	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Leonardus Marius Mich. Paludanus OSA. Phil. Alegambe SJ. Jo. Chr. Vandersterre Pr. Marc. Mastelyn CRL. Mart. l'Hermite SJ.	Jac. Polius Min.* Gebh. Razenriedt SJ. Hermann Gnadt SJ.*	M. Alford (Griffith) SJ.	Nic. Lancicius SJ.
Valentinus Randour Jo. Bourghesius SJ. Libertus Fromondus Aloys. le Roy SJ. Bonav. Dernoye Min. Joannes Hon. van Axel*	Matth. Faber SJ. Matthaeus Hoen Andreas Vochetius* Wolfgang. Biber SJ.* Antonius Mesenich OSB.*		
Oliv. Bonaert SJ. Godefr. Wandelmann SJ. Phil. Elsius OSA.	Andreas Kovač		
Andreas Valerius Joannes Rosenthal SJ.	Hermannus Fley Cl. Sudan SJ. Christoph. Pflaumer SJ.	Joan. Colgan Min. Richardus Smith Alexander Baillie OSB. Tobias Matthew	

	Italia	Hispania et Lusitania	Gallia
1656	Bernard. Mazziotta SJ. Vinc. Giliberti cler. reg. Phil. Guadagnolo cl. r. Jo. Baptista Rossi SJ. Jo. Bapt. Masculus SJ. Franc. Quaresmius Min. Fabric. Pignatelli SJ. Fr. Barbaranus Cap. Franc. Scorso SJ. Jo. Th. de la Torre OP. Ang. Maria Verricelli cl. reg. Jos. Maria Caraccioli cl. reg. Fabricius Britius SJ. Elias Luna Carm. Raphael Castelli	Ambr. de Peñalosa SJ. Franc. Irribarne OSF. Franc. de Rojas Min. Did. Nisseno Bas. M. Ant. Alos et Orraza* Michael Bannez* Christoph. a s. Ant. OSF.*	Ludov. Sanmarthanus Franciscus Lahier SJ. Jacobus Dupuy Jo. Hugo Quarré Or. Marc. de Pise O. Cap.*
1657	Raph. Aversa cl. r. min. Caspar Sghemma Conv. Andr. Bianchi SJ. Phil. Malabaila Ci. Marcus Paulus Leo SJ. Jo. Benadu cler. reg. Jac. Raggius O. Cap.* Bonav. a Fasano OSF.*	Bern. de Alderette SJ. Leon. de Penafiel SJ. Petrus de Tapia OPr. Joannes de Pina SJ. Mich. Ferro Manrique* Laur. Ramirez de Prado Ant. Montes de Porres*	Georgius Ambian. Cap. Symph. Guyon Orat. Simon le Boucq Jo. B. Saint-Jure SJ. Franc. Noguier* Philip. Chifflet Nicolaus Bailly SJ. Eutrop. Bertrand Fr.* Doubdan*
1658	Modest. Gavazzi Conv. Carol. Mallet O. Cist. Matth. Ferreri Cp.* Pyrrhus Corradus* Andr. Cadaeus* Bonav. Malvasia Min.* Dominicus Segneri* Quadrius*	Alph. Miguel OP. Ant. de Purificatione OSA. Marc. A. Alegre Ca. Aeg. Gonzalez Davila Petr. de Murga OSB. Franc. Guerra OSF. Andr. Lucas de Arcones SJ. Ludov. Crespi et Borja* Didacus de Beroa SJ.	Ludov. Cellot SJ. Joan. Bapt. Guesnay SJ. Jo. Fr. Rhemensis Cp. Cl. de Bane Petrus de Maurize* Paulus a s. Cath. OSA.*
1659	Joan. Petrus Puricelli Gregorius Ferrari SJ. Vincentius Tancredi SJ. August. de Bellis Theat. Franc. Cardini SJ. Petrus Ridolfini* Vinc. Venantius Conv.* Caes. Becillo Orat. Bonav. Colonnesi Conv.	Jo. B. Lezana Ca. Thomas Hurtado cler. r. Franciscus Soarez SJ. Joannes de Palafox Joannes B. Poza SJ.	Joan. Morinus Or. Franciscus Hallier Carol. Hannibal Fabrot Alex. Fichetus SJ. Henricus Albi SJ. Georgius Pirot SJ. Hercules Audifret Mich. Gorgeu O. Minim.* P. Franc. de Tonduti*

Belgium	Germania	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
Max. Sandaeus SJ. Petrus Halloix SJ. Ignatius Derkenius SJ. Jo. Ern. Choquier Surlet Joannes Neeffs OSA. Cornelius t' Sas	Aegid. Gelenius Hil. a s. Anast. Ca. Valentinus Koerner SJ. Simon Felix SJ. Matthias Nennichen SJ. Leo a Regibus Carm. Fried. Romelius Praem.	Fr. Bermingham OSF.* Guilelm. Malone SJ. Eduardus Knott SJ. Joannes Falconer SJ. Thomas Bailey	Sim. Starevolscius
Franc. Vermeil OP. Ant. Ruteau Minim. Alex. Sebille OP. Ge. Galopin OSB. Willebr. Bosschaerts Praem. Henr. van den Leemputte Joan. B. Uwens SJ. Ludov. Preumont Min.*	Jodoc. Kedd SJ. Barthold. Nihusius Petrus Wittfeld SJ. Simon Wangnereck SJ. El. Schiller* Georgius Müntzer*	Lucas Wadding Min. Joannes Dorisy SJ. Rich. W. Selby OSB.	
Joan. Des Loix OP. Guil. du Mont SJ. Martinus Convelt SJ. Ambr. Peuplus Min. Laur. Nicolarts*	Jo. Eus. Nieremberg SJ. Barthol. Holzhauser	Stephanus White SJ.*	
Phil. Brasseur	Laur. Forer SJ. Ge. Ferus (Plachy) SJ. Wolfg. Herman SJ.		

	Italia	Hispania et Lusitania	Gallia
1660	Xant. Mariales OP. Ang. Paciuchelli OP. Fr. de Samuellis OP. Petr. del Campo OSA. Valentinus Mangionius SJ. G. Baldi Gherardesca SMV. Vinc. M. Cimarelli OP. Hieron. de Bocchiis Cap.*	Jo. de Lugo SJ. M. Perez de Unanoa SJ. Franciscus Colin SJ. Joan. Prudentius Merc.* Alphonsus de Flores SJ. Petrus Aingo de Espoleta*	S. Vinc. de Paulo Jo. de Sancto Albino SJ. Joan. a s. Maria OP. M. Pastor (Berger)* Guilelmus Cooffeteau Carolus Hersent Jo. Jac. Chifflet Barth. de la Haye Cap. Urbanus ab Ascens. Ca.* Josephus Rosell Carth.*
1661	Valerianus Magnus Cap. Franciscus Bardus SJ. Hyac. Donatus OP. Matth. Ferreri O. Cap.* Marc. Vidal Theat.* Caes. Jo. B. Comitiuus SJ.* Joannes M. Sfortia Conv.*	Didacus de Celada SJ. Mich. a ss. Trinitate Ca. B. Gallego de Vera OP. Franc. Pinheiro SJ. Franc. Gonzalez SJ. Did. Garcia de Trasmiera Joseph Ferror Min.*	Joannes de la Haye Min. Carolus Fevret Georgius Rhodes SJ. Hieronymus Vignier Or. Scipio Du Pleix Joan. Fervaux SJ. Paulus de Barry SJ. Nicolaus Perrault Nic. le Maistre Petrus Gorsius SJ.
1662	Hieron. Nicolius OSA. Joan. Bapt. Ventriglia Hippolytus Chizzuola* Joannes Elias Madao SJ. Gregorius Angellerius Cap. Joannes Rho SJ. Petrus Caranus*	Franciscus Valente SJ. Mich. Gomez de Luna Andr. de Guadalupe Min.* Joan. Tamayo de Salazar Gregorius Sanchez OSF.*	Jo. Martinonus SJ. Petrus de Marca Arth. du Monstier Min. Petrus a s. Joseph Cist. Joannes Fronteau Ant. a Matre Dei Ca. Blasius Pascal Moys. du Bourg SJ.
1663	Ant. Diana Theat. Vinc. Fassarus SJ. Seraph. a Concept. Ca. Jos. Arcamonio Greg. Valentianus Cap. Marc. Serius Hippol. Grassetti SJ. Andr. Lao Carm.* Sanctus Bordegato Min.*	Leand. de ss. Sacr. Trin. Joan. Merinero OSF. Simon Vaz Barbosa* Petrus de Urbina OSFr. Jo. Anast. de Arana Ca.	The. Raynaud SJ. Nicol. Cornet Greg. de Rives O. Cap.* Joannes Majoret* Robert. Guyart SJ. Barth. Camblat* Edmundus Amyot*

Belgium	Germania	Anglia (Hibernia et Scotia)	Polonia et Hungaria
P. van Steenbergen Fr. Arnoldus van Geluwe*	Car. von Kreitzen SJ. Jo. Phil. a Vorburg Wolfgang. Speth SJ. Joannes Schueking SJ. Balthasar Conrad SJ.	Joan. Poncius OSF.	
Petr. Marchant Min. Carolus de Mansfelt Phil. Nutius SJ. Aug. Wychmans Praem.	Luc. Holstenius Car. Jacobus OSB. Daniel Hainal SJ.	Henricus More SJ. Ang a s. Clara Min.*	
Lud. Bertr. Loth OP. Franc. Bourgoing Or. Petrus Wagenhare OP. Petr. Dam. de Conink OSA.	Georgius Reeb SJ. Joannes Strein SJ. Herm. Wesselius* Georg. Ernst SJ. Joannes Gans SJ. Joannes Crusius SJ. Joannes Heim SJ.	Henricus Holden Dan. O'Daly OP.	Casp. Druzbicki SJ.
Nicolaus Parent Ci. Ant. Delva*	Car. Stengelius OSB. Adam Adami OSB. Joan. Jac. Koenigsegg Joannes Antonius SJ. Maxim. Degendorfiensis Cap.* Dom. Gampenburg OP.*	Guil. Johnson OSB. Joan. Lenthall* Franc. Dempster SJ.*	

Index theologorum

qui ab a. 1564—1663 floruerunt et quorum fit mentio in hoc tomo III.

Numerus uncinis inclusus annum mortis designat: si hic nobis non est compertus, asteriscum apponemus et annum assignabimus, quo theologus recensitus floruerit.

Abbreviationes significant: angl. anglum, bav. bavarum, be. belgam, ga. gallum, ge. germanum, he. helvetum, hi. hispanum, hib. hibernum, hu. hungarum etc. Ad designandos ordines religiosos hisce utemur compendiis: Ca. designat Carmelitam, Ci. Cisterciensem, Cm. Camaldulensem, Conv. Conventualem, Cp. Capuccinum, Cr. Carthusianum, CR. canonicum regularem, CSA. canonicum regularem s. Augustini, Merc. sodalem O. b. M. V. de Mercede, Mi. Minoritam, OP. sodalem ord. Praedicatorum, OSA. Augustinianum, OSB. Benedictinum, Pr. Praemonstratensem, SMV. Servitam, SJ. sodalem Soc. Jesu, Theat. Theatinum etc.

Pag.

B

H

I

M

N

O

P

Q

R

W

Index rerum

quae in libris hoc tomo recensitis tractantur.

NB. Numerus assignatus est numerus paginae; is vero, qui typis nitidioribus est expressus, significat, argumentum in opere ea pagina relato docte admodum tractari, numerus vero uncinis inclusus significat, argumentum in opere ibi recensito ex parte tantum evolvi — Commentarii varios in libros s. Scripturae quaerantur sub verbo S c r i p t u r a; historia vero particularium ecclesiarum, dioecesium etc., sub harum nomine. Per se patet, argumenta specialia, illis in operibus reperiri, quae de argumento generali, sub quo illa continentur, agunt, et si sub uno titulo non reperiantur, forte sub alio affini et simili inveniri.

A

F

N

O

P

W

Z

Prospectus tomi III.

III. Theologia annorum 1601—1620.

IV. Theologia annorum 1621—1640.

V. Theologia annorum 1641—1663.

Vol. 25. S. Leonis M. epistolae selectae I—XXVIII. 1874. (304 p.) M 1.20
Vol. 26. S. Leonis M. epistolae selectae XXIX—L. 1874. (298 p.) M 1.20
Vol. 27. S. Augustini opuscula selecta de Ecclesia. 1874. (303 p.) M 1.20
Vol. 28. S. Anselmi de Divinitatis essentia monologium. 1874. (212 p.) M —.90
Vol. 29. S. Joannis Chrysostomi homiliae quinque de incomprehensibili et S. Gregorii Nazianzeni orationes theologicae quinque. 1875. (337 p.) M 1.44
Vol. 30. S. Ambrosii de fide ad Gratianum Augustum libri v. 1875. (395 p.) M 1.60
Vol. 31. S. Basilii liber de Spiritu sancto ad Amphilochium. 1875. (162 p.) M —.72
Vol. 32. Cassiani de incarnatione Christi contra Nestor. libri 1876. (281 p.) M 1.08
Vol. 33. S. Aurelii Prudentii apotheosis et Sedulii carmen paschale. 1876. (174 p.) M —.80
Vol. 34. SS. Patrum de sanctissima Dei genitrice Maria sermones selecti. 1877. (321 p.) M 1.44
Vol. 35. S. Aurelii Augustini Hipponensis episcopi et S. Prosperi Aquitani de gratia opuscula selecta. 1877. (203 p.) M —.90
Vol. 36. S. Aurelii Augustini et S. Prosperi Aquitani de gratia adversus Semipelagianos opuscula selecta. 1878. (344 p.) M 1.44
Vol. 37. Sanctorum Patrum de Sacramentis opuscula selecta. 1878. (253p.) M 1.08
Vol. 38. Guitmundi de corporis et sanguinis Christi veritate in Eucharistia libri tres. 1879. (185 p.) M —.84
Vol. 39. Scriptorum veterum de Eucharistia opuscula selecta. 1879. (284 p.) M 1.20
Vol. 40. S. Gregorii oratio apologetica de fuga sua et S. Joannis Chrysostomi libri sex de sacerdotio. 1879. (292 p.) M 1.20
Vol. 41. S. Joan. Damasceni de fide orthodoxa libri quatuor. 1880. (430 p.) M 1.80
Vol. 42 et 43. S. Augustini de S. Trinitate libri quindecim. 1881. (723 p.) M 3.—
Vol. 44. S. Athanasii libri duo contra gentes. 1882. (231 p.) M —.96
Vol. 45. S. Fulgentii epistolae I—VIII. 1884. (254 p.) M 1.14
Vol. 46. S. Fulgentii epistolae XI—XVIII. 1884. (318 p.) M 1.44
Vol. 47. S. Bernardi de consideratione libri quinque ad Eugenium III. et tractatus de moribus et officio episcoporum ad Henricum Senensem archip. 1885. (277 p.) M 1.20
Vol. 48. Sulpicii Severi opuscula de S. Martino episcop. Turonensi et Eusebii Hieronymi vitae S. Pauli, S. Hilarionis et Malchi. Accedunt index rerum quae a tomo XXV—XLVIII continentur. 1885. (317 p.) M 1.44

Series altera. Vol. I—VI in 8°. M 14.20

Vol. 1. et 2. S. Augustini in Joannis evangelium tractatus cxxiv. 1884. (575 et 558 p.) M 4.—
Vol. 3. Joannis Cassiani collationes xxiv. 1887. (829 p.) M 3.—
Vol. 4. S. Hilarii de Trinitate libri xii. 1887. (612 p.) M 2.40
Vol. 5. S. Bernardi, abbatis Claravallensis, sermones in cantica canticorum. 1888. (740 p.) M 3.—
Vol. 6. S.Gregorii M. xl Homiliarum in evangelia libri duo. 1892. (392p.) M 1.80

Secundum ordinem Patrum

Numeri indicant volumina.